Sala 2
Gab. 1
Est. 8
Tab. 13
N.º 10

2
8
13
10

A Ed. 9. N.º 7.

COMMENTARII

COLLEGII CO-NIMBRICENSIS SOCIETATIS IESV,

In octo libros Physicorum Aristotelis Stagiritæ.



BIBLIOTHECA DA UNIVERSIDADE 35305 COIMBRA

Collegio de Coimbra

De S. Joseph.

CONIMBRICÆ.

Typis et expensis Antonij à Mariz Vniuersitatis Typographi.
Anno Domini, M.D.LXXXXII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

UNIVERSIDADE LIVRARIA DA

35305



IVDICIVM DOCTORVM, QVIBVS hoc opus perlegendi cura demandata est à sereniſsimo Principe Cardinale Alberto, ſupremo in Luſitania Inquiſitore.

PErlegimus hanc partem Curſus Conimbricenſis, id eſt cõmentarios in octo libros Phyſicorum Ariſtotelis, nihilque in eis inuenimus, quod fidei, aut bonis moribus repugnet. Quin verò cenſuimus eſſe opus & doctrinæ ſubtilitate, & ſtyli nitore, & rerum, quæ in eo tractantur, copia & varietate inſigne; nec Philoſophis tãtùm, ſed Theologis quoque perquam vtile futurum. Quod proinde non modo typis excudi, ſed immortalitati commendari debeat.

D. Gabriel à Coſta. *D. F. Ægidius à præſentatione.*

FACVLTAS SVPREMI INquiſitionis conſilij.

Poſſunt imprimi hi commentarij. Oliſipone xvii. Kal. Auguſti M.D.XCI.

Antonius de Mendonça. *Iacobus de Souſa.*

FACVLTAS ILLVSTRISS. AC REVErendiſs. D. Alphonſi de Caſtelbranco Epiſcopi Conimbricenſis.

Excudi poſſunt hi commentarij in octo libros Phyſicorum Ariſtotelis; cùm nihil contineant à ſacroſancta religione, aut recta morũ doctrina alienum. Conimbricæ Idibus Maij M.D.XCI.

D. ALPHONSVS EPISCOPVS COMES.

FACVLTAS REGII SENATVS.

Poſſunt excudi hi commentarij. Oliſipone xv. Kal. Auguſti M.D.XCI.

Hieronymus Pereira. *Iacobus Lameira.* *Damianus D'aguiar.*

FACVLTAS GENERALIS
Præpositi Societatis Iesu.

QVod iam pridem optabant multi, vt cõmunes Philosophiæ commentarij manu scripti, qui in Conimbricensi liberalium artium Academia Societati nostræ commissa quotidiano excipientium labore dictabantur, recognoscerentur, auctiq́ue & locupletati mandarentur typis; id vt fieret, aliquot ante annos à Reuerẽdo admodum Patre Nostro Generali Claudio Aquauiua cõstitutum erat. Sed cùm res longiùs protraheretur, eius cura nobis demandata, cùm prouinciam eius nomine lustraremus, non iudicauimus tantum scholasticorum leuamen diutius esse differendum. Itaque maiori diligentia adhibita, cùm pars ea, qua libri de naturali auscultatione exponuntur, opera & industria, examine etiam & correctione præstãti ingenio Magistrorum parata esset ad prælum, & reliqui deinceps commentarij diligentiùs perficerentur, non fuit cur expectarentur ij, qui ad Dialecticam pertinent, vt ab eis typographica editio totius Philosophiæ curriculi initium sumeret: dum enim illi excuduntur, hi recognoscentur, complementumq́ue accipient. Cùm igitur in hac commentariorum parte nihil reperiatur, quod sanæ doctrimæ aduersetur, opusq́ue ipsum perutile sit, & ad rem accommodatũ, eiusdem Patris Nostri Generalis speciali facultate nobis cõmunicata cõcedimus, vt typographorum opera in lucem emittatur. Olisipone x. kal. Nouembris anno Domini 1591.

Petrus Fonseca.

SVMMA DO PRIVILEGIO
Real.

POr priuilegio delRey nosso senhor, cõcedido aos Padres da Cõpanhia de Iesu deste Reyno, ninguẽ pode imprimir, nẽ fazer imprimir, nẽ trazer de fora quaesquer liuros compostos, ou ordenados, ou tresladados por elles sem sua licença: sopena de perder os ditos liuros, & trinta cruzados, como mais largamente se contem no priuilegio.

PROOEMIVM
IN OCTO LIBROS PHYSICORVM ARISTOTELIS.

DE NOMINE DEFINITIONE néq; Philosophiæ.

Horum principes enumerat Plato in Protagora.

QVI olim magnarum rerum intelligentia, & doctrina, cæteris præstare videbātur, eos Græci σοφοὺς, ideſt, ſapientes nuncupabant. Verum hoc nomen, quod ſpeciem arrogantiæ præ ſe ferebat, ac multis erat inuidioſum, auctore Pythagora mutatum eſt, qui & ſe philoſophū dici voluit, & philoſophiam primus appellauit. Cum enim apud Leontium regem Phliaſiorum doctè, & copioſè diſſeruiſſet; rogatus ab eo quidnam artis profiteretur, aut qua potiſsimum in re ſapiens eſſet; reſpondiſſe fertur ſe neq; artem ſcire vllam, neque eſſe σὸφον, ideſt, ſapientem; ſed φιλόσοφον, ideſt, amicum ſapientiæ. Placuit nouitas eius vocabuli, quod & veterem ſapientum minueret inuidiam, & ſingularem teſtaretur ſapientiæ dignitatem. Atque hinc Philoſophi, Philoſophiæq; nomen latè increbuit; nec ſolū à Pythagoreis, ſed etiam à Platonicis, & eorū æqualibus, poſteriſque omnibus communi fuit approbatione vſitatum. Cuius rei meminit D. Auguſtinus 14. de Trinit. cap. 1. Clemēs Alexandrinus. 1. Stromatum, Iamblichus 1. de ſecta Pythagorica, alijq; non pauci.

Philoſophi, & Philoſophiæ nomē à Pythag. inuentum.

Lactātius lib. 4. c. 2. Plutar. 1. de plac. c. 3. Cic. 1. & 5. Tuſc. qſt.

Porrò Philoſophiam nō vno omnes modo definiere. Quidam ita, Philoſophia eſt amor ſapientiæ. Hæc tamen explicatio, vt aduertit Hugo Victorius 2. Didaſcalon cap. 1. nominis etymologiam, nō rei ſubiectæ naturam aperit: ſiquidem ſapientia nō in voluntate inſidet, cuius eſt amare; ſed in intellectu, cuius eſt intelligere, & ſapere. Quanquam & illud dici poteſt, idcirco Philoſophiam amorem definiri ſapientiæ, quod excellens rerum cognitio haud quaquam ſine amore conſtet. Quò pertinet illud ex libro de ſecretiore ſapientia ſecuudum AEgyptios, Amor intelligentē comitatur, quia ſine hoc intellectus quaſi in ſolitudine, atq; ſilētio poſitus nihil cōprehēdit.

1. philoſophiæ definitio.

D. Damaſ. 1. phy. Senec. epiſ. 15. Cicer. 2. offi.

Alij Philoſophiam eſſe dixerunt, humanarum, diuinarumq; rerū cognitionem, & ſcientiam. Qui nomine rerū humanarum, corporū concretioni obnoxias, ac nobis familiares; diuinarū verò, nullo

2. definitio.

materiæ nexu cohærentes, & in receſſu naturæ abſcondítas intellexere. Vel, vt eſt aliorum ſententia, per res humanas, eas, quæ ad tuenda vitæ officia, & ciuilem ſocietatem pertinent, ſignificarunt: per diuinas autem, cæteras, quarum contemplatio Philoſophum à cõmuni cætu auocat, & reliquis mortalibus diuiniorem reddit. Et hæc quidẽ definitio, ſiue in Zenonis porticu, ſiue in Platonis Academia, orta fuerit, Philoſophãtium ſcholas maximè peruagata eſt; eamque refet Plato in Theæteto, & Phædone, Cicero lib. 4. Tuſculanarum quæſt. Philo Iudæus in libro de congreſſu quærendæ eruditionis gratia. Verum illa non ſingulis Philoſophiæ partibus; ſed omnibus ſimul ſumptis conuenit. Non enim quælibet pars Philoſophiæ humana ſimul & diuina conſiderat.

3. definitio.

Rurſus Plato in dialogo de ſapientia, hanc aliam inculcat deſcriptionẽ, quam ex Pythagoræ diſciplina manaſſe teſtatur. D. Hieronymus in Apologia aduerſus Rufinum; Philoſophia eſt mortis contemplatio. Ea vero vt intelligatur ſciendum eſt duplicem eſſe mortem; vnam, quæ in abſceſſu animi à corpore conſiſtit: alteram, qua mens in corpore adhuc manens, à malis cupiditatibus abducitur, vt vitiorum ſoluta vinculis cæleſtia, & diuina meditetur. Enim vero, vt eſt à Socrate in Phædone diſputatum, nihil tam eſt homini veritatis lucem cernere cupienti inimicum, quam corporis contagio, & voluptatis illecebra, quæ mentem cõcreta caligine offuſam, falſis decipit imaginibus, nec à ſenſuum turba & colluuione ad mũdi ſpectaculum, & ad rerum naturam perluſtrandam egredi ſinit. Vndè Mercurius ille, cui multiplex rerum ſcientia Triſmegiſti nomen dedit, eum, qui ad Philoſophiam aſpirat, in Aſclepio hortatur, vt corpus, quo ad fieri poſsit, quaſi veſtem deponat, exuatque hoc inſcitiæ indumentum, interitus vinculum, viuam mortem, ſentiẽs cadauer, ductile ſepulchrum, domeſticum furem; qui dum blanditur, odit; dum odit, mentem ad terrenam fæcem deprimit, cænoq; illigat ne intelligentiam cælitus hauriat. Quoniam igitur hanc à corpore ſecretionem, quaſi mortem, appetere docet, eaq; maximè gloriatur Philoſophia; ab hoc tam præclaro munere, nunc mortis contemplatio; nunc ſolutio animi à corpore; aliâs mortis affectus, ſeu conſuetudo moriendi dicitur. Plura in hanc ſententiam Xenophon libro 4. de dictis Socratis, Proclus in libro de anima & dæmone, Alcinous in lib. de doctrina Platonis, Apuleius in lib. de Philoſophia.

duplex mors.

De hac definit. Clemens Alex. 4. Stromatũ. Philo Iud. in lib. de mundi opif. Cic. 1. Tuſc.

Mercurij Triſmegiſti ſentẽtia, quo pacto philoſophandum ſit.

Philoſophia cur mortis cõtemplatio.

Alias præterea definitiones tradunt Philoſophiæ Lactantius lib. 4. cap. 2. Iuſtinus Philoſophus & martyr in dialogo cum Tryphone, & alij. Sed ea nobis maximè probatur, quam D. Damaſcenus lib. 4. ſuæ Dialecticæ, & Ammonius initio prædicabilium ex veteribus, potiſsimumq; ex Ariſtotele 10. Metaph. cap. 3. referunt, videlicet, Philoſophia eſt cognitio rerum, vt ſunt. Verba illa, vt ſunt, idem valent, atque per ſuas cauſſas, ſi eas habuerint. Sicut enim res, quarum cauſſæ inueſtigantur, per cauſſas eſſe obtinent; ita percipi tunc

4. definitio ex Ariſtotele potiſsimum deſumpta.

tunc dicuntur, vt sunt; cum per easdem cognoscuntur. Debere autē Philosophiam causſas tenere inde constat; quia quemadmodum ex admiratione, ideſt, ex notitia effectuum, & ignoratione causſarum, cæperunt homines philosophari, hoc est, causſas inquirere, vt Plato in Theæteto, & 1. Metaph. cap. 2. Aristoteles docet; ita par est eum perfectè Philosophum, seu sapientem iudicare, qui causſarum cognitionem sit assecutus. Accipitur tamen interdum Philosophia pro adumbrata, & imperfecta rerum intelligentia, vt apud Platonem in Conuiuio, aliâs pro sola prima philosophia, vt apud Aristotelem. 4. Metaph. cap. 2. tex. 5. A nobis verò in progressu sub ea notione, qua postremò definita est, quaque dicitur cognitio rerum, vt sunt, potissimum considerabitur.

DE DVPLICI PHILOSOPHIÆ distributione.

Refert hanc diuisionē D. Aug. 8. de ciu. cap 4. Lact. lib 3 c. 13 Alcinous in lib. de doctrina. Plac. Isidorus in l. de dial.

VAriæ traditæ sunt apud antiquos Philosophiæ diuisiones, ex quibus duas, quæ celebriores habētur, quæq; ad præsens institutum magis faciunt, pertractabimus. Prima est, qua Philosophia distribuitur in Naturalem, Moralem, & Dialecticam. Cōprehēdit autē hoc loco Naturalis (fuso videlicet naturæ significatu, vnde nomen habet) nō solū Physiologiā, sed etiā Metaphysicā, & Mathematicas disciplinas. Porrò huiusmodi sectio, de cuius auctore inter scriptores non satis conuenit, cōmendata fuit à Platone, vt testatur Alcinous in lib. de eius doctrina cap. 3. & Eusebius Cæsariēsis initio lib. 11. de præparatione Euangelica; eandemq; secutus est Aristoteles. 1. Top. c. 12. Chrysippus, Eudromus, Xenocrates, & alij, quorum meminit Laertius in vita Zenonis post Plutarchum 1. de placitis cap. 1.

1. philosophiæ partitio.

A quibus celebrata.

Quod verò hæc partiendæ Philosophiæ ratio apta sit, & perfecta; hunc in modum ostendi potest. Philosophia ad humanam felicitatem dirigitur. (Vt enim D. Augustinus lib. 19 de Ciuit. dei cap. 1. ex Platone asserit, Philosophādi causſa nulla est homini, nisi vt beatus sit) humana autē felicitas, teste Aristotele cap. 7. & 8. primi lib. Eth. ad Nicomachum, partim in actione virtuti consentanea; partim in contemplatione veritatis sita est. Oportet ergo aliquam dari scientiam, quæ honesti rationem contineat, & ad virtutem, morūq; probitatem erudiat; hæc verò, Moralis est Philosophia: item aliam, quæ abdita naturæ mysteria scrutetur; & in solius veritatis cognoscendæ studium incumbat; atq; hæc, Physica dicitur. Deinde huiusmodi scientiarum adeptio, & vsus differendo constant, qua in re sæpe mens errore decepta hallucinatur. Statuēda est igitur tertia quædam ars, quæ lucem præferat, solerterq; prouideat ne veritatis locū falsitas obtineat; hæc autem Dialectica nuncupatur. Tot igitur numero

Qua ratione cōprobetur.

Lege Plat. in Gorgia, & Theæteto.

mero sunt Philosophiæ partes.

Cõfirmatur. Idẽ cõfirmat D. Tho. initio Eth. ad Nicom. hac fermè ratione. Præcipua cura sapientis circa ordinem versatur; siquidem, vt ex cap. 2. libri primi Metaph. constat, ad sapientem maximè pertinet ordinare; ordo autem rerum, quæ in Philosophiæ considerationem veniunt, triplex est. Primus, quẽ ratio non efficit, sed inspicit tantùm, atque expendit, cuiusmodi est rerum Physicarum ordo. Secundus, quem ratio sibimet ipsa exhibet, cùm notiones suas, & effata inter se ordinatìm disponit. Tertius, quem ratio volũtati præscribit, vt illa probè instituta rectum, atq; honestum prosequatur. Primus Naturalem, Secundus Rationalem, tertius Moralem scientiam requirit. Non igitur aut pluribus eget, aut paucioribus partibus cõtenta esse potest Philosophia.

Triplex ordo rerum.

Eiusdem tripartitæ varietatis rationem similitudine quadam D. Augustinus explicat, partim lib. 8. de Ciuit. Dei. cap. 4. partim lib. 11. cap. 25. ad hunc ferè modũ. Quemadmodũ tria sunt, quæ in quolibet artifice, vt aliquid efficiat, spectantur; Natura, doctrina, vsus; quorum primum ingenio; secundum scientia; tertium fructu dijudicatur: sic triplex à Philosophis inueniri debuit disciplina. Naturalis, propter naturam; Rationalis, propter doctrinam; Moralis, propter vsum. Et quoniã homo ita procreatus à Deo est, vt per id, quod in ipso præcellit, attingat ad id, quod cunctis excellit: per huiusmodi tripartitam scientiam attingit ad vnum, verum, optimum Deum, sine quo nulla natura subsistit, nulla doctrina instruit, nullus vsus expedit. Sunt itaque, ex D. Augustini sentẽtia, hæ tres partes Philosophiæ, tres veluti gradus, quibus perfectè sapiens, aspirante cælesti aura, summa petit, & ad Dei similitudinẽ propiùs euadit. Easdem quoq; appositè quis dixerit tria dona singularia, quibus humanæ mentes ad exemplum cælestis Hierarchiæ illuminantur, purgantur, perficiuntur. Enim verò Dialectica dum artificio differendi vera à falsis distinguit, animum affusa luce veritatis illustrat: Moralis Philosophia, dum mores componit, & vitiorum fibras euellit, purgat: Naturalis dum altiori abditarum rerum intelligentia, mentem exornat, perficit. Alias ad hanc rem adumbrandam similitudines, ac rationes habes apud Philonem Iudæum in libro de Agricultura, & Laertium in Zenone Cittico. Vide etiam Plotinum libro 3. Enneadis. 1. de triplici ascensu ad mundum intelligibilem.

Illustratur similitudine.

Ex doctrina. D. Dionysij. 3. cap. cęlestis Hierar. quam explicat D. Tho. 1. p. q. 106. ar. 1.

Posterior Philosophiæ distributio est, qua Philosophia, nõ vniuersa, sed ea tantùm, quæ in contemplatione posita est, diuiditur, videlicet in Metaphysicam, Physiologiam, & Mathematicas disciplinas. Quia verò hæc partitio multas continet difficultates, quarũ erit vtilis & iucunda explicatio, de illa articulatim, & vberiori filo differamus.

2. partitio.

QVÆSTIO. I.

NVM CONTEMPLATRIX PHILOsophia in Metaphyſicam, Phyſiologiam, & Mathematicā rectè diuidatur.

ARTICVLVS I.

Non videri rectè diuidi.

QVod tripartita illa contẽplantis Philoſophiæ diſtributio haud probè tradita ſit, hunc in modum videtur oſtendi poſſe. Primùm. Ariſtoteles. c. 2. lib. 4. Metaphy. affirmat tot eſſe partes Philoſopiæ, quot ſubſtãtiarũ genera: cùm igitur Mathematica non ſubſtantiam, ſed quantitatem conſideret, conſtat non numerari eam ab Ariſtotele in partibus Philoſophiæ. Deindè Plato in Amatoribus, vbi veri legitimiq; philoſophi adũbrat imaginẽ, eũ tantũ Philoſophi nomine dignũ cenſet, qui in quæſtionibus de cõmunis vitæ, & morũ diſciplina, pertractandis excellat; ſolã ergo Moralẽ doctrinã, verã eſſe Philoſophiã arbitratur. 1. arg. ex Ariſt. & Platone.

2 Secundò. Quemadmodum in quantitate, eiusque affectionibus cognoſcendis Mathematica verſatur; ita aliquam dari ſcientiã oportet, quæ relationẽ, qualitatem, cæteràq; accidentia ſcrutetur: cùm hæc non minus ſint intellectu difficilia, nec minus ob naturarũ diſſimilitudinem, peculiarem explicationem depoſcant. Sunt igitur multò plures philoſophiæ partes.

3 Tertiò. Eſſentia entis mobilis ſicuti motũ, cæteraſq; proprietates, quæ ipſam conſequuntur, origine antecedit; ita abſq; ijs cognoſci poteſt: atqui eo modo ſpectata non pertinet ad Mathematicum, qui in ſola quantitate occupatur; neque ad primum Philoſophum, qui abſtrahit conſiderationem à materia; ſed neq; ad Phyſicum; cũ is non ſpeculetur naturam ſine motu. Quærenda eſt ergo alia ſcientia, quæ eſſentiam entis mobilis ita ſumptam conſideret.

4 Quartò. E cõtrariò. Sufficit vna ſciẽtia ad ens in cõmune, omneſq; eius partes contẽplandas. Igitur ſuperuacanea eſt ſcientiarũ multitudo. Antecedẽs ſuadetur bifariàm. Primùm, quia ſicut omnia, quæ diuinæ reuelationis lumine cognoſcimus, ad vnã Tranſnaturalẽ ſcientiã, nempè Theologiã, ſpectant; ita vniuerſa, quæ nãtiui lumĩnis inſtinctu à nobis ſciuntur, ad vnam, eandemq; naturalem ſcientiam reduci poſſunt; cùm vtrobiq; ſit par ratio. Secundò, quia cũ omnia, analoga vnitate, in ente vnum ſint; nihil impediet quominus vnius ſcientiæ modum cuncta ſortiantur. Quod ſiquiſpiam occurrat, ad fundandam arguendàmve vnius ſcientiæ rationem, non ſat eſſe analogam vnitatem, propterea quòd ſcientiarum vnitas ab vnitate abſtractionum petenda ſit, quæ abſtractiones, minimùm, tres numeran-

merantur; contra id argumentis infrà positis iam sic obijcitur.

Tres philosophicę abstractiones.

Quintò. Tres illæ principes Philosophiæ partes, Mathematica, Physica, & prima Philosophia, vel duæ earum interdū, considerant vnā, eandēq; rem. Non ergo respiciunt diuersas illas abstractiones à materia, penes quas distinguantur tanquam scientiæ diuersæ; cùm res eadem triplicem illam varietatem abstractionum nequaquam sortiri posse videatur. Antecedens ostenditur. Namque Mathematicus considerat quantitatem, vt notum est; eandem verò cōtemplari debet Metaphysicus; cùm summa genera, quæ primaria sectione ens diuidunt, contempletur: eandem & Physicus, siquidē est vna è præcipuis entis mobilis affectionibus. Prætereà Physicus differit de motu, deq; omni substantia, quæ ortum, & occasum subit; de eisdē verò agit primus philosophus, vt videre est apud Aristotelem. lib. 7. 8. & 12. Metaphys. Denique primus philosophus considerat mentes à materiæ societate abiunctas, de quibus etiā Naturalis disceptat, vt patet in 8. huius operis libro. Perspicuum ergo manet res easdem in diuersis contemplantis Philosophiæ partibus considerari, atque adeò sub eadem abstractione.

Metaphysicus considerat summa genera.

7. Metaph. c. 2. 6. 7 8. 12. 17. 8. Metaph. à cap. 1. 12. Metaph. cap. 2.

Sextò. Pluribus modis contingit abstractio à materia, quam tribus: ergo si per eius modi abstractionem scientiæ distinguuntur; plura erunt Philosophiæ membra, quàm tria. Probatur antecedens. Enimvero communia rerum omnium attributa, quæ vocant transcēdentia, itemq; summa genera, partim re ipsa in materia sunt, partim extra illam; quæ abstractio à tribus vulgatis differt, vt considerāti patet. Deinde intelligentiæ, & si materia Physica prorsus vacent; cùm tamen possint in se noua accidentia recipere, haud dubiè participant adhuc potestate, seu, vt vocant, potentialitate, quæ genus quoddam est materiæ impropriè sumptæ; vnde libro de causis propositione. 9. dicuntur intelligentiæ habere suam ὑ'λην: At Deus, Optimus, Max. vt qui sit actus omnino purus, ab omni prorsus materiæ ratione seiunctus est: Aliam igitur vendicat abstractionem ab ea, quæ intelligentijs cōuenit, omnino diuersam. Quare alia de trā-scēdētibus, summisq; generibus, alia de Deo, alia de cæteris mentibus statuenda erit scientia, neque hæc omnia in vnam includī Metaphysicam poterunt; nisi ea, sub vno nomine, multiplici triū scientiarum varietate distinguatur.

materia

Materia proportione quadam, etiam rebus immaterialibus inest.

ARTICVLVS II.

REFERVNTVR DIVERSÆ AVctorum sententiæ, & quænam earum vera sit, stauitur.

1. opinio.

IN hac quæstione nulla ferè apud veteres Peripateticos dissensio fuit. Sed enim quorundā recentiū Philosophorum opinionibus agitata res est, & in cōtrarias partes distracta. Sunt enim qui contendant

De his est, Mirādulano 9 lib. 13. de singul. cert. sect. 6. & 7. & initio lib. 14.

tendant vnam dūtaxat esse scientiam, quæ totam entis regionē peruagetur, omnesque eius partes speciatim, ac distinctè consideret; à Philosophis tamē in tria illa vulgata membra dispertitam fuisse propter addiscentium commoditatem; quia tam multa, tamq; varia rerum genera in vnum complicata simul addisci non poterant. Et his quidē suffragatur quartū superioris articuli argumētū. Verū hęc sē- Eius cōfutā-
tentia & quia noua, & quia perexiguam probabilitatis speciem præ tio.
se fert, non placet. Est vero noua; quia nulli vnquam Philosophorum in mētem venit scientias omnes ad vnam reuocare. Qui vbicūque de scientiarum varietate differunt; de illis, vt de rebus natura, specieque distinctis loquuntur. Id quod tum apud cæteros videre est, tum maximè apud Platonem in dialogo de regno, in Philebo, in Sophista, & 10. de Repub. Itemque apud Aristotelem 1. Posterioris Analyticæ cap. 19. & 23. lib. 8. Top. c. 2. Primo de anima c. 1. & lib. 3. cap. 8. ac sæpe alibi. Est etiā huiusmodi placitum per se minus probabile, vt pote quod Philosophiæ splendorem non mediocriter obscurat, dum eam in vnius confusi corporis concretionem, quasi in ὁμοιομερείαν Anaxagoræ conijcit, atq; illigat. Deinde quî fieri potest vt tam ampla rerum sylua, & tanta dissidentium naturarum varietas in vnius scientiæ comprehēsionem veniat? Sane quidem pari ratione dixerit quispiam virtutum omnium materiam, siue obiecta, ad vnam tantū virtutem pertinere. Quo quid in Morali doctrina absurdius? Præterea quod scientiarum distinctio non à sola commoditate, sed ab ipsa natura orta sit, ex eo ostendi potest, quia vt Aristoteles. 1. Post. cap. 23. & Plato in dialogo de furore Poetico, cæterique Philosophi passim docent, scientiæ per res sibi subiectas & attributas, quæ attributionis subiecta vocant, inter se distinguuntur; ad eum modum, quo potētiæ per obiecta. Cum igitur, vt est etiam communis Philosophantium vox, potentiæ. v. g. alendi, sentiendi, intelligendi, essentiali inter se differant discrimine, haud dubiè eodem inter se mutuo scientiæ dissidebunt. Deniq; intrinsecam esse, & naturalem hanc scientiarum distinctionem palam testantur & principiorum, quibus singulæ vtuntur, dissimilitudo; & modi comtemplandi, attingendiq; obiecta prōsus diuersi.

obscurat Philosophię splēdorem.

Tollit discretam & conspicuam notitiam rērū sub scientias cadentium.

Altera est opinio quorundā aientiū præter illas tres Philosophiæ partes, dandas esse plures alias, ita vt Metaphysica tres, minimū, scientias genere diuersas suo nomine, & amplexu coerceat; vnā, quæ deū contēpletur; alteram, quæ de intelligentijs agat; tertiam, quæ de transcendentibus, & generibus summis differat. His fauet sextū proximi articuli argumentum. Sed neq; verè, neq; Aristotelicè loquuntur, vt in disputationis huius progressu planum fiet.

2. opinio, quę etiā reijcitur.

Tertia igitur sententia à nobis amplectenda, est eorum, qui censent nec vnam dūtaxat esse scientiam; nec plures Metaphysicas: sed vnam Metaphysicā, Physiologiam vnā, Mathematicas plures; atq; has omnes sic esse inter se, & natura dissimiles, & amplitudine diffusas,

3. opinio veritati cōsona.

diffusas, vt ex earum distinctione vniuersa Philosophia, quæ in cõtemplatione versatur, efflorescat. Hanc assertionẽ confirmat in primis authoritas Platonis apud Alcinoum in libro de doctr. Plat. cap. 6. tum complura Aristotelis testimonia, vt 6. Metaphy. cap. 1. tex. 2. & lib. 11. cap. 6. quẽ sequitur D. Damascenus. 1. cap. suæ Physiol. Boetius in lib. de Trinit. c. 2. Auicenna 1. Metaph. cap. 1. Algazellus initio suæ Phil. Ptolemæus in Almagestõ lib. 1. cap. 1. & communis schola Peripateticorum.

Philosophorũ assensu cõprobata.

Themistius, & Philoponus hoc loc. Eustratius initio Eth. D. Thomas. 11. Metaph. lect. 7. M. Albe. 1. Metaph. c. 1. Scotus 6. Metaph. q. 1.

ARTICVLVS III.

RECTE DISTINGVI INSPECTRICIS Philosophiæ partes pro varietate abstractionum à materia, & à motu.

Quę sit ratio abstractionũ in scientijs.

VT autem veritas liquido appareat obseruandũ est ex D. Thoma. opusc. 70. quæst. 3. art. 1. alijsque in locis, rei, quæ sub scientiæ speculationem venit, duo quasi attributa conuenire; vnum merito intellectricis potentiæ, quam excolit, ac perficit; alterum ratione habitus scientiæ, quo attingitur. Ob priorem causam competit ei immateriale quidpiam esse; quia intelligendi vis expers est materiæ. Ob posteriorem, non potest non certitudinem, & immobilitatem obtinere, quia scientia est de rebus necessarijs; omne autem necessarium, firmum atque immobile esse oportet; siquidem id, quod motum subit, qua tale, & esse & non esse potest, vt lib. 9. Metaph. cap. 9. tex. 17. Aristoteles ait. Ita vero necesse est vt omne id, quod sub scientiæ contemplationem cadit, aliquã sibi à materia, & à motu abstractionem vendicet.

In quæst. de verit. q. 2. ar. 6. ad 1. in Prolog. Metaph. & lib. 6. lect. 1. & initio huius operis.

Artium contẽplantium numerusquo pacto astruatur

His animaduersis iam hoc modo institutum probabitur. Totsũt scientiæ contemplatiuæ, quot abstractiones à materia & à motu: hæ verò tres omnino sunt; ergo totidem erunt contẽplatiuæ scientiæ. Maior propositio suadetur, quia hasce abstractiones necessario comitãtur diuersi modi (scibilitates vocãt) sub quibus sciẽtiæ res subiectas per se attingunt, quique scientijs ipsis distinctionẽ pariunt. Vnde Aristoteles libro. 6. Metaphysicæ, cap. 1. tex. 2. & lib. 12. c. 6. & primo de anima cap. 1. tex. 17. alijsq; in locis pro abstractionũ varietate, scientiarum numerum constituit; quod etiam fecisse Platonem constat ex ijs, quæ tradit Alcinous in libro de eius doctrina cap. 7. Minor vero propositio ex eo ostẽditur, quia datur vna abstractio à materia sensibili singulari tantum: altera à materia sensibili etiam communi, non re, sed ratione: tertia ab omni materia & re, & ratione simul. Quarum prima ad Philosophum Naturalẽ pertinet, secunda ad Mathematicum, postrema ad Metaphysicum. Enimvero Philosophus Naturalis considerat, v. g. hominem vt ex animo

Quę abstractiones, quibus scientijs accõmodẽtur.

constat,

conſtat, & corpore affecto qualitatibus ſub ſenſum cadẽtibus, quod materia ſenſibilis dicitur; nec tamen materiam ſingularem ſcrutatur, cum ſingularia non per ſe ſpectent ad ſcientiam. Mathematicus affectiones triangulorum, aliaq; id genus contemplatur, quæ licet re ipſa in materia ſenſibili hæreant; non ea tamen quatenus in eiuſmodi materia ſunt, expendit. Metaphyſicus in cognitione primæ cauſæ, & intelligentiarum, atque aliarum rerum, quæ neque in materia conſiſtunt, neque illam in ſuo conceptu includunt, verſatur. Porrò quod de abſtractione à materia diximus, ſimiliter de ſeparatione à motu intelligi debet. Liquet igitur tres eſſe abſtractiones, atque adeò totidem inſpectricis Philoſophiæ partes; neq; alias præterea inuehere opus eſſe; cum omnia, quæ in ſcientiæ cõtemplationem veniunt, ſub aliqua è tribus prædictis notionibus ab intellectu percipiantur. Atque hæc ratio à D. Thoma. loco cit. breuiter perſtringitur. Porrò autem in prædictis abſtractionibus licet interdum quod re ipſa mobile eſt, aut materiæ coniunctũ, non vt mobile, neq; vt materiale expendatur; non proinde tamen falſitas interuenit: ſiquidem neque rei, quod non habet aſcribitur, neque quod habet denegatur; ſed eam cogitatio dũtaxat auocat, atque abſtrahit ab eo, cui re ipſa coniungitur: in abſtrahendo autẽ, vt 2. huius operis lib. c. 2. tex. 18. & 7. Metaph. cap. 11. tex. 3. Ariſtoteles docet, nec mẽdacium ineſt, nec error; quãtumlibet vis abſtrahens, vnita diuiſim, materialia ſine materia, mobile ſine motu conſideret.

Lege D. Tho. 1. p. q 85. ar. 1. ad 1.

ARTICVLVS IIII.

QVOD IN MATHEMATICIS DIſciplinis non vna tantũ ſit abſtractio à materia.

SEd nos cum triplicem à materia abſtractionem inculcamus, triplicem intelligimus, partim ſpecie, partim genere. Namque tãetſi Phyſiologia, abſtractionẽ ſpecie vnã; vnam item ſpecie Metaphyſica habeat, Mathematicæ tamen vnam genere, ſpecie duplicem vendicant. Quod vt planum fiat haud ignorandum eſt bipartitã eſſe materiã; ſenſibilẽ nimirũ, & intelligibilem. Materia ſenſibilis eſt materia prima induta accidentibus, quæ ſenſũ mouent. Intelligibilis verò quænã dicatur controuerſũ eſt. D. Tho. 1. p. q. 85. art. 1. credit eſſe eãdẽ materiã primã ſpectatã prout ſoli quantitati ſubeſt. Cũ D. Tho. ſentit Ferr. lib. 2. huiꝰ ope. q. 2. Sõcin. 6. Meta. q. 11. Alijs hęc opinio nõ probatur. Nam cũ Geometra cõmuni Philoſophorũ voce dicatur non abſtrahere cognitionẽ à materia intelligibili; ſi materia intelligibilis, eſſet materia prima; iã conſideratio Mathematica ſubſtantiã attingeret, quod negat Ariſto. 12. Metaphy. c. 8. tex. 44. õneſq; Græci interpretes partim 2. huius operis à tex. 18. partĩ 1. de anima tex. 17. poteſtq; id ex eo oſtẽdi, quia Mathematici ſiue definiãt, ſiue demoſtrẽt, nullã materiæ, aut alterius ſubſtantiæ

Materia laxiori ſignificatu quo pacto diuidatur.

mentionem faciunt. Et quidem meritò, cum Mathematicæ affectiones, eiuſmodi mentione haudquaquā indigeant, vtpote, quæ quātitati per ſe ſumptæ, abſque vllo ordine ad ſubſtantiam, conueniunt, vt eſſe æquale, vel inæquale, eſſe diuiſibile, habere proportionem, aliáque eiuſmodi. Aſſerunt igitur hi auctores intelligibilē materiam eſſe magnitudinem, hoc eſt lineam, ſuperficiem, corpus; dicique materiam, propter ſimilitudinem, ſiue analogiam, quam cum materia prima habet: vt enim hæc, ſubſtantiales formas; ſic illa, accidentarias ſuo modo recipit; intelligibilē verò appellari, quia prout ad Mathematicū ſpectat, non ſenſu, ſed intellectu percipi poteſt.

Opinio Alexandri.

Hæc poſterior ſententia veriſimilior videtur, quam ſecutus eſt Alexander Aphrodiſienſis 7. Metaph. c. 10. ad tex. 55. imo & D. Tho. 1. Poſt. cap. 23. alijque nonnulli.

Lege Vicomercatum c. 2. lib. 2. huius operis Theophila Zimarā 1. de anima ad tex. 17. Antoniū Zimarā propos 8. in theorematis.

Mathematica abſtractio duplex.

Quibus ita explicatis ſtatuimus Mathematicam abſtractionem non ſpecie vnam, ſed duplicem eſſe. Namque res Mathematicæ vel cogitatione abiunguntur à materia ſenſibili tantùm; vel ſimul etiam ab intelligibili. Si priori modo, ad Geometram pertinent; ſi poſteriori, ad Arithmeticum. Geometra enim, teſte Ariſtotele 2. lib. huius oper. cap. 2. tex. 20. & 1. Rhet. ad Theodectem cap. 2. contemplatur affectiones magnitudinis; Arithmeticus autem circa numeri proprietates occupatur. Ex quo planum euadit cur Mathematicæ plures ſint, Phyſiologia verò vna, itemque vna Metaphyſica; videlicet quia harum quælibet vnam dūtaxat; illæ duplicem vendicant abſtractionē. Ac nos hactenus de ijs tātū Mathematicis egimus, quæ ſynceræ, puræq; Mathematicæ dicūtur. Sunt verò præter has aliæ, quæ mixtæ nuncupantur, propterea quòd inter Phyſiologiam, & purè Mathematicas mediæ ſint, eorumq; obiecta partim ad Naturalem Philoſophum, partim ad Arithmeticum, vel Geometram ſpectent; vt Muſica & Perſpectiua. Numerus enim Sonorus, circa quē Muſica verſatur, ex parte quidem numeri, Arithmeticum quidpiam eſt; ex parte Sonori, Phyſicum. Qua de re Ariſtoteles lib. 2. huius operis cap. 2. ibidémque eius interpretes, ad tex. 18. & 19. & lib. 3. ad tex. 71. De tota etiam diſtributione Mathematicarum artiū agit Proclus in 1. Euclidis, Alcinous in libro de doctrina Platonis cap. 6. Hugo Victorius 2. Didaſc. à cap. 7.

Cur Mathematicæ plures, vna vero Phyſica, & vna item Metaph.

Lege etiā Scaligerū in exercitationibus. Exot. exer. 321. & 322.

ARTICVLVS V.

ALIQVOT DVBITATIONVM enodatio, quæ ſuperiùs dictis maiorē lucē affert.

VT ea, quę de abſtractionū varietate, & diſtīctione diſſeruim⁹, apertiora fiāt, dubia quędā explicāda à nobis ſūt, quę multis, recētiū præſertī Philoſophorū, in noſtra ſētētia īexplicabilia viden-

videntur. In primis enim intelligere se negāt quo pacto Metaphysicus & re & ratione considerationem auocet à materia, cum non solùm ea tractet, quæ omninò extra materiam consistunt; sed etiam transcendentia, summáque genera, quorum nonnulla partim insunt; partìm non insunt in materia, vt substantia, & qualitas; alia penitùs in materiam sunt immersa, vt situs & habitus: imo cùm ipsam quoque materiam primam contẽpletur, vt ex lib. 7. Metaphy. cap. 3. constat. *a parte.*

Hanc difficultatẽ vt expediamus compertum esse debet inter ea prædicata, quæ ad primæ Philosophiæ subiectum directò, ac per se spectant, quædam esse purè Metaphysica, idest, quorum nulla pars subiecta ab alio artifice per se tractatur, vt intelligentias: alia nõ purè Metaphysica, qualia sunt, quæ in aliquibus inferioribus materia implicãtur, in quibusdã nõ, vt substãtia, bonũ; vnũ, aliáq; id genus. Porrò autẽ vniuersa hæc in Primæ Philosophiæ tribunali re ipsa abiuncta à materia censentur, non eodẽ tamen modo; sed priora, quia nullã prorsus habẽt cũ materia cõiunctionẽ; posteriora quia & illã in suo conceptu nõ includunt, & secundùm se spectata, indifferentiã habent, vt re ipsa extra eã reperiantur. Quam abstractionẽ. D. Tho. 6. Metaphy. c. 1. alijq; non nulli, ex Auicenna 1. suæ Metaph. c. 2. vocant abstractionem secundum indifferentiã. Quærunt tamen aduersæ opinionis assertores, quid tandẽ causæ sit, cur ea, quæ partìm insunt, partìm nõ insunt in materia, ab illa potius abstracta, quàm cũ ea cõiuncta censeantur; cũ nulla videatur idonea ratio afferri posse cur illud potius, quàm hoc dicatur. Quibus responsum volumus id nõ sinè optima ratione à nobis dici. Namq; idem valet prędicto modo esse aliquid abstractum à materia, atq; esse ad illam indifferens, seu non eam sibi ex se vendicare, vt loco cit D. Tho. explicat. Quare vti verè affirmamus animal secũdùm se indifferens esse ad gradum rationalis, & si re ipsa partìm cum eo iunctũ sit, quatenus in homine continetur; partìm ab illo separatum, prout in bellua includitur: ita probè asserimus substantiam, abstractam, separatámve esse à materia, hoc est indeterminatã, atq; indifferẽtẽ ad illã; licet quadã ex parte materia vacet, proùt videlicet in intelligentijs cõtinetur; ex altera in eã sit immersa, quatenùs in substãtijs corpore præditis inuenitur.

Predicata Metaphysica quędam, partim sũt à materia absoluta, partim materiæ coniugata.

Lege Soncin. 12. Mataphy. 91.

Quæsitum.

Quod verò ad alia summa genera attinet, quæ neque simpliciter, neq; secundùm indifferentiã à materia separata sunt; ea non absolutè, sed quoad diuisiuam cognitionẽ dũtaxàt, ad Metaphysicũ spectãt, quatenùs ad eũ pertinet ens in suas partes generatim distribuere. Quo fit vt, quia in ea partitione eiusmodi quoq; genera occurrũt, de illis itidẽ cognoscat, quatenùs ea ad entis amplitudinẽ percipiẽdã requirit, quæ cognitio imperfecta est, & quàsi perfunctoria. Eodem pacto considerat etiam Primus Philosophus materiã, quia in eam incidit, dũ ens in actũ, & potentiã, cuius præcipuũ significatũ materia est, dispertitur. Itaq; ea, quę nulla ex parte extra materiã cohęrẽt, nõ

Responsio.

Materia quõ pacto à Metaphysico considerẽtur.

nisi obitèr & quasi ex accidẽte tractat Metaphysicus, nisi fortè prout ei, vt communi omnium artificum præsidi ex officio incũbit scientiarum Rempub. constituere, ac tueri, & vnicuique disciplinæ propriam, ac peculiarẽ materiã, in qua insistat, designare. Hac enim ratione pro suo iure, & dignitate extra metas proprij obiecti formalis liberè excurrit, vt alibi explicatiùs dicetur. Ex dictis perspicua relinquitur propositæ difficultatis solutio, quæ si præ oculis habeatur, ad complura dubia, quæ hac in re passim occurrunt, diluenda vsui erit.

Quo pacto Metaph9 materiam cõsideret, disquirit Auerroes in digress. ad tex 9. lib. 7. Metaph. AEgidius in prooem. huius ope. Sõcin. 4. Meta. q. 15. Ianduno 12. Meta. q. 1.

Dubitatiõ circa abstractiones Mathematicas.

Alia quoque dubitatio circa Mathematicæ abstractiones existit, quæ non est a nobis silentio inuoluenda; videlicet quî fieri possit vt Arithmeticus, & Geometra non adhibeant in contemplationẽ materiam primam; cum quantitas, teste Aristotele. 6. libro Metaph. cap. 1. tex. 1. alijsque in locis, pendeat quoad suum esse à substantia corporea, atque adeò sine materia intelligi non possit. Sed occurrendum, non posse quidèm quantitatem secundum suam essentiam, cognitione omnibus numeris perfecta, absq; explicito conceptu naturæ corporeæ intelligi: Verùm ad Arithmeticam, & Geometricã disciplinam non pertinere eiusmodi quantitatis cognitionem. Non enim illæ numerorum, & magnitudinum affectiones eo vsque persequuntur, vt eorum naturam enucleatè explorent, atque adeo vt essentialem ipsorum habitudinem ad materiam scrutentur. Id quod præter alios aduertunt Philoponus, Themistius, Simplicius, & Auerroes tũ in 1. de anima ad tex. 35. tũalijs in locis; itẽq; Alensis in proœmio Metaphysicæ, si eius est illud opus.

Explicatio dub.

Lege de hac re differentẽ M. Albertum 5. Metaphys. tract. 3. c. 2 Antoniũ Andr. 6. Metaph. q. 3. Theophilũ Zimaram. 1. de anima ad tex. 17. Antonium Zim. Theor. 7.

ARTICVLVS VI.

DILVVNTVR ARGVMENTA initio quæstionis proposita.

NVnc tandem argumenta, quæ initio quæstionis adduximus, dissoluenda sunt. Ad primum dicendum, Aristotelem paulò pressiùs eo loco Philosophiæ nomẽ vsurpasse, nimirum pro ea tantùm scientia, quæ de rebus per se subsistentibus disputat. Platonem verò in Amatoribus vel augendæ rei gratia per hyperbolem locutũ; vel nõ ex suo sensu, sed Socratis, quem in eo dialogo loquẽtem facit. Constat autem Socratem vniuersam Philosophiã ad benè viuendi institutum, morésque formandos inflexisse. Quod certè nõ illius tantùm, sed aliorum quoque fuit de Morali Philosophia iudicium. Stoici namq; eam dũtaxat Philosophiæ titulo ornabant. Vnde & sapientiam, bonorum, ac malorum scientiam, vitæque degendæ artem definiebant. Qua de re lege, si placet, Epictetum in Enchirid. c. 67. & Plutarchũ in opusculo an seni gerẽda sit Respub.

Socrates vniuersam philosophiam ad mores inflexit.

Ad

Ad 2. Respondemus qualitatem, relationem, cæteràque accidẽtia non nisi sub aliqua è tribus illis abstractionibus a Philosopho cõsiderari, ideóq; ad aliquam trium scientiarum necessariò pertinere. Exempli gratia colores, quia non nisi cum ordine ad sensibilem materiam spectantur, ad Physicum pertinent; trianguli, quia a materia sensibili, non verò intelligibili abstrahuntur, ad Geometram; scientiæ, quia sunt liberæ a materia, ad Metaphysicum. Quod pari etiã modo de relationibus dicendum est. Nam verbi cau. inæqualitas inter duas angelorum species, negotij est Metaphysici; proportio inter duos numeros, Arithmetici; relatio calefacientis, ad rem, quæ calefit, Physici. Atque ita inspectis ijs, quæ superius disseruimus, nõ erit difficile ea, quæ in singulis categorijs continentur, vnicuiq; scientiæ adiudicare. Siquis tamẽ argumento non dum satisfactum putet, contendátque prẽter quãtitatem alia quoque esse materialia accidentia, quorum, non secus ac quantitatis, cognitionem Philosophus a materia sensibili auocare queat, atque adeò posse deberéque circa illa nouam scientiam à Physiologia, & Mathematicis distinctã versari: is intelligat, esto eiusmodi accidentia eo pacto considerari posse admittamus; eam tamẽ considerationem non tanti esse, vt vna aliqua scientia cum dignitate occupari in ea debeat. Secus verò in quantitate res habet, quæ ob reconditam fæcunditatem multiplicium affectionum, quas sibi, prout a materia sensibili abstrahitur, vendicauit, non vnam tantùm, sed plures peperit disciplinas.

cõtẽplatio relationumquorũ sit artificũ.

vberior eiusdem arg. explicatio.

Ad 3. Negandum est essentiam entis mobilis in se spectatam, & vt suas omnes proprietates origine antecedit, nõ pertinere ad Physicum. Nec enim is propterea dicitur nõ speculari naturam sine motu, quod ipsam entis mobilis essentiam in se sumptam non etiam cõtempletur; sed quia motum, quá motus est, a sua consideratione nõ excludit, vti reliquæ scientiæ; quin potiùs in eo inuestigãdo, & explicando maguam studij sui partem collocat.

Ens mobile in se spectatũ Physicæ cõsiderationis est

Ad. 4. Negari debet antecedens propositio, & ad priorẽ eius cõfirmationem dicendum, ideò cognita diuinæ reuelationis, fideíque lumine, ad vnicam transnaturalem scientiam pertinere; cognita verò lumine naturali humanę rationis, ad vnicam scientiam naturalẽ spectare nõ posse; quia naturale lumen intellectus nihil aliud est quàm ipsa facultas, visq; intelligendi, quæ ad actus scientiæ efficienter tantùm influit, nec magis ad hoc, quàm ad illud intelligibile, ad vnam quàm ad aliã intellectionẽ ex se determinatur. Quo fit, vt ab eo scientiarum vnitatem ritè arguere nequeamus: at diuinæ reuelationis lumen haud ita se habet. In primis enim nõ est ipsa potẽtia, sed cæleſti dono potentiæ infunditur, eámque ad certos actus inclinat. Deinde non efficienter solùm, sed obiectiuè etiam, atque adeò formaliter, ad assentiendum concurrit, quatenus formalis ratio obiecti Theologiæ, quod dicitur reuelabile, ab eo lumine desumitur, vt ab illo quod est ratio attingendi ea, quibus assentimur. Quia verò scientia-

Cur à naturali lumine intellectus nõ petatur scientiarum distinctio.

entiarum vnitas, & distinctio à ratione formali obiecti peti debet; ea verò ratio formalis in ijs omnibus, quæ hoc vitæ statu diuinæ reuelationis luce sciuntur, vna est, sicuti & vnum lumen à quo ducitur; fit vt vnam tantùm supernaturalem scientiam habeamus; Naturales verò plures. Ita liquet priori ratione, qua antecedés propositio confirmabatur, nihil cōcludi. Posteriori verò rectè occursū est.

Cōsule Capr. in ꝓlogo sen ten. q. 3. ad finem Caiet. 1. p. q. 1. ar. 3.

Qui artifices, qua varietate, quantitatē expendant.

Ad 5. Negandum est prius pronunciatū, & ad eius confirmationem dicendum Mathematicam, Physiologiam, & Metaphysicam considerare quantitatem, vnāquāq; pro rata parte sui iuris, hoc est sub propria abstractione. Videlicet Mathematicam quoad nō nullas affectiones, quæ quantitati absolutè & vt quantitas est, conueniunt; cuiusmodi sunt æquale & inæquale, exuperantia & defectus, commensuratio & proportio, atque aliæ, quæ lib. 4. Metaphysicæ cap. 2. tex. 5. ab Aristotele numerantur. Physiologiam, prout est entis mobilis proprietas, & omnium sensibilium accidentium fundamentum. Metaphysicam, quia primus Philosophus, saltem dum ens per decem genera partitur, in quantitatem incurrat necesse est. Ad reliquam partem eiusdem argumenti pari ratione admitti debet Metaphysicum agere de substātia, quæ ortui, & interitui subiacet, itémque de motu, non quasi harum rerum naturas, vt propriam ac peculiarem sibi materiam contempletur, sed vel prout ad diuisiuam cognitionem substantiæ, actúsve in commune pertinent; vel (quod etiam de quantitate dici poterit) secundum conceptus quosdam generales: vel denique quia ita fert communis cura, qua Prima Philosophia cæteris artibus præsidet, vti superius monuimus. Admittēdū quoque est Physicum nonnihil de substantijs materialibus attingere; non quasi earum naturam in se spectatam scrutetur, sed vt earum circa cælestium corporum motus efficientiam declaret, probétque non dari progressum infinitū in ijs, quæ ita mouent, vt etiam moueantur. Itaque licet ea, quæ in argumento adducuntur, non in vnam tantùm Philosophiæ partem cadant; haud propterea existimādum est id sub eadem abstractione, contingere, aut confundi, per misceriue in scientijs abstractiones à materia; vt ea, quæ diximus, attendenti manifestum erit.

Iandunus 6. Metaphy. q. 3.

D. Thom. 12. q. 66. ar. 5. ad 1. & lib. 3. Metaph. lect. 4.

Substantias à materiæ societate abiunctas quatenus Physiologia consideret.

Hac de re Auicc. 1. Met. c. 1. AEgid. 1. de gene. q. 14. Iauel. 12. Metaphy. Sonc. 12. Met. q. 1. Zimara. Theorem ate 53. Scaliger exercit. 6. n. 3. Auerroes. 12. Meta. ad tex. 5.

Ad 6. quid respondendum sit quod ad summa genera, & trāscendentia spectat, satis iam constat. Quod tamen de Deo, & intelligentijs obijcitur difficiliorem habet explicatum. Sed hunc in modum enodari potest. Cum abstractio à materia distinctionē scientijs præstare dicitur, materiæ nomen non tam amplè sumi debet, vt ad omnia, quæ quoquo modo materiā sapiunt, se se fundat; sed ita vt materiam dūtaxat sensibilem, & intelligibilem comprehendat. Cuius rei causa est; quia, vti superius disseruimus, ideò scientiæ per abstractiones à materia distinguuntur, quia non feruntur per se in sua obiecta, nisi prout illa à materia, aliqua ex parte, abiuncta sunt: ea verò propterea abiuncta esse debent à materia, vt cum intellectu, quem

perfi-

perficiunt, suo modo conueniant. At clarè patet ad istiusmodi conuenientiam conciliandam non oportere obiectum scientiæ à potentialitate, quæ aliquo modo materia dicitur, vindicari; cum intellectus ab ea neutiquam alienus sit, vtpote, qui ex sua primæua ratione totus est in potentia, non secus ac tabula, in quam nullum adhuc artificis manus colorem induxit, nullam imaginē impressit. Sic verò perspicuum euadit etsi Deus ita à materia liber sit, vt etiam potentialitatem, quam Metaphysicam materiā vocant, ab se respuat; huiusce tamen maioris abstractionis gradum nō sat esse, vt alia de Deo, alia de intelligentijs instituatur Philosophia, cum eiusmodi abstractio non per se faciat ad scientiam.

Animus noster à prima o igne tabel la non scripta.

Ex dictis nemo colligat scientiam, quæ de Deo habetur, prout ad eius contemplationem Theologus ascendit, idest, sacram Theologiam non esse à prima Philosophia distinctam. Re enim vera distincta est, sicuti & ratio formalis, quam illius obiectum induit, & lumen, quo attingitur; quod lumen sicuti cælestis numinis afflatu nostris mentibus infunditur, ita abstractionem à rebus, circa quas versatur, minimè curat. Sed enim hæc diuina Philosophia quemadmodum antiquis Philosophis non dum affulserat, ita ab eis in scientiarum partitione omissa fuit.

Hac de re D. Tho. 1.p.q.1 ar.1.& in 3.d. 33 q.1.ar.2. Hēric. Gand. 1. par.sum ar.3. q.3.& 4. Alensis.1.par. q.1. memb.2.reliqui dd.in pl.

tinta aparcido.

QVÆSTIO. II.

SIT NE PHILOSOPHIA Naturalis verè, ac propriè scientia, an non?

ARTICVLVS I.

QVID VETERVM NONNVLLI IN proposita quæstione senserint, & argumenta pro eorum opinione.

VEtus opinio fuit Heracliti Ephesij, & Cratyli eius discipuli (vt Plato in Theæteto & 4.lib. Metaphy.cap.4. testatur Aristoteles) Philosophiam Naturalem nō esse scientiam; Idémque censuit Pythagoras, qui omnem subtilitatis Physicæ comprehensionem opinionibus contineri asseuerabat. Socrates etiam cum prius ad arcana naturæ inuestiganda animum appulisset, rerum naturalium, vt ille aiebat, mutabilitate, & inconstantia deterritus, ac quòd in ijs nihil certò sciri posse apud se statuisset, ad Moralem Philosophiam se conuertit. Iam verò nouæ Academiæ professores non modò rerum Physicarum scientiam negabant; sed aiebant etiam res omnes incertas esse, & dubias, veritatémque ipsam, siue propter naturæ tenebras quasdam, siue propter similitudinem rerum, vel obrutam, vel confusam latitare, adeo vt nihil

De Pythago. Laertius in eius vita. Tertullianus in lib.de anima

De Socra. Theodoret. in lib. de materia, & mundo, Xenoph. lib.1. de factis & dict. Socr.

se aplicasse

nihil verum cognoſci poſſet, ſed id tantùm, quod eſt veriſimile. Atque huiuſmodi placitum, vt D. Auguſtinus lib. 3. contra Academicos ait è Platonis fontibus Academici hauſerũt, ipſe verò Plato partìm abalijs antiquioribus accepit, partim à Socrate præceptore ſuo; qui primùm in naturæ obſcuritate, vti diximus, deinde in ijs etiam quæſtionibus, quæ ad cõmunem vitam, & mores pertinent, eos, qui ſe ſcire aliquid dicerent, acuta vrbanitate irridebat. Docebat igitur Plato duos eſſe mundos, vnum intelligibilẽ, in quo ipſa veritas habitaret; alterum ſenſibilem, quem nos viſu, tactúque percipimus, & in cuius contemplatione Phyſici verſantur; illum verum, hunc veriſimilem; de illo veritatem, de hoc opinionem generari. Quibus ſanè verbis videtur Plato ſolam opinionem Naturali Philoſopho conceſsiſſe.

De Academicis Cice. in Acad. quæſt. D. Auguſt. 19. de ciuit. Dei. c. 4. & in lib. cõtra Acad.

Mundi Platonici.

De hiſce mũdis Plotinus lib. 4. Enn. 6. Ficinus ibidẽ & in conuiuium Plat. Eugubinus 3. de perenni phil. c. 8. Clemens Alex. lib. 5. Strom. Euſeb. Cæſ. lib. 2. præp. Eu. c. 12.

Deniq; fuit hæc apud veteres peruagata de veritate querimonia, quòd ita humanæ mentis commercium effugiſſe videretur, vt eam mortales nullo modo inuenirent, & in ea quærenda operam perderent. Hinc Democritus, vt cap. 3. lib. 3. ſcribit Lactantius, ipſam in puteo, cui fundus nõ eſſet, demerſam querebatur; Anaxagoras circũfuſam caligine pronuntiabat; Empedocles anguſtas aiebat eſſe ſẽſuum vias, quibus cognitio animum intrat. Sic demum nonnulli antiquitatis Philoſophi ſuos non tàm ſcire, quàm neſcire docebant auditores, eiſque ſuadere nitebantur nihil certi, aut perſpecti haberi poſſe, præſertim in inueſtigatione Phyſicæ veritatis. Nec verò deſunt argumenta, quibus hæc ſententia probari videatur.

Puteꝰ Democriticus.

Philoſophorum quidam inſcitiæ magiſtri.

De his plus ſatis Mirandula. lib. 2. de Exam.

1 argumen. Primum ſit. Scientia eſt habitus omninò certus, atq; adeò de rebus certis, & perpetuis, vt docet Plato in Charmide, fatetúrq; Ariſtoteles 1. Poſt. cap. 2. & 6. Eth. cap. 3. alijſque in locis: ſed Philoſophia Naturalis non ita ſe habet. Non eſt igitur ſcientia. Probatur aſſumptio, quia Naturalis Philoſophia conſiderat elementa, & ex ijs concreta corpora, quæ paſsim gignuntur & intereunt; contẽplatur etiam cæleſtium ſphærarum motus, ſyderum tactus, ſolis, & lunæ eclypſim, atque alia generis eiuſdẽ, quæ neque perpetua ſunt, neque dum exiſtunt, eundem ſemper ſtatum retinent. Corroboratur etiam vis argumenti ex eo, quia noſter intellectus in comparanda rerum ſcientia dicitur conſiderationem abſtrahere à materiæ cõditionibus, & à tempore; at ea, quæ oriuntur, & occidunt, ſunt in materiam immerſa, & ſub temporis menſuram cadunt, ab eòque dependent, vt in 4. huius operis Ariſtoteles docebit.

2. argumen. Secundum. Omnis vera perfectáque ſcientia rei ſibi ſubiectę naturam exploratam habet, alioqui neque proprietates, quæ ab illa dimanãt, pernoſcet, vt Ariſtoteles 6. Metaph. c. 1. tex. 1. aſſerit: ſed rerum natura conſtantium, de quibus Naturalis Philoſophus agit, ſolus Metaphyſicus eſſentiam penetrat, vt idem ait tùm loco cit. tùm 4. eiuſdem operis lib. cap. 2. tex. 5. Non eſt igitur Naturalis Philoſophia vera perfectáq; ſcientia. Dixerit fortaſſe quiſpiam loqui ijs

in

Ita D. Tho. opuscu. 70. Sco. in prol. sen. q. 1. Sõci. 4. Metaph. q. 11. Iauellus in 1. ite Met. q. 9. Iandun 6. Metap. q 3.

in locis Aristotelem vel de essentia in cõmune, qua essentia est, quæ consideratio ad Metaphysicum pertinet; vel de essentia rerum materialium, non tota, sed quoad prædicata quædam tam rebus materialibus, quam materiæ expertibus communia; qualia sunt ens, & substantia absolutè spectata. Horum namque prædicatorum cognitio Metaphysici est propria. Verùm hoc qui dixerit non adhuc argumenti vim effugiet. Nam si substantiæ cõceptum sibi Metaphysicus vindicauit, cum nemo rei alicuius ad categoriã substantiæ pertinentis essentiam sine conceptu substantiæ perfectè cognoscat, fit vt nullius entis naturalis essentiã Physicus perfectè assequi valeat, dum se intra suos limites continuerit.

3. arg.

Tertium. Philosophus Naturalis contemplatur materiam sensibilem (vt Aristoteles asserit lib. 2. de ortu, & interitu cap. 1. tex. 6. & ex toto disciplinæ Physicę progressu constat) atqui materia sensibilis est ens per accidens; cum nõ sit aliud, quàm materia prima affecta accidentibus, quæ sensum mouent; de ente verò per accidens non est scientia, vt ex cap. 2. lib. 6. Metaphy. tex. 4. & ex cap. 7. lib. 11. patet. Igitur Philosophia Naturalis, saltem quoad hanc partem, non potest esse scientia.

4. arg.

Quartum. Magia est pars Physicæ, & tamẽ non est scientia; ergo neque Physica simpliciter scientia appellanda est. Maior propositio probatur ex ipsa Magię definitione, quæ ita se habet; Magia est pars Physiologiæ, quæ ex mutua, & opportuna naturalium virium copulatione, docet opera edere extra omnẽ admirationis captum. Minor suadetur, quia vt Aristoteles 1. Magnorum Moralium cap. 1. & 1. Eth. c. 1. & 4. edocet, omnis doctrina est gratia boni alicuius; at Magia ad hominum perniciem inuenta est.

Pro hac Magiæ definitione cõsule Victoriam in relect. de arte Mag. q. 3. Cęlũ lib. 6. lect. antiq. c. 12. Iul. Scalig in Exercit Exote. Exercit. 307.

5. arg.

Quintum. Physiologia, vt Philosophorum libros euoluẽti planum est, multis erroribus scatet, multáque fidei Catholicæ repugnantia passim docet; vnde est illud Tertulliani in lib. de hæreticorum præscriptionibus; hæreses à Philosophia subornantur; & illud D. Hieronymi in lib. aduersus Pelagianos; omnia hæreticorum venena de philosophorũ fontibus emanarũt, ac pulchrè quidam nostrorum ait, Philosophi patriarchæ hæreticorum. Cum igitur scientiam à falsitate, & errore maxime alienam esse oporteat; non videtur quo pacto Physiologia scientia dici possit.

Tertullianus lib. cõtra Hermogenem.

6. arg.

Sextum. Pro Academicis hoc esto. Omnis nostra cognitio initium capit à sensibus; sensus autem, vt experientia docet, inani rerum specie delusi frequenter errant. Igitur nulla certa cognitio ad intellectum peruenire potest; atq; adeo nulla est omninò scientia. Negant Peripatetici consecutionem; sed probãt Academici. Nam si sensus, qui nuntij sunt, & interpretes veritatis, falsa denuntiant, quo pacto intellectus verum à falso discernet? aut quem veritatis iudicẽ adhibebit? Nunquid se? at ipse omnis scientiæ à primęua sua origine inops est, nec vllam habet à natura inditam veritatis notionem. Nũ

alium? at aliorum omnium par cõditio est. Multò igitur satius erit à rebus omnibus assensionem cohibere, quàm cum erroris periculo quicquam asseueranter dicere; multòque erit sapientius nihil exstimare, quàm falsæ opinionis naufragio animum committere sapientis, præsertim in doctrina Physica, cuius cognitio non solum à rebus, quæ in sensus cadunt, proficiscitur; sed ad easdem reciproca vicissitudine redit, & terminatur.

ARTICVLVS II.

PHYSICAM ESSE verè, ac propriè scientiã.

Balbutientis Philosophiæ incunabula.

ETsi Physicæ dignitas, & ad obtinendam scientiæ rationẽ perfectio, nõ satis olim in confesso fuerit, siue rudiori seculo, infãte adhuc & balbutiente Philosophia, siue etiã postea, adeò inter se disidẽtibus & pugnãtibus Philosophantiũ sectis, vt nihil ferè inter eos vlla de re conueniret; tamen postea quam emortua illorum temporum peruicacia, Philosophia quasi è fluctibus emersa portum tenuit; plana omninò res habita fuit, & omnium confessione consensúque firmata, Physicam in cætu scientiarum esse collocandam.

De hoc philosophantiũ dissidio Plato in Sophista. Euseb. Cæs. lib. 14 de præpa. Euang. D. Augu. 18. de ciu. Dei. c 41. Tertullia. in lib. de anima.

Cõclusio quæstionis.

Sit igitur conclusio, Physicam esse verè, ac propriè scientiã. Quę probatur primùm ex vulgata illa diuisione, cuius suprà mentionem fecimus, qua Philosophia, seu Sophia in Physicam, Dialecticam, & Moralem scientiam distribuitur. Confirmatur etiã testimonio Aristotelis 3. libro huius operis cap. 4. tex. 24. & 1. de partibus animalium cap. 1. & 2. Metaph. cap. 3. tex. 3. vbi Philosophiam Naturalem scientiam appellat; & 4. item Metaph. cap. 5. tex. 23. quo in loco Heraclitum, & Cratylum contrariæ partis defensores insciticæ coarguit, ac planè confutat.

Neque aliud fortassis opinati sunt magni illi Philosophi, quorum suprà mentionem fecimus, præsertim Pythagoras, Socrates, & Plato. Verisimile est enim cùm priores duo nihil, in Physica saltem disciplina, sciri posse dictitabant, significare eos voluisse tàm esse arduam sapientiæ adeptionem, vt id, quod scimus, præ ijs, quæ ignoramus, nihil penè sit. Vel etiam non tàm ignorantiam fateri, quã scientiam modestè dissimulare cupiebant, vt eorum insolentiam coercerent, qui cum à vera & expressa sapientia longè abessent, sibi sapientis nomen inaniter arrogabant. Quo in genere & Socratica modestia in primis commendata fuit, & illud Pythagoræ laudatum, quod eius auctoritate, vt superius retulimus, Sophi nomen in Philosophi commutatum fuerit.

Testatur id ex Heraclide Ponticoe Cic. 5. Tusc. quæs.

Socratis modestia aientis se nihil scire: cum cæteri nihil se nescire profiterentur.

De Platone verò, vt eius scripta testãtur, haud dubium est quin sense-

Præsertim in Epinomide.

sensérit dari multarum rerum scientiam, & Naturalem Philosophiam in scientijs esse numerandam. Quanquam in hac assertione tùm alia errata inseruit, tùm illud, quod nostris animis priusquam concreti huius & terreni corporis domicilium subirent, innatas esse dixit omnium rerum intelligibiles formas, & quasi cõsignatas notiones, eàsque corporis societate, tanquam hausto obliuionis poculo, sopiri, deindè accedente studio, atque ope phantasmatum excitari. Itaque nullam denuò à nobis acquiri scientiam, nec quicquam aliud esse discere, nisi recordari; vt constat ex Menone, & Phædro, alijsque eius libris. Nam quod in Philebo, & 7. de Rep. solùm Dialecticam (cuius nomine, vt Alcinous, alijq; Platonici aduertunt, primam intelligit Philosophiam) quòd inquam solam Dialecticã appellatione scientię dignatur; non iccircò Physiologiam inter scientias cõnumerandam negat. Loquitur enim eo loco de scientia admodum presse, vt in eã tantum conuenit facultatem, quæ cæteris patrocinatur, & tanquam è superiori loco præsidet, quod primæ Philosophiæ proprium est. Illa verò eius de duplici mundo sententia, alia quædam secretioris disciplinæ arcana continebat, quæ alibi opportunius referanda sunt. Sed quicquid illi existimarint, assertionis nostræ veritas hisce argumentis astruitur.

Hunc errorẽ cofutat Arist. 1. Metaph. c. 7. & alibi. D. Irenæus lib. 2. cont. hær. à cap. 60. D. August. 12. de Trinit. c. 15. D. Thom. 1. p. q. 84. art. 3. & lib. 2. contra gent. c. 83. Mag. Alber. 1. Meta. tra. 1. c. 8.

Platonis cõmentũ de scientijs ingenitis & remini scentia.

Lege Alcinoum in lib. de doctrina Pla. c. 6. Ficinum in 7. de Rep. Theophilum ad 1. c. 1. de anima.

Nonnunquã Plato Metaphy. dialecticæ nomine significat.

Primò, Quicunque necessarium effectum per necessariam causam cognoscit, is scire dicitur; sed Naturalis Philosophus cognoscit plurimos effectus per necessarias causas; dicetur igitur scire. Maior propositio in confesso est; constatque ex definitione scientiæ tradita ab Aristotele 1. Post. cap. 2. Minor probatur. Naturalis enim Philosophus cognoscit verbi gra. omne corpus esse diuiduũ; quia est cõtinuũ; materiã nõ posse vi naturæ absq; omni forma cohærere; quia est pura potẽtia: hominẽ esse aptum ad capessendas disciplinas; quia præditus est animo rationis compote; aliáque eius generis cõplura. Nam quòd hæc cognitio sit effectuum, siue affectionum per causas; nemo inficias ierit. Quòd verò in ijs necessitas reperiatur; etsi negant aduersarij, ex eo planè conuincitur, quia vbi res aliter se habere nequit, ibi immutabilitas, ac necessitas inest. Non posse autem hæc aliter se habere, facilè deprehendet, qui quid continuum, quid pura potentia sit, animaduertet.

Prima ratio propositæ concl.

Secundò, Non minus certum necessariùmve est hominem esse aptum ad capessendas disciplinas, quàm triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales: sed hoc in Mathematicis disciplinis demonstratur, & vera, perfectáque scientia comprehenditur; ergo & illud in Physica; cum in vtroque par conditio sit; nec idonea ratio afferri queat, cur à natura potius trianguli, quàm hominis, certa aliqua passio necessariò dimanet.

2. Ratio.

Eucl. lib. 1. Elẽ. prop. 32.

Tertiò, Si quid obstaret quominùs de rebus Naturalibus sciẽtia haberi posset; esset eorum mutabilitas, & inconstantia; at hæc nõ obstat; ergo nihil. Probatur assumptio. Primùm, quia nõ omnes res

3. Ratio.

naturales fluxæ sunt, & mutabiles; siquidem sphæras cæleſtes ipsarum natura ab interitu defendit. Deinde, quia esto corpora sublunaria dissoluantur, nunquam tamen de naturæ suæ, & essentiæ gradu deijciuntur, nec eas proprietates amittunt, quas sibi perpetuo, & inuariabili nexu vendicant. Quare poterunt eiusmodi proprietates de illis per ipsarū essentiā, definitionémve, tāquam per causſam, demonstratione ostendi; ea verò demonstratio veram, perfectàmque scientiam pariet. Negari igitur non potest Philosophiam Naturalē verè, ac propriè scientiam esse.

4. Ratio. Postremo. Etsi res Physicæ tàm essent mutabiles, quàm putabat Heraclitus, adhuc de illis scientia haberetur: posset namque vel hoc vnum de illis demonstrari, eas nempe mutabiles esse, stabilémq; seruare in sua mutabilitate constantiam. Immeritò igitur omnem scientiæ rationem Naturali Philosopho denegabant. Lege D. Thom. 1. part. q. 84. vbi ex Aristotelis doctrina in 4. Metaph. c. 5. tex. 22. Heraclitici erroris fontem aperit.

ARTICVLVS III.

CONFVTANTVR ACADEMICI, quibus tàm in Physicis, quàm in cæteris rebus, dubia & incerta erant omnia.

Prima ratio qua Academicæ philosophiæ absurditas conuincitur.

QVod verò ad Academicos attinet, qui omnem approbationem, quam Græci συγκατάθεσιν vocant, è medio tollebant, nihilque sciri à nobis posse asseuerabant; (Quod item asseruerūt Pyrrhonij philosophi, quos Græci σκεπτικοὺς, quasi considératores appellabant) breuiter eorum dogma hunc in modum refellitur. Natura, vt in se quisque experitur, cunctis hominibus veri inueniēdi, & cognoscendi appetitum indidit. Potest igitur aliquod verū ab ijs cognosci. Nam alioqui eiusmodi appetitus frustrà esset; cùm tamen, vt est commune Philosophiæ placitum, neq; Deus, neque natura quicquam frustrà moliantur.

De his Cic. 2. de fin. & 2. Acad quæst. Laertius lib. 9. Sextus Pōpeius Pyrrhonic. 1.

2. Ratio. Deinde. Vnūquodque attingere valet eam perfectionē, ad quam dirigitur à natura; atqui scire est perfectio, ad quam natura, vel potius naturæ auctor Deus, hominem direxit; cùm humana felicitas, vt sapienter docet Aristoteles lib. 10. Eth. c. 7. & 8. in cognitione, & contemplatione posita sit. Aliqua ergo scientia ab homine obtineri potest.

3. Ratio. Rursus. Ex eo potissimū tempore, quo homines à vaga, & agresti vita in ciuilem cultum, & societatem coierunt, singulis pene seculis, nonnulli excellenti ingenio viri, omne vitæ studiū in tractādis ingenuis artibus collocarunt, & ad exquirendam, asserendámq; veritatē incubuerunt: at verisimile nō est irritos, & inanes fuisse tot homi-

hominum conatus. Aliqua igitur veræ, & expreſſæ diſciplinæ ratio ab ijs exercita, ac poſteris tradita eſt.

Præterea, Vt in lib. de vera religione D. Auguſtinus argumentatur; Qui dubitat an aliquid ſciri contingat, ſe dubitare non dubitat; ſed certus eſt: Non eſt autem certus niſi de eo, quod ſcit; ergo ipſum, qui ſe ſcire dubitat, neceſſe eſt concedere ſe aliquid ſcire. Nõ igitur nihil ſcit. 4. Ratio.

Item, vt idem lib. 2. contra Academicos animaduertit; Cùm Academici nihil nos verum, ſed id tantùm quod veriſimile eſt, cognoſcere autumant; quid dicant non attendunt. Si enim verum ipſum quid ſit neſcimus; conſequens fit, vt id, quod veriſimile eſt, ignoremus; quemadmodum fieri nequit, vt Chryſippum Socrati ſimilem eſſe quis ſciat, ſi Socratem ipſe nullo modo agnoſcat. 5. Ratio.

Amplius, Ait nouæ Academiæ præcipuus auctor, & ignorantiæ magiſter Arceſilas, ſapientem nihil approbare ne ſe falſæ aſſertionis periculo cõmittat? oportet ergo dormientem ſemper, atq; officiorũ omnium deſertorem eſſe ſapientem. Si enim quid amplectendum, fugiendúmve ſit, humana ratio ſine temeritatis nota ſtatuere nõ valet; certè neque voluntas, quæ rationem ſequitur, quicquam amare, aut odiſſe ſine eadem temeritate poterit. Ne igitur ſapiens quicquam temerè agat, ab omnibus vitæ communis actionibus ceſſabit. Quo quid inſipientius, aut conſilio magis inimicum fingi poteſt? 6. Ratio.

Denique, hunc errorem, cùm omnem certitudinem, & veritatis conſtantiam, ac honeſtæ vitæ ſtatum labefactet, Eccleſia Dei, cæleſtis diſciplinæ præceptis erudita, tãquam dementiam deteſtatur, vt D. Auguſtinus. 19. de ciuit. Dei cap. 18. monet. Qui etiam hac de re vberius diſputat lib. 3. contra Academ. itémque D. Damaſcenus in ſua Dialectica c. 3. D. Epiphanius lib. 1. to. 1. & lib. 3. to. 2. Tertullianus in lib. de anima. 7. Ratio. Academicorum ſectam deteſtatur Orthodoxa fides.

Item Scotus in 1. d. 3. q. 4.

ARTICVLVS IIII.

DISSOLVVNTVR primi articuli argumenta.

RElíquum eſt vt argumentis initio propoſitis occurramus. Ac primi quidem difficultate victus Plato, vt nihilominus Phyſicæ dignitatem aſtrueret, eámque ſcientiam eſſe tueretur; in Timæo, in Phædro, alijſq; in locis ideas inuexit, ideſt, formas quaſdam à materiæ ſocietate, & naſcentium atque intereuntium rerum multitudine abiunctas, de quibus haberi ſcientia poſſet. Hæc tamen ſententia procul à vero abeſt. Non enim eiuſmodi ideæ dantur, vt non ſemel demonſtratum eſt ab Ariſtotele; niſi fortè Plato, (quod alibi expendemus) de ideis illis loquatur, quas Theologi in mente diuina, Platonis ideæ

diuina, vt æterna rerum faciendarum exemplaria esse docent. Sed neque ad has confugere Philosophum necesse est, cùm demonstrationes conficit, vt patet ex lib. 7. Metaphy. c. 6. tex. 20. & ex doctrina librorum de posteriori resol. ac dilucidè ostendit D. Thom. 1. part. q. 84. art. 1.

Solu. 1. argu. Ad argumẽtum igitur concessa Mai. propositione; quod ad Minorem attinet; negandum est Physicam de rebus certis, & perpetuis non agere. Primùm, quia connexiones inter subiecta Physica, & prædicata essentialia, atque eas affectiones, quæ cum subiectorum natura indissolubili nexu cohærent, certæ sunt, & perpetuæ. Deinde, quia tametsi elementa, & omninò ea, quæ ex subcælesti materia coaluere, corrumpantur; eam tamen corruptionem sola singularia per se subeunt; naturæ verò communes, de quibus propriè scientia est, non nisi per accidens, ratione singulariũ, in quibus insunt. Quo fit vt eiusmodi naturæ vi sua, inseque spectatæ, stabiles sint & firmę; ea videlicet firmitate, quam Philosophi negatiuam vocant; quia, vt lib. 1. Post. cap. 7. explicari solet, ex sese non intereunt, aut mutantur. Quod præter alios ediſſerit D. Thom. 1. part. q. 86. art. 3 & in quæst. de veritate q. 1. art. 5. Alexander lib. 1. Naturalium quæst. cap. 3. Sed aduertendum præterea, quasdam esse naturalium rerum affectiones, quæ neque ex contingenti; neque prorsus necessariò; sed medio quodam modo competunt; nimirum necesitate, quam Physicam appellant; quia ita cum rerum naturis cohærent, vt earũ existentiam requirant; quo pacto se habet motus comparatione cælestium sphærarum, & eclypsis respectu lunæ, aliáque id genus, quę rebus non nisi in certo statu, vel maiori ex parte, sublatisue impedimentis insunt. Ea igitur fatemur in demonstrationem omnibus numeris perfectam non cadere. Verum non in omnibus eadem subtilitas, & absolutio deposcenda est; sed quatenus fert subiectæ rei natura vt Lynconiensis, Iandunus, alijque hoc loco animaduertunt ex Aristoetle lib. 1. Eth. cap. 3. & 7. & lib. 2. Metaph. cap. 3. tex. 16.

Pro cõditione rei propositæ exigenda certitudo.

Ad reliquam eiusdem argumenti partem dicendum cum D. Tho. 3. contra gen. c. 84. iccircò intellectum dici à tempore, atque etiam à loco considerationem abstrahere; quia considerat naturas cõmunes, quæ neque ad certum tempus, neque ad certum locum definiũtur, vt ait Plato in Parmenide, & Aristoteles 1. Post. c. 24. tex. 43. Dici itèm abstrahere à materia, propterea quòd scientia non versatur circa materiam singularem.

De sensu illius effati, intellectus abstrahit à materia, latè disputat Zimara in theore. prop. 99.

Solu. 2. arg. Ad 2. Concessa Maiori propositione negetur assumptio, cuius probatio rectè diluebatur. Ad improbationem verò dilutionis responderi debet, posse Philosophum Naturalem res Physicas perfectè cognoscere in suo genere, id est in genere Physico; siquidem intelligit materiam, & formam, atque omnia prædicata, quæ in suo conceptu materiã includunt. Cæterum non posse eas omnibus numeris absoluta cognitione assequi, si ignoret quid ens, quid substantia sit;

sit; vt rectè probat argumentū; quorum tamē prædicatorum cognitio re vera ad Metaphysicum pertinet. Quocirca, qui naturaliū rerū definitiones vsq; ad vltima prædicata persequi voluerit, eorum intelligentiam à Metaphysico mutuabitur; vel potius hac in re Metaphysici personam assumet. Nec putandum est Naturalem Philosophiam vllum facere dignitatis suæ dispendiū, quod hac re à prima Philosophia opem efflagitet, eique, vt pote omnium scientiarū reginæ, fasces submittat.

Ad 3. dicito philosophum Naturalem non solùm contēplari materiam, vt est affecta accidentibus; sed etiam vt est altera pars compositi physici; quomodo est ens per se, sicuti & ipsum compositum, quod ex ea coalescit. Adde non omnia entia per accidens remoueri omninò à scientijs (vt patet in numero harmonico, & linea visuali, quæ Musicæ, & Perspectiuæ subiecta sunt) sed ea dūtaxat, quæ nec in determinatas causas resolui queunt, nec passiones, quæ in scientijs considerantur, ex se pariunt; vt musicus albus, thesaurus casu inuentus, aliáque eiusmodi. Solu. 3.

Ad 4. Vt quid respondendum sit pateat, aduertendum est duplicem esse Magiam, alteram maleficam, quam Greci γοητείαν vocāt, quæ scilicet præstigijs, & veneficijs ad ementiendam veritatē, hominésque à statu mentis deijciendos, atque alia eiusmodi scelera patranda, magna ex parte constat, ac dæmonum commercijs inauspicata est: alteram peculiari nomine à Græcis μαγείαν appellatā, cuius pars illa, quam Physicam vocant, eo differt à Physiologia, quòd ex ea, quam hæc tradit, naturalium rerum notitia, mutuos naturæ consensus, & reconditas vires aptè copulando, doceat opera efficere, quæ admirationē excitent. Cuius rei nonnulla exempla scripsit D. Bonauentura in 2. d. 9. q. 3. & Guillielmus Parisiensis in suo opere de vniuerso corporeo & spirituali c. 21. ac multa ex eo genere edidisse Apollonium asserit D. Iustinus in quæstionibus, quas gentes proponebant q. 24. Priorem igitur Magiam concedendum est neque partem esse Physicæ disciplinæ, neque artem; sed artis abusum, vt argumento concluditur, docétque D. Thom. quodlib. 4. q. 9. ar. 1. & M. Albertus 1. Eth. tract. 3. cap. 2. Vnde in hanc iurisprudentia tū lege duodecim tabularū, tū sæpe aliâs pænā sanxit. Posteriorē verò asserendum & artem esse, & scientiam ab antiquis Philosophis in magno pretio habitā, vt constat ex ijs, quę docet Plato in Alcibiade primo. Cicero lib. 1. de diuinatione. Plinius initio 30. libri. Tertullianus in lib. de Idolat. Philo in lib. de specialibus legibus. Est autem hæc, practica scientia; quia praxim respicit, tanquam finē, vt ex dictis constat; vnde nō est propriè, & intrinsecè pars Physiologiæ, quā speculatricē scientiā esse quæstione sequēti ostēdem⁹; sed quida quasi riuulus ex illius fōtibus deriuatus. Quarè in illa definitione, quæ in argumēto ex nonnullis afferebatur, si vsurpetur, aut nomen partis, aut ipsa Physiologia, nimis amplè accipienda est. Solu. 4.

De hisce Magijs D. Tho. q. 16. de malo. & 3. contra. gen. cap. 104. Alensis 3. p. q. 16. m. 3. Victoria. in relect. de arte Mag.

In iure ciuili codice de maleficis L. Nemo. L. Nullus L. Culpa. Item in iure Canoni. 26 o. 5. lege etiā decretū Tiberij in Magos apud Dionē lib. 57. de hist. Rom.

Ad

Solu. 5. Ad 5. dicendum, errores, quibus Philosophorum libri aspersi sunt, non Philosophiæ, sed malè philosophantium vitio, aut ignoratione fuisse inuectos. Vnde præclarè monet D. Grego. Nyssenus in vita Moseos, Philosophiæ Naturalis fætus haud absimiles esse filijs à Mose ex alienigena vxore susceptis, quos Deus vrgente, ac premente angelo circuncidi priùs curauit, quàm Moses diuinum legatum in AEgypto ageret. Non multò secus, inquit ille, resecanda sunt ab institutis Philosophiæ Naturalis ea, quæ non ex ipsius artis principijs, quæ vera est; sed ex hominum fidei lumine carentiũ opinionibus, falsa, ac fidei repugnantia, quasi quædam infidelitatis præputia orta fuere.

Sol. 6. Ad 6. fatendum est nostram cognitionem à sensibus proficisci, nósque ab ijs nõnunquã in errorẽ induci: verũ id nõ obstare quominus certam multarum rerum comprehensionem, ac scientiam habere possimus. Nam primùm, vt constat ex doctrina Aristotelis 2. de anima cap. 6. tex. 63. multa sunt, in quibus sensus nunquam decipiuntur. Neque enim falli possunt circa proprium sensibile, secundũ communem rationem spectatum. Deinde esto nonnunquam errẽt, sæpe ab intellectu corriguntur; qui licet nullam habeat à natura ingenitam speciem, vel scientiam; habet tamen inditum lumen, quo communissimis principijs sine vllo erroris, aut temeritatis periculo assentiatur, & quo alia ex alijs interdum perspicuè, ac certò; interdum probabiliter ratiocinando deducat; interdum etiam sine discursu quædam percipiat, atque intueatur. Qua de re D. Thomas 1. p. q. 84. art. 6. & Scotus in 1. sentent. dict. 3. q. 4. Lege etiam Tertullianum in libro de anima, vbi Academicorum cæcitatẽ coarguit, quòd sensibus fidem omnem denegando, naturę ordinem turbarint, ipsiusque Dei prouidentiam reprehenderint, quasi rebus intelligẽdis, & dispensandis fallaces ac mendaces internuntios præfecerit.

Academici diuinæ prouidentię calumniatores.

QVÆSTIO. III.

SITNE PHILOSOPHIA NATURALIS contemplatrix scientia, an practica?

ARTICVLVS I.

QVÆ ARGVMENTA PROBARE videantur esse practicam.

NAturalem Philosophiam non contemplatricem; sed practicam scientiam esse conabitur quispiam hisce rationibus persuadere. Primùm, scientia contemplatrix sola rerum inspectione contenta est; sed Naturalis Philosophia non ita

ta se habet: non est igitur cõtemplatrix. Maior propositio est apud Aristotelem 1. Metaphy. cap. 1. & 3. de anima cap. 10. tex. 49. Minor probatur. Naturalis namque Philosophia inclinat ad amorem Dei; siquidem vt Alcinous in libro de doctrina Platonis cap. 30. & D. Thomas 1. contra gent. cap. 2. edisserunt, omnis abditarum rerum intelligentia humanam mentem ad naturæ diuinæ similitudinẽ propiùs euehit: similitudo autem, teste Aristotele 3. Magnorũ Moralium cap. 11. alijsque in locis, magna est amoris conciliatrix. Quãobrem Salomõ Sapien. 7. multos in Dei amicitiam sapientiæ beneficio receptos fuisse testatur. Igitur Philosophia Naturalis inclinat ad Dei amorem: at amor actio quædam est, siue opus nostri animi: inclinat ergo ad opus. Huc pertinet quòd philosophia tacita vi ad rerũ humanarum despectionem allicit, vt & experientia docet, & præclara multorum philosophorum exempla, quos ex sapiẽtiæ studio, tantum humanarum rerum tædium cepit, vt omnibus diuitijs, vitæque voluptatibus nuntium remiserint; velut de Socrate, Diogene, Empedocle, Anaxarcho & Heraclito Ephesio, alijsque non paucis multi scriptores memoriæ prodiderunt. Quare non videtur Naturalis Philosophia in sola inspectione veritatis conquiescere.

Similitudo magna amoris cõciliatrix

Plutarchus in libello de Exilio, Laertius in Socrate. Celius lib. 19. lect. antiq. Philo Iudæus in libro de vita contemplatiua. Theodoretus ser. 6 de prouidentia.

Deinde, Naturalis Philosophia non est libera; ergo neque contẽplatrix. Conclusio videtur apte colligi; liberum enim in genere disciplinarum, id dicitur, quod sui ipsius gratia quæritur; quo pacto se habet omnis contemplatiua scientia, vt constat ex c. 2. libri primi Metaphy. Assumptum probatur. Nã si Philosophia Naturalis esset ars libera, esset vtique liberalis: Non esse autem liberalẽ ex eo ostẽditur; quia non est aliqua ex illis septem, quæ in vulgata liberalium artium diuisione recensentur. 2. argu.

Præterea, scientia, quam Deus de rebus Physicis habet, est tùm practica, tùm speculatiua; vt D. Thomas in 1. part. q. 14. art. 16. ostendit; ergo & ea, quam nos de ijsdem rebus habemus, non speculatiua tantum erit; sed etiam practica. 3. argu.

In libris de anima cũagitur de potentijs & earum functionibus

Adde, quod ea saltem Physiologiæ pars, quæ humanæ voluntatis actiones considerat, non minus videtur in practicis numeranda, quàm pars illa Ethicæ doctrinæ, quæ in eisdem pertractandis versatur; cùm vtraque circa operationem, quæ ratione dirigitur, atque adeò circa praxim, occupetur. 4. argu.

Tandẽ, Ars medẽdi est pars sciẽtiæ Physicę, quãdoquidẽ agit de corpore humano prout est sanitati, morbisq; obnoxium, quod pars quędã est subiecta enti mobili: atqui ars medẽdi est practica, vtpote quæ dãdis curãdorũ corporũ præceptionib⁹ incubet, totãq; vim suã ad cõseruãdã recuperãdãve sanitatẽ cõferat. erg. & Physica practica erit: Nec enĩ aduersũ gen⁹ pars subiecta, ad aliud, totũ pertinere potest 5. argu.

Accedit quòd Aristoteles Philosophiã, & Medicinã sorores appellabat, alterãq; per alterã definiendã cẽsebat, aiens Medicinã esse corporis Philosophiã; Philosophiã verò animi medicinã. Quod & 6. argu.

ante Aristotelem censuisse Democritum refert Clemēs Alexandrinus in Pædagogo. cap. 2. & D. Isidorus Pelusiota epistolarum lib. 1. epistola 437. Quare vidētur Philosophi hasce duas disciplinas naturæ societate, & communione iunxisse. Quò fit vt si Medicina in practicis artibus numeretur, inter easdē Physiologia reponi debeat.

ARTICVLVS II.

STATVITVR VERA SENTENtia, dissoluunturq; tria arguméta aduersariæ partis.

Physiologia contemplatiua scientia.

ASserendum tamen est Philosophiam Naturalem contemplatricem esse, vt sentit Aristoteles 6. Metaph. c. 1. tex. 1. & vndecimo item Metaphy. cap. 6. Plato apud Alcinoum in libro de doctr. Plat. cap. 7. D. Augustinus 8. de ciuit. Dei cap. 4. Boetius in opere de Trinit. Hugo Victorius 2. Didascalῶn cap. 2. cæterique Philosophi vno consensu. Accedit ad auctoritatem ratio. Nam contemplatrices disciplinæ eo à practicis differunt, quod practicæ, vt ipsum praxeως nomen indicat, opus aliquod suapte natura respiciant, proindeque ad eiusmodi opus obeundum potentiam dirigant, tradantque regulas, & præcepta operandi: at verò contemplatrices solam veritatem, hoc est, ipsam duntaxat rerum, de quibus disputant, inspectionem sibi tanquam finem proponant. Hinc verò facilè quiuis intelliget Naturalem Philosophiam contemplatricem esse; quandoquidem in sola rerum Physicarum natura explicāda versatur, nec vllas operis faciundi regulas exhibet, vt ipsius institutum, ac progressum intuentibus conspicuum est. Nec refert quòd eā nōnulli, sicuti & alias speculatrices sciētias, honoris, aut pecuniæ gratia quærant. Non enim artiū, scientiarúmve distinctio ex fine, quē sibi quisque arbitratu suo constituit; sed ex eo, ad quem ipsæ per se referuntur, sumenda est.

Solutio 1 argumēti ꝑ ad uersaria parte

Ad primum igitur argumentum eorū, quibus nostra assertio impugnabatur, concessa maiori propositione, neganda est minor; & ad eius probationem dicendum Philosophiam inclinare ad amorem Dei, & voluptatum, honorumque despicientiam, non tamen practicè, quasi ad id præceptiones det, sed tùm ob eam causam, quæ in argumento adducitur; tùm quia diuina bonitas in rebus creatis elucens à philosopho cognoscitur, cognita amatur; & inanium rerum fucata vanitas ab eodem deprehenditur, deprehensa cōtemnitur.

Solutio. 2ª

Ad 2. Negāda est antecedēs ꝓpositio; cuius cōfirmatio refellitur dicēdo Physicā esse quidē liberalē, siue ingenuam; cum animū excolat, liberā, & ingenuā hominis partem: nō contineri tamen in trita illa artiū liberaliū partitione; quia vt aduertit Hugo Victo. lib. 3. Didascalῶn, nō omnes liberales disciplinę in ea recētētur: sed illę dūtaxat, quas Encyclopædias, siue in circulo positas, ac populares vocabant,

cabant, quibus adoleſcentes priuſquam ad Phyſicam accederent, erudiri mos erat, quæque ſæpius artes, quàm ſcientiæ dici conſueuerunt, vt teſtatur D. Thomas in 1. 2. q. 57. art. 3.

Ad 3. dicito cum eodem D. Thoma in 1. part. quæſtio. 15. art. 3. & in Quæſtionibus de veritate, quæſtio. 3. art. 3. Deum tùm ſpeculatiuè, tùm practicè res Phyſicas intelligere. Speculatiuè, prout earum naturas, & affectiones abſolutè conſiderat. Practicè, qua ratione eaſdem expendit, vt ſub ipſius regulam, ac praxim, ſiue actu, ſiue poteſtate recidũt. Qua propter diuina cognitio, licet in ſe vna, & ſimpliciſsima ſit; tamen prout in res Phyſicas tendit, tùm ob ſuã ipſius eminentiam, & excellentem dignitatem; tùm verò ob diuerſum illum modum, atque ordinem, quem eiuſmodi res, illius comparatione ſortiuntur; ſimul & practicæ, & contemplatiuæ ſcientiæ rationem obtinet. At noſtra Phyſiologia multo aliter ſe habet. Nã cùm res naturales haudquaquam ab ipſius regula, praxique dependeant; fit vt vno duntaxat modo, ideſt, contemplando in eas feratur, proindéque ſpeculatiua tantùm ſit. Neque verò id, quod de volũtatis actionibus obijcitur, momentum habet. Non enim quælibet actiones à voluntate profectæ rationem praxis habere putandæ ſũt; ſed illæ, quæ practici intellectus iudicio gubernantur. Harum verò conſideratio non per ſe ad Phyſiologiã ſpectat, ſed ad eas artes, quarum id iudicium, ſiue dictamen proprium eſt; vt ad Moralem doctrinam, quæ rectè viuendi normam tradit; ſimilitérque ad cæteras artes, quæ quo pacto ipſarum materia tractanda ſit, præſcribunt.

Sol. 3.

Scientiam dĩ uinam de rebus Phy. eſſe tum pract. tũ ſpeculat.

Noſtram nõ item.

Lege Capre. q. 2. Prologi in Solu. arg. Gregor. cõtr. 1. concluſ.

Sol. 4.

Quæ actiones rationem praxeos obtineant.

ARTICVLVS III.

DILVITVR VLTIMVM PRImi articuli argumentum, & an ars medendi contemplatiua ſit, exquiritur.

VT vltimo argumento planè ſatisfiat, expendendum hoc loco erit, ſitne Midecina in practicis, an in contemplatiuis ſcientijs ponenda. Qua in re duæ ſe offerunt ſententiæ. Altera eſtimantium neque practicam, neque contẽplatiuam ſimpliciter dicendã; ſed partim hoc, partim illud. Primùm, quia celebre eſt apud Medicos diſtribui Medicinam in practicam, & theoricam, cuius diuiſionis mentionem facit Auicenna initio ſuæ Metaphycę, & Galenus in finitionibus medicis. Deinde, quia medendi ars non ſolũ docet quibus morbis, quæ medicamenta adhibenda ſint, in quo genere verſatur doctrina Aphoriſmorum Hippocratis, quæ tota ad praxim ſpectat; ſed etiam humani corporis ſtructuram, temperamentum, aliáque eiuſmodi ſpeculando cõſiderat. Quare videtur ars medendi tùm practica, tùm ſpeculatiua eſſe.

1. opinio.

Eius cõfirm.

Vt Iemoſij 1. ſuorũ cõme. in Gale. de morb. med. item Aponẽſis differ. 4. etſi is dicat totam Midecinã poſſe dici ſpeculatiuã.

Aliam opinionẽ, quæ nobis magis probatur, amplexus eſt Hugo

2. opiniõ.

Victorius, 2. lib. Didascalon cap. 21. D. Tho. in Boetiũ de Trinit. q. 5. art. 1. Scotus q. 4. in Prologo sentent. Isidorus 1. Ethic. Auerroes Collect. lib. 6. cap. 1. & 1. de Anima Comm. 17. alijque complures, videlicet Medicinam simpliciter censendam practicã. Quod hunc in modum ostendi potest. Scientia non à particularibus obiectis singulorum habituum, quibus constat, sed ab eo, quod subiectum attributionis nominant, & à fine totius artis, contemplatiua, seu practica existimari debet: at subiectum attributionis Medicinæ est humanum corpus, quatenus prosperæ, & aduersæ subest valetudini; finis verò est sanitatem restituere, si amissa sit; conseruare, si amissa non sit; quæ omnia, vt notum est, ad praxim spectant. Igitur ars medica simpliciter practica censenda est. Minor propositio est medicorum, & Aristotelis 1. Eth. c. 7. & 1. Rhetor. ad Theod. c. 2. Maior probatur, Primùm quia par est quãlibet artem, & scientiam ab eo nomen, & rationem capere, quò veluti ad scopum sua omnia cogitata, ac totum progressum dirigit. Deindè, quia alioqui multæ artes simpliciter practicæ, haud simpliciter tales dicẽdæ forẽt. Verbi gratia Moralis doctrina, nisi ad principem eius finem, quod opus quoddam est, videlicet recta vitæ institutio, ac morum conformatio, attendendum sit; nemo eam absolutè practicam dixerit, cùm nõ pauci in ea sint habitus contemplatiui, idest, qui in se spectati nullam tradunt operandi regulam; vt ij, qui circa effata illa versantur, iustitia est præstantior fortitudine; virtutes sunt inter se connexæ, alijque complures. Idem quoque in Dialectica planum est, in qua consimiles habitus passim occurrunt; vt quibus hisce pronuntiatis assentimur, enuntiatio est oratio verum, vel falsum significans; demonstratio est syllogismus cõstans ex veris, primis & cæt. Cũ igitur hoc nihil obstet, quomin⁹ & doctrina Moralis, vt 2. Eth. c. 2. Aristoteles edocet, & Dialectica, vt idẽ 6. Metaph. c. 1. tex. 2. innuit: Cũ inquã hoc nihil obstet, quominus hæ artes absolutè in practicis numerentur, consentaneum est, vt Medicina inter easdem simpliciter haberi debeat.

Vt Thurisanus in Micr. Galen. lib. 1. Fernelius in initio suæ Physio. Ammo. in procem. ad 5. voces Porphyrij Galenus Epidem. 6.

Lege Gale 1. Aphor apho. 1. & 1. de ingenio sanit. c. 2. Auerro. 1. colliget c. 1. Halia. 1. Theoricæ.

Lege Capr. in 1. d. 35. q. 2. ar. 2.

Quæ verò in contrariam partem adducta sunt, facilẽ habent explicatum. Nam quod ad partitionem illam Medicinæ in practicam, & theoricã attinet, respondendum est cum D. Tho. & Auicenna loco cit. aliter practicum, & speculatiuũ sumi, cùm sciẽtias ab se mutuò distinguunt; aliter cùm ars medica in practicam & theoricam diuiditur. Priori enim consideratione, ab vltimo scientiæ fine distinctio petitur; ita vt ea practica censeatur, quæ in opus, vt in vltimum, ac principem finem tendit. Posteriori, non vltimus, ac primarius finis totius artis spectatur; sed perinde res habet, ac si dicamus vnam Medicinæ partem ab opere, atque à praxi remotiorem esse, quæ nimirum theoremata quædam è fõtibus hausta Naturalis Philosophię pertractat, ac interim medendi regulas proximè non curat, & hanc posse vtcũque theoricam appellari: alteram opus vrgere, & è propinquo

Eius confirmatio.

Materia subiecta arti medicæ, & eius finis.

Moralis scię tia, & Dialectica simpliciter practicę

Dilutio arg. pro cõtraria opinione.

pinquo in ipſam praxim incumbere, quæ videlicet in dandis præceptis diſertè, atque explicitè occupatur, & hanc practicam eſſe. At quod Medicina hoc modo in theoricam, & practicam diuidatur, nihil impedit quominus abſolutè practica dicenda ſit, vt ex ijs, quæ paulò antè diſſeruimus, liquet.

Quibus ita explicatis in prõptu iã erit quid reſpõdendũ ſit ad vltimũ primi articuli argumẽtũ, cuius diluendi gratia hæc præfati ſumus. Negandũ quippe eſt medendi artẽ, Phyſiologiæ partem eſſe; & ad probationem dicendũ, licet corpus humanũ, circa quod medicus occupatur, pars ſit ſubiecta enti mobili, ſi vtrũque materialiter, ſeu vt res quædam eſt, ſumatur; non tamen eſſe partem illi ſubiectã, ſi formalem vtriuſque rationem, ac modum, quo in ſui artificis conſiderationem veniunt, expendamus. Medicus enim ad humanũ corpus attendit, quatenus artis beneficio & induſtria aduerſam valetudinem propulſare, ſecundam tueri poteſt; Phyſiologus entis mobilis eſſentiam, & affectiones, atq; etiam (teſte Ariſtotele initio lib. de ſenſu & ſenſili) ſanitatis & ægritudinis cauſſas, vt à natura profectas, ſolo veritatis inquirendæ ſtudio, contemplatur. Quæ rationes inter ſe diuerſæ ſunt.

Explicatio 5. arg. ſuperioris artic.

Lege Zimaram in theorematis propoſit. 22. vbi Conciliatorẽ refellit.

Ex dictis etiam perſpicuum relinquitur, nec eam partẽ artis medicæ, quæ nõnulla conſiderat theoremata è Naturali Philoſopia petita, vt ea in rem ſuam accommodet, partem eſſe Naturalis Philoſophiæ; cùm hæc ipſa conſideratio inſtituto, atque intentione totius artis ad praxim referatur, niſi quiſpiam malit dicere effata illa Naturalis Philoſophiæ, non tractari à Medico, qua Medicus eſt; ſed aſſumpta perſona Phyſiologi; atque ita nec per ſe in arte Medica includi, nec ex illius pręſcripto, atque ordine ad praxim ſpectare. Nobis tamen prior ſententia, quæ eſt D. Thomæ, & Auicennæ, magis arridet.

Ad id, quod ex Democriti & Ariſtotelis dicto obijciebatur, reſpondendum eos Medicinam & Philoſophiam, ideſt, ſapientiam ſorores vocaſſe, non quod praxeωs, aut contemplationis cognatione inter ſe conueniant; ſed quod vtraque medeatur; hæc animo, illa corpori. Adde quòd priuatim inter Phyſiologiam, & artem Medicam non parua eſt affinitas quatenus illa naturã contemplatur; hæc è naturæ legibus medendi præceptiones eruit: illa circa magnum, hæc circa paruum mundum verſatur: ac denique vbi illa deſinit, hæc incipit, vt initio lib. de ſenſu, & ſenſili Ariſtoteles ait.

Sol. 6.

Quo ſenſu Philoſophia & Medecina ſorores dicãtur.

Lege Cic. ad finem primę Tuſc. Plutarcũ in lib. de tuenda bona valetudine.

QVÆSTIO. IIII.

SITNE PHYSIOLOGIÆ ſubiectum ens mobile; an non?

ARTI-

ARTICVLVS I.

QVÆSTIONIS DISSOLVTIO.

Opiniones de subiecto Physi.

1. opinio.

2. opinio.

3. opinio.

Has opiniones recenset partim Caie in opusc. de subiecto Ph. partim Iãdu n9 hoc lo. q. 2

NOuem circiter de materia, subiectóve huius doctrinæ in scholis Philosophorũ sententiæ versantur; è quibus tres celebriores sunt. Prima est Auicennæ primo sufficientię, Algazellis in libro de scientiarum diuisione, Magni Alberti initio huius operis, Lynconiensis, AEgidij, & compluriũ arbitrãtium esse corpus mobile, seu corpus naturale. Secunda est Frãcisci Toleti, & Maioris hoc loco, aliorúmq; asserentiũ esse ens naturale. Tertia Auerrois, Simplicij, & D. Tho. quem secuti sunt Ferrariensis q. 2. huius libri, Soncinas 4. Metaph. q. 10. & Caietanus in opusculo, quo hac de re satis luculentè disseruit. Hi statuunt esse ens mobile. Sanè verò licet harum partium auctores sese mutuò oppugnent, neutiquam tamen expugnant. Nam si æquis animis attẽdere voluerimus, facilè apparebit hoc non tàm esse rerũ, quàm verborum dissidium, cum re ipsa idem sint ens mobile, corpus mobile, seu naturale & ens naturale. Quocirca Auerroes non tàm ad verba, quàm ad sentẽtiæ veritatem attendens, rem subiectã Physicæ nunc ens mobile vocat, vt loco cit. & in 4. Metaphys. comm. 1. nunc corpus mobile, vt 12. eiusdem operis, commento 5. aliâs etiam corpus naturale, vt lib. 7. cõm. 5.

Philosophi in hac quæst. rebus cõueniunt, verbis dissident.

Mobile, nomẽ varij vs9.

Vt autem veritas magis eluceat, annotandum est ex M. Alberto quæst. 2. huius libri vocabulum, mobile, bifariam vsurpari à Philosophis; vno modo, vt designat aptitudinẽ ad motum, quæ proprietas quædam est entis naturalis: altero, vt significat principium à quo eiusmodi aptitudo oritur, hoc est materiam, & formam substantialem, quæ principia sunt motus, latè accepto eius nomine, vt sex illas species, quas Aristoteles in libro categoriarum, capite de speciebus motus recensuit, notione sua comprehendit.

Quid intersit inter ens naturale & ẽs secundum naturam.

Illud præterea ignorandum non est, quod traditum fuit ab Aristotele 2. huius oper. c. 1. tex. 4. ens naturale dici quod ex materia, & forma constat; ens verò secundum naturam latius fundi, complectique non modo ens naturale, sed quãcunque illius affectionem, vt moueri, quantum esse, contineri loco, aliáque eiusmodi.

Corpus trifariam dicitur.

Denique sciendum ex D. Tho. in 1. sent. d. 25. q. vnic. ar. 1. & Hẽrico Gandauensi quodlib. 4. q. 14. corpus triplex esse, Mathematicum, Metaphysicum, Physicũ. Mathematicum, est vna è speciebus quantitatis continuæ tergeminam habens dimensionem, lõgitudinem, latitudinem, & profunditatem. Metaphysicũ, est, quod, quâ tale, compositione Metaphysica ex genere, & differentia, nempe ex substantia & corporeo constat; cæteróquin Phisica compositione ex materia, & forma coalescit, ponitúrque in categoria substantiæ. Denique Physicum, est materia prima, altera pars cõpositi natu-

Lege Cai. ad art. 3. q. 7. 1. p.

naturalis; tametsi obtinuit iam vsus, vt non quæuis materia prima corpus dicatur; sed ea duntaxat, quæ instrumentis ad functiones vitæ obeundas distincta est, seu quæ est altera pars viuentis.

His ita constitutis, cùm ens mobile, corpus mobile, siue naturale, & ens naturale, idem valere dicimus; mobile in posteriori significato vsurpamus; corpus verò mobile, prout corpus secundo modo sūptum circunscribit. Ex quo patet neque materiam primam; licet generationis subiectum sit; neq; mentes corporeæ molis expertes; etsi loco moueantur, entis mobilis appellatione comprehendi; cùm ex materia & forma non constent. Liquet etiã, non rectè quosdam Scoti sectatores opinionem D. Thomæ insectari, quasi Physiologiæ subiectum statuerit compositum per accidens. Nec enim ens mobile, compositum per accidens est, aut complexum re; sed vocabulo tantum; cùm idem valeat atque corpus categoriæ substãtiæ.

Quo sẽsu ens mobile dicatur Physiologiæ subiectũ.

Sit igitur conlusio, Ens mobile esse subiectum Philosophiæ Naturalis. Quæ ita probatur. Ens mobile, cùm humanæ rationis lumine cognoscatur, ac nõnullæ de illo proprietates demonstrentur, vtique ad aliquam scientiam necessario pertinebit; non ad aliam, vt inductione perspicuum est. Ad Naturalem ergo Philosophiã:

Conclusio. 1. ratio.

Secundò, Id est subiectum cuiusque scientiæ, cuius natura & affectiones per se in ea explicantur, vt constat ex ijs, quæ in 1. lib. de posteriori resol. cap. 8. & 9. Aristoteles tradit: atqui ita se habet ens mobile ad hanc scientiam, vt eius institutum, & doctrinæ progressum intuenti patet. Est igitur illius subiectum.

2. ratio.

Tertiò, Omnes conditiones, quæ ex philosophantium consensu in artium subiectis requiruntur, conueniunt in ens mobile comparatione Physiologiæ. Igitur necessariò illi vti proprium subiectum attribuetur. Probatur assumptum. Inprimis namque eam à cæteris scientijs distinguit, vt ex ijs, quæ superiùs disputauimus, facile quiuis intelliget. Deinde est vnius naturæ; cùm per se ad categoriã substantiæ pertineat. Denique omnia, quæ in Physicam disputationẽ veniunt, ad illud referuntur.

3. ratio.

Quęstione 1. huius prooemij.

Confirmatur deinde eadem assertio, quia id subiectum cuiusque scientiæ ritè habetur, quod in definitione propriæ, ac præcipuæ affectionis, quæ in ea cõsideratur, poni solet: at in definitione motus, qui præcipua est earum proprietatum, quæ à Physico considerãtur, ponitur ens mobile. Sic enim definitur motꝰ tertio huius operis c. 2. tex. 16. Motus est actus entis mobilis, vt mobile est.

4. ratió.

Postremò hanc sententiam non obscurè approbasse videtur Aristoteles 6. Metaph. cap. 1. tex. 1. hisce verbis (Naturalis profecto facultas contemplatrix quædam scientia est eius, quod motu cieri potest) At ne quis vim in verbo faciẽs colligere ex hoc loco velit aliorum sententiam, quam initio quæstionis ab hac nostra, re ipsa neutiquam discrepare asseruimus, Aristotelicæ doctrinę aduersari; ibidẽ Aristoteles Physicam ait incumbere in agnitionem substantiæ, quæ in

5. ratio.

Occurritur obiectioni.

in se principium motus, & quietis habet, id est, substantiæ mobilis: vt facilè appareat, quod antea monuim⁹, in Peripatetica disciplina, ens mobile, substantiã mobilem, ac similia idem omninò valere. Vnde indiscriminatim vsurpantur lib. 10. Metaph. summ. 2. cap. 2. & lib. 11. sum. 7. c. 1. & 1. lib. de cœlo cap. 1. tex. 1. & lib. 3. capite, & tex. 1. Quare non est quod explorata, & constituta re, longiorẽ hoc loco de uocabulis, vt nõnulli perperam faciunt, quæstionem texamus. Rectè enim dictum est illud à Platone; si verba, vbi opus est, contemneremus, rebus ditiores essemus; & illud à Galeno; Tunc cæpere homines res ipsas contemnere; cùm nimis curiosè ad nomina controuersias traduxerunt.

male

Philosophicum ingeniũ rerũ esse oportet, non verborum.

ARTICVLVS II.

ARGVMENTA ADVERSVS ea, quæ superiori articulo concluſa sunt.

1. argu. NOnnulla tamen sese offerunt, quæ hactenùs à nobis explicatam de subiecto Physicæ opinionẽ labefactare videantur. Inprimis enim sic licebit argumentari. Eodem pacto se habet in Physica ens secũdum naturam ad ens naturale, quo in prima Philosophia ens in commune ad substantiam: atqui primæ Philosophiæ subiectum non est substantia, sed ens in commune, vt statuit Aristoteles initio lib. 4. Metaphysicorum; ergo neque subiectum Physicę erit ens naturale; sed ens secundum naturam.

2. argu. Secundò, Si nullæ essent substantiæ expertes materiæ, vt veteres Physici arbitrabantur, Physiologia esset prima Philosophia, teste Aristotele lib. 6. Metaphy. cap. 1. tex. 3. & lib. 11. cap. 6. ergo prima Philosophia sola immaterialium substantiarum consideratione à Physiologia distinguitur; proindéque Metaphysicus neque accidens, neque substantiam in commune sumptã contemplatur. Quare cũ hæc incognita relinqui nõ debeant; nec verò prçter Physicũ alius sit artifex, cui eorum cognitio iure demandanda sit; planè sequitur in ijs etiam Physicum versari; atq; adeo Physiologiæ subiectũ haudquaquam naturalium rerum terminis circũscribi.

3. argũ. Tertiò, Nulla scientia probat subiectum suum esse, sed id tanquã notum sumit, vt constat ex 1. Poster. cap. 1. vbi Aristoteles supponendam esse ait de subiecto prænotionem quod sit. At in 6. lib. huius operis cap. 3. tex. 32. probatur corpus mobile esse. Nullo igitur pacto corpus mobile subiectum Physicæ dici potest. Quòd si quispiã occurrat, non probari loco citato corpus mobile esse; sed omne mobile esse corpus; instat, atque vrget Caietanus in sua illa disceptatione de subiecto Naturalis Philosophiæ in hunc modum. Nulla omninò ars, cuius subiectum complexum est, complexéve significatũ,

Prçoccupatio

pro-

probat coniunctionem partium, è quibus subiectū ipsum coalescit; alioqui iam ipsa sibi subiectum conderet, ac definiret, quod nulli particulari scientiæ conceditur; (omnes enim id traditum sibi à cōmuni scientia, artiúmque omnium regina accipiunt) sed Physicus, vt aduersarij fatentur, probat coniunctionem mobilis cum corpore. Igitur non potest sibi corpus mobile tanquam subiectū vendicare.

Metaphysicæ est cæteris disciplinis subiecta distribuere.

Quartò, Si ens mobile esset subiectum Physicæ, sequeretur, Philosophum Naturalem nō abstrahere considerationem à materia; atqui abstrahit; cum in libris de anima contempletur naturam animæ rationalis, quæ non dependet à materia. Aliud igitur Physicæ quærendum est subiectum; quod videlicet partim à materiæ concretione liberum sit, partim eidem necessariò cohæreat. 4. argu.

Quintò, Astrologꝰ differit de ente mobili, vt mobile est; ergo ens mobile non disterminat Physicam ab alijs disciplinis. Probatur assumptum; quia vt constat tùm ex ijs, quæ in Astrologia docentur, tùm ex Aristotele 1. Metaph. c. 7. tex. 19. & 10. Metaph. c. 2. tex. 4. & ex Proclo in primum librum Euclidis; Astrologus non solùm contemplatur cælestium corporum figuram, à terráque distantiam; sed etiam motum. Quarè etiam Astrologus ens mobile, qua mobile, licet non totum, saltem ex parte considerat. 5. argu.

Sextò, Motus non est propria entis mobilis affectio; falsum est igitur, quod in confirmanda conclusione superius diximus. Probatur antecedēs, quia quantitas extra materiā diuinitus cohærens mouetur, vt patet in diuina Eucharistia; & angeli etiam locum mutāt; cùm tamen hæc non contineantur sub ente mobili, vtpote, quæ ex materia, & forma non constent. 6. argu.

Septimò, Quantitas, & quies videntur esse potiores entis mobilis proprietates; siquidem illa est fundamentum reliquorum materialium accidentium; hæc vero, est finis motus, saltem localis: omnis autem finis præstantior est eo, quod ad finem dirigitur, vt liquet ex ijs, quæ docet Aristoteles 2. huius operis, c. 3. tex. 31. adde quod Pythagorei in bonorum genere statum seu quietem, in malis vero motum posuerunt. Non rectè igitur asseruimus motum præcipuam esse entis mobilis affectionem. 7. argu.

ARTICVLVS III.

OCCVRRITVR PRO-ximi articuli argumentis.

Obiectio.

HAEc tamen argumēta haud quaquam nos debēt à susceptā de Physiologiæ subiecto opinione reuocare. Quare ad primum respōdemus tametsi ens in cōmune respectu substantiæ, & ens secundum naturam collatum ad ens mobile, aliquam inter se habeāt

Solutio.

similitudinis rationem, prout vtrūlibet superius quidpiā est eo, cui comparatur: tamen quod ad propositum argumenti attinet, plurimùm inter se differre. Enimverò præcipuæ affectiones Metaphysicæ, vt vnum, verum, cæteræque eiusmodi, non substantiæ, sed enti in communè primò competūt: at Physicæ proprietates, vt esse motui obnoxium, esse affectum quātitate, circumscribi loco, cæteræq; id genus, enti naturali, non verò enti secundum naturam, primò cōueniunt. Quapropter cum id scientiæ cuiūsq; subiectum existimari debeat, in quod primò cadunt præcipuæ, quæ in ea tractātur, affectiones; cōsequens est, vt subiectū primæ Philosophiæ rectè constitutum sit ens in commune; Physiologiæ verò ens naturale, non ens secundum naturam.

Solu. 2. Ad 2. Fatendū est cum Arist. loco cit. si nullæ omnino forent immateriales substantiæ, nullā futuram primā Philosophiā; verū non ex eo, quia Metaphysicus solas substantias à materia liberas contēpletur; aut quòd earū duntaxat consideratione à Naturali Philosopho distinguatur; sed quia eiusmodi substātijs è natura rerum omnino sublatis, ens mobile reciprocaretur cum substātia in cōmune, omniáq; accidentia, ac totā entis amplitudinem in se vno cohiberet. Quo dato nihil iam primæ Philosophiæ cōsiderationi reliquū esset, vnde apud veteres Physicos, qui nihil nisi materia cōcretum agnouerant, Philosophia Naturalis dicebatur prima Philosophia. Patet ergo ex dictis nequaquam censuisse Aristotelem generalem substātiæ, entisve conceptum ad Naturalem Philosophum pertinere.

Veteres naturæ interpretes Physiologiam à Metaphy. nō distinxerunt.

Solu. 3. Ad 3. Cōcessa maiori propositione (cuius vberior explicatio est apud Scotū 1. Metaph. q. 1. & Ferrariensē ad cap. 12. lib. 1. contra gent.) Negandum est probari ab Arist. lib. 6. vel dari in rerū natura corpus mobile; vel omne, quod mouetur, esse corpus; sed dūtaxat omne mobile partibus constare, ac diuiduū esse; quod fuerat ab antiquis negatum. Leucippus enim, & Democritus corpuscula quædā insectilia simul, & mobilia, è quibus res omnes coagnētatæ essēt, inuexerūt. Esse autē loco cit: hunc, quē dicimus, non quem aduersarij contendunt, Aristotelicæ probationis scopū, facilè videbit, qui illius disputationis filū perpenderit, vbi Arist. longam argumētorū seriem hisce verbis concludit. φανερὸν ἓν ὅτι πᾶν τὸ μεταβάλλον ἔσται διαιρετὸν. ideſt, Patet igitur omne, quod mutatur, sectile esse.

Ité apud Antoniū Andream 1. Metaphy. Zimaram in theor. propo. 53. Auerroem hoc lib. cōm. vlt.

Obiectio. Siquis verò hîc opponat (quod cōtra omnes ferè de subiecto Physiologiæ sententias afferri potest) Aristotelem primo huius operis ostendere, in quolibet composito Physico dari duo principia cōponentia, videlicet, materiā & formā; atq; adeò probare partes entis mobilis, siue ētis naturalis; & quod inde cōsequēs est, nō supponere esse ens mobile, siue ens naturale. Quod tamē cęteri artifices in suarū artiū subiectis faciūt: occurrēdū erit probare quidē Arist. loco citato dari materiā, & formā, è quibus ens mobile cōstituitur; eósq; oppugnare, qui naturæ prīcipia demoliebātur; verū assūpta Metaphysicī

Solutio.

per-

ſona, vt ipſe admonet tex. 8. cap. 2. & Auicenna 1. ſuffici. c. 2. Quo pacto neq; Ariſt. negat fieri debere, neq; eſt à Philoſophorũ cõſuetudine alienum, demonſtrare, eius ſcientiæ, in qua verſantur, ſubiectum eſſe; vt præter alios aduertit. Caiet. in commentarijs 1. par. ad art. 3. quæſt. 2.

Lege Auerroẽ 3. de anima cõm. 17. M. Alb. 1. de ani. tract. 1. Iandunũ ibidem q. 2.

Ad 4. Vt reſpondeamus, obſeruandum eſt in ſpeculatione animæ rationalis tria occurrere, ſcilicet ipſam animæ eſſentiã abſolutè ſpectatam; eius ſtatum in corpore; ſtatum eiuſdem extra corpus. Reiecta verò longiori huius rei diſceptatione in primum librum de anima; paucis interim reſpondemus, cognitionẽ animæ rationalis tertio modo ſumptæ propriam eſſe primi Philoſophi, cuius eſt contẽplari intelligentias, in quarum illa ſtatum, ſuo modo, tranſit cũ abſcedit à corpore. Primam verò, & ſecundam conſiderationem propriè atque ex officio ad Naturalem Philoſophum pertinere. Primã quidẽ, tum quia anima, etiam rationalis, habet ſecundum ſuã quidditatem, reſpectum ad materiam; tũ quia ad Phyſicum ſpectat ſcrutari hominis eſſentiam, quæ, niſi cognita animæ natura, intelligi nõ poteſt. Secundã verò, quia anima in hoc vitæ ſtatu eſt actu pars hominis, egétque materia; tùm ad officium informãdi, tùm ad actiones ſuas obeundas. Ad arg. igitur conceſſa maiori propoſitione, neganda eſt minor; & ad eius probationem dicẽdum, eſto anima rationalis poſsit per ſe, ac ſeorſim conſiſtere; pendere tamen à materia eo modo, quo diximus, itémque ſecundum ſuam naturam habere ordinem, ac reſpectum ad corpus, cuius eſt forma. Quod ſatis eſt, vt Philoſophus Naturalis nõ dicatur abſtrahere à materia, dum in animi cõtemplationem incumbit; cum re vera conſideret materiam, ad quam ille animæ reſpectus terminatur.

Solu. 4.

Mul iplex animæ ratio nalis conſide ratio.

Cæleſtis mo t9 theoria cu i9 ſit artificis

Ad 5. Negandum eſt, quod aſſumit. Nam licet Aſtrologus cæleſtem motum ſpeculetur, non proinde ens mobile, qua mobile eſt conſiderat; primùm quia cæleſtium corporum eſſentiam, & cauſas minimè curat: deinde, quia neq; motum expendit, vt eſt actus entis in potentia; ſed ſecundum Mathematicas rationes, vt ſecundum numeros, æqualitatem, menſuram, propinquitatem, æqualitatẽ, aliaq; eiuſmodi attributa. Qua de re lege Simpliciũ 2. huius oper. ad tex. 16. Alcinoum in libro de doctr. Plat. c. 6. Auerroẽ 2. de cælo cõm. 57. & 1. Metaphy. comm. 9. Gregorium in 1. d. 24. q. 2. art. 2.

Solu. 5.

Aſtrolog9 nõ cõtemplatur motum, vt eſt actus entis in potenia.

Ad 6. Dicendum quantitatem extra corpus diuina virtute cohærentem, moueri per ſe, & vt quod; id tamen nõ ex natura ſua habere; ſed vi antecedẽtis miraculi, quo obtinuit vt per ſe eſſet. Nos verò cùm motũ enti mobili duntaxat conuenire dicimus, de naturali tãtùm loquimur cõuenientia. Quod autem ad angelorum ſpectat lationem, dicendum eam non eſſe motum Phyſicum, de quo hîc agitur; cum angeli expertes ſint molis corporeæ, ſine qua nihil Phyſicè moueri poſſe docet Ariſtoteles 6. huius operis.

Solu. 6.

Ad 7. Reſpõdendũ eſt, etſi quantitas permanẽs in ſe ſũpta motu

Solu. 7.

præstantior sit, nihilominus motui inter affectiones entis naturalis principē locum tribui à Philosophis, propterea quòd) vt videre est in 8. huius operis cap. 3. tex. 22.) sit passio magis Physica, vtpote per quam rerum naturalium essentia, gradus, & species disquiri, atque explicari consueuerunt; adeò vt motus, omnis penè Philosophicæ cognitionis magister habeatur. Ad id verò, quod de quiete obijcitur, dicendum quietis nomen, vt annotarunt Scotus in 4. sent. d. 48. q. 2. & Durandus ibidem quæst. 3. bifariam vsurpari, vno modo, pro sola motus priuatione: altero, pro existentia mobilis in patria, ac naturali sede; & quadam veluti fruitione & trāquillitate, quā in ea obtinet, dum illic sese melius tuetur, & in suo esse æquabilitatem habet, atque ordinē, pulchritudinémque vniuersi, quoad eius fieri potest, conseruat. Si igitur quies in hunc posteriorem sensum (sic de illa Pythagoræi loquebantur) capiatur, admittendum est eā finem esse motus, eóque perfectiorē: sed enim id neutiquam obstare, quominus adhuc motus, affectio sit magis Physica, ob eam causam, quam paulo ante retulimus. Atque hinc est quòd Physiologiæ subiecto non quantitas, non quies, non locus, non tempus, non alia eiusmodi affectio; sed motus duntaxat, appellationem dedit.

QVÆSTIO. V.

QVEM ORDINEM, LOCVM-ve Naturalis Philosophia inter cæteras disciplinas obtineat.

ARTICVLVS I.

DE DOCTRINÆ ORDINE.

De ordine tradēdi disciplinas scripsit Boetius in lib de doctri. scholariū. Plutarch, in lib. de contrarietātibus Stoic. Philo Iudæus in lib. de agricul. D. Augustinus lib. de ordine.

QOniam Naturalis Philosophia tùm doctrinæ, tùm dignitatis ordine cum reliquis scientijs conferri potest; cuius comparationis intelligentia ad ritè Philosophandum non parùm cōducit; minimè erit ab instituto alienum, hac etiā de re in præsentia disputare. Omissis autem cæteris artibus, Philosophiam Naturalem cum Mathematica, Morali, & Metaphysica solummodò conferemus.

1. conclu. Prima Conl. sit. Mathematica doctrinæ ordine est prior Philosophia Naturali. Hęc est Hugonis Victorij in prologo cęlestis Hierarchiæ, & lib. 2. Didascalœn cap. 18. D Tho. in opusc. 70. q. 5. art. 1. & 8. cap. lib. 6. Ethic. Est etiam Henrici Gandauensis in summa art. 7. q. 7. Simplicij hoc loco, & aliorum complurium; videturq; Aristotelis 6. Eth. cap. 8. vbi ait puerum posse fieri Mathematicum; sapientem, vel Physicum non posse. Idem confirmat veterum in tradendis disciplinis consuetudo. Plato enim (vt de cæteris taceamus)

cos

eos, qui Mathematicis imbuti non essent, ac præsertim qui se priùs in Geometrico puluere nõ exercuissent, à gymnasio arcebat inscriptis Academiæ foribus hisce verbis μηδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, ideſt nemo huc ingrediatur ignarus Geometriç. Atq; inde etiam est, quod idẽ Plato 7. lib. de Repu. Mathematicas vocat προπαιδείας quasi priores institutiones, quibus adolescentum animi ad reliquos doctrinæ fatus præexercentur, & excoluntur. Stabilitur postremò conclusio ex eo, quia in comparandis Mathematicis minus negotij est; vnde & propter addiscendi facilitatem commune disciplinarum nomen apud Græcos fecere suum. At Physica cum reconditam naturæ vim scrutetur, & à vaga, atque errabunda sensuum notitia, magna ex parte pendeat, longi temporis obseruationem, ac experientiam requirit, proindeque multò est difficilior, & operosior.

Mathematicę ignaros arcebat. Plato à Musæo.

Mathematicę iuuant ad perceptionẽ aliarum artium.

Secunda Concl. sit. Physica doctrinæ ordine est prior, quam Moralis Philosophia. Hãc amplexi sunt Chrysippus, Archedemus, Boethus, Sidonius, & Eudemus referente Laertio in vita Zenonis, & Ammonio in Proœmio ad Categorias. Item D. Tho. ad cap. 8. lib. 6. Eth. lect. 7. Suadetur verò primùm ea ratione, quia in ijs, quæ ad vitæ disciplinam, & regendas, ac moderandas hominum voluntates pertinent, fallacior est, & incertior, ac magis ardua experientia; quã in Physicis, multòque maturiori iudicio opus est ad eorum intelligentiam, quibus componendi sunt mores, regenda familia, instituenda Respublica. Quò spectat illud Aristotelis 1. Ethic. cap. 3. iuuenem haudquaquam idoneum esse Moralis disciplinæ auditorem: quia nimirum in perturbationum regno non potest esse firmum de rebus agendis iudicium; dumque reciprocante cupiditatum æstu animus fluctuat, quo pacto vitijs imperandum sit, nõ capit; sed post adeptam quietem prudens fit, ac sciens, vt in 7. huius operis lib. c. 3. tex. 20. docuit Aristoteles imitatus Platonem in Cratylo. Confirmatur etiam conclusio ex eo, quia vt Alexãder, Simplicius, & Auerroes initio huius operis, imo & Aristoteles cap. vltimo libri primi Eth. admonent, multa ex naturæ fontibus, & Physicæ veritatis cõtẽplatione ad Moralem disciplinã necessariò petenda sunt, vt quid sit anima. Nec enim, vt Plato ait in Alcibiade primo, scire possumus quomodo aliquid curandum sit, nisi eius naturam cognitam atque exploratam priùs habemus; at Moralis Philosophia animæ medicatrix est. Præterea oportet Moralem Philosophum à Naturali sumere quæ sint animæ facultates; vt quæ, quibus subditæ esse debeant, & in quarũ actione beatitudo posita sit, edoceat. Quocirca Aristoteles in formanda morum scientia, Physiologiam tanquam illius parentem sæpe adhibet, & Plato loco proximè citato, statuit à Philosophia adiuris prudentiam incedendum esse.

2. concl.

Maturiori iudicio opus est ad Moralem doctrinã quã ad Physicam.

Moralis philosophia animi medicina est.

Tertia Concl. Metaphysica doctrinæ ordine omnium scientiarũ postrema est. Hæc conclusio de ijs tantùm scientijs, quæ humani ingenij facultate comparantur, intelligi debet. Eam verò tradidit Auicenna

3. conclu.

cenna primo suæ Metaph. cap. 3. D. Thom. 1. contra gent. cap. 4. AEgidius in proœmio huius operis, M. Albertus 1. Metaph. tract. 2. cap. 10. ac cæteri ferè Peripatetici communi assensu; faciléque ex eo comprobatur, quia doctrinę ordo postulat, vt quæ scientia res maximè abstrusas, & à sensuum consuetudine remotas considerat; ea postremo loco addiscatur: ita verò sese habere Metaphysicam nemo ignorat; cum circa transnaturalium rerum contemplationem occupetur, vt vel ipsũ eius nomen indicat, testaturque Aristoletes 1. Metaph. cap. 2. & 1. de partibus animalium cap. 5. Adde quod eorum, quæ in alijs scientijs pertractantur, notitia ad diuinam Philosophiã animum præparat, & acuit, vt D. Augustinus 2. lib. de ordine edisserit, aiens humanam rationem, cùm ad ea, quæ supra naturam sunt agnoscenda aspiraret, ne ascensum frustrà moliretur, neve de alto caderet, inferiores disciplinas sibi tanquam gradus par esse.

Cõfirmatio.

Philosophus per alias scientias gradatim ad Metaphysicã ascendit.

ARTICVLVS II.

QVIBVS ARGVMENTIS PROximi articuli conclusiones oppugnentur.

VNaquæque earum conclusionum, quas proximè statuimus, suos habet oppugnatores. Prima Albertum Magnum hoc loco, Ammoniũ initio prædicabilium, & his antiquiores Plotinum, & Boethum, contendentes Mathematicam doctrinæ ordine Naturali Philosophia posteriorem esse. Quorum placitum hisce argumentis suadetur. Ab vno extremo ad aliud non potest esse transitus nisi per medium: sed Mathematica est media inter Physiologiã, & Metaphysicã: ergo inter vtrãq; perdiscẽda est. Probatur assumptio; quia Mathematica vendicat sibi mediam abstractionem; siquidem Physiologus cõsiderat ea, quæ nec re, nec ratione; Metaphysicus, quæ ratione & re; Mathematicę, quæ non re, sed ratione abstrahuntur à materia: atque ita Mathematicæ abstractio partim duabus alijs disidet, partìm cum ijsdem, vti medium cum extremis, cõuenit. Huc pertinet quod Pythagorici, & eorum doctrinæ æmulus Plato, Mathematicas disciplinas medio diuinarum & Naturaliũ interstitio collocarunt.

1. obiectio cõtra 1. cõclu.

Deinde ita disputant. Cùm omnis nostra cognitio à sẽsibus oriatur, ea scientia priùs acquiretur, quæ de rebus sensui vicinioribus agit: sed Physica est eiusmodi; quandoquidem tractat ea, quæ primò sub sensum cadunt. Igitur ante scientias Mathematicas comparãda erit.

2. obiectio.

Secundam etiam conclusionem improbarunt Themistius initio huius operis, Eustratius 1. lib. commentariorum in Ethica Arist. & ante hos Zeno, & Diogenes Babylonicus, rati minimè conuenire, vt qui Philosophiæ studia sequuntur, priùs ad naturæ, quàm ad morũ scien-

scientiã animũ accõmodent. Poterit verò ꝑ hac sententia huiusmodi confici argumentum. Nemo rectè philosophatur nisi morum honestate prædituꝰ sit; sed ad hanc erudit, atq; informat Moralis disciplina. Ea igitur priùs quęrẽda est. Maior propositio ostẽditur; quia, vt experiẽtia docet, & Philosophi cõmuni assensu dicũt, vitia menti cæcitatem, ac tenebras offundunt; & ne veritatis lucem cernat, impedimento sunt. Vnde Plato in Phædone affirmat philosophari neminem posse, nisi se quam maximè fieri possit, ab affectibus seiungat. Et Seneca eum, qui dum literis nauat operam; cupiditatibus, ac vitijs seruit, ait non Philosophum euadere; sed philologum, idest sophistam, & popularis auræ vile mancipium. Contra 2. cõ cl. obiect.

Vt Mirandulanus lib. 10 de singu. cert. sect. 2.

Postremò, tertiam conclusionem reijciunt è Neotericis Philosophis nonnulli, asserentes Metaphysicam doctrinæ ordine absolutè, ac simpliciter priorem esse reliquis disciplinis. Primùm, quia considerat supremas rerũ causas, nẽpe Deum, & intelligentias, itémq; genera summa, & transcendentia, quorum omnium cognitio ad subiecta aliarum scientiarum distinctè percipienda necessaria est; cũ nemo perfectam alicuius rei intelligentiam habere dicatur, nisi causas, à quibus pendet, & communia eius prædicata, intelligat. Deinde, quia reliquæ scientiæ subalternantur Metaphysicæ, vt sentit Plato 7. de Rep. Proclus lib. 1. cõment. in Euclidẽ, & tùm alij graues Peripatetici, tùm D. Thomas in tractatu de natura generis, si tamẽ eius est illud opus. Quare cùm scientia subalternans ordine acquisitionis simpliciter prior sit, quam subalternata; siquidem huius principia, ab illius principijs dependent; conspicuum videtur Metaphysicam doctrinæ ordine omnium scientiarum primam esse. Contra 3. obiectio 1. Moderno

ARTICVLVS III.

SVPERIORVM ARgumentorum explicatio.

TAmetsi ꝓposita argumẽta in speciẽ probabilia sint; re vera tamẽ nõ cõcludũt. Quare ad primũ dicendũ Mathematicæ abstractionem mediam esse, quatenus cum abstractione Physicæ, & Metaphysicæ, tanquam medium cum extremis conuenit, vt probat argumẽtum: non proinde tamen effici, vt disciplina Mathematica ordine acquisitionis inter Physicam, & primam Philosophiã constituenda sit; quemadmodum ex eo, quod puniceus color inter candidum & atrum interiaceat; haud continuò sequitur antequam corpus puniceo colore perfundatur, debere prius albescere. Itaque possunt Mathematicæ artes, quoad abstractionem dici mediæ; quo pacto eas Plato, & Pythagorei medias vocarunt; non tamen secundum doctrinæ ordinem, de quo agitur. Solu. 1. contra 1. conclu. Roxo Negro

Ad

Solu. 2. Ad 2. Dicendũ si ea, quæ prius sensui occurrunt, explicatu difficiliora sint, ac plus experientiæ requirant, quo pacto se habent res Physicæ comparatæ cum Mathematicis, tunc eiusmodi rerum doctrinam non priùs, imò posteriùs acquirendam esse, quàm earũ, quæ à sensu longiùs absunt. Addę nõ omnia entia Physica sensui viciniora esse, quam Mathematica: siquidem essentia entis mobilis, vt quãtitatem origine antecedit, res Physica est: & tamen à sensuum notione magis distat, magisque in recessu naturæ latet, quàm Mathematica quantitas.

Solu. obiect. cõtra 2. cõcl. Ad argumentum verò, quod secundam cõclusionem oppugnabat; respondendum est, licet negari non debeat vitæ probitatem ad capessendas disciplinas multum conferre, dum sedandis animi affectibus mentem purgat ad contemplandum; non ex eo tamen necessariò colligi Moralẽ doctrinã Physiologiæ præire: tũ quia nõ pauci vitijs infecti scientias comparant; tùm quia morum probitas non solùm Philosophãtium præceptis; sed etiam, ac multò magis, priuato studio, domestica disciplina & aliorum exemplo, alijsque ad id appositis medijs, accedente diuina ope, adipiscitur.

Solu. 1. arg. aduersus 3. cõclus. Quæ verò contra tertiam cõclusionem obiecta sunt, ita diluẽtur. Ad primum respondendum est perfectam scientiæ adeptionem duplicem esse; vnam in suo duntaxat genere perfectam; alteram omnibus numeris vndique absolutam, & exquisitam. Si igitur de hoc posteriori sciendi genere loquamur, cõcedimus Metaphysicam doctrinæ ordine, tàm Physicæ, quàm cæteris Philosophię partibus anteire, vt probat argumentum, fatetúrque D. Thomas ad initium huius operis: si de priori, quod nostra cõclusio intelligebat, negamus; Ad cuius rei maiorem explicationem lege quæ in prima quæstione huiusce proœmij disseruimus. At enim cũ Metaphysica, posteriori illa consideratione, omnium disciplinarum prima sit, meritò quispiam roget cur non eam primam, sed vltimam esse nostra conclusio absolutè pronũtiarit. Cui dubitationi occurrendum est, eius rei causam fuisse, quia philosophi de priori doctrinæ genere, quod cõmunius ac frequentius est, ferè loquuntur. Deinde quia ea scientia doctrinæ ordine absolutè prior censetur, quæ tractat res nobis simpliciter promptiores, magisque ad intelligendum faciles, quarum cognitio ad sequentium cognitionem præparet, & quasi viam muniat; ita verò se habere Mathematicam, & Physicam comparatione primæ Philosophię constat ex dictis.

Occurritur dubitationi. Lege Scot. in 1. d. 3. q. 2. §. 2. probo.

Solu. 2. argu. aduersus 3. cõclu. Ad 2. Contra eandem concl. si de germana, & perfecta subalternatione, qualis 10. cap. lib. 1. posteriorum describi solet, sermo sit; dicendum est Metaphysicam non subalternare sibi alias scientias. Vt enim rectè disputat AEgidius hoc loco, Herueus in prolog. sent. q. 6. & Soncinas 4. Metaph. q. 9. Omnis scientia propriè, ac perfectè subalternata, capit à subalternante suarum conclusionum principia, teste Aristotele 1. Post. loco citato: at nemo nescit reliquas disciplinas

as multa habere sibi propria, ac peculiaria principia, quæq; à prima Philosophia non desumant. Secundò idem ex eo concluditur, quia principia, quibus subalternatæ scientiæ vtuntur, demostrari solent ostensiua demonstratione, & per causam in subalternantibus; at in cæteris disciplinis non pauca sunt principia immediata; quæ proinde eiusmodi demostrationem haud quaquam subeunt. Non insiciamur tamen reliquas scientias, Metaphysicæ imperfectè subalternari; tùm merito finis, quatenus primᵒ Philosophus differit de supremo fine, ad quem omnes inferiores scientiæ tandem respiciunt: tùm etiam, vtcũque, ratione principiorum, prout eidem incumbit eos, qui sophisticæ contentionis studio disciplinarum principia negant, coarguere, & ipsa principia demonstratione ducente ad incommodum, si opus sit, demonstrare. Ac de huiusmodi subalternatione locuti sunt auctores in argumento citati. Quæ tamẽ nõ sic reliquas scientias primæ Philosophiæ subijcit, vt earũ principia ab illius principijs absolutè dependere existimanda sint. Quo fit vt ex prædicta subalternatione concludi nequeat Metaphysicam ordine doctrinæ reliquas disciplinas simpliciter anteire.

Hanc etiã rationẽ affert Trõbeta 11. Metaph. q. 1. Niphus in 1 log. huius operis, Iauell9 1. Metaph. q. 2.

Reliquas scientias imperfectè subalternari Metaphysicę.

ARTICVLVS IIII.

DE ORDINE DIGNITATIS inter Physicam, & reliquas partes Philosophiæ.

QVonam modo Physica, si doctrinæ ordinem, ac methodum spectemus, cæteras Philosophiæ partes antecedat, sequatúrve, superiori disceptatione planum fecimus; proximum est, vt quem dignitatis locum inter easdem obtineat, explicemus. Porrò contemplatricis dignitas scientiæ, ex comparatione tam ad eas, quæ in opus feruntur, quàm quæ in contemplatione consistunt, dignoscitur. Et ipsæ contemplatrices inter sese, tùm propter subiectę materiæ præstantiam; tùm ob demonstrandi certitudinem, & euidentiam, aliæ alijs excellunt, vt 8. Topic. cap. 2. & initio librorum de anima Aristoteles docet.

Sit igitur 1. concl. Si Physica cum practicis disciplinis comparetur, simpliciter eis dignitate præferenda est. Probatur, primùm, quia contemplatiuæ scientiæ, è quarum numero Physica est; cum in sola rerum inspectione versentur, propter se expetũtur, vt constat ex 1. Metaph. c. 2. id autẽ, quod sui gratia expetitur, vt etiam liquet ex 1. Eth. c. 7. præstantius, honorabiliúsque est; vtpote quod nõ habet aliunde pendentem dignitatis suæ rationem. Deinde, quia scientiæ inspectrices proximè attingũt speculatiuam hominis felicitatẽ, quã optimo iure practicę anteponit Arist. 1. Eth. c. 6. 7. & 8. Et verò 12. Meta. c. 7. tex. 39. alijsq; in locis post Platonẽ in Philebo, & 5. de Rep. contẽplationẽ actioni præferẽdã admonet; & disertis verbis 6. Metaph. c. 1. & 2. cũ diuisionẽ scientiarum in cõtemplantes agentes,

1. concl.

& effectrices tradidisset, contemplantibus principem locum dedit.

Obiectio. Quod si quis obijciat, Moralē sciētiam incumbere ad vitæ disciplinā corrigendā, quod munus tāto est contēplatione vtilius ac magis necessariū; quanto nostra magis interest probè viuere, quā rectè contēplari. Præterea Politicam teste Arist. 1. Eth. c. 2. ordinare reliquas artes; ordinare autē superioris esse facultatis.

Disutio. Occurrendum erit munus doctrinę Moralis, vt probat argumentū, fatetúrq; Arist. 6. Eth. c. 7. hominū societati vtilius esse, magisq; vitæ necessarium; non proinde tamen honorabilius, vel ad scientiæ rationem absolutè præstantius. Honor enim, dignitásque scientiæ, qua scientia est, nō ex fructu, aut necessitate, sed ex modo, quo rē sibi obiectā, finemq; attingit, æstimari debet; quē modum eminentiorē esse in cōtemplatiuis, quam in practicis scientijs, ex dictis cōstat. Quod verò ad Politicā attinet, dicendum non sic eā reliquas scientias ordinare, quasi eis vel materiā, in qua versentur, vel speculandi methodū prefiniat, (id enim supremæ Philosophiæ propriū est) sed quatenus ad ciuilē vsum, & vtilitatem eas accōmodat, statuens quæ artes, quo tempore, à quibus perdiscendæ, aut exercendæ sint, vt ibidē explicat Arist. Hæc autē ordinandi prærogatiua, nō tanti est, vt ob eā Politica cæteris disciplinis nobilior censeri debeat; cū ei ratio attingēdi finē & obiectū, præpōderet. Atq; hæc de cōparatione Physicæ cū practicis artibus in presenti satis sint. Nūc eandē cū speculatricibus cōferam[9].

2. Conclu. Sit 2. Concl. Si rei subiectæ præstantiā spectemus, dignitate prima est Metaphysica; secunda Philosophia Naturalis; extrema Mathematica. Huic assertioni, quatenus comparat Physicam cum Metaphysica, fidem facit Aristotelicum illud è lib. 6. Metaphysicæ, c. 1. tex 3. si substantiæ separatæ non essent, Physica esset prima Philosophia; itémq; illud è septimo eiusdem operis lib. cap. 11. tex. 39. Physica est secunda Philosophia. Deinde vniuersim probatur conclusio hac ratione. Nā cùm substantia in rebus primas teneat, præstantiores habentur eæ scientiæ, quæ circa substantiam, quam quæ circa accidentia, versantur: & inter sciētias prioris generis, illæ magis eminēt, quæ substantias à materia liberas, vtpote in altissimo rerum gradu collocatas, quàm quæ materiæ permixtas considerant; at Mathematica quantitatem, Physica materiales substantias, Prima Philosophia substantias materiæ expertes contemplatur.

De excellentia Metaphysic. inter alias sciētias Plato in Philebo, & in 7. de Rep. Aristoteles c. 2. lib. 1. Metaphy. Proclus c. 4. lib. 1. comm. in Eucl. Simplicio ad tex. 8 lib. 1. Phy. Auerro. 1. de ani. cōm. 1. a Estetiā Pāphili in q. de certitudi. scient. & partim AEgidij in prologo huius operis & q. 24. lib. 1. Metaph. partim Soncinat. 4. Meta. q. 14. Linconiēsis. in posteriora c. 23.

3. conclu. Sit 3. concl. Si demonstrandi certitudinem, & euidentiam expendamus, primus dignitatis locus Mathematicæ, secundus Naturali Philisophiæ, tertius Metaphysicæ debetur. Hæc assertio est D. Thomæ opusc. 70. in Boetium de Trinit. quæst. vlti. art. 1. & complurium [a] aliorum. Intelligenda verò est de certitudine comparatione nostri intellectus. Ac priorem quidē eius partē satis confirmat cōmunis Philosophorū vox, asserētium Mathematicas demonstrationes omnium esse firmissimas, quod testatur Arist. 1. Eth. c. 3. & 2. Metaphys. c. 3. Auerroes eodem loco, & Ptolemæus in proœmio magnæ

magnæ compoſitionis. Corroboratur item ex eo tota concluſio, quia conſideratio Mathematica præterquam quod difficultatē non habet, ac nullius propemodum eget experientiæ; eſt à materia ſenſibili, motúque abſoluta, atque ita minùs incerta. Naturalis verò totum ſtudium ponit in rebus materia conſtantibus, mutationique obnoxijs, quarū affectiones magis reconditæ ſunt, nec ita citra opinionū ambiguitatem, à nobis percipi ſolent. Quòd verò Metaphyſica, prout in nobis eſt, (ſic enim de illa in præſētia loquimur,) minorem, quàm priores duæ, certitudinem habeat; ex eo concluditur, quia res, quæ ſub illius contemplationem veniunt, licet in ſe ſpectatæ altiorem certitudinis gradum obtineant, videlicet materiæ, atq; omnis mutationis expertes: tamen in hoc vitæ ſtatu vix longo ſtudio percipiuntur; earúmque nonnullæ adeò excellentis naturę ſūt, vt in ijs mentis noſtræ acies perinde ac noctuæ oculus in ſolis ſplendore hebeſcat. Quod 2. Metaphy. c. 1. tex. 1. & primo de partibus animalium c. 5. Ariſtoteles ait, luculentérq; oſtendit Plato in Phędone & Theæteto.

Humanę mētis acies ſub blimiū rerū fulgore hebeſcit.

Hîc ſi quis roget, è duabus Mathematicis, Arithmetica, & Geometria, quænā excellat? Reſpondemus Arithmeticā. Nā ſi demonſtrandi certitudinē ſpectemus, certior eſt, vt probat Ariſto. 1. Metaph. c. 2. quia diſputat de ijs, quæ priora, ac ſimpliciora ſunt, hoc eſt de numeris, qui abſque partium ſitu percipiūtur: Geometria verò de magnitudine, quæ ſine eiuſmodi ſitu nō cognoſcitur. Si verò ad rei ſubiectæ nobilitatem attendamus; inde maior Arithemicę excellētia perſpicitur, quia verſatur circa numerū, qui vt eſt abſtractior à materia, ita nobilitate magnitudinē vincit; tū quia numerorū ſubtilitates, proportiones, ac myſteria noſſe præclarū eſt humani ingenij opus, adeò vt Plato in Epinomide, & in 7. de Rep. dixerit prudentiā, atq; humanitatē omnē è medio eos tollere, qui Arithmeticā è medio tollunt. Lege quæ in hanc ſententiam ſcripſit Ariſtoteles in Problem. ſect. 30. Problem. 5.

Solutio dubitationis.

Lege Beſſarionem lib. 1. cont. a Calū. Plat c. 8. vbi Geometriā omnib9 Mathematicis certitudine ā teponit, non recte. vt probat etiā Scaliger exercit. 321. in Card.

Illud poſtremò in hac diſputatione explicandum ſupereſt, cum ſcientiæ contēplatrices diuerſo nobilitatis ordine ſeſe mutuò præcedant, & alię præ alijs ſuā quandā habeant gratiam & pulchritudinem quæ, quibus abſolutè præferendæ ſint? Dicendū verò Metaphyſicā ſplēdore dignitatis ſupra ōnes abſolutè eminere; hāc ſubſequi Phyſiologiam; infra ſubſidere Mathematicas; ꝓptereà quòd ſubiectę rei præſtātia ſolidior eſt, & illuſtrior, ac certitudini ſuapte natura prępōderat, vt conſtat ex ijs, quæ docet Ariſt. lib. 6. Metaphy. c. 1. tex. 2. & lib. 11. c. 6. alioqui, ſi ex demonſtrandi certitudine nobilitas ſciētiæ abſolutè colligenda foret, certa notitia rei deſpicatiſsimæ in maiori pretio, & admiratione habenda eſſet, quàm cognitio minus certa rei nobiliſsimæ; quod abſurdum dictu eſt, & alienū à ſententia Ariſt. qui primo de partibus Anim. c. 1. aſſerit ſcientiā de reb9 caducis, magis certā eſſe, ſed min9 dignā, quā eā, quæ de reb9 æternis eſt.

Explicatio alterius dubitationis.

DE DISTRIBVTIONE Philosophiæ apud Aristotelem.

OMnes penè Philosophi, qui ante Aristotelis tempora & ingenij, & scientiæ laude floruerunt, ad vnam duntaxat, aut alteram Philosophiæ partem, in qua excellerent, animũ intenderunt. Thaletẽ enim, Anaximenẽ, atq; Anaxagoram solius cõtẽplatio naturæ detinuit. Pittacus, Periander, Solon, Lychurgus,
Zeno. cæterique his similes, de Repub. gubernanda scripsere. Zeno omnisque Eleatica disciplina, in Dialecticæ præcepta incubuit. At Aristoteles nullam ferè omisit partem Philosophiæ, quam non summo studio quæsierit, comprehenderit, scriptis suis illustrarit. Itaq; antiquiores longo interuallo post se reliquit, & Socratẽ etiam, ac Platonem præceptores suos, quos & sua secula, & omnis deinde posteritas admirata est, superauit. Socrates enim (magnus alioqui philo-
Socrates. sophus, & in quem omnes ferè philosophantium sectæ initium suæ disciplinę retulerint, Platonici, Academici, Cyrenaici, Cynici, Peripatetici, Megarenses, Stoici) nullo disciplinarum ordine, vt Plutarchus in Aristotele refert, modò huc, modò illuc discurrebat; nec tàm quid ipse sentiret, dicere, quàm aliorum sententias refellere vi-
Plato. sus est. Plato etiam, vir alioqui singulari, ac diuino ingenio, & multa, reconditáque doctrina; cum alios plerumque faciat differentes, Socraticam dissimulandæ scientiæ consuetudinem seruat, & ambiguitate lectorũ animos distrahit. Quo fit, vt quid ipse senserit (quẽadmodum D. August. 8. de ciuit. Dei cap. 4. ait) non facilè a quoquam dijudicari possit. Ita prorsus neque Socrates, neq; Plato, certum aliquod disciplinæ genus, vel omnibus numeris vndique perfectum, & absolutum; vel certa, & cõstanti assenerationę explicatũ
Aristoteles. reliquit. Aristoteles verò seu Logicam, seu Physicam, seu Ethicem, aut aliam quãuis facultatem aggrediatur; ab ipsis rerum primordijs ad finem vsque perducta doctrinæ serie, mira ordinis elegãtia, in suo quẽque genere auditorem perfecte instituit; vt iure optimo bonarum artium parens, & Lapis lydius Philosophorum, dicatur.

De præstãtiã doctrinæ & ingenij Aristotelis Laertius in eiꝰ vita Cic. 2. de orat. Auerroes in pœmio Phyſ. Plinius lib. 8. c. 16. & lib. 18. c. 34. Apollodor. in Chro. Lucretius lib. 3. Cęliꝰ lib. 17. c. 17. lectionũ antiquarũ & lib. 29. c. 8. Fonseca in proœmio Metaphyſi. à capite. 3.

Opera Aristotelis. Libros verò Aristotelis recenset Laertius in eius vita, eorúmque summam ad quadringentos producit, de quibus nulla sit dubitatio; sed horum maior pars iniuria temporum intercidit; adeo vt nõ plus centum viginti nunc extent. Quæ autem in ijs tractantur, ad quin-
Breuis eorũ partitio. que genera, seu capita reduci possunt. Pars vna, epistolarũ, Poeticæ, & Rhetoricæ scriptionem cõtinet. Altera, differẽdi præcepta. Tertia, Ciuilem, Moralémque doctrinam. Quarta, rerum Naturalium. Quinta, Transnaturalium scientiam. Cæteris autem hoc loco
Aristotelis acerrimꝰ naturæ indagator. prætermissis; ea, quæ Physiologiæ propria sunt, breuiter comprehensa sub vnum aspectum ponemus. Quam partem tanta diligẽtia, tã incredibili inuentionis copia, persecutus est Aristoteles; vt nihil

De libris Aristotelis Plutarchꝰ in eiꝰ vita. de eiusdem bibliotheca Strabo 15. libro suæ Geograph.

ab

ab eo terra, mari, cœlo omiſſum fuiſſe videatur. Vnde, etſi diuinarum rerum intelligentia à multis Platone inferior iudicetur; in naturæ tamẽ ratione omnium calculis primas obtinuit. Quod in cauſſa fuit, vt eum tam Platonici, quam Peripatetici dæmonium vocarint; videlicet quòd res naturales orbi lunę ſubiectas, in quibus Dæmonum genus verſari aiebant, optimè, & accuratiſsimè tractarit.

Lege Beſſarionẽ lib. 1. cõtra Calũn. Plat. c. 3. & 7. Carpentariũ in Alcinoũ. Cęliũ Rhod. lib. 2. c. 11.

Ariſtotelem cur dæmonium vocarint

Eius ergo Phyſiologia in decem circiter partes diſtribuitur. Prima, quæ octo Phyſicorũ libris cõtinetur, generatim diſſerit de principijs, cauſsiſque rerum Naturalium, & cõmunibus earum affectionibus. Secunda, libris de cœlo comprehenſa, ad partes enti mobili ſubiectas deſcendit; agitque de totius vniuerſitatis ſtructura, & cõpoſitione, & de quinque corporibus ſimplicibus, cœlo nimirum, & quatuor vulgatis elementis, prout loci mutationẽ ſubeunt, definitámq; in mũdo ſedẽ vendicãt. Tertia, quæ in libris de generatione traditur, explicat ea, quę diſſolubilibus, & caducis rebus vniuerſè conueniũt; cuiuſmodi ſunt generatio, corruptio, alteratio, accretio, mixtio. Quarta, quã libri Meteororũ cõplectũtur, doctrinã exhibet de mixtis imperfectis, quæ Meteœra vocantur, vt de niue, glacie, grãdine, cometa, & ijs, quæ repercuſſu lucis apparent, vt iris. Huic annectenda erat tractatio de metallis, lapidibus, ac cæteris, quæ terræ ſinu progignuntur; ſed ea nõ extat; licet partim in libris Meteororũ, partim alibi, huius argumenti nõnulla ſparſim legantur. Scripſit verò de metallis Theophraſtus libros duos; de lapidibus vnũ. Item de metallis Plinius lib. 33. & 34. Naturalis hiſtoriæ; & de lapidibus lib. 36. & 37. eadémque pertractat M. Albertus in ſuo opere de Mineralibus. Quinta, in libris de anima inquirit cauſas, & rationes tùm animæ in communè, tùm eius, quæ ratione, & intelligẽtia prædita eſt. Sexta, quæ eſt quædam veluti acceſsio ad libros de anima, diſputat de generalibus partim omnium, partim quorundam viuentium affectionibus, vt de ſenſu, & ſenſili; de ſomno & vigilia; de vita, & morte; deque alijs id genus. Septima, quæ dicitur Animalium hiſtoria; de animantium varietate, & ingenio multa cõmemorat. Quod opus quia non ſubtilium demonſtrationum aculeis; ſed ſimplici narrationis filo contextum eſt; ad hiſtoriæ magis, quam ad ſcientiæ rationem ſpectat. Sequuntur poſtremò tres aliæ partes, quarũ vna diſſerit, inſcribitúrq; de partibus animalium: altera de animalium generatione: tertia de animalium inceſſu; & de animalium motu eodem fere ſtylo. Vniuerſam verò doctrinam de animalibus, libros octoginta talentorum Græci nominant; quòd tantũ Alexander impenderit ad obſeruationem eorum, quæ in ijs pertractantur. Promiſerat autem Ariſtoteles initio Meteororum acturum ſe de plantis, quod & ſe præſtitiſſe 5. lib. de hiſt. anim. c. 1. ait; ſed hi libri, temporum iniuria, ad nos non peruenere; imò neq; ad Alexandrum Aphrodiſienſem, vt ipſe cap. 4. libri de ſenſu & ſenſili teſtatur. Nam qui vulgò ſub Ariſtotelis nomine circunferuntur, Ariſtote-

Diſtributio Phyſiologiæ Ariſtotelis.

Lib. Phyſi.

Lib. de cœl.

Lib. de gen.

Lib. Mete.

Inter opera Ariſtote. enumerat Laertius librum vnum de lapidibus.

Lib. Theophraſti de lapidibus, & de Metallis.

Lib. de ani.

Lib. paruorũ naturalium.

Lib. de hiſtoria anim.

Lib. de partib. anim.

De hac re Plinius lib. 8. nat. hiſt. c. 16. & Budęo lib. 2. de aſſe.

Lib. generat. animal.

De inceſſu anim.

De motu anim.

lib. de plãtis.

ſtotelici fontis aquas non ſapiunt, ipſáque ratio doctrinæ, tituli prodit falſitatem. Perſecutus verò eſt hanc partem Theophraſtus nouē, qui nunc integri habeātur, libris, de hiſtoria plantarum; & ſex alijs, de plantarum cauſsis; itemque Plinius à libro 12. vſq; ad vigeſimū.

Liber de mūdo ad Alexā.

Quod verò attinet ad librū de mūdo ad Alexādrū, illud monuerimus, non cōſtare Ariſtotelis ne ſit; an nō. Multi eū pro Ariſtotelico citant, vt Iuſtinus Philoſophus in ſua Paræneſi, Beſſario libro 3. contra Calumniatorem Platonis capit. 10. Fernelius lib. 1. de abditis rerum cauſsis, Eugubinus libro 4. de perenni Philoſophia, Ioan. Pic. Mirandula libro 4. de Exam. vanit. capit. 1. Alij, etſi Peripateticum fateantur, Ariſtotelicū tamen eſſe negant, tum ob alias cauſſas; tum quòd eius dictio comptior ſit, & floridior; adeo vt interdum ad poeticas delicias progrediatur; quod ab Ariſtotelis grauitate, & breuitate maximè eſt alienum. Et ex his quidē P. Victorius eius auctorē putat eſſe Nicolaū Damaſcenum; ſed apertè errat. Nicolaus enim Auguſti temporibus vixit; at liber ille multò antè ad Alexandrum Macedonem ſcriptus eſt. Alij à Theophraſto ſcriptum putant. Nobis viſum eſt in re omninò dubia potius ſententiam ſuſpendere, quam aliquid aſſeuerare.

Denique illud etiam aduertimus, non paruam eſſe inter Ariſtotelis interpretes de nexu, ordinéq; librorum, quos enumerauimus, diſſenſionem; de qua tamen nihil in præſentia dicere ſatius exiſtimauimus.

Hac de re Theophilus Zimara in Procem. ad lib. de anima.

CVR LIBRI PHYSICORVM, περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως, ideſt, de Naturali auſcultatione inſcribantur.

Varia inſcriptio horum librorum.

ADraſtus in ſuis libris de ordine Ariſtotelicarum commentationum, tradit hoc opus à nonnullis de principijs nuncupatū; ab alijs de Phyſico auditu; aliquos priora quinq; volumina de principijs inſcripſiſſe; reliqua tria de motu. Qua appellationis varietate, & diſtinctione nonnunquam Ariſtotelem vſum fuiſſe liquet. Totius tamen huiuſce operis communior, ac vulgatior titulus eſt, de Phyſico auditu, ſeu de Naturali auſcultatione.

Vtr. de cœlo c. 5. tex. 38. & c. 6 tex. 54. & in 3. eiuſdē ope. c. 1. tex. 5

Porrò autem, cur tractatio hæc, Phyſica dicatur, planum eſt; videlicet quia doctrinam, & explicationem eorum, quæ ad vniuerſam naturam communiter attinent, complexa eſt. Vnde verò Auſcultationis nomen acceperit, non conuenit inter expoſitores; vt videre licet apud Auerroem, Philoponum, & AEgidium in hoc proœmio, & Albertum tract. 1. c. 4. Omiſsis tamen controuerſijs, obſeruatum eſt, tum ab alijs; tū à Simplicio hoc loco, à Plutarcho in vita Alexādri, à Cicerone 5. de finibus, à Clemente Alexandrino 5. Strom. Ariſtotelem duo edidiſſe librorum genera (quam etiam ſcribēdi rationem

De his libris Ammonius in præfatione ad categ. Eustratius 1. Eth. c. vlt. ex recentioribus Vicomercatus hoc loco & initio Mete. Carpentarius in disputatione de ordine partiũ Phil. & ad c. 5. lib. 1. de sapient. AEgypt. Ludouicus Vives in censura de Aristo. oper.

tionẽ secutũ fuisse Theophrastũ refert Cicero loco proximè cit. & Galenus in fragmento Natural. facult.) vnũ eorũ, quos ἐξωτερικοὺς, id est extraneos, seu populares nũcupauit; quorum ipse mentionem facit 1. de moribus ad Eudemum. cap. 5. & primo de Anima cap. 4. tex. 54. Alterum eorũ, quos vocauit ἀκροαματικοὺς. ideſt Auscultatorios, quorum item meminit in epistola ad Alexãdrum, quam refert Gellius lib. 20. c. 4. addens morem fuisse Aristoteli Acroamaticæ disciplinę exercendæ matutinum tempus in lyceo dare; exotericæ autem, vespertinum. Et verò priores libri faciliorem, ac minus elaboratam scribendi rationem continent; quales sunt ij, in quibus Poeseos, & Rhetoricæ præcepta, aut animalium historia traditur. Ideoque exoterici, seu extranei nuncupantur, quòd ad vulgi sensũ, captúmque accommodati sint, & interpretis vocẽ minus requirãt. Posteriores autem subtilioris Philosophiæ doctrinam à vulgari genere philosophandi, & popularibus sententijs abhorrentem complectuntur: atque ita Auscultatorij vocantur; propterea quòd & à discipulis maiori studio, attentionéque audiendi, & à magistris accuratius enarrandi sint. Ex hoc autem numero habentur libri omnes Metaphysici, & de anima, alijque nonnulli, & hi, quorum nunc explicationem aggredimur. Ex quo iam prædictæ inscriptionis ratio plana relinquitur. Cur autem hi potissimũ inter cæteros Acroamaticos, hoc titulo prænotentur, causſa esse videtur; quòd ad totam Physicam introducant, eiusq; prima fundamenta, & multas, ac difficiles quæstiones in se contineant; proindeque, vt hoc loco aduertit Psellus, peculiariter de magistro audiendi sint.

Libri Aristotelis exoterici.

Libri eiusdẽ Acroamatici

Eorũ discrimen.

Cur Physicorum libri potissimũ Acroamatici nuncupentur.

Lege Themistiũ hoc lo. Gellium loc. cita. Bessari. in præfatione ad Meta.

Putat autem Simplicius hos esse libros, de quorũ editione Alexander Macedo cu Arist. per literas expostulauit; cùm non imperio tantúm, & rei bellicæ gloria; sed scientia quoque cæteris mortalibus anteire cuperet; quam laudem ademptam sibi existimabat euulgata abditissimarum rerum, quæ in hoc opere continentur, explicatione. Plutarchus tamen in vita Alexandri non de his; sed de Metaphysicis, Regis querimoniam interpretatur.

Expostulatio Alexandri cũ Aristotele.

DE ORDINE, MATERIAQVE librorum Physicæ auscultationis.

Antonius Miradulan9. lib. 15. Monomachia sect. 2.

NOn defuere è recẽtioribus Philosophis, qui cõtenderẽt Physicam à libris de cœlo inchoari; octo verò libros Physicorum, Primæ Philosophiæ attribuendos esse, fuisseque in Philosophiæ vestibulo positos, non vt partem per se Physicæ cohærentem; sed vt Naturali disciplinæ in primis vtiles, ac necessarios. Eorũ prę-cipua argumenta sunt; quia in hoc opere agitur de substantia, & de natura; de quibus prima disserit Philosophia. Deinde, quia Metaphysici negotij est demonstrare non dari Platonicas formas, quæ per se

Opinio existimantiũ 8. libros Phys. Metaph. esse.

Eorum rationes.

se extra singularia cohæreant; sed alias à materia quidem abiunctas, veruntamen singulares: hoc autem demonstrat Aristoteles in 8. huius operis, dum ostendit perueniendum esse ad substantiam vnã mutationis, & corporeæ molis expertem, à qua motus omnis deriuetur. Postremò quia initium librorum de cœlo illustre continet exordium toti Physiologiæ planè commune.

Improbatio superioris sententiæ.

Aduersaria tamen sententia omnino vera est, quã omnes tã Græci, quam Latini interpretes, & communis schola Peripateticorum amplectuntur, potestq; abundè confirmari testimonio Arist. qui in primo aditu huius operis differendum sibi ait de Physiologiæ principijs, quod in progressu lib. 1. diserte facit. Item quia tex. 8. & 12. docet nõ esse huius disciplinæ, dogmata Parmenidis, & Melissi coarguere; sed alterius superioris, idest, primæ, & diuinæ Philosophiæ. Accedit plana ratio; quia in toto hoc opere de principijs, & affectionibus entis mobilis potissimũ differitur. Quæ verò pro contraria parte afferuntur, momentum non habent. Ac primæ quidem, & secũdæ rationis explicatio satis liquet ex ijs, quæ superius quæst. 1. art. 5. & 6. docuimus. Summa est interdum Physicum, & Metaphysicum in eandem rem tractandam concurrere; vnũquemque tamen sub propria abstractione.

Rationum dilutio.

Ad 3. verò dicendum iccirco Arist. præclarum illud exordium libris de cœlo apposuisse; quia explicato ente mobili in cõmune, nouam ingrediebatur tractationẽ, quã ex abrupto inchoare nõ debuit.

Itaq; statuendum hosce octo libros, Physicæ ausultationis esse; cæterisque Physiologicis doctrinæ ordine præire. Continent enim cõmunia principia, quibus tota Naturalis Philosophia innititur, explicationemq; entis mobilis absolutè sumpti. Is autem in tradendis disciplinis ordo esse debet, (sicuti in Proœmio huius operis, & initio lib. de partibus animalium Aristoteles docet) vt ea primùm, quę maximè communia sunt pertractentur; deinde singula particulatim suis locis exponantur. Vnde facile iam erit intelligere materiã huic operi subiectam, esse ens mobile in commune, in suppositione simplici, idest, à suis partibus præcisum, atque in se duntaxat spectatũ. Qua ratione distinguitur à subiecto ... ti⁹ Physicæ, quod est ens mobile in suppositione absoluta, hoc est, tam secundum se; quam secũdum suas partes consideratum, vt D. Thomas, alijque interpretes animaduertunt.

Res subiecta octo Physicorũ libris.

Partitio huiꝰ operis.

Quæ autem vnicuiq; libro subiecta res sit, paucis habeto. In primo, agitur de tribus rerum Physicarum principijs, materia, forma, & priuatione. In secundo, de natura & naturalium rerum causis. In tertio, de motu, & infinito. In quarto, de loco, vacuo, & tempore. In quinto, de speciebus, vnitate, & contrarietate motuum. In sexto, de diuisione mòtus in partes, ex quibus cõstat. In septimo, denique & 8. inuestigatur primus motor, eiúsque attributa.

IN PRIMVM LIB. PHYSICORVM ARISTOTELIS.

Proœmium.

Lege D. Auguſt. in libro de natura boni c. 3. & in libris de ordine.

OVemadmodum in naturę vniuerſitate nihil ordine vel diuinius, vel ad ſpeciem pulchrius inuenitur; ita nihil eſt, quod cuiq; doctrinæ maiorem afferat ſplendorem, & dignitatem, quã rerum, quæ in ea traduntur, ordo, & diſpoſitio. Cuius deceſsione omnia quaſi artus ſine neruis, nexúque iacent, & in futilem, ac turbatam cõfuſionem diſſoluuntur. Hinc illa in Ariſtotelis Phyſiologia continuata ſeries, atque omnium partium ſeſe mutuò, & decenter excipientium, quaſi in vnius corporis ſtructuram, cõſpiratio. Quo certè Philoſophus, alioqui, in Acroamaticis præſertim libris, minimè perſpicuitatis affectator, illud eſt aſſecutus, vt rerum difficultatem artificioſa tractandi commoditate mirificè condierit, & quaſi affuſo lumine colluſtrarit. Hanc igitur doctrinæ ſuæ methodum, & ſeriem proponit Ariſtoteles in prima huius libri parte; quæ præfationem continet, & vno capite abſoluitur. Secundã verò, quæ reliquis octo capitibus comprehenditur, totam ad rerum Phyſicarum principia inueſtiganda confert: ita vt veterum ea de re placitis in medium adductis, principiorum numerum primò exquirat; deinde quæ tandẽ illa ſint, explicet. Porrò Alexander Aphrodiſienſis, initio libri ſecundi Metaphyſicorum, opinatus eſt eum librum eſſe toti contemplatrici Philoſophiæ commune proœmium: atque adeò ad hunc locum attinere. Nobis tamen contraria ſententia, quam omnes Græci, Latinique interpretes amplexi ſunt, omninò probatur; maximè cum ea, de quibus Ariſtoteles eo libro diſſerit, non ad Phyſicam, ſed ad primã Philoſophiam ſpectent, vt erit legenti perſpicuum.

Ariſtoteles diligentiſsimus ordinis obſeruator.

Methodꝰ doctrinę.

Capitis primi explanatio.

1 pronūtiatū.

2. pronunt.

VM in omnibus doctrinis a] Adhibet hoc cap. quoddã futuri ordinis præludium; & quam doctrinæ methodum in cõscribenda Naturali Philosophia sequi debeat, duobus pronuntiatis declarat; quorum vtrunq; accuratè confirmat. Primũ pronunciatũ est. In hac scientia à principijs ad ea, quæ principijs cõstant, pgredi oportet. Secundum, quod tradit tex. 4. ita habet. A communioribus ad minus cõmunia incedendum est. Prioris pronuntiati confirmationem ita ferè cõcludit. In omni doctrina, in qua sunt principia, causſæ, vel elementa rerũ, de quibus agitur, ex horum perceptione cognitio proficiscitur, ac scientia: sed Physiologia est doctrina, in qua sunt principia, causſæ, aut elementa naturalium rerum, de quibus in ipsa disseritur. In ea igitur ex horum perceptione cognitio, ac scientia comparari debet, proindéque ab his initium capere necesse est.

b Principia, aut causſæ] Est hoc loco nõ parua inter Latinos, Græcos, Arabésque dissensio quid sibi velint, quóue disideant tria illa, principiũ, causſa, & elementũ. Alexander Eudemũ secutus, & D. Thomas per principiũ, causſã agentẽ significari putant; per causſam, formam & finem, per elementa, materiam Auerroes & Albertus per principia, causſam efficientẽ: per causſas, finem: per elementa, formam & materiam intelligunt. Alij tria hæc eam dicũt inter se rationem habere, vt primum latius pateat secundo, secũdum tertio. In quo sẽsu interdum sumi apud Aristotelem patet ex cap. 12. & 3. lib 5. Metaphy. Sub hac verò notione acceptum principium definitur tum aliter in libro Poeticæ cap. 7. & lib. 5. de generatione animaliũ cap. 7. tum hoc modo, lib. 5. Metaphy. cap. 1.

Definitio prĩ cipij.

Principium est id, vnde aliquid est, fit, aut cognoscitur; sicq; non modò omnes causſæ, sed alia etiam multa, quæ causſæ non

Causſa quid. Elementum quid.

sunt, principia nuncupantur; veluti terminus, à quo generatio progreditur, qui principium est generationis, non causſa: item principium viæ, aliáque id genus complura. Causſa verò est, quæ confert esse rei, vel fouendo, & suscipiendo, vt materia; vel informãdo, atq; actuando, vt forma; vel efficiendo, vt agens; vel finalizando (liceat enim ita loqui) vt finis. Elementum autem est ipsa materia. Deniq; recentium interpretum nonnulli asserunt, etsi horum vocabulorum vnum ad vnum genus causſæ; aliud ad aliud interdum accommodetur; hoc tamen loco minimè id fieri, neque vt fiat, vllam esse rationem. Itaque idem singula, & vniuersa significare; nec nisi ornatus, vel maioris explicationis gratia, tria pariter adhibita fuisse; ac si diceret Aristoteles, quomodocunque causſæ nominentur, seu causſæ, seu principia, seu elementa: ab ipsarum cognitione reliquorum intelligentiam pendere. Nam quod illa pro eodem interdum vsurpentur, constat ex Timæo Platonis, & ex libro. 6. Metaphy. cap. 1. tex. 1. vbi Aristoteles docet in Mathematicis, & vniuersim in qualibet scientia contemplatrice principia esse, causſas & elementa, id est, initia quędam doctrinę; qualia sunt prima, & notissima effata, quę dignitates apellantur, quibus cętera tanquam fundamentis innituntur. Non designari autem eo loci omnia causſarum genera triplici illo vocabulo, inde perspicuũ est, quod non omnes scientię causſas omnes pertractant, aut ex omnibus demonstrant, vt annotauit hoc loco D. Thomas. Mathematicę enim solam formam in demõstratione assumũt; Metaphysica, finem, formã & agens; Physiologia omnia genera causſarũ. Harũ explicationum

ARISTOTELIS Physicorum.

LIBER PRIMVS.

CAPVT. I.

Textus 1.

VM a *in omnibus doctrinis, quarum sunt* b *principia, aut causſæ, aut elementa,* c *cognitio, & scientia ex horũ cognitione oriatur* d *(si quidem vnũquodque tum nosse arbitramur, cùm causſas primas nouerimus, & principia prima, et usq; ad elemẽta) patet Naturalis quoque scientiæ ea primùm definire oportere, quæ ad principia attinent.*

Insita

aum postremę duę magis placent; etsi reliquas minimè contemnendas opinemur.

c Cognitio & scientia] Nonnulli hoc loco per cognitionem, definitiuam notitiã; per scientiã verò, demonstratiuã significari putant; quod vtraque harum ex caussis habeatur. Hęc tamẽ interpretatio, si Græci contextus verba expendantur, parũ idonea, ac liberè excogitata deprehenditur. Verba enim εἰδέναι καὶ ἐπίστασθαι quę etiam 1. Metaph. cap. 2. repetuntur, vel ambo significant scientiam, quę habetur per caussas, nec nisi ad maiorem explicationẽ simul ponũtur, vt Simplicius, & Philoponus aiũt. Vel, vt putãt Auerroes, & Themistius, (quod tamen nobis minus probatur) primũ, hoc saltẽ loco, ad plura se fundit; quã secundũ: quia nimirũ illud omnẽ prorsus cognitionẽ, siue per caussã, siue alio quouis modo partã cõprehẽdit: hoc verò eã dũtaxat, quę propriè scientia vocatur; ac si diceret Arist. ex horum perceptione cognitionem fieri, ac scientiam, idest gigni cognitionem, non quamlibet; sed perfectam, & quę scientia ritè appelletur. Cognitio & scientia quo differant.

d Siquidem vnumquodq;] Maiorem propositionẽ syllogismi, quo primum effatũ probare cęperat, confirmat ex cõmuni hominum sensu, & opinione, quę veluti quędã tacitè loquẽtis naturę vox est. Tũc enim inquit, nos aliquid scire existimamus, cùm caussas primas, primaque principia vsque ad elemẽta cognoscimus. Assumptionem nõ probat, cuius rei caussam alij aliam reddunt. Simplicius putat iccirco eam Aristotelem hoc loco non probasse; quod in huius libri decursu multum operę in ea stabilienda collocaturus esset. Theophrastus tamẽ Aristotelicę scholę auditor, & successor, eã in hunc modum confirmasse dicitur. Omne corpus est compositum; quod autem compositum est, necessariò habet principia, & partes, ex quibus oritur, aut coalescit: atqui entia naturalia, quę Physiologia scrutatur, sunt corpora, vt manifestum est: sunt igitur cõposita, constantque principijs, & caussis. Ex quo tandem sequitur Physiologiam, doctrinam esse, in qua sint principia, caussę &c. Communis hominũ existimatio, qua si naturę vox

Textus 2. c *Insita verò naturaliter via est ex his, quæ nobis magis sunt nota, & manifesta ad ea, quæ natura sunt notiora, ac manifestiora. Non enim nobis, atque simpliciter eadem nota. Quapropter necesse est, vt hoc modo progrediamur, nempe ex his, quæ natura minus sunt manifesta, nobis autem manifestiora, ad ea quæ naturaliter magis sunt manifesta, & notiora.*

Textus 3. f *Quæ autem sunt magis confusa, primum nobis nota sunt & manifesta: post verò hæc diuidentibus elementa, & principia ex ipsis innotescunt.*

Quo-

e Insita verò] Hic etiam locus controuersus est, & in quo plerique interpretum dubia hærent sententia. Dicendum tamen probari nunc ab Aristotele posterius pronuntiatum; nempe, a communioribus ad minus communia procedendum esse. Quę est D. Thomę, & Philoponi expositio; licet aliter sentiant Auerroes, Themistius, & Theophrastus. Vt autem probationis vis eluceat, aduertendum est institutum Aristotelis esse explicare, à quibus nam principijs exordiri velit. Quia namque paulò ante à principijs progrediendum sibi esse dixerat; posset alicui in dubium venire, esset ne à principijs rerum communiorũ, an minus communium initia ducturus. Ait igitur consilium sibi esse, à rerum magis communium initijs auspicari. Oportere autem ita fieri, ex eo probat cap. 1. & 4. lib. 1. de partibus animalium; quia magnum in docendo vitium est sępius idem dicere; hoc verò effugere nemo potest, nisi à maximè communibus ad ima per inter media proficiscatur. Idem verò in præsentia ostendit cõglobata quadam argumentatione, quę tribus continetur syllogismis, in quorum vltimo propositum colligitur. Primus in hunc fere modum sese habet. A quibus insitum est à natura, vt progrediamur, ab ijsdem progrediendum est; hęc autem ratio, & via à natura nobis est insita, vt a notioribus nobis ad notiora natura progrediamur, ab ijs igitur progrediendum. Suppressa maiori propositione, minorem, & conclusionem exprimit; eam vtriusque caussam reddens; quia non sunt, inquit, eadem nobis, & simpliciter nota. Hoc verò effatum, in quo sensu verum sit, excutiemus postea. A communioribus ordiendum.

f Quę autẽ sunt magis] Assumptionẽ effert secundi syllogismi, qui in hanc formulã aptari potest. A notioribus nobis ad ea, quę natura sunt notiora, incedendũ est; sed nobis primũm ea, quę confusa sunt, notiora existunt; a confusis ergo incedere oportet. Maior propositio est superioris syllogismi conclusio. Minor suadetur, quoniã elementa, & principia, idest partes, quas totum in se confusè cohibet, ex diuisione totius innotescunt. Quod planè indicat rem totã

priùs sese exhibere cognoscendam, nobisque magis esse manifestam; quam partes, ex quibus constat. Nemo enim totum, quod ignorat, diuidit.

g Quo circa ex vniuersis] Conclusionem proponit tertij syllogismi, qui hoc modo concludi debet. A confusis proficiscendum est; cõmuniora sunt confusa; si videlicet cum singularibus, seu partibus, quas suo complexu continẽt, conferantur: à communioribus igitur ad singularia, seu minus cõmunia est proficiscendum. Maior est conclusio posterioris syllogismi. Minorem non expressit; quia satis perspicuum erat vniuersaliora tota quædam esse, quę sub se partes comprehendunt; alioqui vniuersalia non essent.

Tria indicia. h Etenim totum] Sequuntur tria indicia, seu similitudines, quas Aristoteles quorsum afferat, inter expositores non satis conuenit. Dicendũ tamen eò spectare, vt probet magis vniuersalia notiora nobis esse. Primũ indicium capitur à toto, quod sub sensus notionẽ cadit; hoc modo. Vt se habet sensus ad totũ sensibile; sic proportione quadam intellectus ad totum intelligibile; totum autem sensibile notius sensui est, quam singulæ partes; ergo & totum intelligibile intellectui. Atqui vniuersale respectu singularium est totum quoddam intelligibile; est igitur notius, quam singularia, seu quam minus vniuersalia.

g Quocirca ex vniuersis ad singula progredi oportet: h etenim totum sensu est notius. Vniuersum autẽ totum est quoddam: siquidem multa vt partes comprehendit.

i Sic autem & nomina] Secũdum indiciũ petitur a toto, cuius natura definitione explicatur; ita ferè. Quo pacto afficitur intellectus ad rem definitam, dum eã simplici modo significatam, & inuolutam adhuc percipit, & ad partes, quę naturam definiendo exprimunt, eodem afficitur ad totum vniuersale, & ad partes ei subiectas; siquidem vnũquodq; eorum totũ quoddam est: sed id, quod definitur, notius est intellectui, quã partes definientes: ergo & totũ vniuersale, quã partes subiectę. Minor propositio liquet ex eo, quod nihil in definitione promptius, priúsue mẽti occurrit; quam res ipsa, quę definitur. *Textus 4.*

i Sic autem & nomina, quodammodo affecta sunt ad definitionem. Totum enim quoddam, & non distinctè significant, vt circulus, at eius definitio diuidit in singula. *Textus 5.*

k Pueri quoque] Tertium affert indicium à progressu puerorũ in cognoscendo; quasi ita argumẽtetur. Ea sunt nobis notiora, quę pueri ductu, instinctúque naturę prius apprehendunt; sed pueri prius apprehendunt magis, quam minus communia: ergo & nobis magis communia notiora erunt. Assumptionem probat; quia pueri prius sub vaga, & confusa mentis notitia viros omnes patres appellant, & mulieres matres; deinde verò, cum iam ętatis accessu sese exerit, atque elucet vis rationis, ad distinctam procedunt cognitionem, resque sigillatim dignoscunt, & parẽtes appellant suos. Lege hac de re Ari. in probl. sect. 30. probl. 4. Galenum in lib. de form. fœtus.

k Pueri quoque] Tertium affert indicium à progressu puerorũ in cognoscendo; quasi ita argumẽtetur. Ea sunt nobis notiora, quę pueri ductu, instinctúque naturę prius apprehendunt; sed pueri prius apprehendunt magis, quam minus communia: ergo & nobis magis communia notiora erunt. Assumptionem probat; quia pueri prius sub vaga, & confusa mentis notitia viros omnes patres appellant, & mulieres matres; deinde verò, cum iam ętatis accessu sese exerit, atque elucet vis rationis, ad distinctam procedunt cognitionem, resque sigillatim dignoscunt, & parẽtes appellant suos.

Dubitatio. Hic fortasse quęrat aliquis cur Aristoteles à principijs, & causis; non autem ab effectis progrediendum sibi esse dixerit; maximè cum in rebus physicis notiora nobis sint effecta; quam causę? Vnde & qui primi Physiologiam inuenere, ab effectis ad causas progressi sunt, cum enim effecta cõtẽplarentur, eorumq; latentes causas ignorarent, in admirationem adducti

Responsio. ad causarum indagationem animum intenderunt. Sed occurrendum in naturalium rerum scientia comparanda alteram è duabus vijs iniri posse, nimirum inuentionis, vel auscultationis. Priorem tenuere Physicę inuentores: posteriorem consectari solent, qui partam iam, traditámve ab alijs scientiã ediscunt. Si igitur Physiologia primo modo acquirenda sit, haud dubiè ab effectis initium capere oportebit; siquidem qui Physicam veritatẽ inuentione propria inuestigant, primo aggressu in effecta incurrunt, vtpote quę se vltro sensibus ingerunt, ac fere semper notiora sunt, quam ipsorum causę, quę plerumque abditis naturę recessibus occultantur. Quod si eadem disciplina posteriori modo perfectè atque absolutè comparari debeat, à causis ducenda erunt exordia; propterea quòd qui alios rerum cognitione perfectè instituunt, ea prius explicant à quibus cętera pendent; hęc autem sunt principia & causę. Patet ergo cùr Aristoteles in hoc Auscultatorio opere, in quo exquisitę doctrinę ordinem sequitur, à causis, non ab effectis auspicandum sibi esse profiteatur.

QVAE-

QVÆSTIO. I.

AN PERFECTA CVIVSQVE rei cognitio omnium cauſſarum intelligentiam depoſcat.

ARTICVLVS I.

Quæſtionis diſſolutio.

HIus excitandæ cõtrouerſiæ occaſionẽ dedit Ariſt. initio ſuperioris capitis, cùm docuit tùm denique nos aliquid ſcire, cùm cauſſas primas, primáq; principia, etiam vſq; ad elementa, cognita habemus. Vt autem quid ſentiendum ſit dilucidè aperiamus, priùs à nobis varia cognitionum genera, quæ ad propoſiti explicationem attinent, in medium afferenda ſunt.

Cognitionũ igitur alia definitiua eſt, alia demõſtratiua. Definitiua dicitur, quæ definitione cõparatur; demõſtratiua, quæ demõſtratione acquiritur. Nõ ſumitur autẽ à nobis hoc loco definitio, & demõſtratio fuſo nominis ſignificatu; ſed ita vt eã dũtaxat definitionẽ, quæ ſubiectæ rei naturam declarat; & eam ſolùm demonſtrationem, quæ ex cauſis procedit complectamur. Enimverò demonſtrationes ab effectis, imperfectæ ſunt, & quaſi inchoatæ; item verò definitiones, quæ rei eſſentiam non attingunt, quædam potius ſunt adumbrationes rerum; quam definitiones. Deinde harum cognitionum vnaquæque bipartitò diſtribuitur, nimirũ in ſimpliciter perfectam; & in eam, quæ in certo genere ſiue cauſſæ, ſiue ſcientiæ, perfecta nũcupatur. Rurſus cognitio vniuerſim accepta, aut eſt comprehenſiua rei; aut non comprehenſiua. Cõprehenſiua, vt explicat D. Tho. 1. part. q. 12. art. 7. & 3. contra gentes cap. 55. dicitur, qua res cognoſcitur, quantum ex ſe cognoſcibilis eſt. Non comprehenſiua verò, quæ non ita ſe habet.

Quę ſit cognitio definitiua.

Quę demonſtratiua.

Quę comprehenſiua.

Que non cõprehenſiua.

Illud præterea obſeruandum eſt ex Ariſtotele 2. lib. huius operis cap. 5. tex. 50. & 5. Metaph. cap. 2. tex. 3. cauſſarum alias eſſe per ſe, alias per accidens. Cauſſæ per ſe vocantur, à quibus per ſe effecta pendent, quo pacto homo progeniti ab ſe hominis cauſſa eſt; & pictor eius imaginis, quam depinxit. Cauſſæ peraccidens dicuntur, à quibus non per ſe pendent effecta; quo modo grammaticum Sophroniſci, eſt cauſa Socratis; & muſicum Apellis, cauſa picturæ.

Modos alios cauſarũ per ſe & per accidens habes apud Ariſto. locis hîc cit. lege etiã D. Tho. in lib. de cauſis c. 1

Cauſę alię p ſe.

Alię per accidens.

His poſitis ſit prima aſſertio. Nec demonſtratiua, nec definitiua rei cognitio, cauſſarum per accidẽs intelligentiam requirit. Hęc aſſertio eſt philoſophorum cõmunis. Probatur verò ex eo, quia teſte Ariſto-

Prima aſſer.

Aristotele 2. Metaph. cap. 1. tex. 4. vt se habet esse cuiusq; rei; ita & eius cognitio; nullius autē rei esse pendet simpliciter à causis per accidens. Accedit quod eiusmodi causſæ, cùm pro circunstantiarum occursu varientur, & earum complures in vtrāq; partem eueniant; nequeunt sub certam mentis notionem cadere; proindeque nec ad definiendum, nec ad demonstrandum assumi debent.

2. assertio. Secunda assertio. Ad definitiuam cognitionem absolutè perfectā exigitur, sufficitque omnium causſarum internarum perceptio: ad demonstratiuam verò absolutè perfectam, omnium tàm internarū, quàm externarum causſarum notitia necessaria est. Huius assertionis prior pars, etsi à quibusdā negetur; omnibus tamen melioris notæ philosophis probatur. Suadetur verò ex eo, quia cognitio definitiua est, qua rei natura cognoscitur: rei autem natura omnibus, ac solis internis causis continetur. Posterior, quæ inter philosophos communior est, traditùrque ab Auerroe in proœmio huius lib. tex. 1. & à Iand. hoc loco q. 3. ea ratione ostenditur; quia cognitio demonstratiua est, qua cognoscimus causſam, ob quam res est; vnumquodque autem non ob solas internas causſas est; sed ob externas etiam. Vnde Aristoteles 2. huius operis lib. c. 7. tex. 70. & 8. Metaphy. cap. 4. tex. 12. docuit Physicum per omnia causſarum genera demonstrare: & 2. posterioris Analyticæ c. 11. tex. 11. nullū causſę genus à demonstratione excludit.

Idem astruit Auerroes & AEgidius Romanus.

3. assertio. Tertia assertio. Cognitio definitiua in certo scientiæ genere perfecta, sola causſarum internarum, quæ ad eiusmodi scientiā attineant, perceptione contenta est: demonstratiua verò, etiam externas; quæ tamen alterius facultatis non sint, expoſcit. Hæc assertio perspicua videtur; siquidē à qualibet scientia, eæ duntaxat causſæ, quæ ad eam spectant, postulandæ sunt; alioquin cogerentur artifices extra res sibi subiectas vagari, & in alienos terminos irrūpere. Ex quo intelliges posse Physicū perfectam rerum naturalium obtinere sciētiam, perfectam, inquam, in suo genere; esto communia quædam earum attributa, quorum conceptus materiam non includunt; atque adeò physicæ considerationis metam excedunt, non pernoscat: vt quid substantia sit, quid ens, aliáque id genus, quæ tametsi ad rerū naturaliū essentiā pertineāt; sunt tamē Metaphysici negotij, vt fuit à nobis alibi explicatum. a Id, quod diximus de cognitione in certo sciētię genere pfecta, similiter de cognitione perfecta, in certo causſæ genere accipiendum erit. Nec enim vt quis, verbi gratia, obtineat hominis cognitionem perfectam in genere causſæ materialis, oportet formalem causſam asciscere, vt satis patet.

a In proœm. huius operis q. 2. art. 4. & 1. Metaphy. q. 1. art. 1.

4. assertio. Quarta assertio. b Cognitio comprehensiua rei non solùm perceptionem omnium eius causſarum; sed etiam effectuum, quos possit edere, & proprietatum ac virium, quæ essentiam consequuntur, & denique omnium perfectionum, quæ in naturali eius potentia continentur, efflagitat. Hæc assertio astruitur à D. Thom. 1. p. q. 12. art.

b Pro hāc cō cl. lege Dur. in 1. d 35. q. 1. Aliacensē itē in 1. q. 3. ar. 1. Gabri. q. 7. & in 3. d. 14. q. 1. a 3. dub 2. Ochamū in 4. q. 13. Capr. in prol. q. 1.

art. 7. & 2. lib. contra gentes cap. 1. alijsque in locis; potestque ex eo probari, quia cognitio comprehensiua, vti diximus, est ea, qua res cognoscitur, quantum ex se cognoscibilis est; vnũquodque autem ex ijs omnibus cognosci potest, ac debet: siquidem dùm aliquid horum nos latet, non circunspicimus fines rei; quos tamen circunspicere debere eum, qui rem comprehendit, affirmat D. Augustinus in lib. de videndo Deum ad Paulinam cap. 9. Intellige autem (quod aduertit Durandus in 1. d. 35. q. 1.) debere à comprehendente, fines circũspici; vel positiuè, modũ terminumvè statuendo, vti accidit in comprehensione rei creatæ; vel negatiuè, remouendo excessũ; quo pacto res habet in cõprehẽsione, qua se ipsũ Deus cõprehendit, qui essentiæ suæ metam non attingit; cùm illa nullis perfectionum limitibus definita sit, & actus, perfectióque diuinę essentiæ, diuinę cognitionis actũ nõ excedit; sed vtraq; alteri ex æquo respõdet. D. August.

Diximus porrò ad comprehensionem exigi notitiam perfectionum; non omnium; sed quæ in naturali rei potentia continentur; quia quæ ad potentiam, quæ obedientiæ dicitur, spectant, vt vnio Verbi diuini respectu humanitatis, lumen gloriæ comparatione intellectus creati, aliaq; eiusmodi, quemadmodum supra naturã eminent; sic ad comprehensiuam eius notionem, non requiruntur. Imò neque ad illam deposcenda est cognitio omnium effectorum naturalium singulatim; sed eorum duntaxat, quæ sunt speciè distincta; quia indiuidua sub qualibet specie, possunt esse nõ tot, quin plura; ideoque sub scientiam nõ cadunt: atque omnia eiusdem speciei sunt perfectione essentiali æqualia; proindéque in caussa non requiritur ad vnum virtus diuersa ab ea, quæ ad alia: at species sub eodem genere nec in infinitum multiplicari possunt; saltem hoc mundi statu, semperque alia essentiali perfectione, aliam excedit, iuxta illud Aristotelis 8. Metaph. cap. 3. tex. 10. species sunt veluti numeri. Quare quo plures fuerint, eo maiorem diuersámque in sua caussa arguent perfectionem; atque adeo earum cognitio ad illius vim comprehendẽdam exigetur. In singularibus verò non ita res habet.

Lege d. Tho. 1. p. q. 12. ar. 8.

Comprehensiua cognitio non requirit notitiam omnium effectorum singulatim.

Lege Fonsecam 5. Metaph. c. 28. q. 16. sect. 2.

ARTICVLVS II.

ARGVMENTA, QVIBVS, EA, quæ proximè asserta sunt, oppugnari possunt.

SEd aduersus ea, quæ articulo proximo statuimus, nonnulla sese offerunt argumenta. Primum est. Accidens, teste Aristotele 7. lib. Metaph. cap. 1. nequit sine substantia perfectè definiri, sicuti nec sine illa perfectè intelligi: & tamen substantia non est interna; sed externa caussa accidentis. Non igitur definitiua cognitio sola caussarum internarum perceptione contenta est. 1. argumen-

Secun-

2. argumen. Secundum, Quemadmodū multò perfectiùs ex demonſtratione cognoſcimus affectionē ſubiecto conuenire, cùm non ſolū internas, ſed externas etiā cauſſas penetramus; ita multò abſolutiùs quid res ſit per definitionē intelligimus, cū eius nō modò internas cauſſas; ſed externas ſimul comprehendimus; alioqui ſuperuacaneum eſſet externas cauſſas internis in definitione adiungere; quod tamen philoſophi non rarò faciunt. Vnde Ariſtoteles ipſe 1. poſteriorum c. 2. demonſtrationem, per finem; & in lib. 2. de anima c. 8. tex. 90. vocē, per cauſſam efficientem definit. Non minus igitur ad definitiuā; quam ad demonſtratiuam cognitionē, externæ cauſſæ requiruntur.

3. argumen. Tertium, Nulla cauſſa externa vendicat ſibi nexum indiſſolubilem, ac neceſſarium cum affectione, quæ demonſtratur: igitur nulla earum adhibenda erit in propoſitione æternæ veritatis. Quare cùm demonſtratio ex neceſſarijs conſtet, docente Ariſtotele 1. poſteriorum cap. 6. planè ſequitur nullam cauſſam externam in demonſtratione aſſumi poſſe. Primum pronuntiatū ſuadetur ex eo, quia omnis cauſſa externa aut eſt finis, aut efficiens, aut exemplar; quorum omnium cauſſalitas exiſtentiam rei ſpectat; nec ab illa abſolui poteſt: ſiquidem efficiens eſt à quo oritur actio, qua res producitur; finis eſt, cuius gratia fit aliquid; denique exemplar definitur id, quod efficiens imitatur.

4. argumen. Quartum, Tam definitio, quam demonſtratio, ingenerant mentī notitiam neceſſariæ connexionis inter prædicatum, & ſubiectum. Hæc autem connexio non videtur eſſe aliud, quam relatio quædam rationis, quæ proinde in natura rerum propriè cauſſam non habet. Nulla igitur prædictarum cognitionum ex cauſsis cōparari poteſt.

5. argumen. Quintum, Vt eſt commune philoſophantium proloquium, eſſētiæ non habent cauſſas; ergo cognitio, qua rei eſſentia cognoſcitur; cuiuſmodi eſt definitiua; non poterit per cauſſas obtineri. Alberti 1. dē cauſsis vbi citat Auicennā Algazellē & Alpharabiū, d. Thomę 1. contra gent. c. 52. Capreoli in 1. d. 8. q. 1. ar. 1. Sō cinatis 5. Metaph. q. 10.

6. argumen. Sextum, Nihil comprehenditur, niſi quod quantū ex ſe cognoſcibile eſt, cognoſcitur? Nulla igitur omninò res eſt, quæ ſub intellectus creati comprehenſionem recidat. Probatur conſecutio; quia nihil, vel à noſtra, vel ab angelica mente tam perfectè intelligitur; quin à Deo infinitè perfectiùs intelligatur.

7. argumen. Septimum, Si ad perfectam rei comprehēſionem oporteret omnes eius cauſſas percipere, ſequeretur materiam primam à nullo intellectu creato comprehendi: quod tamen falſum eſſe ex eo conſtat; quia alioqui proprium Dei non eſſet, comprehenſionem effugere. Conſecutio oſtenditur; quia nullus intellectus creatus naturæ viribus intelligit infinita: at materia prima habet eſſentialem ordinē ad infinitas formas ſpecie differentes, à quibus per ſe pendet. Nec enim eas tantùm reſpicit, quas vſitato naturæ curriculo ſuſcipit; ſed illas etiam, quæ in eam diuina virtute induci queunt; ſiquidem cū qualibet earum, vt cum ſuo proprio actu, non ſecus ac cū ijs, quas nunc recipit, in vnius compoſiti naturam coire poteſt.

Octa-

Octauum, In disciplina Aristotelis, qui mundum finxit ab æterno, Bucephalus Alexandri habuit infinitos progenitores; atqui nõ solùm ab eo, à quo proximè fuit genitus; sed ab illis omnibus pendet, vt à caussis per se; quandoquidẽ id, quod est per se caussa caussæ, est etiam per se caussa effectus: ergo si ad comprehendendũ Bucephalum requiritur notitia omnium caussarum per se; cùm illæ infinitæ sint; à nullo creato intellectu comprehendi poterit, vt proximè argumentabamur. 8. argumen.

Nonum, Ex eo D. Thomas, alijque Theologi probant, animam Christi omnia effecta (non excipiendo singularia) quæ in potestate cuiuslibet rei creatæ sunt, cognoscere; quia alioqui non omnes res creatas comprehenderet. Igitur ad comprehensionem, necessaria est perceptio omnium effectorum, non solùm in specie; sed in singulari etiam, quod negabamus. 9. argumen.

Lege D. Tho. 3. p. q. 10. art. 2. & 3.

ARTICVLVS III.

SVPERIORA ARGVMENTA nihil conficere aduersus ea, quæ articuli primi assertionibus continentur.

HIsce argumentis hoc modo occurrendum erit. Primo quidem admittendo caussas externas nonnunquam ad definitiuã cognitionem deposci; non quidem per se; sed qua ex parte rei definitæ essentiam terminant; quo pacto se habet substantia comparatione accidentis. Vnde huiusmodi caussæ à nonnullis, externę quidem rei; sed internæ definitionibus, dici consueuerunt. Quod verò de substantia respectu accidentis dicimus; pari ratione intelligi debet de actibus, & obiectis respectu potentiarum; itemq; de relatis, quorum vnum reciproca vicissitudine altero ad sui definitionẽ & notitiam indiget. Solutio 1.

Caussę quędã externę rei, in ternę definitionibus.

Ad secundum, sunt qui propositum admittant, fateanturque definitiuam cognitionem externas etiam caussas requirere. Sed nõ rectè iudicant. Etenim cùm essentia cuiusque rei solis internis caussis contineatur; non est cur ad sui notitiam externarum caussarum opẽ asciscat. Nec verò quod hæ ad illas cognoscendas adiumento esse soleant; ideòque pariter nonnunquam in definitione assumantur; iccirco earum perceptio ad definitiuam cognitionem absolutè necessaria censeri debet. Alioquì proprietatum quoque & effectorũ obseruatio, ac notitia (quod ijdem tamen auctores negant) ad eandem poscereturcùm hæc, teste Aristotele 1. de anima cap. 1. tex. 11. ad rerum essentias inuestigandas, & peruidendas multum conferant. Solutio 2.

Videlicet cùm hoc loco de cognitione definitiua disputamus, nõ ea, quæ nos ad inueniendam, vel adumbrandam rei essentiam subsidiaria ope iuuent, aut quoquo modo manu ducant, inquirimus; hæc enim latissimè patent; sed quæ nam illa sint, in quorum perceptione cognitio definitiua, siue essentię notio per se consistat; quæ profectò sunt caussæ internæ duntaxat. Nam qui has perspectas habet, nihil essentiæ inexploratum reliquit. Itaque negandum est perfectiùs, hoc est, plus essentiæ comprehẽdere, qui etiã extraneas caussas complectitur; siquidem extraneæ, extra essentiam sunt. At in demonstratiua cognitione secus accidit; cùm enim demonstrationis munus sit explicare propter quid prædicatum subiectæ rei conueniat; cùmque illud tum ob internas, tum ob externas caussas conuenire possit; debuit sanè demonstratio, & quam ipsa gignit, demonstratiua cognitio, nullum caussæ genus, à quo prædicatũ per se pẽdeat, aspernari.

Munus demõstrationis.

Solutio 3.

Ad tertium, dicendum in primis dubium non esse, quin per caussam etiam efficientem, finẽ, & exemplar demonstrari possint enuntiationes, in quibus Physica tantum necessitas insit; cuiusmodi sunt in Naturali philosophia, & Medicina non paucæ, vt æstiuo tempore magnum esse calorem, morbos Autumni difficilè curari. Deinde addendum, pronuntiata etiã absolutæ necessitatis haud dubiè demonstrari posse per caussam formalem externam, quæ mensurat essentiam rei, vt antecedit omnem existentiam, cuiusmodi sunt obiecta respectu potentiarum, & habituum, ideæque diuinæ, quas speculatrices vocant, præintelliguntur q; ipsi diuinæ arti respectu creaturarum. Denique per efficientem, & finem demonstrari posse de quauis re, quæ creari potest, ipsam creabilem esse, factibilemve à Deo propter ipsum. Præterea, vt in totum argumento satisfaciamus, dicimus si caussæ externæ spectentur non prout actu exercent caussalitates suas sub actu existentiæ, quo pacto ab Aristotele definiuntur; sed secundum se; posse tunc effecta etiam absolutè necessaria obtinere ad illas (si item simpliciter necessariæ sint) ordinem necessariæ dependentiæ, perpetuamq; connexionem cũ eisdem; atque adeò per eas demonstratione perfecta ostendi.

An caussæ externæ requirantur ad cognitionẽ demõstratiuã.

Solutio. 4.

Ad quartum, omissa maiori propositione, dicendum est cum Sõcinate 6. Metaphys. quæst. 19. illam necessarij prædicati cum subiecto connexionem (quando necessitas est absoluta) formaliter quidem esse relationem rationis, quæ in rebus propriè caussam non habet; materialiter verò esse ipsa extrema, vt vnum alteri connectitur; quæ extrema, vt caussas habere possunt; ita & per eas demonstrari. Cùm igitur connexionum caussas ex demonstratione tenere dicimur; connexio non formaliter, sed materialiter accipienda est.

Solutio. 5.

Ad quintum dicito, effatum illud philosophorum negantium essentias habere caussas, non esse intelligendum de caussis internis,

sed

sed de externis; imo neque de ijs in vniuersum, vt ex tertij argu-
Lib. 2. huius operis. menti solutione constat, & suo loco explicatiùs dicetur.

Sextum, cui succubuit Ochamus in 4. distinc. 13. aiens creatu- Sola. 6.
ram à solo Deo comprehendi, facilè à nobis diluetur, si priùs aduer-
De varijs modis quibus res dicuntur cõprehendi Gabr. in 1. d. 3. q. 7. & in 3. d. 14. q. 1. ar. 3. terimus rem quanlibet ab vno intellectu cognitam, dupliciter ma- Bifariam aliquid cõprehenditur.
gis cognoscibilem dici. Nimirum, vel quod adhuc ab alio perfectio-
ri intelligi possit, quod vocant magis cognoscibile ab extrinseco; Vel sũma cognitione, quę esse potest.
quo pacto leo cognoscibilior est ab angelo, quam ab homine, & à
Deo quam ab angelo; vel quia perfectio ipsa, modusve rei cognitę, Vel sũma quã res poscit.
non absolutè attingitur, & penetratur à facultate intellectrici, siue
quod eius captum exuperet, siue alia de caussa: quod cognoscibili-
us ab intrinseco appellari consueuit; sicque diuina natura, ob infini-
tam suæ dignitatis amplitudinẽ, amplius ex se intellectilis est, quam
à re vlla creata percipi queat. Vnde est illud D. Gregorij lib. 1. in
Ezechielem homil. 8. quãtuncunque mens in contemplatione Dei
profecerit, non ad illud, quod ipse est; sed ad illud, quod sub ipso
est, attinget. Hoc posito respondetur argumento, sat esse ad com-
prehensionem, si res, quantum ab intrinseco cognoscibilis est, per-
cipiatur; sic enim comprehensionis definitio intelligi debet, atque
hoc modo posse creaturam vnam quantum cognoscibilis est, ab alia
cognosci.

An natura plures, quam quod fecit, facere species queat pertractat AEgidius quodl. 6. q. 8. Scotus in 1. d. 2. q. 2. Bargius d. 1. q. 2 Ad septimũ, omissa longiori disputatione, dicendũ, vt quis na- Solu. 7.
turali cõprehensione, de qua hîc agitur, materiã comprehendat, sat
esse percipere formas omnes, quæ hoc mundi statu viribus agentiũ
naturalium in eam induci possunt, quas definito numero contineri
communis est philosophorum sententia tradita ab Aristotele 2. lib.
Metaph. cap. 2. & à Platone in Philebo. Neque officit, quod mate-
ria, vt argumentum concludit, naturali propensione eas etiam for-
mas physicas respiciat, quas ab alijs agentibus naturalibus, quæ à
Deo crearentur, recipere possit. Vt enim illæ ad ordinem, cursúm-
que vniuersi, prout nunc se habet, non pertinent: ita neque earum
cognitio ad materiam, pro hoc statu, comprehendendam exigenda
est. Quod si quis pressius vrgeat, saltem si materia absolutè spectetur, abstrahendo eius considerationem ab hoc, aut illo rerum statu (quo pacto, vt omnes naturales formas sine exceptione æquè respicit; ita omnes ad perfectam sui notitiam requirit) si quis inquã vrgeat, materiam ita sumptam non posse vi naturæ ab intellectu creato omnibus numeris absoluta comprehensione intelligi. Occurrendũ erit verũ id quidẽ esse, neq; debere absurdũ videri, quod aliqua creatura eo modo nõ cõprehendatur. Nõ enim propriũ Dei est naturali vi intellectus creati non posse comprehendi; sed neque naturali, neque supernaturali vi ab vllo, præterquam à se comprehendi posse. Atque huic etiam argumento tanquam corollarium damus non posse magnitudinem perfectissima illa notione ab intellectu creato cõprehendi, cum per se pendeat ab infinitis partibus, ex quibus coa-

lescit. Quanquam vt humano more comprehendatur satis sit cognoscere eas partes, in quas vi naturæ secari potest, ita vt peracta diuisione maneant, quæ haud dubiè certo numero continentur.

Solutio 8. Ad octauum, dicendum equos cõtentos in illa serie progenitorũ Bucephali ante eius parentem, licet sint causſæ per se; non tamẽ esse per se, siue essentialiter subordinatas; sed per accidens; quandoquidem indepẽdenter omninò ab actuali eorum concursu, qui tunc minimè extabat, Bucephalus à suo parẽte genitus est, perinde ac si ipsi nunquam præcessissent. Ad perfectam verò rei cognitionem nõ requiri notitiam causſarum per accidens subordinatarum; licet alioqui sint causſæ per se.

Solutio 9. Ad nonum, respondendum est D. Thomam, cæterosque Theologos, dum probatione illa vtuntur, non loqui de communi, & quasi vulgari comprehensione, quam diximus omnium singularium notitiam non requirere; sed de alia multò nobiliori; quæ eminentem animæ Christi dignitatem, & excellentiam decet.

QVÆSTIO. II.

QVÆNAM SINT NOBIS notiora cognitione distincta.

ARTICVLVS I.

QVID, ET QVOTVPLEX SIT cognitio distincta, & confusa; & quo pacto vtraque ad alteram se habeat.

VEmadmodũ poetæ fabulis, Pythagorei philosophi symbolis, Platonici mathematicis; sic Aristoteles orationis breuitate arcana Philosophiæ obtexit, & obscurauit; id verò tũ sæpe aliâs, tum, vt interpretes aduertunt, in hoc procœmio, cùm de ordine singularia & vniuersalia cognoscendi, disseruit. Quocirca de ijs erit à nobis in præsentia paulo fusius agendũ. Vt autem tota hæc disceptatio explicatior sit, priùs de cognitione distincta & confusa vniuersè, ac generatim disputabimus. Totũ igitur, vt de eo quidem nunc agimus, duplex est, vniuersale, & essentiale. Totum vniuersale est, quod ad partes subiectas refertur, vt animal ad hominem & belluam: dicitur verò à Proclo propositione 67. totum in partibus; ab alijs totum potentiale, eo quod partes in sua potestate cohibeat. Totũ essentiale est, quod refertur ad partes essentiæ, vt homo ad materiam & formam; vocaturque à Proclo, loco citato, totum ex partibus; ab alijs totum actuale; quod partes in se actu

Testatur Iamblichus initio lib. de mysterijs. Cic. 1. de nat. deor. Laertius in Pythagora. Bessario lib. 1. cõtra Calumn. Platonis c. 2.

Totũ duplex Vniuersale.

Essentiale.

actu comprehendat. Nomine partium intellige hoc loco non eas tã-tum, quæ propriè partes dicuntur, ſed etiam, quæ vtcunque modũ partium habent, quo pacto genera ſumma partes eſſentiæ habere dicuntur. Qua de re poſtea.

Quia verò totum in cognoſcentis potentiæ notionem dupliciter cadit; diſtinctè videlicet & cõfuſè; fit vt notitia totius bipartita ſit; diſtincta vna, confuſa altera. Diſtincta eſt, qua totum omnibus, quę in eo continentur, enucleatè inſpectis, cognoſcimus; veluti cũ hominem ſic intelligimus, vt explicita perceptione cuncta eius eſſentialia prædicata teneamus. Confuſa eſt, qua totum ijs, quæ in eo cõtinentur, promiſcuè tantũ ac permixtim cognitis, apprehendimus. Deinde cognitio diſtincta, aut eſt, qua totum actuale; aut qua totũ vniuerſale dearticulatè & diſtinctè cognoſcitur. Illam diſtinctam actualem; hanc diſtinctam potentialem, philoſophorum vſus vocat: totidemque modis confuſa cognitio diſpertiri debet. Ita fit, vt quatuor hoc loco ſtatuenda ſint cognitionũ genera. Confuſa actualis, & confuſa potentialis; diſtincta actualis, & diſtincta potẽtialis.

Lege Platonem 4. de Repub.

Duplex cognitio.

Diſtincta.

Confuſa.

Eſt autem inter huiuſmodi cognitiones non parum diſcriminis. Nam confuſa diſtinctam præi, vt aſſeruit Ariſtoteles cap. 1. huius libri tex. 2. D. Auguſtinus ſexto Muſicæ, Dexippus lib. 2. quæſtionum in categorias cap. 6. cæterique philoſophi communi aſſenſu. Id verò inde confirmat Scotus in 2. diſtinctione 3. quæſt. 2. quia progreſſus naturæ eſt ab imperfecto ad perfectum per medium; confuſa autem cognitio quaſi medium eſt inter ignorationem & inter notitiam diſtinctam. Denique idem teſtatur experientia; ſiquidem prius in quodlibet totum incurrimus, quam ea, quæ in ipſo continentur, particulatim diſtinguamus; ſicque naturæ exploratores prius compoſita naturalia ſub adumbrata & imperfecta notione intellexere; deinde ex eorundẽ ſectione ad partes & elemẽta progreſſi ſũt.

Diſcrimẽ inter cognitionem confuſam, & diſtinctam.

Differunt præterea, quia cognitio diſtincta actualis poteſt cum confuſa potentiali conſiſtere; itemque diſtincta potentialis cum cõfuſa actuali; ſi quis enim animalis definitionẽ calleat, & interim ſpecies, quæ ſub illo ſunt, ignoret; is & cognitionem diſtinctam actualem, & confuſam potentialem animalis pariter obtinebit. Contrà verò ſi omnes animalis ſpecies cognitas habeat, & eius definitionem neſciat, habebit vtique cognitionem diſtinctam potentialem, & cõfuſam actualem eiuſdẽ. At neque confuſa actualis cũ diſtincta actuali; neque confuſa potentialis cum diſtincta potentiali ſimul cohærere poſſunt; vt præter alios aduertit Scotus in 1. diſt. 2. q. 7. Quod tamen de vno eodemq; mentis actu intelligi debet; in diuerſis enim ſimul reperiri nihil vetat. Nam, qui huiuſmodi enuntiationem, Homo eſt animal rationale, animo effingit; hominis conceptum & cõfuſum & diſtinctum vna elicit. Confuſum, prout hominem ex parte ſubiecti per ſe apprehendit; diſtinctum, quatenus eius partes, nẽpe animal, rationale, ex parte prædicati expreſsè concipit.

Alid diſcrimen.

Sunt

Quorũdam sentẽtia de cognitione distincta & cõfusa.

Sunt tamen, qui in his, alijsque id genus pronuntiatis rem nullo modo confusè, sed distinctè percipi arbitrentur; propterea quod illis ita res percipiatur, vt eius partes animo lustrentur: cognitionẽ autem confusam talem esse volunt, vt partium notitiam non ab eodem solum, sed à quocunque alio conceptu, qui tunc menti insideat, prorsus excludat. Id quod etiã ex eo videtur confirmari posse, quia si cognitio distincta in eodem intellectu confusam admitteret, æqua ratione actus scientiæ, opinionis actum secum etiam pateretur; cùm vtrobique par dissidium occurrat. Sicut enim ex eo quod Socrates idem simul opinaretur & sciret, sequeretur eum eidem rei vt potest, & vt non potest aliter se habere, assensum dare: ita si idem pariter distinctè & confusè percipiat, fiet vt idem lustrando ac non lustrando partes simul apprehendat; quæ non minus sibi aduersantur.

Ratio.

Responsio.

Verùm etsi non multũ omninò referat vtrum in hac controuersia dicatur; cùm vtrunlibet æqua ferè probabilitate dici possit; hæc tamen ratio propositum non euincit, vtpote, quæ neque verum assumit, neque assumptum probat. Non enim eodem modo se habet cognitio distincta ad confusam, quo scientia ad opinionem; vt iam hinc perspicuum erit. Nam ex eo quod Socrates partes, verbi gratia, hominis vno conceptu penetret, alio non; consequens ideo non est, vt existimet hominem habere, & non habere partes; siquidẽ ea existimatio in eiusmodi cognitione confusa, & distincta nec expressè, nec implicitè continetur.

Actus scientiæ & opinionis cur simul nõ cohæreant.

At si vno actu pariter, sciret, altero opinaretur hominem esse risibilem; simul, saltem virtute & implicitè, putaret hominẽ nõ posse non esse, & posse non esse risibilem. Ea est enim opinionis & scientiæ vis, ac natura; vt constat ex ijs, quæ primo lib. posterioris Analyticæ cap. 26. docuit Aristoteles. Vnde iã videre licet ex actu opinionis & scientiæ, non autem ex cognitione distincta & confusa in eodem intellectu cohærentibus, sequi pugnantia.

Est & alia dissimilitudinis ratio in prædictis. Nam cùm quis actũ elicit scientiæ, medium demonstratiuum, quo vtitur, iure nobilitatis trahit ad se rationem probabilem, siqua tunc menti occurrit, eãque, tanquam aduentitiam opem, sibi adiungit, vt ambo ad vnum actum scientiæ conspirent. Atque ita fit vt ratio probabilis à medio demonstratiuo cohibita, in proprium effectum non erumpat; ac denique vt, vel ob hanc causſam, actus scientiæ & opinionis vna constare in eadem mente non possint. In cognitione autem confusa & distincta secus accidit; quia cùm animal, verbi gratia, per se intelligimus, & eius itidẽ partes sigillatim contuemur; ad huiusmodi perceptiones nõ assumimus (sicuti cũ ex necessarijs, & probabilibus argumentamur) aliqua media præcurrentia, quorum vnũ asciscere sibi alterum possit, & ad suum duntaxat effectum producendum transferre.

ARTI-

ARTICVLVS II.

POSSE COGNITIONEM DIstinctam vno simplici conceptu haberi.

ILlud præterea in hac disceptatione à nonnullis in dubium vocatur; Num distincta rei cognitio vnico simplici conceptu haberi possit, an plures necessario requirat? Ac sanè quidem si de angelorum cognitione agamus, citra ambiguitatem est non exigere plures; cùm angeli perspicaci simplicitate cuncta intelligant, eodemq; intuitu hominem, verbi gratia, & essentialia eius prædicata comprehendant; vt ex D. Dionysio 7. capite de diuinis nominibus, præter alios, edisserit D. Thomas 1. p. q. 58. art. 4. Quod item dicendū esse de illa cognitione, qua beatæ mentes omnia diuina naturæ attributa intuentur, communis est Theologorum sententia. Dubitatio. D. Dionysius.

Cæterum num idem homini in hoc vitæ statu interdum accidat, haud satis liquet. Nobis tamen pars affirmatiua magis placet, quam amplectitur Herueus quodlib. 7. q. 12. Et Caietanus ad cap. 3. libri de ente & essentia. Nam cùm sensus videndi (vt ait Henricus Gandauensis quodlibeto 8. q. 33. & quodlibeto 15. q. 6.) vnico obtutu multa distinctè percipiat, veluti cùm duos lapides propè intuemur; quid causæ erit, cur non idem intellectrici potentiæ concedatur? Præterea, cur animal rationis particeps, prout est hominis definitio, non vno mentis actu distinctè concipiemus? an quia, quæ distinctè cognoscimus necessariò vt plura concipimus; cùm illa particulatim exploremus? quæ verò vno actu cõplectimur, non vt plura, sed vt vnum apprehendimus; quia plura, qua plura, neque simul intelligi, neque simplicem actum terminare queunt? At si huiusmodi ratio concluderet, neque in angelicam mentem distincta cognitio sub vno actu caderet. Occurrendum igitur est, ea, quæ conceptum simplicem distinctum terminant, & vt plura & vt vnũ sumi; vt plura, in se ipsis; vt vnum, quatenus vnius obiecti rationem habent. Ita verò præstari eidem conceptui, tum simplicitatem, tum distinctionem; illam ab vnitate obiecti; hanc à multitudine rerum, quas enucleatè cognoscimus. Est autem vnitas obiecti, prout à nobis hoc loco sumitur, vnitas quædam ordinis, quam habere necesse est, quæcunque menti per vnum actum simul obijciuntur. Responsio. Sensus videndi vno simplici aggressu multa distinctè percipit.

Ex dictis patet cognitionem distinctam nunc vno duntaxat conceptu; nunc pluribus simul contineri. Quod si distinctæ cognitionis varietatem colligamus; inueniemus tribus ferè modis accidere, vt totum aliquod actuale distinctè cognoscatur. Primò si quis hominẽ, verbi gratia, vno conceptu, & duobus animal rationale simul, apprehendat. Secundò, si duobus animal rationale tantum. Tertiò si vno animal rationale tantùm. Atque hæ omnes cognitiones, quæ-

que

que ſuo modo, conceptus quiditatiui, ſeu definitiui dicuntur.

ARTICVLVS III.

ETIAM NATVRAS SIMPLICES ſub cognitionem confuſam actualem cadere poſſe.

QVæri etiam hoc loco ſolet, num genera ſumma, aliæq; ſimplices naturæ cognitione cõfuſa actuali percipi queãt. Scotus in 1. diſt. 3. q. 2. Ochamus & Gabriel eadem diſt. q. 5. alijque non pauci negant; quia ea duntaxat prædictam cognitionem ſubire opinantur, quorum eſſentia ſimplex non ſit; ſed eiuſmodi, vt conſtet partibus, quæ dum totum concipitur, latere concipientem poſsint. Idem etiam Scotus, eiuſque ſectatores aſſerendum putant de ente, quod ſimplex quiddam & vniuocum, non analogum eſſe magna contentione defendunt. Verior tamen eſt contraria ſententia aientium poſſe hæc omnia cognitione cõfuſa actuali percipi. Sat eſt enim ad huiuſmodi notitiam qualiſcunque ratio totius, & partium; quæ ratio in prædictis naturis inuenitur. Nam ſubſtantia, verbi cauſa, vt patet ex ipſius definitione, quæ eſt, ens per ſe ſubſiſtens, ſuo modo, & ſi impropriè, conſtat partibus; quatenus ens concipitur ad modum generis, per ſe ſubſiſtens, ad modum differentiæ. Qui igitur ſubſtantiam hac adhibita diſtinctione perceperit, dicetur eã diſtinctè cognoſcere; qui verò aliter, confuſè. Item genera ſumma, omneſque differentiæ ſpecierum, tam quæ iam extant, quam quæ diuina virtute produci queunt; & denique omnia proxima entis ſignificata, ſunt quodammodo partes eſſentiales entis, cùm ſint ipſa ratio, ſeu potius rationes entis diſtinctè ſũpti, vt alibi fuſius dicetur. Hæc ergo ſiquis particulatim complecti poſſet, (quod tamẽ ſoli Deo cõpetit) is diſtinctam haberet entis notionem; alioqui confuſam tantùm; qualis eſt ea, quam formant, qui audito entis nomine abſolutè concipiunt id quod eſt, quæ à quibuſdam vocabuli notio appellatur; propterea quod nullum immediatum entis ſignificatum particulatim attingat.

Quo pacto ens, & ſũma genera poſſint cõcipi cognitione cõfuſa actuali.

Rationes entis diſtinctè ſũpti ſoli deo cogniti.

ARTICVLVS IIII.

EXPLICATIO QVÆSTIONIS initio propoſitæ, & quorundam obiectorum dilutio.

HIs ita conſtitutis propoſitæ cõtrouerſiæ duabus aſſertionibus fiet ſatis. Prima ſit cognitione diſtincta actuali magis vniuerſalia notiora nobis ſunt, quã minùs vniuerſalia. Hæc aſſertio

2. aſſertio.

eſt

est omnium philosophorũ firmata consensu, astruiturq; ab Aristotele 6. Topicorum cap. 3. & eam tradit Auerroes commento 1. huius libri; D. Thomas 1. p. q. 85. art. 3. & Scotus in 1. sententiarum distin. 3. quæst. 2.

Secunda assertio, Cognitione distincta potentiali minùs vniuersalia notiora nobis sunt, quàm magis vniuersalia. Hæc etiam philosophorum omnium communis est. Potest autem vtraque assertio ex eo ostendi, quia ea nobis notiora dicuntur, quorũ cognitio ad aliorum intelligentiam requiritur; non è conuerso: at ita sese habẽt, quoad distinctam cognitionem actualem, magis vniuersalia comparatione minùs vniuersalium, quorum sunt partes essentiales; itemq; quoad distinctam potẽtialem minùs, vniuersalia respectu magis vniuersalium, quorum partes subiectæ sunt. Siquidem id, quod partes habet, absque omnium partium notione dilucidè, & enodatè cognosci non potest, vt constat ex ijs, quæ superiori articulo docuimus. 2. assertio.

Obijciet tamen aliquis. Inter hominem, & substantiam interfusa sunt infinita genera; ergo si distincta hominis cognitio superiorum intelligẽtiam deposcit; vel aliquis intellectus creatus propria vi infinita comprehendet; vel nullus distinctè hominẽ cognoscet; quorum vtrũque absurdum est. Probatur antecedens; quia sicuti Deus inter hominem, & leonem concipit infinitas species, quas producere subinde posset, si vellet; ita supra hominem, & infra substantiam cognoscit infinita genera intermedia; cùm vtrobique infinitatis cõcipiendæ æqua ratio videatur. Quòd si eiusmodi genera cognoscit, haud dubiè omnia ad essentiam hominis pertinent; proindeq; ad distinctam eius notitiam requirentur. Obiectio 1.

Secundò, si ad cognoscenda distinctè inferiora, oporteret superiora omnia cognoscere, nihil absque distincta entis notitia à nobis distinctè intelligi posset; quod tamen falsum esse ex eo deprehenditur, quia distincta entis notio in solum Deum cadere potest, vt superius diximus. Deinde, Aristoteles 2. Posterioris Analyticæ c. 14. & 15. tradens viam, ac methodum inuestigandi definitiones, docet à minùs vniuersalib⁹ ad magis vniuersalia gradatim ascẽdere; statuitq; promptiùs & faciliùs esse rerum minùs vniuersalium, quàm magis vniuersalium naturam definiendo explicare; putat igitur cognitione distincta actuali priùs, faciliùsque minùs vniuersalia, quàm vniuersaliora à nobis intelligi. Obiectio 2. Obiectio 3.

Præterea, non eadem sunt nobis & simpliciter, seu natura nota; vt constat ex procœmio huius operis; sed magis vniuersalia collata cũ partibus sibi subiectis sunt natura nota, cùm eas origine, & natura antecedant. Non igitur sunt nota nobis, & ex consequenti nec magis sunt nobis manifesta cognitione distincta actuali. Obiectio 4.

Hæc ita diluenda sunt. Ad primum neganda est antecedens propositio, & ad eius confirmationem dicendum, nec re ipsa interesse, nec à diuino intellectu concipi infinita prædicata inter hominem & Dilutio primæ obiect.

ſubſtantiam; alioqui cùm eorum quodlibet deorſum verſus nouum perfectionis gradum ſuperiori adiungat, & ij omnes in hominis naturam coeant; ſequeretur competere homini infinitos gradus perfectionis. At neq; hoc, neq; aliud eiuſmodi abſurdum exiſtit, & ſi fateamur (vt fatendum re vera eſt) cõcipi à Deo inter hominẽ & leonem infinitas ſpecies, quæ ab ipſo ſucceſsione produci queunt. Nam ex eo, quod homo infinitis ſpeciebus naturę dignitate præluceat; nõ ſequitur (quod aliquis fortaſſe putaret) ineſſe homini infinitã perfectionẽ. Primùm, quia ſpecies non habent inter ſe eſſentialem ordinem, quo aliæ alijs ſubordinentur, ſicut ea, quæ in eadem categoria ordinatim diſponuntur. Deinde, quia ſpecies dum ſe excedunt, nõ ſeruant inter ſeſe proportionem Arithmeticam; ſed (vt quidam loquuntur) Geometricam; id eſt, nõ ſunt, quoad hoc, veluti numeri; quorum maiores per determinata incremẽta, minores ſubinde exuperant, neq; poteſt infinitos excedere, niſi, qui ex infinitis vnitatibus coaluerit: ſed ſunt veluti figuræ, inter quas rotunda ita ſe habet, vt infinitæ figuræ deſcribi poſsint, quarũ nulla ad eã pertingat, quãuis ipſa per actualẽ partiũ infinitudinẽ eas non vincat. Sic nimirũ nõ excedit homo elephantẽ duplò, leonẽ triplò, equũ quadruplò, atq; ita infinitas ſpecies, vnamquãque certi gradus adiectione; iam enim in ſeſe infinitos perfectionis gradus cohiberet; ſed ſola naturæ nobilioris, & innatæ præſtantiæ diuerſitate, ad quam præſtantiam infinitæ ſpecies inferioris notæ non pertingũt. Ita patet quo modo primum argumentum diſſoluendum ſit.

Species non habent inter ſe ordinẽ eſſentialem.

Quo ſenſu ſpecies non ſunt vt numeri.

Hac de re Nouocaſtrẽſis in 1. d. 44. q. 1. Gregor in 2. d. 11. q. vnica. Souc. 12. Metaph. q. 5.

Dilutio. 2.

Secundo verò occurrendum eſt ad cognitionẽ diſtinctã inferiorum non requiri notitiam diſtinctam analogorum, ſub quibus continentur; ſed vniuocorũ dũtaxat. Cui⁹ rei cauſa eſt, quia analoga ſecundũ omnia ſua diſtincta ſignificata ſimul ſumpta ad nullius inferioris determinatè accepti eſſentiã pertinent. Nec enim v. g. decem genera ſũma, quæ ſunt diſtincta entis ſignificata in hominis, aut belluæ eſſentia continentur: at quicquid naturæ ſuperiores vniuocæ, vti animal, aut viuens, diſtinctè ſignificant; id totum in quiditate inferiorum neceſſariò includitur, vt perſpicuum eſt.

Analoga ſecũdum omnia ſua diſtincta ſignificata nõ pertinent ad eſſentiam alicuius inferioris.

Dilutio. 3.

Ad tertium, vt quid reſpondendum ſit conſtet, ſciendũ ex Platone in Phædro duplicẽ eſſe, quod ad rem præſentẽ attinet, inueſtigãdæ definitionis viã; vnã, qua à ſũmis ad ima; alterã, qua ab imis ad ſũma itur. Priorẽ tenent, qui ſuperiora genera per differentias diſpertiunt, donec pertingãt ad illud, in quo ſolũ eſt id, quod definitur; ſicuti ij, qui ſigna formant, maiorem deligunt lapidẽ; deinde paulatim minuendo, & abſcindẽdo ſuperflua, ad formã dos vultus, & mẽbra perueniunt. Alterã viã ſequũtur, qui partes generi ſubiectas inſpiciunt, atq; inter ſe cõparant, & differẽtias, in quibus eas conuenire deprehenderit, in communem generis definitionem accõmodãt. Verùm neutri cognitionẽ diſtinctam alicuius inferioris perfectè aſſequuntur, quin ſuperiora prius intelligant. Nã eos, qui ſubſtãtiam,

Duplex ratio definiendi.

deinde

deinde corpus, tum viuens, ac tandem animal per differentias diuidunt, vt hominis definitionem colligant; satis liquet priùs superiora genera, quàm hominis naturam cognoscere. Sed neque etiam de posterioribus dubium esse potest. Qui enim ad animalis definitionem constituendam ab homine, & bellua sensitiuum excerpit, non cognoscit hominem omnino distinctè nisi priùs animal etiã distinctè percipiat. His positis dicendum est ad argumentum, cùm Aristoteles loco citato ait facilius esse specierum, quàm generũ definitionem inuenire, loqui de definitione, iuxta hunc secundum modum procedendi. Deinde non agere de definitione, quæ cognitionẽ distinctam omnibus numeris absolutam parit; hæc enim omnium superiorum generum & differentiarum expressionem requirit; sed de alia minùs perfecta, quæ reciproca differentia & proximo genere contenta est. Nos verò cùm omnia superiora cognitione distincta actuali notiora esse, & ad inferiorum notitiam requiri pronuntiauimus, de perfectissima cognitione locuti fuimus.

Quo pacto dixerit Aristoteles faciliorẽ esse specierũ, quàm generum definitionem.

ARTICVLVS V.

QVO SENSV VERVM SIT nõ eadem esse nobis nota, & simpliciter nota.

Lege Aristotelem 1. Eth. c. 4. 7. Metaph. c. 4. tex 10. 9. Metaph. c. 9. tex. 15. 1. post. c. 2. tex. 5. 6. Topic. cap. 3.

PRo explicatione quarti argumenti aduertendum est bifariam dici aliquid natura notius, sicuti & natura prius; videlicet ordine perfectionis; vel generationis. Reiecta verò Stoicorum sententia, qui cùm naturæ prouidentiam, ac rationem per omnia cõmeantem darent; iccirco aliquid natura notum dici putarunt, quod illud natura ipsa cognosceret; ea nos ordine perfectionis priora ac notiora dicimus, quæ naturam magis intellectilem habent, seu quæ impensiùs à natura illustrantur, ac perficiuntur; quo pacto substantiæ à materia seiunctæ, priores ac notiores sunt, quam materia concretæ, & species, quã sua genera, & totũ, quã partes, ex qtuibus coaluit. Ordine verò generationis priora ac notiora vocamus, à quib⁹ alia dependent, & omnino, quæ ab alijs supponuntur; quo modo causæ omnes priores, & notiores sunt effectis; & naturæ cõmunes ijs, quas sub se cohibent. His animaduersis, cùm asserit Aristoteles non eadem nobis esse & natura, siue simpliciter nota; imprimis natura nota vocat ea, quæ perfectiora sunt. Nec verò perfectiora vniuersim, ac simpliciter accipit, sed ea duntaxat, quæ in eadem serie talia sunt; id est minus vniuersalia comparatione magis vniuersalium, sub quibus continentur, hæc enim eo in loco inter se comparabat. Deinde nota nobis appellat ea, quæ cognitione distincta actuali, atque adeò accuratæ doctrinæ & auscultationis ordine, quem sequi proposuerat, illustriora existũt. Ita demum propositi loci, quẽ multi opinionis suæ tuendæ studio aliò detorquent, sententia est

Stoici naturę prouidentiam, & rationẽ dabãt.

Quænam appellet Aristoteles nota natura.

Quæ nota nobis.

ea, quæ inter magis & minùs vniuerſalia notiora natura & priora, id eſt, perfectiora ſunt, non poſſe eſſe nota nobis cognitione diſtincta actuali. Quod certè veriſimum eſt, quandoquidem minus vniverſalia perfectiora ſunt, quàm magis vniuerſalia, & ab illis quoad

Dilutio obie ct. 4. ſuperioris art. cognitionem diſtinctam actualem pendent; non contrà. Ex quo iã perſpicua relinquitur ſolutio quarti argumenti; maior enim propoſitio vera eſt, ſi per notiora, ſiue priora natura intelligãtur, quæ ſunt perfectiora in eadem ſerie; & per notiora nobis ea, quæ cognitione diſtincta actuali magis illuſtria ſunt, & conſpicua; ſed tunc minor propoſitio falſum aſſumit.

Dub. Duo tamen hic explicanda ſuperſunt. Alterum, quî fieri poſsit vt Ariſtoteles in eo pronũtiato vniuerſaliora accipiat, prout cognitione diſtincta notiora nobis ſunt; cùm ea ibidem appellet confuſa, & à

Dub. confuſis progrediendum ſibi eſſe dicat? Alterum, an illa propoſitio, Non ſunt eadem nobis, & ſimpliciter nota, in quouis rerum genere

Reſpõſio ad pr. dub. abſolutè, ac ſine diſcrimine vera ſit? Priori dubitationi occurrendũ eſt, quæſiti cauſſam eſſe; quia in tradenda Phyſiologia eam Ariſtoteles inijt rationem, vt à cognitione diſtincta actuali, & confuſa potentiali ad notitiam vtroque modo diſtinctam paulatim incederet. Id, quod eius doctrinæ ſeriem intuenti perſpicuum erit. Enim verò prius naturam entis mobilis generatim ſumpti, & cõmunium principiorum rationem enodauit, relictis interea ſub confuſa notitia potentiali, partibus ſubiectis; tunc ad partes ipſas ſingulatim illuſtrãdas acceſsit; quarum explicatione perfunctus vtranque notitiã, diſtinctam ſcilicet actualem & potentialem, abſolutam nobis reliquit.

Reſpõſio ad poſter. dub. Ad id, quod ſecundo loco quærebatur, dicendum eſt, ſi per notiora natura accipiamus ea, quæ in eadem ſerie perfectiora ſunt, & per notiora nobis, ea duntaxat, quæ in eadem ſerie quoad cognitionem diſtinctam actualem magis ſunt manifeſta, ſicuti Ariſtotelẽ intellexiſſe paulò antè aſſeruimus; tunc èiuſmodi enuntiatum in materia ſubiecta vniuerſim, atque abſolutè verum eſſe, vt conſideranti patebit. Quòd ſi per notiora nobis intelligantur quæcunque accuratæ doctrinæ ordine notiora ſunt; & per notiora, ſeu priora natura, quæcunque magis à natura perficiuntur, ita vt non fiat tantummodo comparatio inter magis & minus vniuerſalia eiuſdem categoriæ; tunc prædictum enuntiatum non vniuerſim, ſed indefinitè verum

Cauſſæ ordine accuratæ doctrinę notiores effectis eſſe. Multæ enim cauſæ ſuis effectis nobiliores cùm ſint; ijſdem nihilominus accuratæ doctrinæ ordine notiores exiſtunt, vt tàm in Phyſicis, quàm in Mathematicis videre licet. Atque ita in ijs idem ſimul & nobis, & ſimpliciter notum eſt; quod præter alios aduertit Cõmentator in 1. de anima comm. 11. cuius obſeruationẽ, quod ad Mathematicas diſciplinas attinet, refellere conatus eſt Ambroſius Nolanus, ſed non obtinuit.

Cõſule Themiſtũin, 1. de anima com. 11. Theophilum 2. de anima tex. 11.

QVAE-

QVÆSTIO III.

SINT NE MAXIME VNIVERsalia notiora nobis cognitione confusa actuali, an non?

ARTICVLVS I.

PRIMA OPINIO, eiusque argumenta.

HANC quæstionem Peripatetici omnes, præcipuè Latini disidentium opinionum varietate dubiã reddiderunt. Nam D. Thomas in proœmio huius operis, & in 1. parte q. 85. art. 3. alijsque in locis putat primum cognitum ab intellectu nostro cognitione confusa actuali, esse ens; Quod etiam videtur sensisse Auicenna 2. lib. suæ Metaph. cap. 1. Eandemque sententiã amplexi sunt alij ex Arabum disciplina, vt Auen Pace, & Algazellus. Præterea Alensis in 1. & 5. Metaph. si eius est illud opus, Iandunus q. 5. huius libri, Aureolus apud Viguerium in 1. d. 2. q. 2. & vt videtur Richardus in 2. d. 24. q. 4. circa 3. princ. Caietanus ad 1. cap. lib. de ente & essentia, cæterique Thomisticæ scholæ alumni; quãquam hi D. Thomæ sententiam nec eodem modo intelligunt, nec eâdem ratione tuentur. Quidam enim essentialem ordinem in communibus naturis concipiendis ponunt. Ita vt necessariò intellectus primò cõcipiat ens, deinde substantiam, tertiò corpus, ac cætera deinde prædicata ordinatim vsq; ad hominem; idque potissimũ aiunt prouenire ex ipsa intelligibili specie, quæ eiusmodi naturas nõ æquè primò, sed ordine quodam repræsentat. Alij inter entis duntaxat perceptionem, & quancunque aliam notitiam, essentialem ordinem statuunt, ita videlicet vt ens necessariò priùs concipiatur; quid verò post illud concipi debeat, non possit stata lege definiri.

Quod igitur ens primò à nobis intelligatur, his argumentis probari videtur. Natura in ijs, quæ promouet de potentia ad actum, incedit ab imperfectis ad perfectiora; vnde illud in 8. huius operis lib. c. 7. tex. 58. dignitate prius, est origine posterius; quod certè in hominis procreatione videre est. Fætus namq; vt constat ex 2. de generatione animalium cap. 3. in vtero matris primùm accipit animam vegetatricem, tum sentientem, postremò rationis compotem. Imò & idem liquet in ijs, quæ artis industria elaborantur; semper enim ars naturæ æmula susceptum opus principijs leuioribus prætexit, & adumbrat; tũ sensim expolit & perficit. Atqui noster intellectus, cùm

Assertores partis affirmatiuæ.

Cũ D. Tho. sentiũt AEgidius 7. Metaph. q. 1. Alfonsus Toletanus 3. de anima q. 1. arti. 3. Thiene. hoc loco q. 5. Vicomercatus ad tex. proœm. Theophilus Zimara 2. de anima ad tex. 12.

Disidium inter Thomistas de ordine cognoscẽdi prius vniuersaliora,

1. argumen.

In generatione ab imperfecto ad perfectum promotio est.

Ars naturæ æmula.

cùm à principio sit veluti tabula, in qua nihil re ipsa depictum est, vt docet Aristoteles 3. de anima cap. 4. tex. 14. procedit de pura potẽtia ad actum intelligendi; ergo progreditur ab imperfectis ad perfectiora; atque adeò prius exprimit conceptum entis, qui omniũ imperfectissimus est.

2. argumen. Secundo, Ens in qualibet inferiori natura concretum, est causa cur eiusmodi natura sub intellectum cadat; siquidem vnũquodque intelligitur qua ens; ergo ipsum ens priùs cognoscetur, si verum est illud Aristotelis 1. posteriorum cap. 2. semper, quod cuiq; rei vt sit, causa est, id potius est. Corroboraturque argumentum ex eo, quia esse intelligibile est vna è primarijs affectionibus, seu proprietatibus, quæ naturam entis consequuntur. Quare cùm proprietates superiorum priùs in superiora ipsa competant, quàm in partes subiectas decidant; priùs enti conueniet intelligibile esse, quàm speciebus infimis. Ex quo fiet vt illius cognitio harum conceptus necessariò antecedat.

3. argumen. Tertio, Ea notitia, quam vnaquæque potentia cognoscens primũ elicit, est sui adæquati obiecti, vt id, in quod primùm aspectus fertur, est color; sed obiectum adæquatum intellectus, vt colligitur ex ijs, quæ Aristoteles docet 9. Metaph. cap. 11. tex 20. est ens in commune, ergo id primùm à nobis cognoscetur.

4. argumen. Quarto, Primum cognitum cõplexum est illud principium, impossibile est idem simul esse, & non esse; ergo & primum cognitum incomplexũ est ens. Probatur antecedens, quia illud principium est certissimum & veluti norma cæterorum, vt constat ex Aristotele 4. Metaph. cap. 3. tex. 9. atque ita necesse est, vt eius nobis intelligẽtiam primo loco natura inferat, idque veluti ostium ad aliarum rerũ notiones aperiat; Consecutio ostenditur, quia ens, & non ens sunt termini, ex quibus principium illud constat; principio autem non nisi apprehensis terminis assentiri possumus.

Certissimũ principium, & veluti norma cæterorũ.

5. argumen. Quinto, Eo ordine progreditur intellectus, dum vniuersalia intelligit, quo sensus dum apprehendit singularia; atqui sensus priùs apprehendit singularia magis vniuersalium; ergo & intellectus magis vniuersalia priùs intelligit. Maior propositio confirmatur, quia sicuti noster intellectus in hoc vitæ statu cognitionis suæ primordia à sensu capit, ita sensum præeuntem sequi debet, & id primùm intelligere, quod ille priùs obtulerit, ac renuntiarit. Minor probatur; quoniam si videam procul venientem Socratem, primùm quidẽ aliquod animal esse coniector; hinc aliquem hominem, tandem Socratem; videlicet, quia priùs offeruntur cognitioni nostræ communium proprietates, hinc minus communium, quoad ventũ sit ad proprietates indiuiduorum.

Sensuum beneficio notiones rerum nostris animis imprimũtur.

6. argumen. Sexto, Naturæ communiores sunt quædam tota comparatione minus communium; sed totum prius innotescit, quam eius partes, vt constat ex ijs, quæ Aristoteles in proœmio huius operis docuit;

ergo

ergo priùs naturæ communiores, quam minus communes à nobis intelligentur.

Septimo, Ea priùs cognoscimus, quæ ad sui cognitionem pauciora requirunt; sed magis vniuersalia, sicuti pauciora prædicata sibi vendicant, ita pauciora requirunt ad sui cognitionem; ergo ea priùs cognoscimus. 7. argumen.

Octauo, Cuilibet promptum est cõmunissima prædicata de inferioribus naturis enuntiare; cùm tamen de illorum infimis speciebus frequenter etiam inter sapientes magnæ quæstiones versentur, vt de lapidibus & herbis, quę sub quo genere collocentur, scimus; ad quam verò speciem pertineant, sæpe ignoramus. Igitur notiora nobis sunt communiora, quàm minus communia prædicata; atq; adeò species non sunt primò cognitæ. 8. argumen.

ARTICVLVS II.

SECVNDA OPINIO, eiusque confirmatio.

F. Maironi9, Lichetus, & Bargius in 1. d. 3. q. 2. Antoni9 Andreæ 1. Metaph. q. 10. Achillini9 1. suę Physic. Fracastori9 1. de intellectione sub finem.

Opinio Scoti de primo cognito.

SCotus in 1. d. 3. q. 2. & in 1. Metaph. q. 10. arbitratur id, quod sub nostram intelligentiam primò cadit, esse speciem infimam, & quò naturæ communiores sunt, eò à nobis difficiliùs apprehendi cognitione confusa actuali, de qua instituta hæc quæstio est. Cum Scoto sentiunt non ij tantùm, qui eius doctrinam profitẽtur; sed alij etiam complures. Solet verò hęc opinio hisce ferè rationibus stabiliri. Ea priùs cognoscimus, quæ sẽsibus viciniora sunt, & à singularibus faciliùs abstrahuntur; atqui ita se habent species infimæ, cæteræque naturæ minùs cõmunes; igitur eas primò cognoscimus. Maior propositio conspicua videtur, siquidẽ noster intellectus rerum notitiam non nisi per sensus aucupatur, nec vniuersalia nisi abstrahendo percipit. Minor ostenditur; nam quòd naturæ minus cõmunes sensui propinquiores sint, nemo inficias ierit; cùm illæ magis cohæreant cum singularibus, quæ non ex accidenti, vt vniuersales naturæ; sed per se, ac primaria ratione sensus afficiunt, vt est apud Aristotelem 1. Posterioris Analyticæ c. 24. Quod item naturæ minùs vniuersales faciliùs abstrahantur ex eo conuinci potest; quia illæ maiorem cum singularibus cognationem & similitudinem gerunt; proindeque à paucioribus liberantur differentijs, veluti qui hominem & animal à Socrate euocat; hominem singulari duntaxat; animal verò & singulari & specifica exuit differentia.

Deinde, Metaphysica, & si inter omnes disciplinas naturali lumine inuentas, dignitate prima sit; ordine tamen acquisitionis vltimũ locum habet nec nisi post alias scientias reperta est, igitur termini Metaphysicæ, qui omnium cõmunissimi sunt, veluti ens, bonũ, substan- Secunda ratio.

ſtantia, cæteriq; eiuſmodi vltimò in noſtrã cognitionẽ deuenere. Ex quo ſequitur maximè vniuerſalia non primò à nobis apprehendi.

1. ratio. Poſtremò, Idem confirmatur hac ratione, qua potiſsimum Scoti ſententia nititur & illuſtratur. Cauſæ naturales non impeditæ edũt primò nobiliſsimum, quem poſſunt, effectum; ſed ea, quæ ad primũ actum intelligendi concurrunt, ſunt cauſæ naturales: igitur ſi nihil impedimenti adſit, producent effectum nobiliſsimum, ideſt, conceptum ſpeciei infimæ, qui inter omnes communium naturarum cõceptus, excellit. Propoſitio liquet. Nam cùm cauſæ naturales, vt eſt apud Ariſtotelem 8. cap. ſecundi libri huius operis, naturæ neceſsitate agant, vtique totam vim ſuam agendo expromunt; quod philoſophi vocant agere ſecũdum vltimum potentiæ. Aſſumptio probatur, quia intellectionis cauſæ, præcurrentes quidem, ſunt phantaſmata, & intellectus agens; proximè verò effectrices ſunt intellectus patiens & ſpecies intelligibilis, quorum omniũ concurſus actũ voluntatis antecedit. Eſſe verò conceptum ſpeciei infimæ, ſuperiorum naturarum conceptibus nobiliorem, ex eo patet quia præſtantiorem naturam repræſentat. Namque licet naturæ ſuperiores plura ſub ſe, & in ſua poteſtate cohibeant; ſpecies tamen infimæ plura in ſe actu continent; cùm omnes gradus ſuperiorum in ſua eſſentia includant: at rei cuiuſque præſtantia non ex ijs, quæ poteſtate ſub ſe habet; ſed quæ in ſe actu poſsidet, æſtimanda eſt.

Cauſſę naturales totã ſuã vim agendo expromunt.

Præſtãtia rei cõmunis vnde æſtimãda.

Nec huius argumenti vim effugiunt, qui dicunt intellectum in primo actu impediri à cognitione ſpeciei infimæ, propterea quod cùm mortali hoc, craſſoq; corpore, quaſi cæno, vt Plato ait, obrutus ſit, non eſt ita expeditus vt ſyncerum illum intelligendi actum, qui circa ſpeciem infimam eſt, elicere poſsit. Non, inquam, effugiũt; quia conceptus ſpeciei non eſt adeò nobilis, vt ab eo propter coniunctionem corporis retardari intellectus debeat: quin verò, vt in progreſſu dicemus, experientia teſtatur priùs intelligi à nobis rem ſingularem, cuius tamen conceptus nobilior eſt, quam ſpeciei.

Aduerſariorũ ſubterfugium.

Zimara. de anima ad tex. 12.

Tollitur.

ARTICVLVS III.

EXPLICATIO quæſtionis.

ANntequam propoſitæ quæſtioni ſatisfaciamus, breuiter prẽmittimus; bifariam nos de cognitione magis & minùs vniuerſalium loqui poſſe. Vno modo, poſitis impedimentis ex parte diſtantiæ, medij, potentiæ, & ſiquæ præterea eſſe poſſunt; de quibus Themiſtius 2. de anima c. 21. ad tex. 63. (Nam viſus exempli gratia ad manifeſtã diſcretionem quatuor opus habet, iuſto ſpatio, aere puro, illæſo oculo, motu moderato) altero, remotis omninò

omninò impedimentis; quo pacto philosophi cùm de re quapiã absolutè quærunt, loqui solent. Hoc constituto duabus assertionibus res tota explicabitur.

Prima assertio.

Prima, Si nihil sit, quod impedimentum inferat, id quod excommunibus naturis à nostro intellectu primùm concipitur, est species infima. Hanc assertionem planè confirmant eæ rationes, quas articulo proximo pro opinione Scoti adduximus; eiq; non pauca Aristotelis testimonia suffragantur. Namque 1. Metaph. c. 2. & 1. posteriorum cap. 2. tex. 5. palam docet, ea, quæ sensui propinquiora sunt, notiora nobis esse; natura verò notiora illa, quæ longiùs absunt à sensu; & vt quicquam generale & vniuersum est maximè, ita esse à sensu remotissimum. Item lib. 2. poster. c. 18. tex. 27. asserit intellectum abstrahendo progredi ab inferioribus, donec ad ea perueniat, quæ in partes diuidi non possunt, id est, donec euadat ad genera summa, quę extra generis & differentiæ compositionem consistunt. Putat igitur Aristoteles non cõmuniores naturas, vt genera, & ens; sed minùs cõmunes atq; adeò species infimas à nostro intellectu priùs concipi; & ita eum interpretantur, defenduntq; Auerroes 3. de anima com. 36. & 12. Metaphysicæ com. 4. Philoponus, & Themistius tùm hoc loco, tùm ad finem 2. lib. post. & Ammonius in prę-fatione super Isagogem Prophyrij. Deniq; eadem sententia placuit D. Augustino lib. 8. de Trinitate c. 5. & lib. 9. c. 6.

Propinquiora sensui, notiora.

Auctorũ testimonijs comprobatur.

Sciẽdum tamen est, cùm asserimus primũ intellectus nostri conceptum esse speciei infimæ, id non ita accipiendũ quasi velimus intellectum cùm primò recipit imaginẽ intelligibilem, necessariò conceptum naturæ spicificæ confestim elicere. Haud enim ita res habet, quia vt paulo post liquebit, cùm res aliqua singularis sensui occurrit; id, quod primò apprehendimus, est ipsa met res singularis. Non est autem necesse, vt tunc duplicem pariter conceptum eliciamus, vnum indiuidui, alterum speciei. Imo experientia ipsa testis est plerunq; solã tunc rei singularis notitiam à nobis exprimi. Tantùm igitur volumus siquem naturæ cõmunis conceptum in puncto illo tẽporis, atq; in primo illo occursu, intellectus gignat, eum necessariò fore speciei infimæ; non autem naturæ communioris. Addimus tamen neq; repugnare, nèq; difficile omninò esse vtrũq; conceptum vnà interdum elici, ab hominibus præsertim celeri & acuto prædi-tis ingenio; maximè cùm negari non debeat posse à nobis multa simul apprehendi, vt probat Scotus in 1. d. 3. q. 6. Ochamus in 2. d. 21. Gregorius in 1. d. 1. q. 1. art. 3. & nos alibi ex professo ostẽdemus.

Explicatio assertionis.

Primus cõceptus naturæ communis est infimæ speciei.

Nostri intellectꝰ plura simul cognoscit.

Item Lichetus in 1. d. 3. q. 1. Bargius d. 1. q. 4. Mairt. d. 3. q. 11. Gabriel. d. 1. q. 1. corol. 6.

Secunda assertio, Si non amoueantur impedimenta, magis vniuersalia priùs à nobis concipientur, quàm minùs vniuersalia. In hac assertione impedimentorũ nomine ea dũtaxat intelligẽda sunt, quæ obstant ne ex imagine sensu percepta effingi possit notitia indiuidui speciei, sicuti accidit, cùm v. g. obiectũ extra debitã distantiã occurrit; tũc enim priꝰ illud sub notitia indiuidui generis quã speciei

2. assertio.

ſenſu dignoſcimus, & quod inde conſequens eſt, priùs genus, ſub quo ipſum continetur, quàm ſpeciem infimam intellectu apprehẽdimus, vt quintum primi articuli argumentum concludebat.

Vnde probetur.

ARTICVLVS IIII.
DILVTIO QVARVNDAM OBIECTIONVM.

Obiectio. 1. SEd cõtra primam aſſertionem ſuperioris articuli ſic aliquis opponet. Si conceptus rei communis, quem intellectus poſt acceptam rei imaginem primò elicit, neceſſariò eſſet ſpeciei infimæ, ſequeretur reliquos item cõceptus, quos poſtea naturaliter gignit, infimarum ſpecierum eſſe; cùm in vtriſq; æqua ratio eſſe videatur: atqui oppoſitum docet experientia; ſæpe enim non modò liberis, ſed neceſſarijs quoq; intellectionibus communiores naturas priùs intelligimus. Non igitur inter naturas communes ſpecies infima à noſtro intellectu primùm cognoſcitur.

Obiectio. 2. Deinde cõtra ſecundã cõcluſionẽ ita obijcitur ex Scoto in 1. ſent. loco cit. Id quod è loco remotiori ſenſum ferit, cùm non poſsit non eſſe ſingulare alicuius ſpeciei infimæ, cùmq; agat quantum poteſt, neceſſariò mittet imaginẽ, quæ ipſummet ſingulare definitè exprimat. Deinde ea imago, quia vna & homogenea eſt, vtiq; in qualibet parte ſpatij habebit vim repræſentandi idem; licet quò longius funditur, eò hebeſcat magis & obſcuriùs repræſentet; igitur ſẽſus ea affectus adhuc eliciet expreſſam ſimilitudinẽ eiuſdẽ ſingularis determinati, eamq; tranſmittet ad phantaſiam; & ex conſequenti, etiam poſitis impedimẽtis, priùs ſpecifica natura, quá generica cõcipietur.

Imago obiecti in traiectione ſẽſus vaneſcit.

Sol. 1. obi. Hiſce obiectionibus ita occurres. Priori quidem negando eandem eſſe rationem primariæ notitiæ, quam nimirum format intellectus, cum primùm rei imaginem recipit, & aliarum, quas genitis antea imaginibus educit. Nam cùm primò imaginem recipit, excitatur determinaturq; tum ab imagine ipſa recèns producta, tum à ſingulari ſenſibili interuẽtu phantaſmatis, quod intelligentem ſpeculari neceſſe eſt. Quo fit vt ſiquẽ in eo temporis momento conceptũ rei cõmunis elicuerit, is neceſſariò eſſe debeat naturę ſpecificæ, cuius illud ſingulare eſt. Poſtquam verò intellectus ſpeciebus intelligibilibus conſignatus fuit, ea promptiùs apprehendit, ad quæ ipſum acriùs excitari contingit; excitatur verò acriùs ad ea, quorum memoriã identidẽ repetiuit, quorũ ſunt expreſsiora in ſenſu phantaſmata; ac deniq; ad quæ is, qui intelligit quoquo modo magis afficitur, aut ab aliqua latenti cauſa ducitur, quæ, vt docet experientia, interdum ſunt ſingularia; interdum minùs, aut magis vniuerſalia. Lege, ſi placet, quę in hãc ſẽtẽtiã ſcripſit Fracaſtorius in 1. lib. de intellectione. Et Carpẽtarius in digreſ. de methodo Anal. ſup Alcin.

Operatio phãtaſię actũ intellectus ſuſcitat, ac prouocat.

Lege Scot. in quolib. q. 21.

Poſte-

Posteriori, omissis controuersijs, hunc in modum satisfiet. Cõcedimus speciem quæ è remotiori loco sensui imprimitur referre adhuc determinatè totum singulare, à quo effluxit v. g. hoc albũ. Negamus tamen potentiam videndi Socratis posse cum illa huius albi visionem elicere; quanuis huius colorati possit. Nam sicuti perceptio indiuidui speciei, quia perfectioris est obiecti, nobilior est, quã indiuidui generis; ita expressiorem requirit imaginem. Ac quemadmodum hoc coloratum minùs perfectum est, quàm hoc albũ (quia videlicet hoc coloratum importat genus cum differentia singulari, hoc verò album speciẽ, quæ genere perfectior est, cũ eadẽ differẽtia) ita hoc coloratũ ad sui expressionẽ non tam perfectã imaginẽ deposcit, atq; adeo per illã, etiã euanescentẽ, abundè potẽtię represẽtatur.

Solu. 2. obie.

Perceptio indiuidui speciei expressiorem imaginẽ requirit.

Dubitauerit tamẽ quispiam hoc loco quî fieri possit, vt visio huius albi oriatur ab imagine, quæ eiusdem speciei sit cum ea, à qua huius colorati visio proficiscitur; si huius albi, & huius colorati, visio, vt est cõmunis philosophantiũ vox, interse specie differũt. Huic dubitationi occurrendum nihil mirum esse, quod ex vnius speciei imagine specierum diuersarum apprehensiones educantur. Non enim quælibet specie distinctæ apprehensiones specificam distinctionem imaginũ, à quibus oriuntur, arguunt; sed adæquatæ duntaxat, specie diuersæ; ita videlicet, vt ea imago, siue sensilis, siue intelligibilis censeatur ab alia, distingui specie, quæ sic se habet, vt notitia, quæ ab ipsa adæquatè proficiscitur, ab alia adæquatè oriri nequeat. Eam verò notitiã ab imagine adæquatè oriri dicimus, qua quicquid imago expressè ac primariò repræsentat, concipimus. Sicque intelligibilis imago propria hominis specie differt, ab ea, quæ propria est animalis; quia cõceptus ab illa adæquatè elicitus, ab hac adæquatè elici non potest; cùm illa hominem, hæc animal expressa, ac primaria repræsentatione menti obijciat.

Dubitatio.

Responsio.

Quo patto in generatione priora posterioribus imperfectiora sint.

ARTICVLVS V.

DISSOLVVNTVR ARguméta initio quæstionis proposita.

RElíquum est, vt primi articuli argumenta explicemus. Ac maior quidem propositio eius, quod initio adductum est, explicatione indiget. Si enim significet omnia minùs perfecta necessariò anteire perfectoribus, apertè falsa est. Nam cor in animalium procreatione priùs effingitur & cohæret; quàm partes aliæ minùs nobiles, & intellectus ipse in comparanda scientia proreditur ab assensu principiorum, qui assensui conclusionum excellit. Quod si maior propositio intelligatur de imperfectioribus, quæ ad alia tanquã prę̃currentes dispositiones requiruntur; tunc vera quidẽ est; sed ꝑbandum fuit conceptũ entis necessariã esse dispositionẽ ad-

conceptum ſpeciei infimæ, quod negamus. Addimus etiam in eliciendis cõceptibus proficiſci intellectũ ab imperfectioribus, quatenus procedit à conceptu confuſo ſpeciei ad diſtinctum eiuſdem.

Solutio ſecundi, Ens concretum in qualibet natura inferiori, id-eſt, natura entis analoga, quæ per omnia particularia entia funditur, cauſſa eſt, cur vnumquodque ſub intellectum cadat, quatenus eſſe intelligibile, enti vt propria ipſius paſsio, primò conuenit, ab illoq; in naturas inferiores quaſi dilabitur. Verùm hinc non colligitur ens priùs actu cognoſci, quàm ſpecies infimas: ſicuti ex eo, quod potẽtia ad riſum priùs homini, quàm Socrati conueniat, non ſequitur riſum priùs homini, quàm Socrati ineſſe. Illud verò Ariſtotelicum effatum ex primo poſteriorum, ſic deberet ritè aptari, vt eo loco docuimus, ens in cauſa eſt cur ſpecies infimas concipiamus; ſiue ex cõceptu entis venimus in cognitionem ſpecierum infimarũ; igitur ens manifeſtius nobis eſt, quàm ſpecies infimæ. At enim antecedẽs propoſitio tunc falſa erit. Concluditur tamen hoc argumento ens ſuapte natura priùs cognoſcibile eſſe, quàm inferiores naturas, licet nõ priùs cognoſcatur à nobis, quorum cognitio, vtpotè à ſenſu orta, ab inferioribus ad ſuperiora paulatim euadit.

Explicatur effatum Ariſtotelicũ.

Solutio tertij, Si nomine adæquati obiecti ſignificetur obiectum commune ab inferioribus abſtractum continens ſub ſe omnia, quæ à potentia attinguntur, maior propoſitio perſpicuè falſa eſt; ſiquidem potentiæ ſenſitiuæ, neque primario, neque ſecundario actu rem cõmunem attingunt; ſed ſingularem duntaxat. Si verò ſignificetur ratio, ſub qua res in potentiam cadit; ita vt ſententia ſit, primam notitiam cuiuſque potentiæ eſſe eius, quod participat rationem obiecti adæquati; tunc maior propoſitio admittenda eſt; ſed in eo ſenſu dicendum ad minorem, non ſolùm ens in commune, ſed quodlibet particulare ens eſſe obiectum adæquatum intellectus; ſiquidẽ omnia entia rationem cognoſcibilitatis ſibi vendicant: Ariſtoteles autem cùm docet ens in cõmune eſſe obiectum intellectus, non ſumit ens in cõmune etiã priori modo, ſed prout inferiora comprehendit.

Potẽtię ſenſitiuę nõ attingunt rem cõmunem.

Solutio quarti, Principium illud impoſsibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe, non eſt primum cognitum complexum, quaſi ex omnibus principijs complexis primò occurrat. Nam ſicut termini minùs communes cognitu priores ſunt; ita principia, quæ ex illis conſtant intellectui ſe priùs ingerunt. Dicitur tamen principium illud, primum, ob nobilitatem perſpicuæ certitudinis, quæ tanta eſt, vt nemo illud, modò compos rationis ſit, mentè inficiari poſsit. Appellatur quoq; cæterorum principiorum norma; quod cætera eius veritate innitantur, & à priori per illud confirmari poſsint, vt alibi diximus. Atq; hæ cauſæ ſunt, ob quas natura illius principij intelligẽtiam nobis primùm enodaſſe perhibetur; non autem quòd eius vel apprehenſio, vel aſſenſus, ordine inuentionis in noſtro intellectu priùs gignatur.

Quę principia intellectui priùs occurrant.

Solu-

Solutio quinti, Hoc argumentum confirmat secundam tertij articuli conclusionem, nimirum, si obiectum sit extra debitam distantiam, priùs à nobis magis vniuersalia apprehendi. Aduertimus tamen cum Scoto in 1. sent. loco cit. esto singularia magis vniuersalium è longiori distantia priùs dignoscantur; non proinde tamen existimandũ acriùs ab ijs sensum moueri, quam à singularibus minùs vniuersalium. Id enim acriùs mouet, quod actuosius est, seu, quod magis actũ participat; hoc autem esse singulare minùs vniuersalium, nemo negarit. Quo fit vt causa, ob quam prædicta singularia magis vniuersalium facilius dignoscantur, non ad maiorem ipsorum in agendo efficacitatem; sed imperfectionem potiùs referenda sit; quia videlicet ad sui notitiam, minus expressam imaginem deposcunt, vti superiùs disseruimus.

Singularia magis vniuersalium non agunt efficacius.

Solutio sexti, Cùm naturæ cõmuniores sumuntur, vt tota quædam sunt, respectu minùs communium; non vt tota actualia; sed vt tota potentialia spectantur, sicq; non iam in cognitionem confusam actualem; sed in potentialem cadunt. Quo liquet sextum argumentum à propositæ disceptationis, in qua de cognitione confusa actuali agitur, scopo aberrare. Erit tamen operæ pretium decernere hoc loco qui nam ordo sit cognitionis confusæ potentialis. Sunt, qui asserant magis vniuersalia secundum eiusmodi cognitionem interdum nobis notiora esse; videlicet cùm cognitio confusa potentialis, & distincta actualis in eandem incidunt; veluti cùm animalis essentiam ignoratis speciebus, quæ sub eo continentur, penetramus. Sed non rectè sentiunt. Nam cognitio distincta actualis magis vniuersalium, sublatis impedimentis, semper est posterior confusa actuali minùs vniuersalium, vt ex dictis constat. Quare semper confusa potentialis minùs vniuersalium erit prior confusa potentiali magis vniuersalium; proindeque absolutè statuendum est cognitionem confusam potentialem minùs vniuersalium semper antecedere cognitionem eiusdem generis circa magis vniuersalia. Hoc posito respõdetur ad argumentum non omne totum via inuentionis priùs à nobis concipi; quàm partes; sed id tãtùm, quod sensui magis appropinquat; hoc autem è communibus naturis est species infima. Neque oppositum docet Aristoteles in proœmio, vbi de progressu cognoscẽdi auscultatorio, accuratæque doctrinæ, disputat.

Quid à nobis primò intelligatur notitia confusa potentialis.

Solutio septimi, Ex eo, quod naturæ magis vniuersales pauciora in se prædicata cohibent, rectè colligitur eas ad notitiam distinctã actualem paucioribus egere; atque ita eo cognitionis genere priùs à nobis concipi. Verùm eædem ad notionem cõfusam actualem plura requirunt, quatenus à pluribus abstrahendæ sunt, quàm naturæ minùs communes.

Naturę magis vniuersales plura exigunt ad confusam sui notitiam.

Solutio octaui, Receptis iam intellectu speciebus plerumq; magis vnicuique in promptu est communiora prædicata apprehendere, & de inferioribus enuntiare, propterea quod illa, vt in pluribus insunt

Cõmunitas magis in prõtu est, quam differentia.

insunt, ita frequentiùs occurrunt, atque adeò magis innotescunt. Sed enim hoc non impedit quominùs cùm rei imago in intellectu primùm gignitur, priùs species infima, quàm vlla natura superior, sublatis impedimentis concipiatur, quæ fuit nostra prima conclusio in tertio huiusce disputationis articulo; quam etiam solam argumẽta Scoti, & ex mente ipsius, & re ipsa colligunt; vnde nõ est, quòd à nobis soluantur.

QVÆSTIO. IIII.

SIT NE SINGVLARE PRIMO cognitum à nostro intellectu, an non?

ARTICVLVS I.

QVÆ ARGVMENTA SVADEre videãtur priùs vniuersale, quàm singulare à nobis intelligi.

SVPERIORI quęstione comparauimus naturas vniuersales inter sese; nunc easdem cum singularibus conferemus. Quod igitur vniuersales cognitione confusa priùs ab intellectu nostro percipiãtur, defendũt Thomistæ propè omnes, & ex Scoti sectatoribus non pauci; idq; hisce ferè argumentis stabilire nituntur. Hos retulimus superiori arti. 1. q. 3.

Primũ argu. Primum, Cũ omnis nostra cognitio per species fiat, ea priùs cognoscere intellectus debet, quæ ipsi directò priùs & clariùs ab specie intelligibili repræsentantur; sed ita se habent naturæ communes. Nam eæ primaria & formali expressione in specie continentur; singularia verò non nisi implicitè & virtute: igitur priùs naturæ communes, quàm singulares à nobis percipiuntur. Ex d. Thom. contra gent. c. 48.

2. argumen. Deinde, Materia est in causa, cur res materiales minùs facilè à nobis intelligantur; ergo ea, quæ maximè sunt in materiam demersa, vti singularia, difficiliùs ac posteriùs ab intellectu nostro percipientur. Probatur assumptum, primùm, quia vnũquodque intelligitur ex suo actu, vt Aristoteles docet. 9. Metaph. c. 11. tex. 20. at materia non actus est, sed potentia. Secundò, quia vt aduertit Plotinus Ennead. 5. lib. 5. cap. 1. cognitum debet esse cognoscenti cognatum, vnde omnis cognitio, vt est communis philosophorum sententia, tradita in opere de secretiore sapientia secundum AEgyptios cap. 3. lib. 2. fit per assimilationem inter vim cognoscentem, & rem cognitam; at intellectus cùm immaterialis sit, admodum est materiæ dissimilis.

Plotinus.

Omnis cognitio similitudine fit cognoscẽtis cũ cognitio.

Item,

Item, pueri, quorum vox, naturæ ipsius vox esse videtur, principiò quemlibet virum vocant patrem, qualibet fœminam matrem. Igitur naturæ ductu prius communem rationem patris, quàm huius patris apprehendunt; atque adeò non prius singulare, quàm vniuersale intelligunt. Quare & Aristoteles in proœmio huius operis ab hoc puerorum exemplo argumentum duxit ad comprobandum vniuersalia tum magis, tum prius nobis esse manifesta. 3. argumen.

Ad hæc, Vniuersale est obiectum intellectus, singulare obiectum sensus, vt testatur Aristoteles hoc in libro cap. 5. tex. 49. ergo intellectus prius vniuersale cognoscit, quàm singulare; alioqui prius tenderet in non suum, quàm in suum obiectum. Huc pertinet, quod etiam Aristoteles eodem loco ait, repetitque in 5. lib. Metaph. cap. 11. tex. 16. nimirum singulare esse primo notum sensui, vniuersale verò intellectui. 4. argumen.

Postremo, singulare intelligitur à nobis reflexè, vt asseruisse videtur Aristoteles 3. de anima cap. 4. tex. 10. ergo eius cognitio posterior est, quàm rei vniuersalis. Consecutio patet, quia omne reflexum est posterius directo. Liquet etiam priuatim ex ipso progressu cognitionis reflexæ, quam D. Thomas in disputatis, quæst. de anima art. 20 & alibi, ac nonnulli eius sectatores in hunc ferè modum explicant. Cùm rei alicuius notitia mentem subit, ducitur primùm à phantasmate & intellectu agente quasi intelligibilis quædam linea, quæ deinde procurrit ad intellectum patientem; inde ad rem vniuersalem specie repræsentatã, tum à re vniuersali inflectitur ad phãtasma, & ad rem singularem, quæ illius quasi inuolucro obtegitur, hoc est, vt planiùs dicamus, imprimitur à phantasmate, & intellectu agente in patientem species intelligibilis, tunc intellectus patiens ea informatus gignit conceptum rei vniuersalis; mox attendens ad suum actum, aduertit illum genitum fuisse ab specie, speciem à phãtasmate, phantasma à re singulari, atque ita tandem in hoc flexu deprehendit rem singularem, & existit in mente quidam veluti circulus intellectualis, quem Aristoteles significauit similitudine lineæ inflexæ, quæ in se ipsam veluti recurrit, cùm ex recta inflectitur in orbem. 5. argumen.

D. Thoma. opuc. 9. & 43. & 7. de anima lect. 13. & 1. 2. q. 81. art 3. & q. 86. art. 1. Ferrariens. 3. de anima q. 13. Hispalensis in 1. d. 39 q. 2 art. 3 Capre. in 1. d 35. q. 2.

Progressus ad cognitionẽ reflexam rei singularis ex quo undam sententia.

Intellectualis circulus.

Vt Caietan9 1. p. q. 86. ar. 1

Alij verò cognitionem reflexam singularis hoc modo fieri arbitrantur. Percipit intellectus naturam cõmunem v. g. hominis; tunc quia aduertit illam non separatim ac per se cohærere; sed necessariò in aliquo singulari existere, colligit dari aliquod singulare, in quo sit, atq; ita dicitur singulare ipsum arguendo, ac reflectendo cognoscere. Patet igitur notitiam reflexam singularis, siue hoc, siue illo modo contingat, posteriorem esse, quàm cõceptum naturæ communis; quãdoquidem semper intellectus extremo loco naturã singularem apprehendit.

Alia ratio explicandi modum cognitionis reflexæ.

ARTI-

ARTICVLVS II.

CONCLVDITVR SINGVlaria priùs, faciliúsque à nobis intelligi, quàm vniuerſalia.

Concluſio.

Eius aſſertores.

ASſerendum tamen eſt priùs à nobis ſingularia, quàm vniuerſalia intelligi. Quod præter alios ſentit Durandus in 2. d. 3. q. 7. Ochamus in 1. d. 3. q. 5. Gregorius ibidem q. 3. Apollinaris 3. de anima q. 13. Burlæus, & Marſilius hoc loco. Hanc ſententiam, qui ſpecies proprias rerum ſingularium in intellectu dari arbitrantur ex eo maximè cõprobare poſſunt, quòd intellectus priùs conſignetur ſpecie rei ſingularis, quam vniuerſalis, faciliùsque ac promptiùs excitetur ad eliciendum cõceptum adæquatum tali ſpeciei, exprimentem ſcilicet totum id, quod ſpecies repræſentat, hoc eſt, ipſam rem ſingularem, quàm ad formandum conceptum naturę communioris, ad quam ea ſpecies nec primariò, nec adæquatè inclinet. Verùm quia illuſtrior, magisq; Peripapetica eſt contraria opinio prorſus negans intellectui eiuſmodi ſpecies intelligibiles, quæ adæquatè repræſentẽt ſingularia (qua de re 3. de anima) nos illi modò inſiſtentes ea probatione non vtemur. Nec verò deſunt aliæ ſatis firmæ ad propoſitum concludendum.

Eandem ſequũtur Ioannes Maior in 1. d. 3. q. 4. Baconus ibidẽ q. 1. Niphus 1. Metaph. diſput. 11. Trombeta 7. Metaph. q. 7. Antonius Andreas q. 14. Ioannes Canonicus 1. hpyſ. q. 2. Theneſis 3. de anima ad tex. 11. Piccolomineus in ſua Phil. Moral. gradu. 5. cap. 18.

Quod igitur conceptus rei ſingularis priùs, faciliùsq; à nobis eliciatur, quàm rei vniuerſalis oſtendi poteſt, primò; quia ſingulare eſt propinquum ſenſui, à quo intellectus hoc ſtatu cognitionem mutuatur, & in actu ſuo pendet. Quare priùs fertur intellectus ad ſingulare ipſum, quàm ad vniuerſale concipiendum.

Opinio magis Peripatetica non dari ſpecies rerum ſingularium.

Secundò, Conceptus rei ſingularis, cùm ſit notitia præſtantioris naturæ, perfectior eſt, quàm conceptus rei communis in eadem ſerie: ergo priùs, ſaltem origine, ab intellectu noſtro gignetur. Probatur conſecutio, quia, vt Scotus rectè argumentabatur, cauſſæ naturales, cùm nihil impedimenti ſubeſt, mox producunt nobiliſsimum effectum, quem poſſunt: at verò cum primùm ex phantaſmate rei ſingularis tranſinittitur ſpecies rei communis in intellectum, dantur cauſſæ, quæ ſufficiunt ad productionem conceptus rei ſingularis; nimirum eiuſmodi ſpecies, & phantaſma; nec quicquam eſt quod impediat. Quare is conceptus priùs omnino elicietur.

Experientia dux philoſophiæ.

Tertiò, Experientia ipſa dux philoſophiæ ac magiſtra veritatis palam teſtatur, cùm res aliqua ſingularis ſenſum ferit, nihil priùs à nobis concipi, quàm rem ipſam ſingularem: aduerſatur ergo experientiæ, qui negat ſingularia priùs à nobis intelligi.

Impugnatur prior modꝰ cognitionis reflexę ſupra explicatus.

Poſtremò, Si intellectus nõ intelligeret ſingularia niſi reflexè, & eo præſertim modo, quem aduerſariæ partis auctores tradũt, ſequeretur in primis nullum ſingulare à nobis determinatè concipi, ſed ſub

sub notitia vaga duntaxat. Nam si nullum hominis v. g. indiuiduũ apprehendimus nisi scrutando singulare, à quo species hominis in commune genita est (qui erat prior modus explicandi cognitionem reflexam) cum eiusmodi species à Socrate, vel à Platone, & alio quouis homine sine discrimine emitti potuerit, certè ea ratione ad nullum hominis indiuiduum definitè perueniemus. Idemque accidet, si singulare non percipiamus, nisi dum arguendo aduertimus communem hominis v. c. naturam necessariò re ipsa in aliquo singulari existere, quo pacto alij cognitionem reflexam explicabant. Etenim cùm hominis natura in omnibus suis inferioribus contineatur, non magis ad hoc singulare, quàm ad illud eo pacto ducemur. Rursus si prior ille modus cognitionis reflexæ verus esset, sequeretur conceptum rei singularis efformari non posse, nisi interposita lõgiori mora, dum scilicet intellectus eiusmodi recursus obit; imò nec elici nisi ab homine exercitato, quique priùs ab alio edoctus fuerit, quo modo quasi filo, vt in Dædali labyrintho, viam regens per circuitus illos, & ambages, ad phantasma redeat. Quare minùs fuisset à natura homini consultum, cui tam perplexa & difficilis via data esset ad intelligenda singularia, in quibus tractandis omnis eius vita versatur.

Refellitur posterior.

ARTICVLVS III.

DILVVNTVR ADVERSARIÆ partis argumenta.

NVnc eorum argumentis occurramus, qui ostendere nituntur priùs vniuersalia, quàm singularia in nostrum intellectum cadere. Ad primum dicendum non oportere priùs intelligi id, quod species primariò repræsentat; sed id, ad quod magis excitatur intellectus; magis autem excitatur, ac ducitur ad intelligendũ singulare, licet inadæquatè, & implicitè in specie intelligibili repræsentatum; quia phantasma, quod in sensu interno intellectui assistit, est ipsius singularis, prævaletque ad determinandam ad illud intellectionem ob depẽdentiam intellectus nostri à sensu, hoc rerũ statu; quantumuis species intelligibilis ex se magis ferat ad rẽ vniuersalẽ.

[a] Secũdi argumenti explicatio vt illustrior sit, aduertendum est duobus modis dici posse cognitionẽ impediri à materia; vno ex parte subiecti; altero ex parte obiecti. Ex parte subiecti; quia quò illud magis materiale est; eo minùs idoneum ad vim cognoscendi; cum semper hęc non nihil abstractionis à materia desideret. Vnde Aristoteles 2. de anima c. 12. tex. 124. causam cur plantæ cognitione prorsus careant (etsi eis Plato quasi dormientem sensum dederit) ad ipsarum cõcretionẽ, & vt vocant, materialitatẽ refert. Contra verò quò

Quo pacto materia impedit cognitionẽ.

[a] Ex Henrico Gandauensi 1. par. summ. art. 36. q. 1. lege etiam pro tadẽ re Auerroem disput. 3. contra Algazellem D. Tho. 1. sent. 23. q. vnica n. 1. & 2. cõtragent. cap. 44. Zimarã in theor. Propos. 1.

Plantę ob nimis terreſtré corporis cõpagem ſenſu carent.

res magis à materia emergunt, eò perfectiorem obtinent cognoſcẽdi gradum, vt videre eſt in bellua, homine, & angelo: hominis enim cognitio perfectior eſt, quàm belluę, quia forma hominis poteſt extra materiam cohærere, non autem belluæ: & angeli item cognitio nobilior, quàm hominis, quia angelus prorſus materia vacat, non homo, qui ex corpore & animo conſtat. Iam verò exparte obiecti dicitur materia impedire, ſeu retardare cognitionem ob eas potiſsimùm cauſas, quæ in propoſito argumento continentur. Verùm ſi quis animum aduertat facilè videbit ex nulla earum colligi poſſe intellectionem plus à materia rei ſingularis, quàm vniuerſalis impediri. Non enim materia rei ſingularis aut magis potentia eſt, aut intellectui diſsimilior, quàm materia rei vniuerſalis. Nam quod obijciũt naturam ſingularem magis eſſe materia demerſam, ideſt, conſtitui ex materia magis contracta; id nihil momenti habet. Non enim cõtractio illa difficiliorem reddit apprehenſionem rei ſingularis; quin verò naturæ communes non niſi beneficio ſingularium, quæ primò in ſenſus, deinde in intellectum ſpecies imprimunt, intelligi à nobis poſſunt. Quo fit vt materia indiuidua non modò non impediat, aut retardet cognitionem; ſed pro ſua etiam parte iuuet, ac promoueat, quatenus eſt in re ſingulari, à qua omnis noſtra cognitio ortũ habet.

Intellectio non magis à materia rei ſingularis quã vniuerſalis impeditur.

Ad tertium, dicendum cum Gregorio in 1. d. 3. quæſt. 4. art. 3. & Ochamo d. 3. quæſt. 6. pueros non iccirco primùm omnes viros patres appellare, quod communem patris, aut viri rationem primò concipiant, ſed quia humore, & ea, quam humor exhalat, nebula cerebrum occupante, adeò in illis interior ſenſus obductus eſt, adeòq; imperfectè & quaſi per vmbram operatur, vt ſingularia illa non niſi ſub imperfecta & vaga notione percipiant, nec parentes ab alijs dignoſcant, donec vi diſcernendi polleant, quæ ætate procedente ſenſim emergit. Quòd ſi aduerſariorum ratio concluderet, eodem modo, vt auctores citati animaduertunt, probari poſſet belluas primùm naturam communem apprehendere, quam ne apprehendunt quidem. Videmus ſiquidem agnos recèns natos quamlibet ouem, quaſi matrem ſequi; nimirum quia dũ vegetiori carent ſenſu, omnes oues tanquam matres apprehendunt. At enim quia vaga illa, & confuſa ſingularium notitia, quatenus circa nullum ſingulare definitè verſatur, conceptui confuſo rei vniuerſalis admodum cognata eſt; ideò Ariſtoteles ab ea ſumpſit argumentum, quo vniuerſalia priùs à nobis intelligi comprobauit,

Cerebri humiditas intelligẽdi actum interturbat.

Notitia vaga ſingularium.

Ad quartum, reſpondendum eſt adæquatum obiectum intellectus, vt ex 9. Metaph. cap. 11. tex. 20. colligitur, non eſſe vniuerſale; ſed ens in tota ſuæ ſignificationis amplitudine, quo pacto tam vniuerſalia, quàm ſingularia complectitur: dici tamẽ interdum vniuerſale, obiectum intellectus; quia cognitio vniuerſalis, propria illi eſt, vtpote, quæ ſoli intellectui competit, & ſi non ſola; ſeu (quod eòdẽ redit) quia intellectus per vniuerſaliũ cognitionẽ præſtat ſeſui

Obiectũ adæquatum intellectus.

Lege d. Tho. 1. p. q. 101. ar. 2. & in 2. ſent. d. 23. q. 2. ar. 2. Galenũ lib. de loc. affec.

qui

qui licet singularia percipiat, vltra ea tamē nō ascendit. Reliqua verò Aristotelis testimonia intelligenda sunt de cognitione scientiæ, qua intellectus, vt ex 1. libro posterioris Analyticæ constat, vniuersalia per se ac primò contemplatur; singularia verò non nisi ex accidente & secundaria ratione,

Quinti argumenti solutio plus habet difficultatis; illo namque Aristotelis testimonio ex c. 4. lib. 3. de anima, tanquam gladio Delphico variè vtuntur Peripatetici. Nonnulli, è quibus est Henricus Gandauensis quodlib. 5. q. 15. D. Thomas, eiusq; sectatores & plerique alij, quorum explicationem in argumento retulimus, elicere ex eo conātur singulare posteriùs à nobis intelligi; alij intelligi priùs. Atque ex hisce posterioribus est Gregorius Ariminensis in 1. d. 3. q. 3. art. 2. & Burlæus initio huius libri. Reiecta tamen huiusce rei pleniori disceptatione ad eum locum tertij de anima, breuiter hìc dicendum Aristotelem vel nihil ibi de discrimine inter directam, & reflexam cognitionem tradere voluisse; sed docere duntaxat animam percipere vniuersale alia facultate distincta à sensu, quo singulare percipit; distincta quidem, vel re ipsa, vel sola ratione; sicuti linea flexa sola ratione differt à se ipsa protensa; quod admodum probabile est. Vel, si etiam directæ, & reflexæ cognitionis discrimen indicare voluit, haud obscurè cognitionem reflexā, quam singulari attribuit, priorem fecisse directa, quam assignat vniuersali. Hæc est enim eius loci sententia; Anima percipit vniuersale, sicuti cùm extensa fuerit linea flexa; quasi videlicet mens in cognoscendo singulari priùs se inflectat ad sēsum, postea verò recto intuitu sese ad percipiendum vniuersale conuertat. At neque iuxta hanc expositionē dici debet singulare cognosci reflexè, sed inflexè potius, vt ex contextu Græco planum est. Vnde patet Aristotelem eo loco, aut neutri parti præsentis controuersiæ, aut nostræ potius fauisse. Lege etiā Fonsecam lib. 1. Metaphys. cap. 2. q. 3. sect. 5.

Explicatur locus Arist. in 3. de anima.

Singulare nō tam reflexè, quam inflexè a nobis intelligi.

QVAESTIO. V.

VTRVM SINGVLARE substantiæ, an accidentis à nobis primò intelligatur.

ARTICVLVS I.

QVIBVS ARGVMENTIS videatur primò intelligi singulare substantiæ.

SVperiori disputatione statuim⁹ priùs à nobis singulare, quã vniuersale intelligi; sequitur vt quod nam illud singulare sit, accidentis ne, an substantiæ, videamus. Quod igitur singulare substantiæ in nostrum intellectum primò cadat, suaderi potest in primis testimonio Aristotelis 7. Metaphysicæ cap. 1. tex. 4. vbi ait substantiam esse cognitione priorem accidentibus. Deinde hac ratione. Id intellectus primò concipit, quod primò cogitatiua apprehendit; nam & cum hac primò coniungitur intellectus agens; sed cogitatiua primò apprehendit substantiam singularem, ergo & intellectus. Maior proposito suadetur quia ex doctrina D. Dionysij cap. 4. de diuinis nominibus, infimum summi coniungitur summo infimi; summum autem inter potentias cognoscentes est intellectus; infimum verò facultas sensitiua: itemque omnium intellectuum, humanus infimus est, & inter omnes sensitrices facultates cogitatiua summa habetur. Minor probatur, quia cùm substantiæ cognitio, accidentium perceptione nobilior sit, illam priùs, quam hanc cogitatiua eliciet, si causa naturalis non impedita edit primò nobilissimum effectum, quem potest.

Aristot.

D. Dionys. In fimũ summi coniungitur sũmo infimi.

Parte 1.

Item, Anima nihil priùs, quàm se ipsam intelligit. Non ergo priùs accidens, quàm substantiam percipit. Probatur antecedens, nãque id anima priùs intelligit, quod ipsi maximè præsens est; nihil autem illi, magis quàm ipsa sibi cohæret, ac præsto adest.

Deniq;, Quod saltem Deus in hominis intellectum primò cadat hunc in modum ostenditur. Id, in quo cætera cognoscimus, & quo de alijs iudicamus, primò nobis perspectũ esse oportet; vnde priùs lucem, quàm colores sentimus, & principijs, quàm conclusioni, priùs assensum damus; sed quicquid cognoscimus, non nisi in luce primæ veritatis cognoscimus, & per eam de cæteris iudicamus, vt scripsit Plato in Timæo, & D. Augustinus 12. libro de Trinitate cap. 2. Igitur primò cognitum à nobis est veritas prima, idest, Deus.

Plato. D. Augustin⁹

ARTICVLVS II.

QVÆSTIONIS explicatio.

IN hac quæstione diuersi diuersa, atq; aduersa sentiũt. Etenim sũt, qui putent substantiã nõ modò nõ intelligi à nobis primò, sed ne intelligi quidem, nostramq; omnem perscrutationem circa substantiarum inuolucra, idest, accidentia, immorari, nec ad ipsam rei essentiam, aut substantiam peruenire. Quã de re lege, si placet, Nicolaum Cusam in libris de docta ignorantia, & in 3. Idiotæ dialogo copiosè differentem. Alij censent priùs concipi à nobis substantiam, quàm

Variæ sententiæ de singulari primò cognito.

Lege Herus. ũ quodl. 3. q. 12.

quàm accidens; & ex his quidam priùs vniuersale, alij singulare; rursumque ex his postremis quidam singulare vagũ, alij determinatũ.

Conclusio.

Sit tamẽ conclusio. Singulare, quod à nobis primò concipitur, est singulare sensibile, determinatum, non substantiæ, (si eius formale spectetur) sed accidentis concretè sumpti. Hæc conclusio intelligi debet sublatis impedimentis. Probaturque sigillatim. Nam cùm nostra cognitio ortum habeat à sensu, eoque vtatur velut præuio satellite, id primò mentem subit, quod primò sui speciem in sẽsus imprimit: hoc autem, vt ex superioribus constat, si nihil obsit, est singulare sensibile determinatum. Esse verò huiusmodi singulare nõ substantiæ; sed accidentis, inde suadetur, quia substantia non mittit sui similitudinem ad sensum, alioqui esset sensibilis per se, quod negat Aristoteles 2. de anima cap. 6. tex. 65. Deniq; debere id esse singulare accidentis concretè, non abstractè sumpti, ex eo ostenditur, quia vnaquæque res ita sensu percipitur, vt in eum agit. Quare cùm singulare sensibile non nisi concretè sumptum agat. (Neque enim id, quod calefacit est hic calor, sed hoc calidum, docente Aristotele in lib. de sensu & sensili cap. 6. quia actiones sunt singularium per se existentium) fit vt singulare sensibile concretum primò sub sensum cadat, & ex consequenti primùm ab intellectu percipiatur. Adiecimus verba illa, si eius formale spectetur, quia cùm concreta accidentium, quæ sui speciem in sensus mittunt, substantias connotent, necesse est, vt tam ipsa, quam substantiæ, eodem actu apprehendantur; sed hæ vt connotatæ, & accidentibus inuolutæ, ac proinde secundaria ratione, & implicitè; illa vt formaliter significata, atq; adeo primò & per se.

Actiones sõt singularium per se existentium.

Ex his, quæ hactenus docuimus, licebit colligere id, quod inter naturas cõmunes à nobis primo loco intelligitur, esse naturam specificam eius accidentis, quod amotis impedimentis priùs sub sensũ cadit; quod asserit Scotus 7. Metaph. q. 3. & Iandunus ibidem, alijque non pauci.

ARTICVLVS III.

OCCVRRITVR PRIMI articuli argumentis.

Solu. 1. argu.

AD primum argumentũ initio quęstionis propositum dic Aristotelem eo loco septimi Metaph. loqui de accidente secundum accuratam & distinctam cognitionem, quę per auscultationem habetur, quo pacto substantia cognitione prior est; cum sine illa accidens nec absolutè intelligi, nec perfectè definiri possit. Nos verò in præsentia agere de accidente secundum notitiam confusam viã inuentionis.

Quo pacto substantia sit cognitione prior accidẽte.

Ad

Solutio 2. argumenti.

Ad secundum, Suppositā nunc illa sententia quę præter sensum communem, plures sensus internos facit; quod an ita sit in libris de anima disquiretur; respondemus in primis negando maiorem propositionem. Non enim intellectus agens cum sola cogitatrice potētia iungitur; sed cum phantasia quoque, imò & cum sensu communi, vt quidam putant. Quare cùm hæ facultates sola accidentia percipiant, solam accidentis similitudinem vnà cum intellectu agente in patientem primò inferent. Quod verò ad illud D. Dionysij effatum spectat, dicendum erit omnes internos sensus reputari summū inter potentias cognoscitiuas organicas. Aliter etiā eidē argumento occurri potest, videlicet admittendo maiorem propositionem cum Ianduno 1. de anima q. 10. & Caiet. 1. p. q. 85. art. 1. sed negando minorem. Licet enim cogitatiua ex accidentis similitudine imaginē substantiæ effingat: tamen saltem priùs natura apprehēdit accidens, cuius speciem à phantasia recipit, esto illius, quàm huius, apprehēsio nobilior sit. Est enim rata naturæ lex, vt quælibet potentia id, saltem priùs origine, concipiat, cuius similitudine primo excitatur. Adde etiam cogitatricem vim non nisi arguendo, & quodam veluti discursu, vt pleriq; arbitrantur, ad apprehensionem substantiæ deuenire, proindeq; non posse non imaginem accidentis, cum qua intellectus agens mox concurrat, sibi priùs efformare. Denique Richardus in 2. d. 24. q. 3. circa 3. principale, Heruæus quodl. 3. q. 12. negant substantiam ab vllo sensu percipi. Quæ sententia in vtramq; partem probabilis est: placuit autem affirmatiua D. Thomæ in 4. d. 49. q. 2. art. 2. & in opusc. 29. Auerroi 2. lib. de anima comm. 63. Caiet. 3. p. q. 76. art. 7. alijsque compluribus. Qua de re luculenter scripsit Mirandula lib. 5. de examine vanitatis cap. 10.

Altera solutio eiusdē argu.

Cogitatiua priùs, saltem natura, apprehendit accidens, quàm substantiam.

3. solutio aliorum.

Sol. 3. argu.

Ad tertium, dicito ex doctrina D. Augustini lib. 14. de Trin. c. 6. dupliciter intelligi posse mentem nostram sibi presentem esse, videlicet præsentia essentiali; quia nimirum à se ipsa non abest: vel obiectiua, quia sibimet conceptu aliquo obijcitur. Priori modo non posse quicquam priùs, aut magis præsens illi esse, quàm ipsa sibi est: posteriori priùs sese illi exhibere rem singularem sensibilem, cuius speciem recipit, maximè cùm se non nisi actu reflexo intelligat, postquam videlicet ad alia protensa in se ipsam recurrit. Quod Aristoteles significauit 3. de anima cap. 4. tex. 8. aiens cùm intellectus singula intelligibilia effectus fuerit, tunc demū sui ipsius capere notionē.

Anima nō nisi actu reflexo se ipsam intelligit.

Quo pacto anima in se reciprocet iuxta D. Thomam 1. p. q. 87. ar. 1.

Solutio 4. argumenti.

Ad quartum, omissa longiori disputatione, quā persequitur Hēricus Gand. 1. p. summæ art. 24. q. 7. & D. Tho. opusc. 70. q. 1. ar. 3. & 1. p. q. 88. art. 3 & Scotus in 1. sent. d. 3. q. 4. respondendum est ea quæ intelligimus, non dici apud Platonem & D. Aug. percipi à nobis in luce primæ veritatis tanquam in re cognita; sed tanquam in ratione cognoscendi, idest, non quasi dum quidpiam intelligimus ipsam primam veritatem priùs cognoscamus: sed quia nihil in nostrum intellectū cadit, nisi quatenus in eo prima veritas elucet,

Hac de re D. Grego. in 9 Nazi. in sãctũ laudem orat. 3.

& participatur, & sacrum illud ac diuinum lumen, vt rebus ipsis veritatem, ita nobis vim eius percipiendæ, tuendæque largitur, vt ex eodẽ Platone D. Gregorius Nazianzenus inquit. Enim verò quod ipsa prima veritas in se sumpta à nobis haud primò cognoscatur ex eo planum est, quia in hoc vitæ statu ad naturalem Dei cognitionem nõ nisi ex antecedente sensibilium rerum notitia prouehimur. Atque hæc de ordine vniuersalia, & singularia à nobis intelligendi satis sint.

Nihil intelligimus nisi lumine è diuinè lucis fonte ad nos defluente.

Capitis secundi explanatio.

ABSOLVTO huiusce disciplinę proœmio, sequitur tractatio ipsa, in qua Aristoteles imitatus naturam, quæ à principijs opus inchoat, disputationem rerum naturalium ab earum principiis orditur. Seruat autem in horum perquisitione eum ordinem, ac methodum, quam ipse ante præscripserat. Nam prius quam de singulis principijs particulatim differat, communes, ac generales eorum quæstiones pertractat, & ante omnia veterum sententias cõmemorat, vt ex earum dijudicatione firmior, atq; illustrior sit veritatis explicatio.

Methodus Aristotelicæ doctrinæ.

CAP. II.

Necesse est itaq; | Tradit modos, quibus principia statui posse videantur, vt ex ijs omnibus eos, quos probarit, excerpat, & principiorum numerum statuat; nõ omnes tamen recẽset: vt annotarunt D. Thomas, Auerroes, & Simplicius; sed qui magis ad rem præsentem faciũt. Possunt verò ij ad hãc summam, partitionẽque redigi. Oportet, aut vnum esse principiũ, aut plura: si vnũ, aut motus expers, aut mobile; si motus expers, aut finitum, aut infinitũ. Similiter si mobile. Rursũ, si plura, aut finita, aut infinita; si finita, aut duo, aut tria, aut alio certo numero cõprehensa. Si infinita, aut generis eiusdẽ, sed specie, & figura, situq; diuersa; aut genere etiã differentia, & interse pugnantia. Igitur Parmenides, & Melissus vnum duntaxat principium, idque motus expers inuexere, infinitum Melissus, Parmenides finitum. Diogenes Apolloniates, Anaximenes, Anaximander, & Thales vnum etiam, sed infinitum, & mobile. Hippasus, & Heraclitus vnum quoque, veruntamen finitum & mobile. Plura verò certo numero comprehensa constituerunt Plato, Empedocles, & Pythagoræi; Plato tria, Empedocles quatuor, Pythagorei decem. Infinita generis eiusdem, specie & figura diserepantia Leusippus, & Democritus: generis diuersi, & inter se contraria, Anaxagoras. Quo autẽ modo singuli sua dogmata intellexerint, ac defenderint, patebit in progressu, nosque id in quæstione de numero principiorum locupletius exponemus.

Modi, quibus principia videntur posse statui.

Qui vnum principiũ fecere.

Qui plura finita.

Qui infinita.

Textus 6. *Necesse* [a] *est itaq; aut vnum esse principium, aut plura: atq; si vnum, aut immobile, vt Parmenides, & Melissus inquiunt: aut quod moueatur, vt Naturales philosophi: quorum alij primum principium ignem statuunt, alij aquam: at si plura, aut finita, aut infinita: & si finita, vno autem plura: aut duo, aut tria, aut quatuor, aut numero quopiam alio: si infinita, aut generis eiusdem, specie differentia, vt Democritus, aut etiã contraria.* *Textus 7.* [b] *Non aliter inquirunt, qui ea quæ sunt quot sint scrutantur. Nam de his primùm quærunt è quibus sunt entia, vtrum vnum an plura: & si plura an finita, an infinita. Quare inquirunt an principium, & elementum vnum sit, an multa.* *Textus 8.* [c] *Consideratio igitur de eo quod est, an vnum sit, & immobile, Naturalis non est. Nam vt Geometræ nulla contra eum remanet ratio, qui principia tollit: sed aut alterius est scientiæ, aut omnium communis: sic neq; ei, qui de principijs differit.* Quan-

a Necesse est itaq; | Tradit modos, quibus principia statui posse videantur, vt ex ijs omnibus eos, quos probarit, excerpat, & principiorum numerum statuat; nõ omnes tamen recẽset: vt annotarunt D. Thomas, Auerroes, & Simplicius; sed qui magis ad rem præsentem faciũt. Possunt verò ij ad hãc summam, partitionẽque redigi. Oportet, aut vnum esse principiũ, aut plura: si vnũ, aut motus expers, aut mobile; si motus expers, aut finitum, aut infinitũ. Similiter si mobile. Rursũ, si plura, aut finita, aut infinita; si finita, aut duo, aut tria, aut alio certo numero cõprehensa. Si infinita, aut generis eiusdẽ, sed specie, & figura, situq; diuersa; aut genere etiã differentia, & interse pugnantia. Igitur Parmenides, & Melissus vnum duntaxat principium, idque motus expers inuexere, infinitum Melissus, Parmenides finitum. Diogenes Apolloniates, Anaximenes, Anaximander, & Thales vnum etiam, sed infinitum, & mobile. Hippasus, & Heraclitus vnum quoque, veruntamen finitum & mobile. Plura verò certo numero comprehensa constituerunt Plato, Empedocles, & Pythagoræi; Plato tria, Empedocles quatuor, Pythagorei decem. Infinita generis eiusdem, specie & figura diserepantia Leusippus, & Democritus: generis diuersi, & inter se contraria, Anaxagoras. Quo autẽ modo singuli sua dogmata intellexerint, ac defenderint, patebit in progressu, nosque id in quæstione de numero principiorum locupletius exponemus.

b Non aliter inquirunt] Variè hunc locum explicant Alexander, Simplicius & Auerroes. Videtur tamen significasse Aristoteles hanc, quam sequitur, philosophandi rationem, scrutando nimirùm Physicarum rerum principia, nequaquam nouã esse, cùm eam alij ante ipsum vsus-

vsurparint: qui cùm eorum, quibus vniuersitas constat, numerum, seu multitudinem inuestigarent, re ipsa nihil aliud, quàm quot essent rerum initia disquirebant.

c Consideratio igitur] Antequam eorũ placitum confutet, qui vnũ immobile fecere principium, ostendit non esse Physici negotij contra eos, qui ita senserint, disputationem inire; sed ad aliam id facultatem, altiorẽ ve scientiam attinere: eo quod Physiologię tollant principia, quibus sublatis omnis Physica disputatio collabitur, & euanescit.

d Quando principium non est] Ostendit eos, qui vnum duntaxat principium, idque motus expers faciunt, Philosophię Naturalis principia tollere. Primùm, quia ita vnum faciunt principium, vt asserant vnum tantum esse in natura ens; cùm tamen ratio principij multitudinẽ arguat; siquidem omne principium refertur ad id, quod ab eo dependet, aut aliquo modo originem capit. Deinde, quia negant motum, atque adeò totam euertunt naturam, quę principium motus, & quietis dicitur. Quare perinde esse cum his philosophis disputare, atque cum Heraclito, aut alio, qui omne, quod est, vnũ hominem esse diceret. Porrò Heraclitus cognomento tenebricosus, vnus fuit ex antiquioribus Philosophis, de quo illud narrant memorabile, quod quoties domo egrediebatur, flebat; sicuti & Democritus ridebat: quod alteri omnia, quę agimus, miserię: alteri ineptię videbantur. Aiebat quoq; Heraclitus rẽ nullã, ob perenne agitationem, qua voluũtur omnia, magis hoc, quàm suum oppositum esse; negabatque, vt quidam tradidere (etsi non tam animi assensu, quàm cõcertandi studio) communissimum, ac notissimum illud axioma, Impossibile est idem esse & non esse. Lege Aristotelem 4. Metaph. cap. 3.

Qui motum negant, naturã tollunt.

Heraclitus. σκοτεινὸς

d *Quando principium non est, si vnum tantum est, hoc que modo vnum. Alicuius enim est, aut aliquorum id, quod est principium. Considerare itaque an hoc modo vnum sit,* Textus 9.
perinde est atque contra aliam quamuis positionem, quæ sermonis gratia affirmetur, qualis est Heracliti, aut si quis id quod est, hominẽ vnũ esse dixerit differeres: aut contentiosam rationẽ diluere, quales quidem Parmenidis, & Melissi ambæ sunt rationes: quippe quæ, & falsa assumant, & non rectè concludant. Magis tamen Melissi ratio importuna est, Textus 10.
& dubitationem non habet: sed absurdo vno dato cætera accidunt. In hoc verò nulla inest difficultas. c *Nos autem* Textus 11.
ponamus quæ natura constant aut omnia, aut quædam moueri: quod quidem inductione est manifestum. At neq; omnia diluere conuenit; sed ea tantùm, quæ ex principijs demõstrando falsa concludunt: quæ autem sic non concluduntur, minimè: f *vt quadrationem, quæ per segmenta fit, Geometræ est dissoluere: at eam, quæ Antiphontis haudquaquam.*
g *Sed quanquam naturæ consideratio hæc non sit: quia tamen, quod dicunt, naturales dubitationes habere accidit, benè res fortassis se habuerit, si de eis aliquantisper differuerimus. Nam philosophiam habet consideratio.* Textus 12.

Prin-

Plato.

c Nos autem ponamus] Ostensurus Plato lib. 10. de legibus esse Deos, sumit priùs, vti rem omnium oculis peruiam, dari in naturæ vniuersitate motum. Hunc locum imitatus Aristoteles eadem hypothesi vtitur. Statuendum, inquit, est hoc Physiologię principium satis manifestum, videlicet. res Physicas motu cieri, siue omnes in vniuersum, sine earum saltem aliquas: alterutrum nanque ad rem propositam sufficit; & tamen hoc principium inficiantur Parmenides, & Melissus; cũ omne quod est vnũ tantum, idq; à motu liberum faciant. Quare cùm tã longo itinere à Physiologia deflexerint, nõ erit Philosophi Naturalis cũ ijs disceptare, & eorum rationes coarguere, sed eas, quę seruatis naturæ principijs, non rectè colligunt.

Quadratura circuli.

Antiphon. Hippocrates

f Vt quadrationem quę] Quemadmodum, inquit, Geometrę est dissoluere rationes, quę, per segmenta circulum quadrare nitebantur, non autẽ rationes quibus ad id Antiphon vtebatur, ita nec Physico incumbit Parmenidi, & Melisso respondere. Hunc locum vt intelligas aduerte quadrare circulũ esse reperire areã quadrati æqualem areę circuli. In huius autẽ rei perquisitione diu elaborarunt ante Aristotelis tempora multi excellenti ingenio Mathematici, atque inter alios Antiphon, & Hippocrates Chius, quorum meminit Aristoteles 1. libro posteriorum Analyticę cap. 7. tex. 23. & 1. Meteororum cap. 6. & 1. Elenchorum cap. 10. sed

neuter

neuter eorum circulum quadrauit, tametsi peiùs Antiphonti res processerit, qui inter argumentandum nonnulla Geometricis principijs repugnantia sumpsit. Quam ob caussam non attinet ad Geometram eius diluere rationes.

Hac de re luculenter scripsit hoc loco Simplicius ad tex. 11. & ex recentioribus Petrus Nonius, & Ioannes Bruteon in libellis, quibus accuratè demonstrant frustra Orontium conatum fuisse prędictam quadraturam ostendere. Vtrum verò ab alijs inuenta iam fuerit quęstio est. Nam Boetius in categoria relationum affirmat inuentam, quod etiam Iamblicho visum fuit, vt testatur Simplicius hoc loco. Alij tamen id pernegant. Sanè hisce proximis annis post diuturnam eius rei commentationem, eam tradidisse putatur Clauius in suis commentarijs super Euclidem ad calcem libri sexti. Et verò siue ita res habeat, siue non, parum omnino ad huius loci explicationem refert. Iamblichus.

g Sed quanquam] Tametsi ad Physicum non spectat aduersus Parmenidę, & Melissum disserere, init tamen cũ eis Aristoteles disputationem, propterea quod hęc perscrutatio aliquot naturales dubitationes attingat, & alia quædam, etsi á Physico, non tamen à Philosopho aliena. Ita hunc locum interpretati sũt Themistius, & Simplicio, etsi Alexãder, Porphyrio, & Auerroes aliter contextus verba distinguentes putarint significari ab Aristotele Parmenidem & Melissum de natura dicere, sed quę afferunt, non continere naturales dubitationes. Prior tamen interpretatio & veritati consona, & germanior habetur.

Textus 13. *Principium autem omnium accõmodatißimum est, quonam modo qui omnia vnum esse inquiunt,* h *(cùm ens multis modis dicatur) id inquiant. Vtrum omnia substantiam, an quantitatem, an qualitatem. Rursus vtrum omnia substantiam vnam, ceu hominem vnum, aut equum vnum, aut animam vnam, an qualitatem: hanc verò vnam, vt alborem, aut calorem, aut eius generis aliquid. Hæc nanq; omnia inter*

Textus 14. *se plurimum differunt, & dici non poßunt. Nam si substantia, & quantitas & qualitas sunt, & hæc quidem seu separata ab inuicẽ, seu non separata, entia sunt multa: sin verò omnia sint qualitas, aut quantitas (seu substantia sit, seu non sit) absurdum est: si tamen quod esse non potest, absurdum dicendum est. Aliorum etenim nullum præter substantiam est separatum, quando omnia de subiecta substãtia dicuntur. Sed Melißus id, quod est, infinitum eße ait.*

Textus 15. *Quapropter id, quod est, quantum est quoddam, cùm in quãtitate sit infinitum. Substantia verò aut qualitas, aut affectio infinita eße non potest, nisi ex accidenti, si quanta quædam sint simul. Nam infiniti ratio quantitate vtitur: non substantia, aut qualitate. Si igitur & substantia, & quãtitas sint, duo sunt entia, non vnum.*

Si

h Cum ens] Assumpta, vt Alexãder ait, Metaphysici persona duobus argumentis procedit Aristoteles contra Parmenidem, & Melissum. Primum, quod ab amplitudine entis, & multiplici eius significatu ducitur, ita se habet. Cùm ens multifariam, ac de multis dicatur nempe de substantia, de quantitate, deque alijs primis rerum generibus, quęrimus quo nam pacto entis nomen vsurpent, cùm omnia vnum esse dicunt? aut enim vnum duntaxat entis significatum sumunt, nempe substantiam, aut quantitatem, ita vt ex eorum placito omnia sint vel substantia, vel quantitas; aut omnia simul, ita vt non inficientur dari substantiam, & quantitatem, cęteraque entia; sed tamen asserant ea non esse plura. Si priori modò accipiant, vel eiusmodi ens erit aliquid commune, vel singulare. Si commune, necessariò multa sub se comprehendit, atque ita plura iam admittere cogentur. Si singulare, aut illud est substantia sine accidentibus, aut accidens sine substantia; si primum non poterit esse quid finitum, vel infinitum, vt ipsi appellant, cùm finitum, & infinitum sint affectiones quantitatis: si verò secundum, sequitur dari accidens extra subiectũ, quod fieri nequit. Iam verò si posteriori modo capiant, secum ipsi pugnant, dum enim substantiam, dum quantitatem, dum qualitatem dari in rerum natura inquiunt, plura concedũt entia, quę tamen alioqui negant, dum omnia vnum esse asserunt. Nullo igitur modo Parmenides & Melissus suam tueri sententiam possunt. 1. Aristotelis argum. contra Parmen. & Mel.

2. argum. i Præterea cùm ipſum quoque vnum] Eoſdem infectatur, & premit ratione deſumpta ex varia ſignificatione, vnius, hunc in modũ. Cùm Parmenides & Meliſſus omnia vnũ eſſe autumant, vel intelligunt vnũ continuum, vt magnitudinem; vel vnum quid diuiſionis expers, vt punctũ; vel ratione omnino vnũ, qualia ſunt gladius & enſis (quod enim intelligere nequeant vnum analogia, vel genere, aut ſpecie paulò ante demonſtratum fuit) ſi vnum continuũ, iam concedunt plura actu, vel poteſtate; cùm omne continuum infinitè ſecari poſsit. Si vnum diuiſionis expers; tollunt igitur quantitatem, & qualitates eidem inhærentes; atque adeò finitum, & infinitum; quod ipſorum poſitionem planè euertit. Oſtendit verò Ariſtoteles finitum non eſſe indiuiſibile: quia finitum eſt, quod finem obtinet, hoc verò indiuiſibili non competit, cùm ſit ipſe finis.

Omne continuum infinitè ſecari poteſt.

K Eſt autem de parte] Quia continuum, quod dixit poteſtate plura eſſe, totum quoddam eſt, dubitationem inſert de toto, & partibus vtrum ſint vnum, an plura, & quo nam modo? Ac quod nõ ſint vnum probari poſſe inquit ex eo, quia ſi totum eſt idem, quod pars, iã partes idem inter ſe erunt; videlicet quia quæ ſunt idem in vno aliquo tertio, inter ſe quoq; idẽ ſũt.

Quæſtio de toto, & partibus.

Si ſola ſubſtantia infinitum non erit, nec vllam habebit magnitudinem, quandoquidem eßet quantũ quoddam. i *Præterea cùm ipſum quoque vnum perinde atque ens multis modis dicatur, quonam modo ipſũ vniuerſũ inquiãt vnũ eße cõſiderandũ eſt. Dicitur autẽ vnũ, aut continuũ, aut indiuiduũ, aut quorũ eſſentiæ ratio vna eſt, & eadẽ. Si igitur id, quod eſt, cõtinuũ eſt, multa profectò eſt, cũ infinitè diuidi cõtinuũ poßit* k *Eſt autem de parte, & toto dubitatio fortaßis ad rationem non pertinens, ſed ipſa per ſe, vtrum pars & totũ vnum ſint, an plura, & quo pacto vnum aut plura, etſi plura, quomodo plura, quæ eadem ratio de partibus non cõtinuis. Etſi vtraque pars cum toto vnum ſint, vt indiuiduũ, quod ipſæ quoque inter ſe vnum erunt. At verò ſi vt indiuiduum; nihil quantum erit, aut quale, neque igitur infinitum id quod eſt, vt ait Meliſſus, neque finitum, vt Parmenides, cùm finis indiuiduus ſit, non id quod eſt finitum.* l *Sed ſi entia omnia ratione ſunt vnum, vt veſtimentum, & tunica; ſit vt eũdem, atque Heraclitus, ſermonem pronuntient. Boni enim, & mali, atque etiam non boni, & boni eadem erit eßentia.* Textus 16. Textus 17. Textus 18. Textus 19.

Quaſi ipſũ] Ait Lycophronem, & alios ideò in eam incidiſſe turbationem, quod ignorarent ens, & vnum dici multifariam; docetque perperam eos verbum, eſt, è ſermone tollere. Enim verò licet Socratem album & muſicum eſſe pronuntiemus; non proinde concedimus idem eodem modo ſumptum vnum & plura eſſe; ſed album, & muſicum, quatenus in Socrate inſunt, eſſe vnum quid ſubiecto; ratione verò, & eſſentia plura. Ex quo etiam fit, vt Socrates ipſe, de quo ea enuntiantur, non eodem modo vnum & plura dici debeat. Sicuti magnitudinem aſſerimus vnum eſſe & plura; ſed vnum actu, poteſtate verò plura. Porrò non conuenit hoc loco inter expoſitores qui nam ij fuerint, qui ad tollendam mul-

Ens, & vnũ multifariam dici.

l Sed ſi entia] Accedit ad aliud propoſitę diuiſionis mẽbrum. Si velint, inquit, omnia ratione vnum eſſe, iam Heraclitici dogmatis rei tenentur; coguntur enim fateri eandem prorſus eſſe cõtrariorum rationẽ, vt atri, & candidi; imò & contradicẽtium, vt candidi, & non candidi; proindéq; idẽ eſſe ens, & non eſſe ens. Ex quo tandem ſequitur omnia eſſe nihil. Sic enim licebit argumentari. Eadẽ eſt ratio atri, & candidi; ſed atrũ eſt non candidũ; & nõ candidũ non ens; non ens autẽ nihil: candidũ igitur nihil eſt. Quod etiã de cęteris pari ratione cõcludi poterit. Hîc aduerte huiuſmodi conſecutiones non ſimpliciter; ſed ex hypotheſi vim habere, ſi videlicet demus omnia vnum quid omnino eſſe, vt Parmenides & Meliſſus ponere videbantur. Quorum tamen dogma an ita ſe habuerit ſuo loco expendemus.

m Sed poſteri quoq;] Reprehenſionis aculeos conuertit in quoſdam Philoſophos, qui ne eandem rem & vnũ, & multa eſſe dicerent, atq; ita Parmenidi, & Meliſſo cõſentire viderẽtur, non audebant pronuntiare Socratẽ eſſe album, aut Philoſophum; ſed alij quidem, vt Lycophron, verbũ, eſt, è medio tollebant, appellantes Socratem album, Socratem Philoſophum. Alij amoto verbo, eſt, alia verba vſurpabant, aientes Socratem albere, Socratẽ philoſophari.

multitudinẽ, quã putabant inuehi verbo, eſt, ipſum in aliud cõmutabant. Aphrodiſienſis credit fuiſſe Platonem, cuius ſententia non probatur Simplicio, & quidem meritò. Conſtat enim ex Philebo, Sophiſta, & Parmenide Platonem neque vſum verbi, eſt, abeiuſmodi enuntiatis ſuſtuliſſe; neque ignoraſſe eandem rem vnum quid, & plura alio, & alio modo dici poſſe.

Habes hóc cap. ad tex. 8. tritũ illud Philoſophorũ axioma: Cõtra eos, qui principia negãt nõ eſſe diſputãdũ. Quod etiã ante Ariſt. vſurpauit Hippocrates in lib. de hominis natura. Eſt autẽ huius axiomatis ea ratio, quia pronũtiata cuiusq; ſcientiæ innitũtur principijs, quę ſi negentur, probari in eâdẽ ſcientia non poſſunt. Vel enim per alia principia oſtenderentur, vel per effecta. Nõ per alia principia, cũ ponimus ea etiã negari. Nõ per effecta; quia qui ita eſt alicui ſcientię infenſus, vt manifeſta eius principia inficietur, etiã rationes ab effectis ductas inficiabitur. Nullo igitur pacto principia ſcientię probari in eadẽ ſcientia poſſunt. Quid igitur? Nũ ſi principia negentur, diſputatio omnis cõtinuò ſilebit, & aduerſariorum peruicacia impune abibit? Minimè. Sed ſi ea ſcientia, cuius principia aduerſarij inficiatur, ſubalternata ſit, à ſubalternante opẽ requiret. Si nõ ſic, ad primam Philoſophiam prouocabit, vt eam illa ſuppetijs communiũ principiorum à calũnia vendicet. Poſcet quoque opem á Dialectica, vti ſibi ad rem propoſitam vtcunque confirmandam probabilia ſuggerat argumẽta. Sũt enim hæc primę Philoſophię, vt diſciplinarum omnium Reginę, itemque Dialecticę, vt communi earumdem adminiſtręcommiſſa munera. Quod ex ijs, quę primo libro prioris Analyticæ cap. 8. tex. 27. & 1. Topicorum cap. 2. apud Ariſtotelem leguntur, manifeſtum eſt.

Philoſophicũ axioma.

Dub.

Reſp.

Primæ Phil. & Dialecticę munia.

Quapropter bonum, & non bonum idem erunt, & homo itidem, & equus: ac ſermo de eo non erit, quòd vnum ſint entia, ſed de eo, quòd nihil ſint. Quin etiam id erit, tale eſſe, ac tantum. m *Sed poſteri quoq; perinde, ac veteres, turbati ſũt, timentes ne ipſis eueniret, vt res eadem vnum eſſet, & multa. Quapropter alij ipſum, eſt, auferebant, vt Lycophron, alij dictionem immutabant, vt hominem albere dicerent, nõ autem album eſſe, ne ipſum, eſt, adijcientes, multa id facerent, quod vnum eſt: n quaſi ipſum vnum, aut ipſum ens vno modo diceretur. Multa verò ſunt entia, aut ratione, vt, exempli gratia, alia eſt albi eſſentia, alia muſici, atque res eadem vtrunque eſt, aut diuiſione, vt totum & partes: quo ſanè in loco hæſitabant, & vnum multa eſſe fatebantur, perinde quaſi res eadem vnum, & multa (quanquam non oppoſita) eſſe non poſſet. Eſt verò ipſum vnum, & poteſtate, & actu. His igitur, qui hoc modo aggrediuntur, videtur fieri non poſſe, vt ea quæ ſunt, vnum ſint.*

Textus 20.

Textus 21.

Textus 22.

QVÆSTIO. I.

DISTINGVATVR NE TOtum re ipſa à ſuis partibus ſimul ſumptis; an non?

ARTICVLVS I.

QVÆ ARGVMENTA AFFIRmatiuam quæſtionis partem oſtendere videantur.

Palam esse totum distin gui re ipsa à qualibet parte.

PROXIMO cap. tex. 17. inseruit Aristoteles quæstionem de distinctione totius, & partium; quæ si de partib⁹ singulatim spectatis intelligatur, facilem habet explicatum, sicuti difficilem ea, quæ est de distinctione totius à partibus simul sumptis. Nam quòd totũ à qualibet parte re ipsa differat, ex eo perspicuè patet; quia alioqui, vt Aristoteles loco citato disputat, vna pars esset idem re cum altera, siquidem, quæ vni & eidem sunt eadem, inter se quoque eadem sunt.

De quo toto sit quęstio.

Num verò totum re ipsa à partibus simul sumptis disideat, anceps omnino quæstio est; eaque à nobis in præsentia discutietur. Nõ quærimus autem de toto per accidens aut ex aggregatione, cuiusmodi sunt homo albus, lapidum aceruus; nec de toto Metaphysico, veluti de animali, prout ex genere & differentia constat; nec etiam de toto vniuersali, vt de eodem animali, quatenus habet sub se species. Nanq; Philosophorum prope omnium consentiens opinio est hæc à suis partibus non distingui. Tantùm igitur in controuersiam vocamus, an totum physicum, verbi gratia, homo, quatenus ex corpore & animo coalescit; aut totum integrum, seu, vti vocant, integrale, vt magnitudo, à suis partibus simul sumptis re ipsa differat.

Aff. partis assertores.

Partem affirmatiuam tuentur Auicenna lib. 3. Metaph. c. 4. Scotus 8. Metaph. q. 4. & in 3. sententiarum d. 2. q. 2. eiusque sectatores eodem loco, Heruæus quodlibeto 2. q. 14. Caietanus in cõment. 3. partis, ad articulum quintum quæstionis sextæ, Capreolus in 3. d. 2. q. vnica, art. 1. Burlæus hoc loco, Ferrariensis tum q. 5. huius libri, tum 4. contra gentes, ad cap. 81. Zimara in theorematis propositione 75. & alij; quanquam duo hi posteriores de quolibet toto integrali, sicuti & Ioannes à Neapoli quodlib. 2. q. 7. de toto homogeneo contrariè opinantur. Porro cùm multis modis vnum ab alio re ipsa differre possit, non asserũt huiusce opinionis auctores distingui totum à collectione partium se toto, id est, per quãlibet sui partem; nec per aliquid sui, idest, per aliquam sui partem; sed se toto, idest, naturæ suæ integritate; vel (quod eòdem recidit) quia totum sit tertia quædam res, atque vnumquid per se; partes verò non nisi plura, etsi incompleta, vtpote, ex quibus totum ipsum conflatur & coagmentatur. Probatur verò hæc sententia his argumentis.

Inter eos dissidium.

Maironius in 3. d. 1. q. 10. Lichetus d. 2. q. 2. Bassolius in 2. d. 12. q. 2. Argentinas d. 15. q. vnica art. 4. Antonius And. 7. Metaph. q. 18 Iauell⁹ qu. ult. vlt.

1. argumen.

Primùm, Generatio est mutatio vna; habet ergo vnum simplicem terminum: sed is non est relatio vnionis, siue nexus materiæ & formæ; tum quia alioqui nulla esset generatio substantialis; siquidẽ nõ substantia, sed accidẽs gigneretur; tũ quia, vt Aristoteles docet 5. lib. huius operis cap. 2. tex. 10. ad relationem non fit per se vlla mutatio: nec etiam est forma, vt constat ex 7. Metaph. cap. 8. tex. 26. & 27. & multò minùs materia; cùm generationi supponatur, & ab ortu interituque libera sit; nec denique potest esse materia, & forma vnitæ; quãdoquidem quocunque modo accipiantur non sunt vnũ,

sed

sed plura. Erit igitur aliquid aliud ab his re ipsa distinctum, idest, totum. Corroboratur verò eiusdem argumenti vis, primùm quia aliquando nulla parte intereunte totum corrumpitur, vt patet in interitu hominis: deinde quia in morte Christi seruatoris nostri retenta vnione partium humanitatis cum Verbo dissoluta est vnio Verbi cum humanitate; quod fieri non potuisset, nisi alia esset vnio inter Verbum & humanitatem; alia inter Verbum, & partes simul sumptas. Ex quo sequitur humanitatem, & partes, non esse idem.

Secundò, Nihil potest se ipsum realiter cõponere; alioqui idem sibi ipsi causa esset, quod fieri posse negãt, omnium philosophorum assensu, Plato in Hippia Maiori, & D. Aug. 1. de Trin. cap. 1. sed partes realiter componunt totum; non sunt igitur ipsum totũ. Nec satisfaciet qui dicet partes nõ collectim, sed sigillatim acceptas totũ conficere. Enim verò totum non ex partibus diuulsis, sed in vnum collectis, fit. 2. argumen.

Tertiò, Si totum per se non distingueretur re ipsa à suis partibus, sequeretur contra commune philosophorum placitum nihil esse discriminis inter totum per se, & totum ex aggregatione. Probatur sequi. Nam si totum per se est suæ partes: cum partes sint plura entia, & omne totum, quod est plura, sit totum ex aggregatione, planè fit, vt totum per se sit totum ex aggregatione. 3. argumen.

Quartò, Accedunt ad hanc sententiam confirmãdam Aristotelis testimonia. Nam initio 2. de anima tex. 2. & lib. 7. Metaph. cap. 3. tex. 7. & lib. 12. cap. 3. tex. 14. Archytam Tarentinũ imitatus diuidit substantiam in materiam, formam, & compositum; asseritque hæc esse tres substantias. Item 5. lib. Metaph. cap. 14. tex. 19. ait sex non esse bis tria; sed semel sex. & lib. 7. capite 17. tex. vltimo syllabam, Ba, non esse B. & A. & eodem libro & cap. carnem non solũm ignem ac terram, aut calidum frigidũque; sed etiam aliud quidpiam esse; & apertiùs 8. lib. cap. 6. tex. 15. omnium, quæ partibus constant, totum non esse aceruo simile; sed aliquid præter partes. Videtur igitur Aristotelicę doctrinæ prorsus consentaneum, totum re ipsa à partibus suis distingui. 4. argumen. ex Aristotelis testimonijs.

ARTICVLVS II.

ARGVMENTA PRO negatiua parte quæstionis.

CONtrariam opinionem amplexi sunt de Græcis Themistius, Philoponus, Simplicius, Alexander, & Eudemus. Ex Latinis Dur. in 3. sent. d. 2. q. 2. AEgid. Rmo. hoc loco, Gregorius Arim. in 1. d. 24. quæst. 1. art. 1. cæterique è schola Nominalium. Idem Qui auctores negatiuã part. tueãtur.

Boetius. Plato. 1. ratio.

Idem etiam videtur sentire Boetius in lib. de Trint. cap. 3. & Plato in dialogo de vno omnium principio. Suadetur autem hæc sententia hunc in modum. Primùm, quæcunque ex eisdem constant partibus, re ipsa idem sunt; sed totum, & formæ, ac materiæ collectio, constant ex ijsdem partibus; ergo re ipsa idem sunt. Maior propositio conspicua est & ab aduersarijs in hac ipsa disputatione inculcata. Assumptio ostenditur. Nam quòd illa collectio per se sumpta, semota tertia entitate, constet ex partibus, non videtur quo pacto negari possit. Cur enim homo albus, cæteraque id genus composita, constare partibus dicentur; nõ verò collectio illa formæ & materiæ? At quòd constet ex ijsdem, quibus totum, luce clarius est. Quòd si quispiam ex eo velit huiusce argumenti robur infringere; quia pari ratione ostendi etiam posset totum non distingui à partibus separatis; siquidem tam disiunctarum, quàm coeuntium inter se partium collectio ex ijsdem fit partibus: is facilè reuincetur, propterea quòd satis pateat non eandem esse vtrobique rationem; quandoquidem partibus disiunctis deest vnio, sine qua totum per se non cohæret, quæ non deest partibus conjunctis, à quibus duntaxat hæc opinio totum non distinguit.

Item Paludanus in 3. d. 1. q. 1. Niphus 7. Metaph. q. 19. Achillinus lib. 1. de elementis q. 24. Sotus & Toletus hoc loc. vtrãque vero partẽ tuetur Sõcin. 7. Metaph. q. 42.

Refellitur responsio.

2. ratio.

Deinde, si totum physicum re ipsa differret à suis partibus, quia ab illis componitur; sequeretur totum ex aggregatione, vt aceruum lapidum, re ipsa quoq; à suis distingui, quod aduersarij negant. Probatur sequi. Etenim sicut homo v. g. ex materia & forma; ita aceruus lapidum ex lapidibus coalescit: alioquin totum nõ esset. Quòd siquis occurrat aceruum lapidum componi ex partibus non collectim; sic enim ab illis non differt; sed singulatim sumptis; idem de toto per se dicetur.

3. ratio.

Rursus, quæcunq; in rebus creatis realiter differunt, essentia quoque distinguuntur: atqui totum & partes non distinguuntur essentia; ergo nec realiter. Maior probatur, quia cùm realitas deferat secum essentiam, vbicũq; alia fuerit realitas, aliam dari essentiã oportebit, excepto mysterio Trinitatis, cui id proprium ac peculiare est, vt vnitas identitasque eiusdem numero essentiæ nõ impediat realẽ personarum distinctionem. Minor autem ex eo suadetur, quia essẽtia totius nihil est aliud quàm suæ partes, vt essentia hominis physicè considerati, materia & forma. Vnde & homo definitione physica essentiali per nihil aliud, quàm per suam materiam & formã, à Philosophis definiri consueuit.

4. ratio.

Præterea, quidquid aduenit enti constituto iam in actu, est accidens, vt constat ex ijs, quæ tradit Aristoteles hoc in libro c. 8. à tex. 75. atqui tertia illa entitas totius, si datur, aduenit materiæ copulatæ cum forma, quæ est actus: igitur tertia illa entitas est accidens, nõ substantia: sed accidens esse non potest, vt nemo nõ videt; quis enim dicat humanitatem esse accidens? ponenda igitur non est.

Ex. D. Tho. 4. cõtra gẽt. cap. 81.

5. ratio.

Item, si totum non esset res eadem cum suis partibus, possent diuina

uina virtute conſeruari partes ſimul ſumptæ, atq; vnitæ ſine toto; quod nequaquam videtur admittendum. Probatur aſſumptũ. Nam etſi totum nullo modo ſine partibus cohærere poſsit, propterea quòd illius eſſentia ex partibus conſtat: tamen cùm partes non conſtituantur ex toto, quid obſtabit, (ſi illud origine antecedunt, req; ab illo diſtinguuntur) quominùs ſine ipſo conſeruẽtur? At quòd hoc admittendum non ſit, ex eo ſuadetur; quia ſi anima Socratis informet materiam quantitate, cœteriſq; accidentibus inſtructam, ſanè coniunctum illud ex materia & forma, ſecluſa tertia entitate, intelliget, loquetur, loco mouebitur; deniq; omnes vitæ actiones adminiſtrabit; & ex conſequenti erit quoddam hominis indiuiduũ, atque adeò totum; ſimulque totum non erit, quia ita volunt aduerſarij.

Ad hæc, ea potiſsimùm ratione ducuntur, qui totũ à partib. diſtinguunt, quòd pro certo habeãt partes non eſſe vnum; totum verò per ſe, vnum eſſe: at partes ſimul ſumptæ reuera vnum ſunt. Non eſt igitur cur ab ijs totũ diſtinguant. Probatur aſſumptio. Nanque ideo homo v.g. vnum quid eſt, quia conſtat ex pura potentia & forma ſubſtantiali, vt aſſerit Ariſtoteles 2. lib. de anima cap. 1. tex. 7. & 8. Metaph. c. vlt. tex. 15; ſed illa materiæ & formæ collectio, dempta quacũque alia tertia entitate, coaleſcit ex pura potentia & forma ſubſtantiali: eſt igitur vnum quid per ſe. Corroboraturque iterum argumentum, quia ſi vnio imperfecta, ac ſecundũ quid, cuiuſmodi eſt, quę reperitur inter partes alicuius compoſiti per artem, veluti domus, aut nauigij, reddit partes vnum ſecundum quid: certè vnio ſimpliciter perfecta, qualis inter materiam & formam cernitur, reddet eas vnum ſimpliciter.

6. Ratio.

Eiuſdem cõfirmatio.

Accedit commune illud, & tritum argumentum, quòd res non ſunt multiplicandæ abſq; neceſsitate: nulla verò neceſsitas cogit ponere tertiam illam entitatem à partibus diſtinctam.

7. Ratio.

Tãdem, hui c parti fauet id, quod ait Ariſtoteles in 2. lib. de anima cap. 1. tex. 9. quemadmodum pupilla & aſpectus eſt oculus, ita anima & corpus animal, & illud D. Aug. 7. de Trin. cap. 4. Homo nihil aliud eſt, quàm anima & corpus. Item illud ex ſymbolo D. Athanaſij, Sicut anima & caro vnus eſt homo; ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.

8. Ex Ariſt.

D. Auguſt.

Symbol. Athanaſij.

ARTICVLVS III.

VTRANQVE PARTEM Controuerſiæ videri probabilem, veriorem tamen affirmatiuam.

IN hac diſceptatione difficile eſt, quid ſentias decernere; cùm vtraque opinio pro ſe magni nominis Philoſophos, & rationes penè pares

pares habeat. Quare in re prorsus ambigua, vtriusque partis argumenta diluemus, vt quam quisque magis probarit, amplectatur. Et verò nos in decursu harum in Aristotelem cõmentationum, partem sequemur affirmatiuam, quæ aliquanto verior, & ad alios Philosophiæ locos explicandos, tuendosque expeditior videtur.

Media quędã opinio aliorum.

Plenioris autem doctrinæ gratiã quædam obseruanda erũt. Quorũ primũ est nõ nullos adductos superioribus argumẽtis ex aduerso pugnantibus mediam viam tenuisse, asserentes totum & partes nec re ipsa differre, nec idem omnino esse; sed ratione distingui. Quorum placitum, etsi quibusdam arrideat; nobis tamen non probatur. Videtur enim in hac controuersia, si rem accuratè expendamus, aut innitendum prioris sententiæ fundamentis, sicque ponendam tertiam illam entitatem: aut posterioris, ac non solùm eiusmodi entitatem, vti superfluam, à toto ablegandam, sed & modũ illum realẽ, qui exigitur ad distinctionem rationis, si sermo sit de distinctione non in sola mentis notione existente, sed in rebus ipsis reperta. Nãque is etiam modus in tanta partium simul sumptarum, & totius identitate minimè necessarius existimari debet. Siquis verò obijciat Socratem habere in se modum quendam entitatiuum, in quo sita est ratio suppositi, cuius merito dicitur per se subsistere, qui modus neque illius humanitati per se sumptæ, neque materiæ & formæ in se spectatis conuenit: atque adeò Socratem differre à partibus simul sumptis ratione concepta. Occurrendum est non conferri hoc loco partes physicas cum supposito, sed cũ natura: Quod si cũ supposito comparentur, negandum non esse differre illas, vti argumentũ cõprobat. Sed de distinctione naturæ à supposito alibi.

Partes nõ distingui à toto sola ratione concepta.

Obiectio.

Dilutio.

Secundũ est, siquis roget quonam modo in ea sententia, quæ totũ non distinguit à partibus, collectio partium vnitarum, ab earundẽ non vnitarũ collectione disideat, per aliquid sui, an se tota? Respõdendum, nec per quanlibet, nec per aliquam sui partem distingui; cùm vtraque collectio eisdem constet partibus: sed distingui ipsa vnione, vt vnum quid per se à pluribus, quæ non sunt illud vnum: sed tamen erunt, si mutuò iungantur.

Collectio partium vnitarũ quo pacto differat à collectione earundẽ non vnitarum.

Tertiũ est, quosdam ex ijs, qui totũ physicum à partibus distinguunt, censuisse non differre totum continuũ, vt lineam, & superficiẽ à suis. Quod ob id non sine probabilitate dictũ existimari posset, quia ratio, ob quam prædicta distinctio inducitur, ea potissimùm videtur esse, quòd totum physicum, vnum simpliciter sit, eius verò partes absolutè plura entia, videlicet materia, & forma: quod quia in partibus totius continui non cernitur; quandoquidem non sunt actu plura entia, sed vnum quid actu, potestate verò plura; superfluum erit inter continuum & eius partes realem statuere distinctionem. Verùm hæc sententia non videtur aptè cohærere cum ea, quæ totum physicum à partibus re ipsa distinguit. Nec enim illa eo tantùm argumẽto, quod à totius vnitate desumitur, stabilienda est:

Qnosdã excipere totum continuum.

Sed parũ cõuenienter suę sententiæ.

sed

sed alia quoque ratione, quæ non minorem habet efficacitatem, & in toto etiam continuo vim obtinet; nimirum quòd nihil ex se ipso constare, aut causari queat: totum verò continuum ex suis partibus causetur, & constet, vt in primo articulo disputabamus.

ARTICVLVS. IIII.

DILVTIO ARGVMENTO-rum probantium distingui totum à suis partibus.

Dissoluamus nunc rationes primi articuli in eorũ gratiam, quibus totum à partibus non distingui magis placuerit. Ad primam respondendum est ex doctrina Aristotelis 2. huius operis cap. 1. tex. 14. & 7. Metaph. c. 8. tex. 26. & 27. in generatione cuiusq; rei duplicem terminũ reperiri, vtrunque suo modo simplicem: vnum minùs præcipuum, idest, formam, quæ in materiam inducitur: alterũ præcipuũ, nempe ipsũ cõpositũ, quod etsi à partibus collectiuè sumptis non distinguitur, nihilominùs vnũ quippiam est; quia eiusmodi partes; cùm sint pura potentia & actus substantialis, eo sunt ingenio, vt in vnam naturam coeant, vti superiùs dictũ fuit. Neque obstat quod vtrâque parte incolumi totum corrumpatur: nõ enim partes disitæ; sed in vnum collectæ rationem totius obtinent. Quo fit vt licet vtraque maneat, ijs tamen disiunctis totũ nihilominùs intereat, videlicet pereunte, non solum vnione, sed etiam integritate totius, quod citra vnionem minimè cohæret. Atque hinc etiam perspicua est solutio alterius partis eiusdem argumenti. Dicimus enim in morte Christi dissolutam fuisse vnionem Verbi cum humanitate; non autem cum anima & corpore inuicem disiunctis: propterea quòd separata anima à corpore desijt esse humanitas, quæ non nisi vnitis partibus existit: atque ita non potuit Verbum vnitũ esse humanitati, vt pote non iam existenti; potuit tamen vnitum esse partibus, quæ licet toto intereunte diuulsæ fuerint, in se tamen integræ, ac superstites manere.

Sol. 1. rationis 1. ait.

& confirmationũ eiusdẽ.

In morte Christi non fuit dissoluta vnio Verbi cũ anima & corpore disiunctis.

Secundæ verò rationi faciebat satis adhibita ibidem responsio. Nec quod deinde obijcitur quicquam efficit. Enim verò partes vnitæ; sed tamen diuisiuè sumptæ, conflant totum v. g. materia Socratis, cùm est copulata formæ, & eiusdem forma, cùm est adiuncta materiæ, componunt Socratem: non autem collectiuè sumptæ, quasi collectio ipsa materiæ & formæ Socratem constituat. Atqui totũ idem re cum partibus vnitis esse inquiunt, partes in vnũ associatas: nõ tamẽ collectiuè, sed diuisiuè accipiunt. Atq; hæc responsio

Sol. 2.

Quomodo sumptæ partes cõstituant totum.

valet ad infringenda alia complura iacula, quæ aduersarij eũdem ad scopũ torquent: quale est illud, partes esse in toto, vt inquit Ar. 4. huius operis cap. 3. tex. 23. nihil autem in se ipso esse posse. Item illud, partes antecedere origine ipsum totum; ordinari ad totum, & ab illo perfici: cùm tamen nihil se ipsum antecedat, nihil ad se ordinetur, aut à se perficiatur. Hæc enim omnia vera sunt, si de partibus vnitis diuisiuè, non autem collectiuè sumptis, intelligantur.

Explicatio aliarum rationum eòdem spectantium,

Sol. 3. Tertia ratio consecutionem haud rectè infert. Licet enim totum per se, & totum ex aggregatione in eo conueniant, quòd vtrunque sit suæ partes simul acceptæ; differunt nihilominùs; quia partes totius per se constituunt absolutè vnum ob causam ante explicatam; partes verò totius ex aggregatione constituunt absolutè plura; vnum verò secundum quid duntaxat; cùm simpliciter, actuque plura sint, & ita se habeant, vt nec inter se continuentur, nec sit in eis vna pars, quæ alteram tanquam actus suam potentiam subiectiuam eiusdem generis, hoc est, substantialem, informet.

Diserimẽ inter totum per se, & totum per aggregationem.

Sol. 4. Aristotelis verò testimonia facilem habent explicatum. Nanque in illa substantiæ partitione non accipit materiam & formam collectiuè; sed diuisiuè. Cæteris verò ibidem citatis locis tantùm significat partes nec abiunctas, nec diuisiuè acceptas, totum esse. Quanquã verba illa ex cap. vltimo libri. 7. Metaph. aliam attingunt difficultatem circa rei mixtæ è quatuor elementis concretionem, de qua in lib. de ortu & interitu.

ARTICVLVS V.

EXPLICATIO ARGVMENtorum, quibus ostendebatur totum à suis partibus re ipsa non differre.

Sol. primi Arg. 2. art. AD primum alterius partis argumentum dicendum est, quæ ex eisdem constant partibus, idem esse; dummodò ex ijs eodem pacto constent, quod in re proposita non accidit. Nam totum conficitur ex partibus, vt vnum quid per se; collectio verò partium non item; quia partes siue vnionem inter se habeant, siue non, & vt cunque accipiantur, non possunt non esse plura; & ex consequenti nequit earum complexio, vt vnumquid per se, ex ipsis constare.

Non possunt partes non esse plura.

Sol. 2. Ad secundũ similiter dicendum non eodem modo totum ex aggregatione & totum per se è partibus confici. Hoc enim conficitur è suis, vt vnumquid simpliciter; illud, vt simpliciter plura. Atque adeò quàm aptè è posteriori cõpositione; tam inepte è priori realis distinctio habetur.

Ad

Ad tertium, dicẽdum quemadmodum in toto, vt in homine, sunt duæ realitates partiales, nempe realitas formæ & realitas materiæ, & vna totalis videlicet integritas totius: ita dari vnam essentiam totalẽ & integram distinctam ab essentia partium, vt argumentũ cõcludit: quia tamen definitiones traduntur ad enodandam aperiendamq; rei naturam, quæ non nisi per partes, quibus cõstat, explicitè & distinctè traditas innotescit; inde esse quòd illa totalis éssentia per materiam, & formam definiatur. Præter illas tamen semper loco generis ponitur aliud in definitione, quod sit idem cum ipso toto, vt cùm dicimus, homo est substantia constans corpore, & animo rationali. Soln. 3. Distincta cõgnitio totius quo pacto habeatur.

Ad quartum, dicito omnem formam informantem, quæ aduenit enti in actu, esse accidens: integritatem verò totius non esse formam informantem; etsi habeat modum formæ comparatione suppositi. Qua de re lege, si placet, Heruæum in tract. de vnitate formarum q. 18. in solutione argumenti quadragesimi primi. Solut. 4.

Ad quintum, neganda est antecedens propositio. Ad eius verò confirmationem sunt qui respondeant ideo partes vnitas non posse absque toto conseruari, quia non nisi in ipso toto vniuntur. Verùm non satisfaciunt, quia perperam statuunt non vniri partes nisi in toto; cùm reuera, siue detur tertia entitas distincta ab entitate partiũ, siue non detur, negari minimè possit partes inter se quoque associari, & mutui amoris nexu coniungi. Quo fit vt nulla iam ab eis idonea ratio afferatur cur materia & forma cum hac vnione absque toto conseruari nequeant: præsertim cùm hæc origine antecedat eam, quam in toto habent, quatenus in ipso concurrunt. Quanquam & illud multò est verisimilius, materiam & formam præter relationẽ mutuæ vnionis, quam inter se obtinent, non habere aliam erga totum, quæ propriè relatio vnionis dicatur; sed geminum duntaxat respectum, quo, prout partes sunt, ad totum, quà totum est, referuntur. Prima sol. 5. Refutatio solutionis.

Est igitur aliorum responsio, producta forma confestim resultare totum, idque non per aliam actionem distinctam ab ea, qua forma producitur; atque ita fieri non posse, vt productione formæ non simul etiam totum gignatur. Sed neque hi nodum expediunt; siue enim resultantia illa totius, sit dicenda distincta actio, siue non; rationem non reddunt, quare à Deo nõ possit impediri. Secunda solutio. Non satisfacit.

Dicendum ergo potiùs non omnia, quæ realiter differunt, posse diuina virtute separatim existere; cùm nimirum vel vnum ex altero componitur, vt totum ex materia & forma; vel alterum continet totam alterius essentiam; vt materia & forma essentiam compositi physici; quia vtrunque satis videtur impossibile, siue dari rẽ sine partibus continentibus eius essentiam, siue partes sine re, cuius essentiam continent. Legitima solutio. Cur partes vnitę nequeant absque toto cõseruari.

Ad sextũ, admissa maiori propositione negãda est minor, & ad eius Solu. 5.

probationē dicendū hominē non iccirco dūtaxat esse vnū quid per se, quia ex pura potentia, suoque actu substantiali constat; sed quia fit vt tertium quidpiam ex ijs per se consurgens; quo pacto non se habet collectio formæ & materiæ, quæ non est aliquid tertium; sed forma ipsa & materia. Adde noluisse Aristotelem loco citato puram potentiam & formam substantialem esse vnum simpliciter; sed ex ijs vnum condi. Ad argumenti verò confirmationem respondendum

Refutatio cō firmationis. erit, licet vnio, quæ est inter materiam & formam, maior sit, quàm quæ inter partes domus, aut cuiuslibet alterius rei arte factæ, conspicitur: non proinde tamen vnionem illam efficere posse, vt materia & forma simpliciter vnum euadant: sed eo maiorem esse, quòd ita partes iungat, vt ex ipsis vnum quid per se coalescat.

Solu. 7. Ad septimum, dicito verum quidem esse philosophicū illud pronuntiatū, neq; ab eo deflexisse huius sententiæ auctores. Nec enim tertiam illam entitatem inuexere nisi cogēte necessitate, quam propositis argumentis explicarunt.

Soln. 8. Ad vltimum respondendum est effatum illud, Anima & corpus est animal, cæteraque id genus, vera esse in sensu non identitatem, sed causam indicante: ac si diceremus, animal constitui ex anima & corpore, vt ex sua forma & materia.

Ita patet haud magno negotio vtriusque partis argumenta dilui. A qua verò D. Thomas steterit, controuersum est; nec inter eius sectatores conuenit. Nam & ipsi, alij in priorem, alij in posteriorem iuere sententiam; & vtriq; eam, quam sequuntur, illius esse volunt.

QVÆSTIO. II.

SIT NE MATERIA PRIMA ex se diuidua, & extensa, an non?

ARTICVLVS I.

QVIBVS ARGVMENTIS pars affirmatiua ostendi videatur.

QVONIAM Aristoteles aduersus Parmenidem, & Melissum asseuerauit substātiam, ex se omni prorsus magnitudine, & extensione carere; id an verè dictum sit præsertim de materia, vbi maior occurrit difficultas, breuiter hoc loco expendemus. Non defuere, è recentioribus præsertim philosophis, qui partem quæst. affirmantem sequerentur; quibus hæc potissimum argumenta suppetunt.

Pri-

Primùm, materia ita ſub quantitate obliteſcit, vt diuerſæ eius partes diuerſis partibus quantitatis reſpondeant: ergo ipſa materia in ſe partes, atque extẽſionem poſsidet. Etenim quòd eiuſmodi partes materiæ à partibus quantitatis diuerſæ ſint, ea ratio probat; quia ſi à materia omnem prorſus quantitatem cogitatione ſeparemus, adhuc occurrent animo partes illæ ſubſtantiales materiæ, & à quantite & inter ſe re ipſa diſtinctæ. Primũ Arg.

Item, ſubſtantia corporea ſpectata prout naturæ ordine antecedit quantitatem, eſt actu quoddam totum integrum, conſtans partibus ſubſtantialibus ſibi intrinſecis: hæ autem partes, quoad ipſam ſubſtantiam, non adueniũt toti quantitatis beneficio: alioqui quantitas conferret eſſe ſubſtantiale, quod nemo dixerit: igitur ſubſtantia corporea ante omnem quãtitatem vendicat actu partes, è quibus integratur, & coaleſcit: atqui huiuſmodi partes nec eſſe, nec intelligi poſſunt abſque extenſione, cuius miniſterio pluralitatem, ſeu multitudinem ſortiantur: habẽt ergo ſecundum ſe propriam ac peculiarem ſibi extenſionem. 2. Argu.

Deinde, quidquid eſt cauſa antecedentis, eſt etiam cauſa conſequentis: ſed materia, ex cõmuni Philoſophorum conſenſu, eſt cauſa quantitatis, & hanc ſequitur diuiſibilitas. Igitur materia eſt cauſa diuiſibilitatis: atque adeò non à quantitate materia; ſed à materia quantitas diuiſibilitatem obtinet. 3. Argu.

Præterea, ſi materia non eſt ſuopte ingenio, vique propria, extenſa, vel ita ſe habet, quia ſua natura indiuiſibilitatem poſtulat: vel quia ex ſe eſt indifferens, vt diuidua, aut indiuidua ſit. Si detur primũ, ſequitur materiam nullo pacto diuiduam reddi poſſe; alioquin à natura propria decideret: ſi poſterius, nihil obſtabit quominùs materia aliquas partes inextenſas, & inſectiles habeat, quod Philoſophi negant. Quare non videtur inficiandum materiam primam ſeclusa quantitate extenſionem, ac diuiſibilitatem ſortiri. 4. Argu.

ARTICVLVS II.

MATERIAM PRIMAM Non niſi beneficio quantitatis extenſam, ac diuiduam eſſe.

CONtraria tamen ſententia vera eſt, & Ariſtotelicæ doctrinæ conſentanea, eamque tuetur maior ac melior Philoſophorum pars. Plotinus cap. 17. lib. 6. Enneadis 3. Auerroes in lib. de ſubſtantia orbis, M. Albertus hoc loco tract. 2 cap. 4. D. Thomas 1. p. q. 50. a. 2. Dur. in 1. Sent. d. 34. q. 1. Herueus quodl. 1. q. 15. Capreolus in 2. d. 18. q. 1. ar. 3. & d. 9. q. vnica. ar. 3. alijque complures. Suadetur verò hiſce rationibus. Si materia citra quãtitatem per Concluſio quæſtionis. Eius auctores. 1 Vt Bernard. Genaco apud Capr. in 3. d. Confirmatio.

per se extensa, & diuidua foret, sequeretur in quolibet composito physico plures simul extensiones reperiri, vnam quantitatis, alterā materiæ; imo plures dimensiones corporis quanti, trifariam dimensas: cùm illa materiæ extensio, si detur, nihil aliud reuera sit, quàm trina dimensio è genere quantitatis. At enim hoc nequaquā admitti debere ex eo patet; quia alioqui nihil impediret, quominùs facultate naturæ plures substantiæ corporea mole præditæ in eodem loco simul existerent, seque inuicem penetrarent: siquidem causa, ob quam repugnat eas simul esse non est earum substantia; cùm duo angeli in eodem loco pariter consistant; sed quantitas, quæ proprium locum situmque vendicat, vt testatur Aristoteles 4. huius operis cap. 5. tex. 45. Quare si in vno composito multæ trinæ dimensiones in eodem situ per naturam cohæreant, quæ iam ratio superet cur duas substantias corporeas eiusdem naturæ vi simul esse, ac se mutuò penetrare posse, inficiemur?

19.q.vnica ar. 3. Bassolius in 4.d.12.q.1 li dunus q.9 huius l.b. Zim. in theor. pp. 98. Fer ar. 5. huius op. q.4.

Cur duo corpora nõpossint esse simul

Natura neq; auara, neq; prodiga.

Secundò, Natura sicuti necessaria non denegat, ita neque superfluum quicquam facit: nec efficere pluribus consueuit, quod præstare æquè benè paucioribus potest, atqui per solam quantitatis extensionem potuit extendere & diuiduam reddere materiam, omniaque accidentia, quæ in ipsa magnitudine expansa sunt. Non igitur aliam extensionem præter eam, quæ à quantitate inducitur, corporeis substantijs natura attribuit.

Accedit auctoritas Aristotelis, qui cap. 2. huius libri tex. 15. docuit substantiam solius quantitatis merito extendi, & 5. Metaph. c. 13. tex. 18. inter affectiones quantitati proprias recensuit diuisibile esse.

ARTICVLVS III.

DILVVNTVR ADVERSARIÆ partis argumenta.

Responsio ad 1. Argu prim. art.

ARgumenta verò primi art. ita solues. Ad primum dicito cum Scoto in 2. d. 3. q. 4. eiusque discipulo Bassolio in 4. d. 12. q. 1. ar. 1. Ioanne Maiore eadem q. & alijs, materiam ex se, ac secluſa etiam quātitate, habere partes substantiales, ex quibus intrinsecè componitur; non eas tamen habere extensas, & ordinatim dispositas, atque vnam extra aliam, nisi ministerio quantitatis, cuius officium est eiusmodi partes, alioqui implicitas & confusas, explicare & euoluere. Itaque ad argumentum concedendum est quod assumit, fatendumque partibus quantitatis respondere partes entitatiuas materiæ tam inter se, quàm à materia re ipsa distinctas; sed

Lege ibidem Lichetū q. 3.

Ad. 2. negandum eas extendi sine quantitatis beneficio. Atque hinc patet solutio secūdi argumenti; cui quatenus assumit partes materiæ

non

Huiusmodi partes entitatiuas negat Capr. in 2. d. 18. q. 1. ar. 3.

non nisi ope quantitatis multitudinem sortiri, occurrendum, verum id quidē esse, si sermo sit de multitudine extensiua; non tamen de multitudine entitatiua substantiali, quod vocant habere partes & partes. Quocirca si à materia omnem quantitatis effectum cogitatione separemus, non iam eam cum partibus extensis concipere fas erit; nisi Deus eiusmodi effectum aliquo modo, ideſt, quoad extēsionē, quam vocāt negatiuam, suppleat; quod vtrum fieri possit non est huius loci persequi.

Materia ex se habet partes substantiales.

Ad tertiū, diuisibilitatem præstari materiæ à quantitate, & quātitati aliquo modo à materia, diuerso causæ genere. Materia nanq; sicut in genere causæ subiectiuæ tribuit esse quantitati; ita ei omnes affectiones eidem proprias, atq; adeò diuisibilitatem confert. Rursus verò quantitas in genere causæ formalis quasi vicem rependit semetipsam materiæ donans, eamque formaliter afficiens, & extensā, ac diuiduam reddens. Verùm licet ita res habeat; simpliciter tamen asserendum est diuisibilitatem à quantitate dari; siquidem causa formalis potior est. Vnde istiusmodi appellationes ipsis formis absolutè debentur, attribuunturque.

Ad 3.

Quo pacto quātitas dicatur sequi materiam explicatū est hoc in lib. q. 1. c. 4

Materia in genere causæ subiectiuæ confert diuisibilitatē quātitati.

Ad quartū, materiam haud iccirco dici nō esse ab se extensā, quòd natura sua poscat indiuisibilitatem, extensionemque à se remoueat, vt rectè probat argumentum; nec item propterea quòd indifferens sit, vt diuidua, vel indiuidua existat. Re enim vera nunquā sine extensione, & diuisibilitate cohæret, aut vllis naturæ viribus cohærere valet: sed quia licet ex se apta sit, vt extendatur; eam tamen extensionem non à se; sed quantitatis accessu obtinet.

Ad 4.

Capitis tertij explanatio.

EA [a] etiam soluere | Ingreditur ad dissoluendas Parmenidis, & Melissi rationes, etsi nullum habeant momentum, adeòque sint captiosę, & sophisticę, vt non modò falsum assumant; sed & formulam ipsam argumentandi nequaquam seruent. Priùs tamen Melissi diluit rationem, quod futilior sit, ac magis inepta, nullamq; habeat difficultatem. Erat autem illa in hunc penè modum concluſa, vt Simplicius, alijq; interpretes colligūt, Quidquid genitum est habet principium; ergo quidquid genitum non est, nō habet principiū; sed id quod est, genitū non est: ergo principiū non habet: quod autē non habet principium, neque habet finē; ergo id, quod est, finem nō habet; atque adeò infinitū est; sed id, quod est infinitū, necessariò est vnum, quia multa simul infinita esse non possunt; iam enim terminis definirentur; est igitur

Melissi ratio futilior.

CAP. III.

EA etiam [a] soluere, quibus id monstrant, non est difficile. Vterque enim & Melissus, & Parmenides contentiosè ratiocinantur. Nam falsa assumunt, nec rectè concludunt. Quanquam Melissi ratio magis est importuna, ac dubitationem non habet. Sed absurdo vno dato cætera sequuntur, quod quidem difficultatem non habet. Captiosè itaque Melissum ratiocinari manifestum est: sumpsisse enim arbitratur, siquidquid ortum est principium habeat, id non habere quod ortum non est.

Textus 23.

b De-

igitur vnũ: quare & immobile. Etenim cùm sibi semper simile sit, omnemque occupet locum, aliò ferri nequaquam poterit. Iam verò id quod est, non esse genitum ex eo probatur, quia vel ex ente, vel è nihilo esset genitum, quorum neutrum rectè dicitur, cùm ex nihilo fieri aliquid non possit: ex ente autem si quid fiat, antequam gignatur necesse sit esse, quod contradictionem inuoluit.

Melissi ratio cur magis importuna.

Hæc est Melissi ratiocinatio, quam Aristoteles magis importunam vocat, quia veritatem apertiùs oppugnat. Eam igitur refellit negando primam consequutionem, quod ex oppositi antecedentis oppositũ consequentis inferat, quę concludẽdi ratio, vt patet ex cap. 4. libri primi Elenchorum, nisi constet terminis reciprocantibus, omnino vitiosa est. Neque enim valet; Quidquid homo est, animal est; igitur quidquid homo nõ est, animal non est. Quod verò termini, ex quibus Melissi argumentatio componitur, non reciprocentur, satis patet. Namque si principium pro principio magnitudinis sumatur; genitum verò pro eo, quod generatione physica productum fuit, aliquid habet principium, quod genitum nõ fuit, nempe corpus cęleste.

b Deinde hoc quoque | Melissum insectatur, quod collegerit id quod est, cõstare infinita mole, eo quod careat principio, videlicet temporis; cùm tamen multa eiusmodi prĩcipium non habeãt, quæ infinita nõ sũt, nimirũ ponebat nõ dari principium temporis, aut generationis, siue substãtialis, siue accidentarię; sed rei, idest magnitudinis duntaxat, quod apertè veritati repugnat.

b *Deinde hoc quoq; absurdum est, cuiuslibet rei, & generationis, non solũ simplicis, sed etiã alterationis principiũ, non quidem temporis, sed rei esse, existimare: perinde quasi mutatio nulla simul fieret.* c *Quam itẽ ob causam si vnum est, immobile est? Cur etenim, vt pars, quæ vna cùm sit, vt hæc aqua, in loco eodem mouetur, non & ipsum vniuersum? Alteratio deinde qua de causa non erit?* d *Sed neque vnum specie esse potest, nisi eo, ex quo. Quo quidem modo Naturales quoque nonnulli vnum aiunt esse, illo autem non aiunt. Nam & homo ab equo, & contraria inter se specie differunt.* e *Idẽ contra Parmenidẽ rationum est modus, & si qui alij sunt proprij, solutio; est, partim quòd falsa sumit, partim quòd non concludit. Falsa quidem sumit, quatenus id, quod est, vno modo sumit dici, cùm multis dicatur: non autem concludit. Nam si sola alba sumantur, ipsumq; albũ vnum significet, plura alba, & non vnum, nihil minus erunt.* g *Neque enim quod album est continuatione erit vnum, neq; ratione, cùm alia albi sit ratio, alia eius, quod excipit. Nec separatus vllus albor erit: non enim vt separatus; sed alia alboris essentia est, alia eius, in quo est. Ad quam rem Parmenides animum non dum aduerterat.* h *Eos igitur, qui ens vnum esse inquiunt, necesse est sumere nõ solum ipsum ens, vnum, de quo dicatur, significare: sed quod propriè est, & quod propriè est vnum. Accidens namque de subiecto aliquo dicitur: quare id non erit, cui id, quod est, accidit: quandoquidem ab eo, quod est, diuersum est.*

Textus 24

Textus 25

Textus 26

c Quã item | Negat Melisso hanc cõsecutionẽ. Id, quod est, habet infinitam molem; ergo est expers motus. Nã esto aliò demigrare nequiret, cur eodem loco cieri non posset, vti cælum, quod irrequieta vertigine circumuoluitur, tametsi nunquam secundum se totum sedem mutet? Deinde licet motu ad locum agitari impossibile foret, cur alterationem non subiret, saltem ratione suarum partium? Hoc posterius membrum iccirco videtur Aristoteles adiecisse, quia vt ipse 1. de cœlo cap. 5. & 6. demonstrat, corpus infinitum moueri loco non potest.

Infinitũ corpus moueri loco nõ posset.

d Sed neque vnum | Postremò Melissum impugnat, quia intulerit id quod est, esse vnum, cùm fieri nequeat, vt omnia sint vnum specie; siquidem palam est hominem ab equo specie distingui. Ac licet, inquit, non omnino absurdum videatur asserere omnia eo, quod est, idest, subiecto, seu materia vnum esse, vt veteres Physici Thales, Anaximenes, Heraclitus, alijque nonnulli arbitrati sunt, asserentes nihilominus res naturales differe accidentibus, habereque rationes diuersas: affirmare tamen omnia eiusdem esse rationis, extremæ dementię est. Aduerte non admitti hîc ab Aristotele omnia entia ex materię permixtione constare; cũ multis

in

in locis, vt 8. lib. huius operis, & 12. Metaphys. res aliquas à materiæ fece absolutas in vniuerso dari concedat. Loquitur ergo de ijs tantùm, quę à veteribus peruestigatę, & inuentæ fuerant, hoc est, de rebus physicis. Neque verò harum omnium eandem speciem materiam esse opinatur, vt in primo libro de cœlo ostendemus; sed earum duntaxat, quæ sub lunæ orbe continentur, in quarum inspectione omnis penè antiquorum cura, & studium consumebatur.

Concedit Arist. res materiæ expertes.

e Idem contra Parmenidem] Confutat rationem Parmenidis, quam asserit & captiosè colligere, & à falso petitam esse. Etenim sic ille argumentabatur. Quidquid est pręter ens, est nõ ens; sed non ens nihil est: ergo quidquid est pręter ens, nihil est; id autem quod est, vnum est: ergo quidquid est pręter vnum, est nihil; ac proinde omnia vnum sunt. Hanc rationem ait Aristoteles falsum assumere; quia cùm ens multis modis dici soleat; de substantia videlicet, & accidentibus; à Parmenide tamen sumebatur perinde ac si vno duntaxat modo, seu vniuocè diceretur. Vnde maior propositio prioris syllogismi vera est accepto ente pro substantia, & accidentibus; sed tunc minor posterioris, scilicet ens est vnum, à veritate aberrat, quia substantia, & accidens, non vnũ omnino sunt, vt illi volebant; sed plura simpliciter, atque vnum aliquo modo; vtpote analogica vnitate.

Aliquid igitur, quod nõ est, erit. Quamobrẽ alij nõ inerit id, quod propriè est mõ enim entis essentiã habebit, nisi ens multa significet, ita vt vnũquodq; quidpiã sit: sed id, quod est, significare vnũ, est positũ Si ergo quod propriè est nulli accidit; sed illi aliquid aliud, cur id quod est, id potiùs, quod propriè est, quam quod non est, significat? Nam si id, quod propriè est, idem etiam sit album, albi autem essentia non est, vt propriè sit (siquidem id, quod est, accidere ei non potest, cùm nihil sit, quod propriè non est) ipsum album profectò non erit; non sic autem veluti aliquod non ens, sed omnino non erit. Itaq; id, quod propriè est, non erit, cùm id, quod propriè est, album esse verè affirmetur, quod quidem album, id quod non est, significabat: quare si album quoque id, quod propriè est, significat; id quod est, plura significabit. Textus 27.

Neq; igitur magnitudinem id, quod est, habebit, siquidem ipsum propriè est. Nam vtriusq; partis ratio, alia est. Id autem quod propriè est, in aliud quidpiam, quod propriè est, diuidi, ratione etiam manifestum est; veluti si homo ex his sit, quæ propriè sunt, necesse est & animal aliquid, quod propriè sit, esse, & itidem bipes. Nam si entia propriè non fuerint, erunt accidentia. Aut igitur homini, aut cuipiam alteri subiecto. At esse non possunt. Accidens enim aut id dicitur, quod inesse potest, ac non inesse; aut id, in cuius ratione id inest, cui accidit: vt sessio quidem est, vt id quod separatur, in simo autem, naris, cui simum accidisse dicimus inest ratio. Textus 28.

f Non autem cõcludit] Ostendit rationem illam vitiosè concludere, quia seruata eadem argumentandi formula, reque alia sumpta, antecedens verum erit, & consequens falsum. Si enim ponamus omnia esse alba, & album significare vnum, idest vniuocam obtinere rationem, vt re vera obtinet, sic licebit argumentari. Quidquid est pręter album, est non album; at non album nihil est, vt ex hypothesi constat; ergo quidquid est prater album nihil est; sed album est vnum, cùm sit vniuocum: ergo alba vnum tantùm erunt, non verò plura; in qua argumentatione id, quod antecedit, verum est; quod postremò colligitur, falsum.

Ratio Parmenidis vitiosè cõcludit.

Definitio accidentis.

g Neque enim] Ostendit futura adhuc nihilominùs plura alba, quia alba non erunt continuatione vnum; siquidem albor niuis, & lactis discreta erunt. Nec verò eandem habebunt rationem, quia natura alboris distincta erit a natura subiecti recipientis. Erit, inquit, distincta, non quasi dandus sit albor aliquis à subiecto abiunctus, sed quia non eandem vendicabit essentiam, quam subiectum, in quo inhęret.

h Eos igitur] Iterũ Parmenidẽ incusat alia ex alijs texens, plixa quadã disputatione, quę ad hũc

syllogismum redigi potest. Necesse est Parmenidem (si sibi constet) nomen entis pro sola substantia accipere; ex alia verò parte fieri nequit, vt ita sumat; vana est igitur, & inepta eius argumentatio. Maiorem, & minorem propositionem multis modis illustrat; tandemq; cõcludit nullum Parmenidi effugium relinqui, nisi vt fateatur accipi à se ens pro substantia, quę nulla ex parte diuidi possit, asseratque vniuersum ex indiuiduis partibus constare, quod Zeno Eleates eius discipulus concedere minimè recusabat.

Plato & Xenocrates segniter Parmenidi, & Zenoni restiterunt.

i Vtrique autem rationi] Plato eiusque auditor Xenocrates, vt constat partim ex Sophista Platonis, partim ex libro de lineis indiuiduis (siue Aristoteles, siue Theophrastus, siue alius quispiam eius libri auctor fuerit) aduersus Parmenidem, & Zenonem disputationem inierunt. Verùm ea pronuntiarunt, quę reprehensione haud minùs indigeãt, atque ita segniter restiterunt, vt manus dare viderentur: Plato quidem Parmenidi, Xenocrates autem Zenoni. Nam cùm Parmenides colligeret si ens vnum significet, omnia esse vnum, negabat Plato conclusionem, inquiens posse ens significare vnum; nec sequi proinde ea quę sunt, vnum esse; cùm etiam id quod non est, sit, quod abente diuersum est. Itaque aiebat Plato non ens, ideſt, materiam primã (vt Porphyrius, & Philoponus exponunt) nõ esse ens, sed re vera non ens; negabat autem Parmenidi non ens nihil esse; quia materia prima aliquid est. Xenocrates verò Zenoni cõcedebat posse magnitudinem in partes indiuiduas secari, ne sectiones aut in infinitum progrederentur, aut in nihilum desinerent. Hos igitur ob hanc caussã coarguit hoc loco Aristoteles, plura in hanc sententiã scripturus, præsertim aduersus Xenocratem 6. huius operis libro.

Totius præterea ratio in eorum definitione non inest, Textus 29.
quæ aut in eius ratione assumuntur, aut ipsum componunt,
vt in bipede, hominis ratio, aut in albo ea, quæ est ho-
minis albi. Itaq; si hæc hunc in modum se habent, bipedemq;
esse homini accidit, aut separari ipsum necesse est, vt homo
non bipes esse possit, aut in bipedis ratione hominis inesse ra-
tionem: quod esse non potest, quandoquidem illud in hominis
inest ratione. Verum si alij cuipiam bipes & animal acci-
dant, neutrumq; eorum propriè est, homo quoque ex his erit,
quæ alij accidunt. Sed quod propriè aliquid est, nullius sit Textus 30.
accidens, & de quo ambo, & vtrunq;, id etiam, quod ex his
est dicatur. Ex indiuiduis itaq; vniuersum. i Vtriq; autem
rationi nonnulli assensere, ei quidem, qua concluditur vnum
esse omnia, si ens vnum significat; quoniam id sit, quod non
est: alteri verò, quæ ex diuisione est in partes duas æquales,
indiuiduas magnitudines faciendo. Constat autẽ etiã verũ nõ Textus 31.
esse, si ens vnum significet, & contradictio simul esse nõ pos-
sit, id quod non est, nihil esse. Nam nihil prohibet id quod
nõ est, esse, nõ omnino quidẽ, sed aliquod, quod non est. At
verò affirmare, nisi aliud quid sit præter id, quod est, omnia
vnum esse, absurdum est. Quis enim id, quod est, aliud esse
intelligit, quàm id quod proprie est? Quod si hoc sit, nihil
sic prohibet, id quod est, multa esse, quemadmodum dictum
est. Id igitur, quod est, non posse hoc modo vnum esse, est
manifestum. CAP.

Explanatio capitis quarti.

VT a autem dicunt Physici] Postquam aduersus eos depugnauit, qui vnum immobile fecere principium, & eorum opinionem, vt à Physicę principijs deflectentem euertit. Nunc disputationem aggreditur cum ijs, qui vel vnum, vel plura principia mobilia statuerunt, quos Physicos appellat, propterea quod naturam sicuti priores Philosophi non sustulerint, sed magis ad eam accommodatè locuti sint. Cõmemorat autem initio huius capitis duo Philosophantiũ genera, quorum

rum alij vnum posuere materiale principium rerum Physicarum, vt vnũ è tribus superioribus elementis, aut tale quid medium, duo verò contraria vice formę, vt raritatẽ & densitatem, & vt vno verbo complectamur, exuperantiã, & defectionẽ (hisce enim vocabulis omnia contrariorũ genera notat Aristoteles) atq; ita cum Platone quadam ex parte consenserunt, nempe quoad principiorum numerũ. Alij verò permistione, aut coitione in quodam sphærio, siue Chao, & item secretione res fieri opinati sunt. In quibus fuerunt Anaximander, Empedocles, & Anaxagoras, quorum tamen placitum, vt ipse exponit, consentiens non fuit. Empedocles enim secretionem illam, & permistionem perpetuam esse, Anaxagoras semel tantũ secretionem fieri aiebat. Prẽterea Anaxagoras in illa congerie, infinita similium partium, atque inter se contraria collocabat; Empedocles quatuor tantum vulgata elementa; Anaximander verò admixtionẽ quandam infinitam faciebat, ab eaq; res ad aliorum generationẽ secerni pronũtiabat. Ex quo patet cur ijdem, & vnum & plura inuexisse dicantur. Nẽpe vnũ, quia vnũ Chaos, seu confusionẽ ponebãt; plura, quia plures partes in eodẽ Chao ẽsse, vel ab eo secerni affirmabãt.

CAP. IIII.

Textus 32. *VT a autẽ dicunt Physici, duo sunt modi. Quidã enim cũ id quod est corpus vnũ, quod subiectum sit, fecerint, aut triũ aliquid, aut aliud, quod igne densius sit, aere verò rarius, densitate, & raritate reliqua generãt, multa faciẽdo. Hæc autẽ sunt contraria. Vniuersim verò exuperãtia, & defectio, vt magnũ, & paruũ tradit Plato. Sed hic quidẽ materiam hæc facit, & ipsum vnum formã: ille verò ipsum vnum, quod subiectum est, materiam: contraria autẽ differentias, & formas. Alij ex vno, quæ insunt contrarietates, excernunt, vt Anaximander ait, & quotquot vnum, & multa, ea quæ sunt, esse inquiunt, vt Empedocles, & Anaxagoras: hi etenim ex permistione reliqua fecerunt. Sed differunt inter se, quod ille horum circuitũ statuat, hic semel: & hic quidem infinita, partiumq; similiũ, & contraria: ille ea duntaxat, quæ nuncupantur elementa.*

Textus 33. b *Sic autem esse infinita videtur Anaxagoras sensisse, quod Physicorum communem opinionem, ex eo, quod non est, nihil fieri, veram esse existimaret. Hanc enim ob causſam sic dicunt, erant omnia simul, ac fieri tale est alterari. Alij verò*

Textus 34. *confusionem, & secretionem. Præterea ex eo quòd contraria vicissim gignantur; quapropter inerant.* c *Nam si quidquid fit, aut ex his, quæ sunt, aut ex his, quæ non sunt, necesse est fieri: ex his autẽ, quæ nulla sunt, fieri nõ potest (cõsentientẽ enim hanc naturæ omnes scrutatores habẽt opinionẽ) reliquũ ex necessitate accidere censuerũt, ex his quidẽ, quæ sunt, & quæ insunt: sed quæ ob molis paruitatẽ sensu à nobis nõ percipiebantur, generari. Quare*

Textus 29. Textus 30. Textus 31.

Ex nihilo nihil.

a Sic autẽ esse infinita | Quoniã Anaxagoras sententiam suã verisimili ratione cofirmabat, eam refellere instituit Aristoteles, proponitq; inprimis duo quędã illi fũdamẽta. Quorum primum erat, id quod omniũ philosophorum consensu ratũ habebatur, nẽpe ex nihilo nihil fieri. Vnde concludebat nihil denuo gigni; sed generationes esse cõmutationes accidentarias; siue alterationes. Alterũ fundamentũ erat, contraria vt vel sensibus ipsis notũ est, ex cõtrarijs fieri, vti calida ex frigidis, humida è siccis. Ex quo arguebat omnia omnibus inesse.

c Nam si quidquid fit | Ex infinita, & indigesta rerum omnium congerie, quã vocant Homœomeriam, in qua res antea confusæ iacuissent, progigni omnia ostendebat Anaxagoras hunc in modum. Id quod fit, aut ex ente fit, aut è non ente, idest, è nihilo: ex nihilo autẽ, vt ex prima suppositione manifestũ est, nihil fit: quidquid ergo fit, ex ente fit: fit autem ex contrario, vt item ex 2. hypothesi liquet: aut ergo ex contrario manente in ipsa re, quę gignitur; aut ex aliquo, quod inerat in contrario, ex quo gignitur. Non ex contrario manente, vt experientia docet, ergo ex eo, quod inerat in contrario: hoc autem non videtur esse quidquam aliud, quàm multitudo infinitarum partium similium rei, quæ producitur, quę quidem partes delitescebant in re, ex qua ipsum genitum emergit. Principia igitur rerum Physicarum sunt infinita illa corpuscula.

Ita verò quia rem vnam ex alia gigni videmus intulit Anaxagoras innexa esse singulis

omnia, ita vt in qualibet re infinitę essent rerũ omnium, quę ex ea fieri possunt, particulę. Aiebat tamen rem ab eo tantum, quod in ipsa abundaret, & emineret, nomen accipere v. g. dici aquã si plures in ea essẽt aquulę. Porro hanc rationẽ ideo non diluit hoc loco Aristoteles, quia ex ijs, quę in progressu dicenda sũt, paruo negotio confutari potest. Breuiter autẽ dissoluetur ab eo, qui dixerit quidquid fit ex ente actu, vel ente potentia fieri; hoc est, vel ex ente forma aliqua prędito, vt ignẽ è ligno, vel ex materia prima, vt eundẽ ignem ex materia, quæ in ligno inerat. Sic demum quidquid oritur fieri ex ente actu, tanquam è contrario, quod in genito non manet, ex ente vero potentia, vt è subiecto, quod stabile, & constans est. Itaq; generari vnunquodque, vt Anaxagoras aiebat, ex eo quod in contrario prędfuit, id tamen nõ esse infinitam illam corporũ struem, sed materiam primam. Ex quo perspicuum relinquitur non oportere omnibus cuncta inesse; oportere tamen formas naturales contineri virtute in materia, è cuius potentia euocantur, vt suo loco patebit.

d Porro si infinitũ[

Incusat imprimis Anaxagorã, quod rerũ Physicarũ principia nõ solũ numero, sed etiã specie, nec tantũ mole, sed etiã qualitatibus infinita posuerit. Si enĩ nos tunc scire cuiusq; rei naturã putamus, cũ illius principia cognita habemus, infinitũ vero nostri intellectus aciẽ effugit, nimirum qui infinita dicit esse principia, rei quã tractat, intelligentiã adimit.

Infinitũ ignotum.

e Prętera si necesse est [

Quia Anaxagoras in qualibet re naturali nõ solũ partes infinitas posuit, sed eas nullo termino, siue ad maius, siue ad minus definitas esse statuit, hanc eius positionẽ confutat Aristoteles ratione ducta è definita animalium, & stirpium magnitudine.

Quare cùm quodcunq; ex quo cunq; fieri viderint, quodcũq; cuiq; inquiunt esse admistum sex eo autem, quod in infinitorũ admistione ob multitudinẽ maximè exuperat, videri ab inuicẽ differentia, atq; diuersa nominari. Nã totũ syncerè albũ, aut nigrũ, aut dulce, aut carnẽ, aut os non esse, sed cuius plurimũ vnũquodq; obtinet, id rei naturam videri esse. d *Porro* Textus 35.
si infinitũ, vt infinitum, incognitum est, id certè, quod multitudine, aut magnitudine est infinitũ, quantũ quoddam incognitũ est, quod verò specie est infinitũ, quale quiddã incognitũ. Cùm autem principia aut multitudine, aut specie sint infinita, ea, quæ ex eis constant, sciri non possunt. Siquidem quod cõpositum est tũ scire existimamus, cùm ex quibus, & quot est, cognoscimus. e *Prætereа si necesse est cui* Textus 36.
pars magnitudine & paruitate quantauis esse potest, id etiam posse, (earũ autẽ partiũ aliquã dico, in quam cùm insit, totum diuiditur) esse autẽ animal, aut planta magnitudine, & paruitate quantauis nõ potest, partiũ quoq; nullã esse posse manifestũ est. Simili nanq; modo & totum erit. At os, & caro, & quæ sunt eiusmodi, animalis, & fructus plantarũ sunt partes. Carnẽ itaq; aut os, aut aliud quippiã magnitudine quãtũuis, aut ad maius, aut ad minus esse non posse perspicuum est. f *Quin etiã si eius generis omnia in sese insunt vicissim,* Textus 37.
& nõ fiunt, sed cùm insint, secernũtur, & ab eo, cuius amplior inest copia, dicũtur gignuntur autẽ ex quolibet, vt ex carne, aqua per secretionẽ, & ex aqua, caro: quodcũq; item finitũ corpus à finito corpore consumitur, vnũquòdq; in vnoquoq; inesse non posse manifestũ est. Ete-

Nam si horum partes quantæcunque magnitudinis esse possent, ipsa quoque termino carerẽt, quod tamen vel ipso Anaxagora teste falsum esse constat.

f Quin etiã si eius [

Ostendit non in qualibet re inesse omnia, argumentaturq; in hunc modũ. Sumatur certa quãtitas aquę, & ex ea carnis portio decidatur, aut igitur perpetuo ex aqua illa certę magnitudinis caro adhuc extrahi poterit, aut excretio absumpta carne, deficiet. Primũ dici non potest, tum quia omne finitum corpus, si ab eo definitas partes secueris, necesse est desinat; tum quia in re finita essent actu infinitę partes æquales, quod est impossibile. Si autem detur secundũ sequitur non iam quodcunque in quolibet inesse. Atenim quia occurreret fortasse Anaxagoras posse quidem secretionem illã in infinitum abire si minores, non vero si æquales subinde partes auferrentur; id etiam confutat Aristoteles, quia licet aliquando minores eximi possent, necessariò tamen dandus est exitus, deueniendumque ad caruncũlam ita exiguam, vt minor gigni vlla non possit.

Quę

Quærũt hoc loco Aphrodiſeus, Simplicius, alijq; interpretes rectè ne Ariſtoteles Anaxagoræ obiecerit fore infinitas partes æquales in magnitudine finita; quandoquidẽ partes, quę in infinitũ è magnitudine auferuntur, æquales non ſunt; ſed ſubinde minores. Occurrendũ tamẽ eſt rectè obiecisſe. Cũ enim Anaxagoras è qualibet magnitudine õnia educi poſſe aſſereret; cõſequẽs erat, vt fateretur excerpta minima carne, quę generari poteſt, manere nihilominus in eadẽ magnitudine infinitas caruncolas minimę illi æquales: cuius rei cauſſa in progreſſu fiet cõſpicua.

g Ad hęc, ſi } Iterum bipartita ratione demonſtrat non in quouis corpore ita ineſſe cuncta; vt ex eo omnia per ſecretionẽ gigni poſsint. Primùm quia cùm quantitas carnis, tum quoad magnitudinem, tum quoad paruitatem definita ſit; neceſſariò dabitur minima caro, ex qua non iam alia ſecerni queat; alioqui daretur minor minima. Deinde quia ſi omnia fieri ex omnibus poſſent; non ſolũ infinita; ſed infinities infinita corpora in eadem re ineſſent, vt in qualibet parte cerebri infinitus ſanguis, in qualibet parte ſanguinis infinita caro. Ex quo

h At verò ſecretio nẽ } Aſſerebat Anaxagoras ſecretionẽ rerum nullũ vnquam finẽ habituram. Hoc ait Ariſtoteles verè dictũ, ſed non ſcitè. Verè; quia accidentia nequeunt á ſubiecto ſeparari: ſi enî habitq, & affectiones à ſubiecto, poſſẽt abiũgi; iã daretur aliquod album, aut ſanum, quod non eſſet hoc aliquid, vt lapis, aut homo, quodq; non diceretur de ſubiecto, nec ei ineſſet, quod fieri nõ poteſt. Non ſcitè verò hoc pronuntiauit Anaxagoras; quia non de accidentibus loquutus fuit, ſed de alijs õnibus, quę in infinita congerie iacebãt.

i Abſurda itaq; } Pergit eundem exagitare quod mẽtem imprudentiæ tacitè inſimularit, cùm eã aſſeruit è chao cuncta ſegregare voluiſſe, atque adeo operam perdere in ea re, quæ conferri ad exitum non poteſt; ſiquidẽ ſecretionem illam abſolui (vt ipſe aiebat) impoſsibile eſt; tum quia datur minima caro, è qua alia vlterius excerni non poteſt, tum quia accidentia nequeunt à ſubiecto ſeparari.

k At neque } Leui admodum argumento in eam opinionem incidit Anaxagoras, vt aſſereret nihil aliud eſſe generationem, quam compoſitionẽ ex ſimilium partium coalitu, nimirum quia videbat lutum ex luto, aliaq; id genus ex ſimilibus coagmentari. Namq; licet multa eo modo fiant, plurima tamẽ ſunt, quę aliter cõpoſita coaleſcunt; vt idem lutum ex terra, & humore. Deinde explicat modos alios, quibus res effici conſueuerũt. Aliter enim lateres fiunt ex domo, & domus ex lateribus; aliter ex ſe inuicem gignuntur elemẽta. Tandẽ confutata his duobus capitibus eorũ ſententia, qui vel vnum tantũ, vel infinita fecere rerũ naturaliũ principia, mediã amplectitur opinionẽ, quę nimirũ plura, ſed numero finita principia cõſtituit.

Etenim ablata ex aqua carne, & rurſus alia ex ea, quæ reſtat, per ſecretionẽ facta, tametſi minor ea, quæ ſecernitur, ſæpe ſit; non tamen paruitate magnitudinẽ aliquã exuperabit. Si itaq; ſtabit ſecretio, quodcũq; in quocũq; nõ inerit, nã in reliqua aqua nihil carnis manebit: at ſi nõ ſtabit, ſed ablatio ſæpe fiat, in magnitudine finita æquales partes inerũt finitæ, multitudine infinitæ, quod eſſe nõ poteſt. Textus 38. *g Ad hæc, ſi õne corpus aliquo ablato neceſſe eſt minus fieri, & carnis quantitas tũ magnitudine, tũ paruitate eſt definita conſtat è minima carne nullũ corpus ſecretũ iri: nã minima minor ſecerneretur. Præterea in infinitis corporibus caro infinita, & ſanguis, & cerebrũ poſſent profectò ineſſe ſeparata quidẽ ab inuicẽ, ſed quæ nihil minus eſſẽt: & vnũquodq; infinitũ: quod à ratione eſt* Textus 39. *alienũ. h At verò ſecretionẽ finẽ nunquã habiturã, non ſcitè quidẽ dicitur, ſed tamẽ rectè, cùm affectiones ſeparari nõ poſſint. Porro habitibus, atq; coloribus admiſtis, ſi ſeparẽtur, albũ quippiã erit, aut ſanũ, quod non aliud quiddã erit, nec in ſubiecto. Abſurda itaq; erit mens, quæ ea moliatur, quæ fieri nequeunt: ſiquidem ſegregare inſtituit, quod facere non poteſt, tum quantitatis ratione habita, tum qualitatis: quantitatis quidem cùm minima non ſit magnitudo: qualitatis* Textus 40. *verò, quòd ſeiungi affectiones non poßint. k At neq; eorũ, quæ eiuſdẽ ſunt formæ, generationẽ rectè ſumit. Lutum enim partim in lutum diuiditur, partim non diuiditur: nec quemadmodum lateres ex domo, & domus ex lateribus, ſic & aqua,* Textus 41. *& aer ex ſe viciſſim & ſunt & fiunt. Præſtat autem pauciora ſumere, ac finita, quod quidem facit Empedocles.*

Quæ

QVÆSTIO VNICA.

VTRVM RES NATVRALES Ad maximum, & ad minimum definitæ ſint, nec ne?

ARTICVLVS I.

IACIVNTVR INSTITVTÆ Diſputationis fundamenta.



EST huius controuerſiæ diſceptatio tũ per ſe grauis, & Philoſopho digna; tum huic loco propria, & ad ea, quæ ab Ariſtotele ſuperiori capite dicta ſunt, planiùs intelligenda inprimis accõmodata. Vt autem res tota dilucidè, & explicatè à nobis tractetur, non nulla præmittenda ſunt. Primum illud eſto. Quatuor terminos, vt interim in commune loquamur, conſtituere oportet, quibus definiri res naturales queant; duos magnitudinis, duos item paruitatis; vtrobique vnum internum, externum alterum. Terminus internus magnitudinis, quem iampridem Philoſophorum vſus maximum quod ſic vocat, eſt ille terminus quantitatis, ſub quo res eſſe poteſt, & ſub maiori non poteſt; veluti ſi homo ſub quinque cubitorũ magnitudine eſſe queat, ſub maiori verò nequeat, magnitudo quinque cubitorũ erit terminus internus magnitudinis humanæ. Terminus externus magnitudinis, quem minimũ quod non appellant, eſt ille, ſub quo res eſſe nõ poteſt, ſub minori verò poteſt; vt ſi homo conſtare nequeat ſub quantitate ſex cubitorum; ſed ſub quauis minori; quantitas ſex cubitorum erit terminus externus magnitudinis humanæ. Terminus internus paruitatis, qui minimum quod ſic dicitur, eſt ille, ſub quo res eſſe poteſt, & ſub minori non poteſt; vt ſi homo queat ſub vnius palmi quantitate conſiſtere, non autem ſub minore, quãtitas vnius palmi terminus erit humanæ paruitatis internus. Terminus externus paruitatis, qui nuncupatur maximum quod non, eſt ille, ſub quo res eſſe non valet, valet tamen ſub quouis maiori. Verbi gratia, ſi homo ſub magnitudine dimidiati palmi cohærere nequeat, & ſub quauis maiori queat, tunc quantitas dimidiati palmi erit terminus externus paruitatis humanæ.

Duo termini magnitudinis, duo item paruitatis.

Terminus internus magnitudinis.

Terminus externus magnitudinis.

Terminus internus paruitatis.

Terminus externus paruitatis.

Secundum ſit, vt aduertit D. Thomas in 4. ſentẽtiarum d. 12. q. 1. & 3. p. q. 77. art. 2. & Scotus in 4. d. 12. q. 2. Duo ſunt accidẽtia, quæ ſubſtantiam ſubiectam ſenſibus primò conſequuntur, eiuſque duobus intimis principijs, materiæ, & formæ, reſpondẽt; quãtitas nimi-

nimirum, & qualitas. Quantitas respondet materiæ, primùm quia nunquam abscedit, neque accedit noua materia sine abscessu, & accessu nouæ quãtitatis. Secundò, quia sicuti materia est subiectum accidentium, quæ in sensus cadunt, ita & quantitas suo modo. Tertiò quia quãtitas est prima dispositio materiæ ad excipiẽdas formas. Vnde effectum est, vt Plato, magno, & paruo, quæ sunt quantitatis affectiones, materiam significarit. Qualitas autem respondet formæ, quia omnẽ formæ varietatẽ necessariò mutatio alicuius qualitatis cõsequitur. Itẽ quia qualitati cõuenit esse principium agendi, sicut & formæ; & nobiliores formas nobiliores qualitates sequuntur. Deinde quia qualitas, vt docet etiam D. Thomas in 12. q. 49. art. 2. est modus quidam substantiæ. Quare cùm modus, teste D. Augustino cap. 3. libri. 4. super Genesim ad literam, deuehat secũ mensurã, ac determinationem; determinare autem, & finire proprium formæ sit, (vnde vetus Philosophia formam finitum nuncupabat; materiã, infinitum) consequens est, vt qualitas peculiari ratione sequi formam dicatur,

Cur quãtitas materiã sequi, eiq; respondere dicatur.

Cur formæ respondeat qualitas.

Tertium sit, Rerum quædam incipiunt per primum sui esse; aliæ per vltimum sui non esse. Priori modo incipit id, quod verè enuntiamus nunc esse, & immediatè ante non fuisse; quo pacto incipiunt substantiæ, quæ de integro gignuntur, & alia, quæ momento fiunt. Nanque vt primùm forma Socratis materiæ iungitur, licebit dicere, nunc est Socrates, & immediatè ante non fuit. Id verò incipit per vltimum sui non esse, quod verè affirmamus in hoc temporis momẽto non esse; sed immediatè post futurum; quo pacto incipit motus, & ea, quæ per motum efficiuntur, vt calor, qui per calefactionem, & albor, qui per albefactionem acquiritur. Deinde rerum quædam per primum sui non esse; aliæ per vltimum sui esse desinunt. Id per primum sui non esse desinit, quod verè dicimus in hoc momento nõ esse; sed immediatè ante fuisse; qua ratione desinunt substantiæ, & motus. Nam Socrates, verbi gratia, desinit per primum sui non esse, quia vt primùm eius anima desijt corpus informare, verè dicimus, nunc non est Socrates, qui immediatè antea fuit. Denique id per vltimum sui esse desinit, quod verè affirmamus nũc esse, & immediatè post non futurum; quem desinendi modum sibi vendicant indiuisibilia rerum succesiuarum, vt momentum, & mutatum esse. Nam de quolibet horum verè dicimus nunc est, & immediatè post non erit. Atque hæc tota doctrina de rerum incœptione, & desitione, quã hîc supponimus, octauo libro huius operis à nobis accuratè tradetur.

Varij modi, quibus res incipiunt & desinunt.

Quartum sit, Rerum physicarum termini multis modis in quæstionem cadunt. Aut enim de ijs quærimus sumptis rebus in singulari; aut in specie; aut spectatis quoad generationem; aut quoad cõseruationem. Potest enim disceptatio esse, vtrum hic, & ille ignis, & vtrũ ignis absolutè consideratus stato limite circunscribatur; itemq; num

Quam varie rerũ nat. termini in quæstionem ueniant.

num res naturales in tanta quantitate progigni posſint, vel etiam poſtquam genitæ ſunt, conſeruari; quæ ſanè quæſtiones non parũ inter ſe habent diſcriminis. Conſtat enim, ordinariè, plura ad cuiuſq; rei ortum, quam ad eius conſeruationem depoſci, (ſicuti ad figuram excipiendam requiritur in cera mollitudo, non tamen ad eam retinendam), præſertim cùm res quælibet, vbi iam in lucem prodijt, ipſa ſe tueri, & contrarijs reſiſtere propria vi nitatur.

Poſtremum ſit, In hac controuerſia non inquirimus detur nè in tota rerum vniuerſitate corpus aliquod omniũ maximum, itemque aliud minimum. Liquet enim vltimum corporum cæleſtium cætera corpora magnitudine ſuperare; cùm omnia ſuo amplexu coerceat. Patet etiam in qualibet rerum ſpecie dari actu corpus aliquod maximum, quod nimirum vel cætera eiuſdem ſpecici amplitudine vincat, vel ſaltem à nullo eiuſdem ſpeciei vincatur; quod item de minimo eâdem ratione dicendum erit.

ARTICVLVS II.

STATVVNTVR NONNVLLÆ Aſſertiones; Primùm de terminis rerum naturalium in commune; deinde de terminis viuentium.

1. Aſſertio. HIS ita explicatis ſit prima aſſertio. Res naturales ſpectato ordine vniuerſi, quocunque modo ſumantur, non poſſunt eſſe quantæcunque magnitudinis. Ratio huius in promptu eſt; ſiquidem extra cœleſtem mundum nullum corpus refundi poteſt; in ſublunari verò nullum valet eſſe maius eo, quod ex tota inferiorum rerum materia concreſceret.

2. Aſſertio. Secunda aſſertio, Res viuentes, tum quoad generationem, tum quoad conſeruationem, aliquem habent ſuæ paruitatis, & magnitudinis terminum. Hæc aſſertio perſpicua erit ei, qui ſingulas rerum viuentium ſpecies decurret. Nam neque homo, verbi cauſa, magnitudinem vnquam montis attingit, nec ad formicæ corpuſculum cõtrahitur; neque mus ad equi magnitudinem excreſcit, aut equus ad muris exiguitatem minuitur. Confirmatur quoque id teſtimonio Ariſtotelis, qui cap. 4. huius lib. text. 36. docuit, neque ſtirpes, neque animalia, aut horum partes quantæcunque magnitudinis, aut paruitatis eſſe poſſe; quod item de animantibus affirmat lib. 4. de generatione animalium cap. 4. & vniuerſim de viuentibus. 2. de anima cap. 4. text. 41. & 7. Politicorum, cap. 4.

3. Aſſertio. Tertia aſſertio, Cuilibet ſpeciei viuentium, quoad generationẽ, intrinſecum paruitatis, & magnitudinis terminum natura præfinijt.

Hanc

Hanc assertionem cõmuni consensu approbant Philosophi, D. Thomas in 4. d. 44. q. 1. art. 3. & 2. de anima ad tex. 45. & in 2. d. 14. q. 2. art. 1. & d. 36. q. 2. & 1. par. q. 7. art. 3. Caietanus eodem loco, Capreolus in 2. d. 19. q. 2. art. 3. Gregorius in 1. d. 11. q. 2. art. 3. Durandus in 2. d. 18. q. 1. Eam verò sic intelligendam esse volumus, vt in qualibet specie alter sit magnitudinis, alter paruitatis terminus ita prescriptus, vt nullũ singulare illius speciei gigni possit sub quãtitate, quæ aut exuperet eum terminum magnitudinis, aut maneat infra eum terminum paruitatis, verbi gratia, si maxima quantitas, in qua homo generari possit, sit trium palmorum; minima verò vnius digiti, nullus supra illam aut infra hanc gigni poterit; sed vel in alterutra harum, vel in intermedia, vt in magnitudine duum palmorũ, vel duum & dimidij, & trium digitorum, vel denique in alia huiusmodi. Nam sicuti indiuidua cuiusque speciei non omnia ad eandem magnitudinem euadunt; ita neque omnia in eadem quantitate procreantur. Qua de re D. Thomas in 4. sentent. loco citato, & Ferrariensis 4. cõtra gentes c. 11. Probatur igitur tertia hæc assertio hunc in modum. Res viuentes non possunt gigni sub qualibet quantitate, vt ex secunda assertione patet; sumatur igitur quãtitas, in qua propter eius magnitudinem viuens generari non possit, minuaturque continuè, quousque ad viuentis generationem apta sit: in ea imminutione dabitur punctum aliquod temporis, in quo liceat verè dicere, nunc est viuens, & immediatè ante non fuit; vt articulo pximo supposuimus; ergo quãtitas illa, in qua genitũ est eiusmodi viuẽs, est terminus internus magnitudinis ipsius; sub ea nanq; generari potuit, non sub maiori; quia si sub maiori potuisset, vtique in ea priùs fuisset genitum. Eodem modo ostendere licebit viuentia, quoad generationem, intrinsecum habere paruitatis terminum; sumpta nimirum quantitate, in qua propter eius exiguitatem generari viuens nõ possit, quæ deinde augescat &c.

Quos auctores habeat.

Termini indiuiduorũ cuiusq; speciei.

Quarta assertio, Res viuentes quoad conseruationem in sua constitutione naturali vendicant terminum magnitudinis & paruitatis internum: simpliciter tamen, hoc est, non spectata constitutione naturæ ipsorum congruente, vtrunque terminum externum habent. Vt hæc assertio intelligatur, sciendum est eam quantitatem & extẽsionem dici competere rei viuenti secundum naturalem dispositionem, quã facultatis altricis rectè se habentis opera obtinere potest; ita vt si collecto v.c. intra cutem humore noxio, intumescat, magisq; extendatur, eiusmodi maior extensio non ei secundum naturalem constitutionem aduenire censeatur. Probatur autem prior assertionis pars, quia sicuti anima intrinsecus definitam essentiam, & perfectionem habet, ita, & vis nutriendi, quæ ab illa dimanat, certo ac præfixo limite circunscripta est. Quare designari poterit certa quantitas, ad quã viuens ministerio potentiæ nutrientis rectè ad operãdũ dispositæ prouehi queat; non verò ad maiorẽ. Quod item viuẽtia

4 assertio.

Prior pars assertionis cõfirmatur.

versus minimũ prædicto modo terminentur, ex eo ostenditur, quia cùm anima, vt est apud Aristotelem 2. libro de anima cap. 4. text. 37. sit actus corporis organici, atque adeò ad vitæ functiones obeũdas certa organa requirat, cõsequens fit, vt ad eũ modũ, quo ipsa determinata est, ita quantitatẽ, etiã versus minimũ definitam exigat.

Cur anima requirat quãtitatem definitam versus minimum.

Deinde confirmatur secunda pars conclusionis in hunc modum; fundatur viuens ad eam vsque molem, in qua (vt in secunda assertione diximus) conseruari nequeat; in eo euentu dandũ erit punctum aliquod temporis, in quo verè dici possit, nunc non est viuens, & immediatè ante fuit, siquidem, vt ex articulo superiori constat, viuentia desinunt per primum non esse; ergo ineo momento dabitur quantitas, quæ sit terminus externus magnitudinis eiusmodi viuentis; nam sub ea esse non potest, & sub qualibet minore potest, vt perspicuum est.

Posterior pars assertionis ostenditur.

Idem de minimo ostendere licebit; nempe, contrahatur viuens ad eam vsque paruitatem, in qua seruari nequeat, in hac imminutione dabitur momentum, in quo &c. Præterea si viuentia quoad cõseruationem absolutè spectatam, non extrinsecum, sed intrinsecum haberent terminum; sequeretur posse ea desinere per vltimum sui esse, quod falsum est. Probatur consecutio, tunc enim daretur quãtitas, seu extensio, in qua cõseruari possent, nõ verò in maiori. Qua data, ita fas erit argumentari. Augescat illa extensio per continuam tumefactionem; cùm huiusmodi incrementum per vltimum nõ esse incipiat, quia per motum fit, dabitur instans, in quo verum sit dicere, nunc non est maior extensio, sed tempore proxime sequenti erit maior, ac proinde dabitur momentum, in quo verè affirmari possit, nunc est hoc viuens, & immediatè post non erit; quod est desinere per vltimum sui esse. Similis probatio adduci poterit ad ostendendum viuentia quoad conseruationem absolutè spectatam non definiri interno limite versus minimum: minuatur enim illa quantitas immediate post, vel ergo tempore proximè sequẽti manebit adhuc viuens; vel non. Si manebit, non ergo ille, qui ante assignabatur, erat terminus internus conseruationis simpliciter: si nõ manebit; desinet per vltimum sui esse, quod fieri non potest.

Termini partium dissimilarium rerũ viuentium.

Ex ijs, quæ diximus, facile erit intelligere idem de partibus dissimilaribus rerum viuentium, quod de ipsis viuentibus, tum quoad generationem, tum quoad conseruationem, dicendum fore; siquidem viuentium quantitas ex partiũ quantitate coalescit; quod & ratio ipsa conuincit, & Arist. monuit in disputatione capitis quarti aduersus Anaxagoram.

ARTICVLVS III.

DILVTIO OBIECTORVM contra ea, quæ proximè dicta sunt.

Verùm

VErùm contra ea, quę articulo ſuperiori ſtatuimus, ita quiſpiã obiecerit. Potẽtia nutriendi nõ terminatur intrinſecè verſus maximũ; ergo neq; ipſa viuentia, quoad cõſeruationem in ſua naturali cõſtitutione intrinſeco magnitudinis termino definiẽtur. Probatur aſſumptũ, quia potentia nutriendi aliquãdo rẽ extra ſtatum naturæ congruentem educit, veluti cùm aliquis ad gigantis excreſcit magnitudinem. Nam cùm illa extraordinaria moles decerrantis naturæ vitium ſit, imo & monſtrum, negari non poterit, rẽ eo pacto extra ſtatum ſuæ ſpeciei debitum, atque adeò extra naturalem diſpoſitionem collocari. 1. obiectio.

Item, conſtituatur Socrates in quanta maxima quantitate, ſecũdum ſtatum naturæ ſuæ conuenientem eſſe poſsit: tum alimentum capiat, cuius ipſe repugnantiam natiuo calore facilè exuperet; cùm igitur à maiori vi poſsit actio procedere, adhuc eiuſmodi alimentũ decoquet, & in ſe conuertet; ac proinde ad ampliorem euadet quãtitatem: non ergo quantitas Socratis prædicto modo terminabatur. 2. obiectio.

Præterea, ferunt Crocodilum quandiu viuit nullũ facere creſcendi finem; ergo non vendicat ſibi certam incrementi magnitudinem. 3. obiectio.

Ad hæc, Ariſtoteles cap. 4. huius libri tex. 38. aduerſus Anaxagoram diſputans aſſeruit è minima carne nullo modo aliam extrahi poſſe; cenſet igitur viuentia abſolutè ſpectata intrinſeco termino quoad conſeruationem circunſcribi. 4. obiectio.

Poſtremò, aut terminus ille externus, in quo propter immodicam eius magnitudinem viuens interit, excedit quãtitatem, ſub qua idem viuens ſuperſtes fuit, vel non; ſi non excedit, ergo in eo nihilominus conſeruabitur: ſi excedit, cùm ille exceſſus neceſſariò diuiduus ſit, auferatur ab eo pars aliqua; ea dempta adhuc dabitur quãtitas minor termino illo extrinſeco, in quo viuens cõſeruari nequeat. Non ergo terminus primo loco deſignatus, erat ille, in quo primò viuens conſtare non poterat. 5. obiectio.

Hæc argumenta non difficilem habent explicatum. Ad primum reſponderi à quibuſdam ſolet; cùm viuens natiua & intrinſeca vi excreſcit, quantumlibet ad prodigioſam corporis molem euadat, nunquam ob id extra ſtatum naturæ conuenientem collocari, propterea quòd ſi altiicis facultatis, quam ei natura elargita eſt, ratio habeatur, tota illa quantitas ei iure debetur, ſicuti & cuicunque alteri ſua: maximè cùm viuens, quantunuis magna, aut parua conſtet quantitate, ſuæ ſpeciei terminos nunquam exeat, vt ſupra diximus. Quo fit, vt horum ſententia gigantes nec naturæ vitio proueniant, nec ſimpliciter monſtra habenda ſint. Hæc tamen ſolutio non placet; ſed potius gigantes debere ſimpliciter monſtra iudicari, vt ſuo loco patebit, atque adeò eſſe illos extra naturalem conſtitutionem humanæ ſpeciei, ſiue extra quantitatem competentem humanæ naturæ ordinatè ſe habenti, eſto ea quantitas non excedat molem, in qua homo abſolutè conſeruari queat. Reſ- Diſlutio 1. obiect. Improbatio.

Germana solutio.

pondemus igitur vim nutriendi, si ad functiones suas obeundas probè affecta sit, quo pacto à nobis sumitur, cum eam interno limite definiri dicimus, neutiquam extra statum naturæ congruentem subiectum constituere; secus verò rem habere cùm aliqua exuberanti, & maligna qualitate vtitur; tunc enim debitum, consuetumque naturæ ordinem præterit, atque ita interdum corpora aut ipsorum partes extra prædictos fines in immodicam & monstrosam quantitatem profundit.

Dilutio 2. obi.

Ad secundũ dicendũ in eo euentu altricẽ facultatẽ non cõuersurã nisi quantũ alia ex parte vi caloris humidum continẽter absumẽtis effluxerit. Neque interim dum summa illa quantitas manet, vincere simpliciter resistentiam alimenti; alioqui vinceret, & non ageret, quod perinde esset, ac si ignis stupam appositam non comburet; sed subsistere non vincendo re ipsa, neque agendo, donec resolutio aliqua fiat. Constat enim eius actiuitatem in alimentum pẽdere ex eo, quod res, quæ augescit, maximam suam quantitatẽ obtineat, vel non obtineat; & denique ex vario statu subiecti. Quare neutiquam eueniet, vt corpus in molem maiorem maxima porrigatur.

Dilutio 3. obi.

Ad tertiũ respondetur, licet Crocodilus perpetuò crescceret, habiturum nihilominus crementi finem, eundem scilicet, quem vitæ: negandum tamen eum perpetuò crescere. Nam cùm vita consistat in calido & humido, à quibus viuentia augescunt, necesse est horum defectu, & imminutione Crocodilum mori; quare non crescet iam Crocodilus antequam moriatur, in deterius vergente coctrice facultate, nec valente plus resarcire, quàm defluat, alioqui nunquam morte naturali Crocodilus solueretur.

Etiam Crocodilo suam esse incremẽti metam.

Dilutio 4. obi.

Ad quartum omissis aliorum solutionibus, dic locutum fuisse Aristotelem eo loco de carne minima quoad generationem; disputabat enim contra Anaxagoram, qui res per secretionem gigni opinabatur; eumque incusabat quòd ex ipsius positione sequeretur, posse carnem minorem minima generari.

Dilutio 5. obi.

Ad quintũ respondeto, extrinsecum terminum, in quo viuens interit, excedere quantitatem, in qua idem superesse potest, non collectim, sed diuisim sumptam, id est, quãlibet quantitatem designatam; non tamen totam partium collectionem. Sumpta enim quacunque parte, in qua viuens conseruatur, dantur infinitæ maiores, in quibus conseruari adhuc poterit; si tamen tota partium collectio sumatur, vltra illam iam cõsistere nequibit. Imo nec in tota illa: siquidẽ tota illa collectio nec sumi, nec designari potest, nisi

in ipso instanti, quo ad terminum extrinsecũ,
in quo viuens interit, peruenitur,
nec illo minor, aut maior est.

ARTI-

ARTICVLVS IIII.

DE RERVM INANIMATA-rum terminis quoad magnitudinem.

QVid verò de rerum non viuentium terminis ſentiendum ſit, ſuis quoque aſſertionibus explicemus. Prima eſto. Non viuentia, quæ ex viuentibus gignuntur, obtinent quoad generationem terminum magnitudinis internū; ita vt minimum quod non viuentis, ſit maximum quod ſic non viuentis; quoad conſeruationem verò, externo limite continentur. Hæc aſſertio intelligenda eſt de hiſce non viuentibus ſpectatis prout à corruptione viuentium dependēt. Probatur autem facili negotio vtraque pars concluſionis. Prima hunc in modū. Datur quantitas aliqua, inqua, exēpli gratia, hominis cadauer progigni poſsit, & in maiori non poſsit; ergo hominis cadauer vendicat ſibi quoad generationem intrinſecū magnitudinis terminū. Confirmatur aſſumptum: nam in ea quantitate, quæ ob exceſſum, homini interitum affert, neceſſe eſt cadauer hominis generari; nec verò ſub ampliori poterit, (cùm primum non eſſe hominis neceſſariò ſit primum eſſe cadaueris). Quare illa erit maximum quod ſic cadaueris. Secūda pars ſuadetur, quia eiuſmodi non viuentia non habent vim conuertendi in ſe alia corpora, quin potius ipſa per ſe extabeſcunt, & in alia ſoluuntur; atque adeò fateri neceſſe eſt nō poſſe illa, vel per tumorē, vel alio quouis modo infinitè porrigi; ſed potius circūſcriptione aliqua definiri, non interna tamen, ne per vltimum ſui eſſe deſinant.

1. Aſſertiō.

De terminis cadauerum.

Suadetur prior pars aſſertionis.

Suadetur poſterior pars.

Secunda aſſertio. Reliqua non viuentia tam quoad generationē, quam quoad conſeruationem, nullum vendicant magnitudinis terminum. Huic aſſertioni illud fidem facit, primum quòd ignis, cæteraque eiuſmodi, quò molem obtinent ampliorem, eò magis vigent, cōtrariorū vim acrius depellunt, ſeq; melius tuentur; ac demū cùm ad actiones ſuas obeundas certa organa nō requirant nihil obſtat ex vi formæ, quominus in quātumuis ampla materia & generentur, & conſiſtant. Deinde quia ſi igni aliquam incrementi metam natura poſuiſſet, ſequeretur maximum ignem non fore admotam ſtupam inflammaturum, quaſi iam faſtidio non poſsit alimenta capeſſere, quod ridiculum eſt, refelliturque verbis illis Prouerbiorum 30. ignis nunquam dicit, ſufficit. Item quia ſi aquæ quantunlibet magnæ noua pars aquæ accedat, certè excreſcet aquæ moles; neque veriſimile eſt repugnatum iri à natura ne noua illa aquæ pars priori copuletur, cùm id neque ratio, neque experientia perſuadeat. Accedit teſtimonium Ariſtotelis 2. de anima, cap. 4. text. 41. vbi ex eo probat ignem non eſſe cauſam accretionis viuentium, quòd nullis incremen-

2. Aſſertio de cæterorū nō viuentiū terminis.

Ridiculū nō correptū iri ſtupam a maximo igni.

incrementi finibus, vltra quos excurrere nõ posit, coerceatur; cùm tamen viuentibus stata, ac certa magnitudo constituta sit. Porro nostram hanc assertionem tuetur D. Thomas 2. de anima ad text. proxime citatum, AEgidius, & alij ibidem, Scotus in 2. d. 2. q. 9. Albertus Magnus 2. de anima tractatu 2. cap. 4. Ochamus, & Gabriel in 3. q. 7.

ARTICVLVS. V.

ARGVMENTA CONTRA Superiores Assertiones.

Opinio attribuens nõ viuentibus terminũ magnitudinis.

SVnt tamen, qui contra sentiant, affirmentque non viuentia aliquem habere magnitudinis terminum à natura definitum, quorum sententia his argumentis videtur comprobari. Etsi quantitas absolutè spectata materiam sequatur; nihilominùs quoad determinationem, formam sequitur, eique proportione respondet, cùm sit eius actus; sed ignis, & cuiusque non viuentis forma certam habet circunscriptam q; naturam; ergo eius quantitas certa, & circunscripta erit. Huc pertinet quòd nulla causa reddi possit, cur non idem de quantitate dicatur, quod de calore, & frigore, alijsque huiusmodi qualitatibus, quas tamen palam est, etiam in non viuentibus certo termino definiri: nec enim ignis, verbi gratia, calorem, aut aqua frigus vltra certam mensuram, quam designare solemus per octo decem ve gradus, obtinere possunt.

Vt Iandunus hoc in lib. q. 16. Ferrar. q. Achillinus i. suæ Physicor.

2. Argum. 2. Sicut intẽsio perfectio est qualitatis; ita & extensio quantitatis; sed qualitates, saltem quæ naturalis ordinis sunt, vendicant certam graduum intensionem, quam naturæ viribus prætergredi non possunt; ergo & quantitas certam habebit extensionem, vltra quam progredi nequeat.

3. Argum. 3. Quemadmodum forma ignis per totam materiam sparsa est, & diuidua in partes, augescitque appulsu nouæ materiæ; ita & forma cuiusque viuentis imperfecti, veluti lacertæ; nisi quòd viuentia alimento intus attracto, ac propria nutritione increscunt; cætera verò non item: atqui etiam viuentia imperfecta certis limitibus continẽtur (vt fuit ànobis superius dictũ) ergo & ignis, atq; alia huiusmodi corpora vitæ expertia.

4. Argum. 4. Huius sententiæ videtur Aristoteles. Nanque in libro primo de generatione animalium capite primo ait naturam effugere infinitum, quia vbiq; finẽ quærit; & 8. huius operis c. 2. tex. 15. asserit nihil eorum, quæ natura fiunt, esse indeterminatum; censet igitur Aristoteles non viuentia terminata esse.

ARTI-

ARTICVLVS VI.

EXPLICATIO ARGVMENTORUM superioris articuli.

VErùm hiſce argumentis hunc in modum fiet ſatis. Ei, quod primo loco obiectum eſt, dicendo quantitatem non modò ſequi materiam, vt initio huius quæſtionis præfati ſumus; ſed etiam formam; alio tamen, atque alio modo. Materiam nanque ſequitur abſolutè, formam verò tanquam id, à quo modum & terminū accipit, vt Simplicius aduertit hoc in libro text. 69. Itaque præfinitur quantitas à forma, etiam in non viuentibus, hoc pacto; quòd forma huius ignis ſingularis dū perſeuerat ſimpliciter eadem, id eſt, dum ei non detrahitur neque adiungitur noua pars formæ (quæ adiunctio, detractioue neceſſariò efficit vt nō omnino & abſolutè, ſed ex parte, eadem forma maneat) hanc certam, & deſignatam quantitatem obtinet. Quòd ſi eadem forma conuertendo in ſe ſe aliquod combuſtibile, extendatur; tunc pro ratione ſui incrementi, aliam iam quantitatem vendicabit. Ad hunc igitur ſenſum determinatio quantitatis ſequitur modum formæ. Verùm ſicuti formæ non viuentium, de quibus hîc agimus, ſine vlla meta extendi poſſunt acceſſu nouarum partium, vt ſuperiùs oſtendimus; ita ſi abſolutè ſpectentur, non vendicant ſibi certam quantitatem verſus maximū.

Solutio primi argum.

Quantitas alio modo à materiā, alio formā ſequitur.

Sed iam vrget altera argumenti pars, quærendo videlicet cur nō viuentia abſolutè ſpectata quoad gradus ſuarum qualitatūm definiantur, non verò quoad quantitatis extenſionem. Occurrendum tamen eſt, aliam eſſe rationem in calore, ac frigore, cæteriſque qualitatibus, aliam in quantitate. Nam calor, verbi gratia, conſequitur formā quoad eius perfectionē intenſiuā, quæ cùm certa ſit, certa etiā poſtulat accidentia quoad intenſionem; item calor eſt vis inſtrumētaria ignis, & principium agendi ipſius. Quare cùm natura comparatum ſit, vt id, quod definitam habet eſſentiam, definitè operetur, planè ſequitur calorem ignis, etiam abſolutè ſumpti, certo graduum termino contineri, vt ipſa quoque ignis actio definita ſit. At quantitas ſequitur formam quoad eius quaſi extenſiuam perfectionem: deinde non eſt principium agendi; ſed recipiendi duntaxat. Vnde ex maiore illius amplitudine ſimpliciter maior formæ perfectio non arguitur.

Aliter quantitatem, aliter qualitates finiri

Quod ad ſecundum attinet argumentum, iam ex proximè dictis conſtat, cur naturales qualitates magis ac magis ſine limite intendi nequeant. Solùm igitur explicandum ſupereſt, cur non idem de quantitatis extenſione dicatur. Eſt igitur ratio diſſimilitudinis, quia amplitudo illa non ſimpliciter per ſe, ſed ex accidēte quātitati aduenit,

Sol. 2. arg.

aduenit, nempe ratione nouæ materiæ aduenientis. Cùm enim apposito combustibili augescit ignis, quælibet materiæ portio nouam secum inuehit quantitatem, cuius accessu prior quantitas excrescit. Neque absurdum est admittere hanc qualēcunque quātitatis perfectionem limitatam non esse. At maior qualitatis intensio, cùm supra eandem materiæ partem replicetur, simulque qualitatem, si actiua sit, ad agendum fortiorem reddat, maiorem simpliciter in ea perfectionem arguit.

Extensio quātitatis ex se nullis terminis coercetur

Sol. 3. arg. Alia lex viuētium etiā imperfectorū, alia non viuētium quoad terminos.

Ad tertium negandum est, eodem modo se rem habere in viuentibus, & in non viuentibus. Nanque viuentia certam habent à natura sibi destinatam sedem (que in animantibus est ventriculus, in arboribus medium quid inter caudicem & radicem) in qua alimentum decoquant, & vnde cæteris membris materiam ad accretionem trasmittāt. In qua parte tanquam in foco ad concoctionem præstandam acrior vis natiui caloris insidet. At enim huiusmodi calor, & quia certæ intensionis est, & quia cum alimento depugnat, in eoque congressu aliquid dispendij necessariò accipit, & progrediente tempore sensim langueſcit; fit vt nequeat quantumlibet magnam alimēti portionem parare; sed certā, & quæ in extremas corporis partes, si longo tractu distent, peruenire non possit. Quare cùm viuens sine alimento non cōsistat; planè sequitur viuentium incrementa aliquo termino definiri. In rebus verò inanimis multò secus accidit. Nec enim habent certam aliquam partem, quæ aduentitiam materiam disponat; ac si quid detrimenti ab aduersario accipiunt, id parta victoria confestim resarciunt, vt videre est in igne.

Sol. 4. arg.

Ad quartum dicendum est Aristotelem priori loco tantummodò docere, non posse naturam alia animantia ex alijs generando infinitas species moliri. Posteriori verò negare infinitum, quod in rerum procreatione Empedocles, & Anaxagoras posuere: ille enim infinitas vices mouendi & quiescendi elementis attribuit; hic asseruit mētem innumerabilibus seculis obtorpuisse, deinde manum ad mouisse operi.

Non potest natura infinitas animantium species moliri.

Improbatur quorundam recentiorū opinio.

Ex dictis colligi potest, non rectè quosdam nostræ ætatis Philosophos asseruisse viuentia, quæ formam extensam habent, non habere definitam incrementi legem, posseque, nisi externo impedimento cohibeātur, in immensum luxuriare, & grandescere; quibus & experientia ipsa refragatur, & ea Aristotelis testimonia, quæ articulo secundo huius quæstionis ad assertionem secundam retulimus. Neque obstat quod vitis in terram defossa, & iterum, ac sæpius emersa, sine termino propagari possit. Nam ea, quæ diuersis in locis alias atque alias radices agit, non vnius, sed plurium vitium rationem obtinet; sicuti etiam hedera, quæ erratico lapsu passim fibras emittit. Quanquam neque de his conspicuè ostendi potest non habere illa præscriptam extensionis suæ mensuram.

De incremēto vitis & hederæ.

ARTI-

ARTICVLVS VII.

ASSERTIONES DETERmino paruitatis corporum vitæ expertiũ.

QVod ad terminum paruitatis corporum non viuentium spectat; non libet omnes omniũ sententias in mediũ afferre, sed duas duntaxat celebriores. Prima est Scoti in 2. sententiarum. d. 2. q. 9. &. 5. Metaph. q. item. 9. Ochami in 2. d. 8. & aliorum, quam etiam probabilem censet Ioannes Maior in 1. d. 17. q. 16. Hi putant inanima homogenea neutiquã terminari versus minimũ. 1.opinio.

Secunda est Auerrois, 6. huius operis lib. com. 32. & 99. Diui Thomæ. 1. p. q. 7. art. 3. & in 2. d. 30. q. 2. art. 2. Durãdi in eodẽ 2. d. 18. q. 1. Capreoli, & Hispalensis d. 19. q. 1. Sõcinatis 8. Metaph. q. 3. Ferrariensis hoc in libro, q. 7. Richardi quodlibeto 3. q. 5. Gregorij in 1. d. 17. q. 2. arti. 3. aliorumque asserentium terminari; quam opinionem asserit Themistius amplexum fuisse Theophrastum Aristotelicæ doctrinæ alumnum, & scholæ successorẽ. 2.opinio.

Nos hanc controuersiam duplici conclusione dirimemus. Prima sit, Homogenea inanima quoad partes, quæ toti inhærescunt, nullo paruitatis termino continentur. Hæc desumpta est ex Aristotele in libro de sensu & sensili, cap. 3. eiusq; veritas inde patet, quia in quãtitate ignis, verbi causa, nulla est tam exigua pars, qua nõ sit alia minor; quælibet autem pars quantitatis hæret in materia, quam necesse est forma ignis indutam esse; insuper verò quælibet pars ignis, est ignis, quod in compositis heterogeneis non accidit. Itaque in quolibet igni nulla est tam exigua ignis portio, qua non existat alia minor in eodem igne. 1.Conclusio.

Secũda sit. Quælibet nõ viuentia quoad generationẽ intrinsecꝰ terminantur versꝰ minimũ; quo ad cõseruationẽ autẽ simpliciter externo paruitatis limite claudũtur. Hæc assertio ita suaderi potest. In primis, quòd nõ viuẽtia aliquẽ habeãt paruitatis terminũ docet experiẽtia mater Philosophiæ. Videmus enim si ignis in minutas partes abeat illico extingui. Deinde quia, cùm vnunquodq; sit propter suam operationem, vt testatur Aristoteles secundo de cœlo, cap. 3. text. 17. & primo Ethic. cap. 7. non consuecuit natura aut generare, aut conseruare corpora nisi sub ea quantitate, in qua functiones suas obire queant, potest verò esse tam exigua quantitas; in qua id præstare non valeant. Iam verò quòd huiusmodi paruitatis terminus etiam in non viuentibus debeat esse intrinsecè definitus quoad generationem, ita probatur. Non viuentia nequeunt in quantumuis parua quantitate generari, vt proxima ratio ostendit; augescat igitur ea quantitas, in qua, verbi gratia, terra progigni non possit; ne- 2.Cõclusio. Vnũ quodq; est propter suam operationem.

cessariò deueniendum erit ad punctum aliquod temporis, in quo forma terræ eam materiam, quæ continuè increuit, subire possit; sed materia sub ea quantitate est minimũ quod sic terræ quoad generationẽ; igitur terra (quod de cæteris inanimis pari ratione dici debet) intrinseco termino definitur quoad generationẽ. Secũda verò pars assertionis ex eo confirmatur, quia si non viuentia quoad conseruationem simpliciter terminata essent intrinsecè, sequeretur ignem, verbi gratia, posse per vltimum sui esse desinere; videlicet si minimus ignis immediatè post aliquod momentũ in densitatem coeat.

Terminus cõ seruationis minor termino generationis.

Hinc collige posse ignem conseruari infra minimum quod sic generationis, cùm admittamus posse minimum ignem aliquantulum addensari. Neque id mirandum est, cùm plura ad cuiusque rei generationem, quàm ad conseruationem natura ipsa requirat; vt articulo primo huiuscequæstionis astruximus.

ARTICVLVS VIII.

ARGVMENTA, QVIbus proximi articuli assertiones oppugnantur.

Primũ arg.

NVnc ad ea argumenta veniamus, quibus probari videtur, non viuentia, saltem homogenea, vt elementa, omni paruitatis termino carere. Primum ita habet. Nulla est in re combustibili tam exigua pars materiæ, qua non sit alia minor, quæ prius excipiat calorem summum, cæteraque dispositiones ad formam ignis; siquidẽ ignis agit vniformiter difformiter, ac prius in viciniores, quã in remotiores partes vim suam explicat; ergo nulla est tam minuta materiæ pars, in quam non ipsa quoque forma ignis induci queat. Probatur consecutio, quia si disposita ea parte materiæ, non confestim in eam induceretur forma ignis, sequeretur formam rei interituræ consistere aliquandiu in materia affecta dispositionibus sibi repugnantibus, & alteri formæ proprijs, quod est absurdum.

2 Secundum. Quemadmodum alimentum continuè in rem alitã conuertitur, ita continuè corrũpitur; igitur in ea corruptione nunquam supererit conuertenda tam exigua pars, quin minor adhuc supersit; Ex quo planè colligitur alimentum non vendicare certum terminum quoad conseruationem.

3 Tertium. Esse diuiduum in partes, est affectio rei quantæ, vt constat ex doctrina Aristotelis quinto Metaphy. cap. 13. text. 18. ergo cùm quilibet ignis quantitate præditus sit, quilibet in minutiores ignes, qui separatim cohæreant, dispertiri poterit; atque adeò ignis versus minimum caret termino.

Diuisibilitas affectio quãtitatis.

Quartum

Quartũ. Sumatur ignis, cuius dimidia pars sit infra eam, in qua dicunt posse eius formam conseruari. Tum constituatur diuinitus in vacuo, ibique ab Angelo in duas æquales partes dispertiatur; vel huiusmodi ignis in nihilũ interibit, vel diuidetur in partes alterius naturæ, vel in ignes. Primum admitti non debet, quia sicuti creare, ita in nihilũ redigere, solius diuinæ virtutis est. Secundũ etiam dici nõ potest, quia vnum quodque secatur in ea, ex quibus componitur; dandum est igitur tertium; ex quo sequitur ignẽ nunquam esse intã exigua quãtitate, quin adhuc in minori sine vllo termino possit cõsistere.

ARTICVLVS IX.

DILVVNTVR
Superiora argumenta.

NON imus inficias hæc argumenta admodũ probabilem reddere opinionem Scoti, eiusque sectatorum. Verùm possunt illa à nobis non ita magno negotio dilui. Quod ad primum attinet, nonnulli, è quorum numero est Soncinas 8. Metaph. q. 23. Capreolus in primo, d. 17. q. 2. art. 2. & in 2. d. 19. q. vnica, art. 3. AEgidius. 1. de generatione, q. 25. Auerroes lib. 8. huius operis cõmento, 23. eiusque assecla Iandunus, lib. 6. q. 15. arbitrantur qualitates habere minimum quoad extensionem, ita vt dispositiones, quas quæque forma ad sui introductionem postulat, non possint suscipi in quantũlibet parua quantitate; sed in præfinita ac certa, quæque non sit minor illa, quam forma substantialis rei generandæ exposcit. Quare si ignis infra acari magnitudinem progigni nequeat, aiũt cõplexionẽ illã qualitatũ, quã ignis postulat, nõ posse infra acari magnitudinẽ coalescere. Itaq; negãt primũ argumẽti ꝓnuntiatũ.

Qualitates habere minimũ quoad extẽsionem multorũ opinio.

Nos tamen cõtra opinamur, nimirũ qualitates sicuti nullo quoad intesionẽ, ita nullo quoad extensionẽ paruitatis termino finiri, quod probat argumentũ. Dandũ est igitur prius pronũtiatũ; sed negandũ posterius; & ad eius confirmationem respondendum nihil incõmodi sequi ex eo, quod forma persistat in materia, cuius aliqua pars imbuta sit qualitatibus alterius formæ, interim dum eæ qualitates se se extendunt per quantitatem aduenienti formæ congruentem, quam vbi primùm occupabunt, hoc est, in ipso momento, quo dispositiones fuerint in ea quantitate, quæ sit minimum quod sic comparatione formæ aduenientis, confestim priori forma intereunte, noua succedet. Hæc tamen intelligenda sunt cùm totum aliquod compositũ, exempli gratia, totus aliquis ignis seorsim producitur, vt is, qui solarium radiorum coitu excitatur. Nam cùm ab altero vicinam materiam corripiente gignitur, non oportet expectare dum igneæ qualitates ad certam extensionẽ se proferant, quia noua pars ignis simul

Qualitates non habent terminũ paruitatis quoad extẽsionem. Sol. 1. arg.

Alia ratio in generatione integra, alia ĩ partiali quo ad paruitatis terminum.

inhæreſcit, & continuatur toti: atque ita non ſequitur dari ignē per ſe conſiſtentem minorem minimo. Id quod etiam in viuentium nutritione accidit, in qua nulla eſt tam exigua alimenti pars, cuius materia non accipiat formam viuentis; non tamen per ſe, ſed ita vt toti continuè agglutinetur.

Sol. 2. Solutio ſecundi hæc in primis eſſe poteſt. Ne cibus cōtinuā conuerſionē ſubeūdo ita decreſcat, vt cogatur manere infra minorē quātitatē, quā ſit ea, ſub qua ei⁹ forma cohęrere valeat, antequā id cōtingat, natura, vt eſt in eiuſmodi reb⁹ prouida, quò imminēs incōmodū auertat, cùm ad eas anguſtias ventū fuerit totum apparatum diſpoſitionum, quæ ad formam viuentis requiruntur, ſimul cū ipſa forma, & ad cōſequentiā illius, ſubitò inferet ex vi præuiæ diſpoſitionis, quāuis imperfectæ in ea parte materiæ.

Dubitatio. Iure tamen petierit aliquis quando id præſtandum ſit à natura? Nam ſi id præſtare debeat in eo inſtanti, in quo cibus attigerit certā illam quantitatē, infra quā nullo modo conſeruari iam poſsit; ſequitur cibū claudi ſimpliciter intrinſeco termino paruitatis quoad cōſeruationē, quod ſupra negauimus aſſerentes non viuētia quoad cōſeruationē abſolutè loquendo non niſi externis limitibus finiri. Dicēdū eſt igitur prædictas diſpoſitiones introducendas ſimul cum forma in eo inſtanti, in quo peruentum fuerit ad maximum quod non cibi, hoc eſt, ad eam quantitatem, in qua iam præ exiguitate nequeat manere forma cibi, in qualibet autem maiori queat.

Reſponſio.

Alia reſpōſio, quæ magis placet. Atque hanc ſolutionem vberioris doctrinæ gratia propoſuimus; magis tamen placet ſententia, quæ decernit in ea continua conuerſione, cùm ventum fuerit ad maximum quod non cibi, inducendam ſubitò in illud eſſe formam rei viuentis abſque perfectis diſpoſitionibus. Maius enim incommodum eſt perfectas diſpoſitiones momento inferri in materiam occupatam adhuc contrario repugnante, & ſucceſsiuè vincendo, quàm formam, quæ ſerpebat, induci in materiam, in qua nondum diſpoſitiones ad gradum perfectum euaſerint, ad quem ipſa forma paulò poſt ſe ſe prouehet. Quemadmodum è contrario ponimus formam ligni, verbi cauſa, manere ſub perfectis diſpoſitionibus ad formam ignis, quouſq; illæ per quantitatem ſufficientem ad introductionem formæ ignis ſe ſe extendant.

Dubit. Maior tamen exiſtit dubitatio quid dicendum ſi accipiatur corpus, quod non per conuerſionem in ſubſtantiam alterius; ſed per condenſationem paulatim ad minorem extenſionem contrahatur, vt aqua in loco perfrigido; nec enim tunc apparet, in quo termino debeat conſiſtere, ſi in infinitum diminui non poteſt. Sunt qui dicant debere eiuſmodi corpus ſe ſe continere in termino intrinſeco cōſeruationis ſecundū naturalē diſpoſitionē, obnitēte videlicet forma cōmuni conatu, & repugnātia totius naturæ, nō ſecus, ac depugnare ſolet, ne vacuum detur. Alij dicunt tale corpus aliquantulum

Quorundam reſponſio.

Reſponſio aliorum.

tulum infra eiuſmodi terminum deſcenſurum. Nec enim natura, vt experientia paſsim docet, ſimilibus diſpendijs naturalium diſpoſitionum vſque adeò obſiſtit: ſub quo verò termino manere debeat, quia non eſt maior ratio, cur ſub hoc, quam ſub illo ſtet; pręfiniet ipſius naturæ auctor, & parens Deus, cuius eſt naturæ impotentiam, & inopiam in ijs, alijsque eiuſmodi euentis ordinaria, ſtataque lege ſupplere.

Neutrum tamen ex ijs perfugijs neceſſarium videtur, cùm facile dici poſsit conuenienter ijs, quæ proximè aſſerta ſunt, & mox dicẽtur, tantulam illam aquã in loco perfrigido addenſandam eſſe, quouſque perueniat ad maximum quod non, & in eo pũcto conuertendam in circuniectum corpus; ſicuti etiam mox in ſolutione quarti argumenti de ſectione minimi ignis in pleno ex D. Thoma dicetur. Si autem corpus aliquod ponatur in vacuo, quod occupare, ac replere non poſsit, quantunuis rarefiat, quæraturque in quo nam termino ſubſiſtere debeat rarefactio; tunc alter ex illis modis, quos attulimus, ſequendus erit.

Legitima explicatio dubit.

Solutio tertij, Non eſt affectio rei quantæ ſecari poſſe in partes, quarum quælibet ſeparatim conſiſtat; ſed habere aptitudinem, vt in eas ex vi quantitatis ſecari poſsit; licet interdum eam diuiſionẽ fieri aliunde repugnet, vt in re propoſita accidit. Nam quòd hæc quantitatis, ſiue rei quantæ affectio hoc modo intelligenda ſit, ex eo patet; quia alioqui, vt Gregorius in 1. d. 17. q. 2. art. 3. & Caietanus 1. p. ad articulum tertium quæſtionis ſeptimæ aduertunt, dicendum foret ſubſtantiã cœli, quia quantitate prædita eſt, diuidi poſſe, cùm tamen cœlum, vt ab interitu, ita à ſectione prorſus immune ſit. Sol. 3.

Solutio quarti, Putat Caietanus fore in eo euentu vt materia in nihilum cedat; quod etiam probabile exiſtimant Gregorius, Ferrarienſis, & Soncinas. Alij verò opinantur manſuram ſine omni forma ſubſtantiali materiam. Quòd ſi quis obijciat, iſthæc miracula cùm totius naturæ facultatem excedant, non poſſe ab angelo præſtari; occurrent ea non ad vim ſecantis angeli, ſed Dei, qui inanitatem illã ſpatij priùs induxit, referenda eſſe. Aliter quoque ad argumentum reſpondet Ferrarienſis, nimirum ſicuti eiuſmodi ſectio, non niſi poſito miraculo, ac præter naturæ ordinem fit; ita ad naturæ auctorem pertinere partes ignis in id, quod volet conuertere. Prima ſol. 4. Secunda ſol.

Quæ reſponſio magis ſatisfacit admiſſa ipſa diuiſione. Potiùs tamen dicendum in eo euentu, ſi res naturæ ſuæ relinquantur, nõ ſectum iri illum ignem ab angelo tota renitente, ac repugnante natura, vt paulò ante de corpore ſe ſe addenſante, iuxta priorem modũ ſoluendi propoſitam difficultatem, dicebamus. 3. ſolutio.

Quid verò ſi ignis in ſpatio pleno diuidatur? Multi hypotheſim non admittunt, aientes non minùs etiam tunc à natura depugnatum iri, ne quid ignem illum diſpertiat, quam ne aliquod inane ſpatium in mũdo ſit. Sed melius D. Thomas, Iandunus, Capreolus, & pleriq; alij Dubium. Explicatio.

alij censent eas partes in vicina corpora conuertendas, ita videlicet vt eo temporis momento, in quo diuisio absoluta fuerit, abiecta forma ignis induant formam circunfusi corporis, illique inhæresçant.

Capitis quinti Explanatio.

POrro a omnes] Reiectis eorum opinionibus, qui vnum duntaxat, vel infinita posuere rerum naturalium principia, mediam approbaturus Aristoteles statuit hoc capite aliqua saltem principia contraria esse; idque probat ex communi omnium Philosophorum assensu. Omnes enim contraria fecere principia, quanquam non optima aliqua ratione ducti; sed veritate ipsa cogente. Nanque, vt scripsit Menander, venit in lucem veritas vel nõ quęsita; & vt D. Thomas hoc loco ait, quemadmodum lapis nulla antecedẽte cognitione suopte impetu in centrum vergit, ita humana mens interdũ sine vlla exquisita ratione, tacita quadã vi, & impulsu veritatis ipsius, in veritatem quasi in suum centrum pergit.

Admiranda vis veritatis.

CAP. V.

POrro [a] *omnes contraria principia faciunt, tum hi* [b] *qui vniuersum vnum & immobile dicũt esse (quandoquidem Parmenides frigidum, & calidum principia facit, ignemq; & terram hæc nominat) tum qui rarum & densum. Democritus quoq; solidum & inane, quorum alterum vt id quod est, esse ait; alterum vt id, quod non est. Quin etiam situm, figuram, & ordinem, quæ contrariorũ sunt genera; situm, vt sursum & deorsum, ante & retro; figuram, vt angulos habens, & non habens, rectum & circulare. Quæ igitur contraria sunt principia omnes statuere manifestum est.* [c] *Idq; optima ratione. Nãq; principia nec ex se se vicissim esse nec ex alijs, & ex his omnia oportet. Contrarijs autem primis hæc insunt. Quod enim sint prima, ex alijs non sunt; quod verò contraria, non vicissim ex se se. Atqui & ratione quonam modo hoc accidat considerandum est.* [d] *Sumendum itaque primum est, omnium, quæ sunt, nihil in quoduis agere, à quouis pati, neq; ex quouis quoduis fieri, nisi ex accidenti quis sumpserit. Quo nanq; pacto album ex musico possit fieri, nisi albo, aut nigro musicum esse acciderit? Sed album quidem fit è non albo, atq; eo non quouis, verùm ex nigro, aut intermedijs, & musicum è non musico, sed non è quolibet, verùm ex eo, in quo musicæ est priuatio, aut è medio, si aliquod sit inter ipsa. Neq; igitur in quoduis primum interit, vt album non in musicum nisi interdum ex accidenti: sed in non albũs non tamen in nonalbũ quoduis; sed in nigrũ, aut intermedium, similiter & musicum non in quoduis, sed in id, quod musica priuatum est, aut si aliquid inter hæc locatũ est.* [e] *Nec secus res habet in cæteris. Nam & eorum, quæ simplicia non sunt, sed composita eadẽ est ratio: sed quod dispositiones oppositæ nomen non habeãt, accidere id latet.* Ne-

Text⁹ 42. Text⁹ 43. Text⁹ 44. Text⁹ 45.

Opinio Parmenidis.

Opinio Melissi.

Aliorum sententia.

Tertia est eorum, qui plura, quam vnum constituerunt, inter quos Democritus duplici de causa contrarietatem admisit. Primùm quia arbitrabatur omnia ex inani, & atomis, quæ inter se pugnãt coaluisse; deinde quia asseruit sua illa indiuidua corpuscula, ordine, figura, situque differre.

Principia esse inter se cõtraria.

[c] Idque optima ratione] Principia esse inter se contraria hunc in modum cõfirmat. Principia dicuntur, quæ nec ex se se mutuò, neque ex alijs sunt; sed ex ipsis sunt omnia; prima cõtrariæ

traria ita se habent; ergo prima contraria sunt principia; atque adeò quædam principia sunt contraria. Probat assumptionem; ac prima contraria non fieri ex alijs suadet; quia si fierent, non esset prima. Nam cùm omne quod fit, è contrario fiat tãquam termino, à quo actio proficiscitur, vt inductione patet, necesse est ea, quę ex alijs fiunt, prima non esse; cùm sint alia priora, ex quibus ipsa emergant. Deinde ostendit neque ex se se mutuò fieri, quia sunt contraria, quorum ea est natura, vt se mutuò interimant.

d Sumendum itaque | Vt pateat è contrarijs omnia effici, aliquot pronuntiata sumit, eaque varijs exemplis cõfirmat. Videlicet nihil in quoduis agere aptum esse. Nihil è quouis pati posse. Item quoduis non è quouis effici, neque in quoduis interire, seu dissolui: sed vnũquodque in contrarium agere: à cõtrario perpeti: ex contrario fieri: & in cõtrarium dissolui. Intellige per se: nam per accidens quoduis in quoduis agit; à quouis patitur; ex quouis fit: in quodnis interit. Omnia è cõtrarijs fieri.

Necesse enim est quidquid constat harmonia ex eo fieri, quod harmoniam non habet, & quod caret harmonia ex eo fieri, quod illã obtinet, atq; hoc ipsũ, quod harmonia est præditum, in harmoniæ vacuitatem interire, non
Text⁹ 46. *in quanlibet, sed in oppositam. Nihil autem interest de harmonia hoc dicere, an de ordine, seu compositione, cùm eãdem esse rationem sit manifestum. Atqui & domus & statua, & aliud quiduis eodem fiunt modo. Nam & domus ex eo fit, quod hoc modo composita hæc non essent, sed diuisa, & statua, & quæ forma sunt figurata, ex figuræ priuatione. Ac vnumquodque horum partim ordo est, partim compo-*
Text⁹ 47. *sitio. Quod si ita res habet, quidquid gignitur, è contrarijs profecto gignitur, & quidquid interit, in contraria interit, atq; in ea, quæ inter hæc locata sunt. E contrarijs autem ea fiunt, quæ in illorũ medio locata sunt, vt colores ex albo, & nigro. Quæcunq; igitur fiunt natura, aut contraria sunt,*
Text⁹ 48. *aut ex contrarijs. Et aliorũ quidem plurimi, hucusq; fere (vt ante diximus) vna profecti sunt. Omnes enim elementa, & quæ ab ipsis principia nuncupantur, quanquam sine ratione ponunt; contraria tamen quasi ab ipsa coacti veritate statuunt: f sed differunt inter se, quod alij priora, alij posteriora, & nonnulli ratione, alij sensu notiora accipiunt. Quidam enim calidum & frigidum: alij humidum & siccũ: alij par & impar: nonnulli concordiam, atq; discordiã generationis cauſsas ponunt, quæ quidem inter se se eo modo, qui dictus*
Text⁹ 49. *est, differunt. g Vt eadem quodammodo, & diuersa dicant: diuersa quidem, quemadmodum & plurimis videtur. eadem verò proportione, cùm ex eadem serie accipiant. Nãq; contrariorum alia continent, alia continentur. Sic igitur eodem, & diuerso modo, meliùsq; & deteriùs enuntiãt. Et alij quidem ratione (vt antea dictum est) alij sensu notiora. Vniuersum enim ratione est notum: singula autem sensu: nam rei vniuersæ ratio, eius verò, quæ in parte est, sensus. Ceu magnum, & paruum ratione: rarum & densum sensu.*
Text⁹ 50. *Principia igitur contraria esse oportere manifestum est.*

e Nec secus res habet | Effatũ illud; non quodlibet fit è quolibet, veritatem habere inquit in omnibus tam simplicibus, quam non simplicibus, & in ijs, quæ harmonia, ordine, aut compositione constant: fiunt enim hęc ex priuatiuè oppositis, vt musicum è non musico, habente tamen priuationem musicę: similiterque exercitus è non exercitu, & ex inordinato, apto tamẽ, vt redigatur in ordinem: domus è non domo, & ex incomposito, quod tamen ad compositionem subeundam idoneum sit. Non quoduis fieri è quolibet.

f Differunt inter se | Ostendit veterum Philosophorum in assignandis contrarijs principijs discrepantiam. Nam quidam pro principijs accipiebant priora contraria, alij posteriora: quidam notiora sensui, alij notiora intellectui: & ex prioribus alij calidum & frigidum, alij humidum & siccum: ex posterioribus alij numeros, parem & imparem, videlicet Pythagorici, alij litem & amicitiã, nimirum Empedocles, eiusque sectatores.

g Vt

Disidium & conuenientia inter veteres de principiorum cõtrarietate.

g Vt eadem quodammodo, & diuersa.) Fuit inter priscę Philosophię auctores circa principiorum contrarietatem disidium, & conuenientia. Disidium, quia alij alia contraria posuere. Conuenientia, quia omnia contraria ab eis tradita, proportionem habent inter se: idque multas ob caussas, videlicet quia è contrariorum serie vniuersa desumuntur: quia ea, quę communiora sunt, vt exuperantia, & defectio continent sub se alia v. g. calidum & frigidũ. (Enim verò omnia contraria ad priuationem, & habitum; exuperantiam, & defectionem quodammodo pertinent, prout vnum perfectione, & dignitate aliud exuperat, vt docet Aristoteles 10. Metaphys. cap. 7. tex. 16.) Postremò quia omnia priora sunt, alia secundum sensũ, alia secundum intellectum.

QVÆSTIO I.

VTRVM PRINCIPIA RECTE ab Aristotele definita sint, an non?

ARTICVLVS I.

PRÆNOTANTVR QVÆDAM ad explicandam principiorum definitionem.

Definitio principiorum.

PROXIMO capite hunc in modum Aristoteles principia definijt. Principia sũt quæ nec ex se se, nec ex alijs; sed omnia ex ipsis sunt. Vt autem huiusce definitionis intelligentia illustrior euadat, animaduertendum in primis erit principium varias habere apud Theologos & Philosophos notiones, quas tradit D. Damascenus in lib. aduersus Manichæos, Aristoteles lib. 5. de generatione animalium cap. 7. lib. poeticæ cap. 7. lib. 5. Metaph. cap. 1. tex. 1. & cap. 5. huius libri tex. 42. Cæteris verò in præsentia omissis, de vltima, quæ huius instituti propria est, disseremus. Sciẽdum verò principium, si propriè sumatur, latiùs patere, quàm caussam; quia ad rationem principij sat est, si ex eo tanquã ex primo aliquid sit, fiat, aut cognoscatur: vt verò caussa dicatur opus est, vt ab illo accipiat esse, ab eoque dependeat. Vnde locus, è quo quisque proficiscitur, principium est viæ, non tamẽ caussa viæ; & priuatio est principiũ generationis, nõ tamẽ generationis caussa.

Multiplex acceptio principij.

Principium latius patere quam caussã.

Disserimẽ inter caussã & principium.

Rursus autem, quia nihil nisi à diuerso pendere propriè dicitur, fit vt omne, quod respectu alicuius rationem caussæ obtinet, necessariò ab illo, & essentia, & virtute differat, ita videlicet, vt aut omnino extra essentiam eius sit, quo pacto se habent finis, & efficiens cõparatione sui effectus; aut saltem non sit tota eius essentia, sicuti materia, & forma respectu compositi, etiam simul sumptæ, & vnitæ, si totum ab illis etiam ita constitutis distinguatur, quod magis probauimus. Atque hæc ratio est, vt annotauit D. Tho. 1. p. q. 33. art. 1.

Lege d. Tho. opus. 1. c. 1.

cur

cur Pater in diuinis principiũ Filij dicatur;& Pater ac Filius principium Spiritus sancti, non tamen caussæ; quia nimirum ita Filius à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroq;procedit, vt nihilominus eandem numero essentiam communem habeant.

Necobstat quodGręcidoctores,utD.Chrysostom⁹ &Theodoretus in commentarijs epistolæ ad Hebræos, & D. Damascenus lib. 1. fidei orthodoxæ cap. 11.& in lib. aduersus Manichæos, & D. Athanasius in actis Nicenæ synodi Patrem caussam Filij; & D. Basilius Patrem Spiritus sancti caussam appellant. Nanq; nomen græcum ἀιτία,quod caussam significat , non eandem apud Græcos, quam apud Latinos, energiam habet: significato enim vocis, caussa, vt etiã aduertit D. Th. q. 10. de pot. ar. 1. respondet ex aduerso apud Latinos effectus,qui, vt dixim⁹, diuersã à sua cuassa essẽtiã obtinet. Apud Græcos verò significato nominis ἀιτία respõdet ab alio procedẽs, quod latius patet quam effectus, vt perspicuũ est. Itaq; doctores citati nomen caussæ non ad aliquã dependentiã, sed ad solam originem significandam vsurparunt. Quòd si quis obijciat etiã Latinos caussæ nomine in diuinis vti; siquidem D. Augustinus 7. de Trinit. cap. 1. & in lib. 83. quæst.q. 16. scribit Deum suæ sapientiæ caussam esse, & D. Hieronymus ad caput 3. epistolæ ad Ephesios asserit Patrem sui originem esse, suæq; caussam substantiæ. Occurrendum erit , horum patrum dicta interpretanda esse in sensu negante; quasi dixerint Dei scientiam substantiamque non alinnde pendere, sicuti rerum creatarum substantia , scientiaque dependet.

Non eodem modo apud Græcos,&Latinos caussa vsurpatur.

Obiectio.

Responsio.

Secundò aduertendum est principium duobus modis sumi posse, vno denominatiuè, idest, pro re , cui relatio principij aduenit , verbi gratia, pro materia: altero formaliter , hoc est , pro ipsa relatione principij ad principiatum , quæ relatio in commune sumpta vniuoca esse non potest; cùm comprehendat sub se quasdam relationes reales, cuiusmodi est relatio principij, quæ dicitur de patre respectu filij; alias rationis, qualis est ea , quæ conuenit priuationi respectu generationis: hæc enim realis esse non potest; cùm non sit inter extrema vtrinque realia. Quin etiam nec principium denominatiuè sumptum vniuocam habet rationem; siquidem ens , & non ens in vnam, eandemque communem naturam conuenire nequeunt : at materia,& forma sũt vera &positiua ẽtia;priuatio verò nõ itẽ. Quappter rectè annotauit Mag. Albertus ex Auerroe & Auicenna,rationem principij competere his tribus secundum prius & posterius: primùm quidem dici de forma, vtpote quæ sit præcipua pars quiditatis rei genitæ; secundò de materia, quæ cùm sit pura potentia, naturæ dignitate & in ratione principiandi minùs præstans est, quàm forma; præstantior tamen , quàm priuatio , quæ neque in re genita manet, neque vllum entis gradum obtinet. Quo fit vt priuatio inter principia tertium ac postremum dignitatis locum fortiatur.

Principiũ bifariã sumitur

Relatio principij non est quid vniuocũ

Nec principium denominatiuè sũptũ.

Quo ordine principiũ dicatur de tribus prĩcipijs rerũnaturaliũ

Quam latè pateat definitio principiorum

Tertio, neque illud ignorandum est, Aristotelem in definitione principiorum non omnia, sed sola rerum naturalium principia, de quibus differebat, complexum fuisse; quo pacto nomen principij quadam ex parte minùs latè manat, quàm causſæ; cùm non omnes causſas, sed solam materiam & formā comprehendat; ex altera verò latiùs s funditur; siquidem complectitur etiam priuationem, quæ nō est causſa. Nec obstat quod Aristoteles 12. Metaph. cap. 2. tex. 12. priuationem causſam vocat; vsurpat enim eo loco nomen causſæ non philosophicè & propriè; sed ad sensum & consuetudinem vulgi appellantis causſam quidquid ad aliud quoquo modo requiritur, siue id ab eo dependeat, vt ab impertiente aliquod esse; siue non.

Causſa eū populariter sumitur, reciprocatur eū principio.

ARTICVLVS II.
PARTICVLATIM ENOdatur principiorum definitio.

HIs ita explicatis, vt ad ipsam principiorum definionem veniamus, tres in ea cōditiones exprimūtur: Prima, vt principia nō sint ex se se mutuò: secunda, ne sint ex alijs: tertia, vt ex ipsis sint, hoc est cōstēt, aut fiāt omnia. Prima ex eo suadetur, quia principia sūt prima cōtraria: hæc autē ita se habēt, vt vnū ex altero esse nō possit; quod in progressu planum fiet. Secunda inde probatur, quia si principia essēt ex alijs, essēt ex priorib⁹, atq; ita nō essēt prima, nec principij, sed principiati haberent rationē, vt scripsit Plato in Timæo. Tertia ostenditur, quia cùm principiata ex semetipsis esse nequeant, vtiq; necessariò erunt ex alijs; non ex principiatis, ergo ex principijs. Atque adeò rectè principia dicuntur, ex quibus omnia sunt, omnia inquam entia naturalia, quæ primò, ac simpliciter fiūt.

Prima conditio principiorum.

Secunda.

Tertia.

Vt principia rerum naturalium differāt ab externis causſis.

Sanè verò particula, ex, discrimen ponit inter principia rerū naturalium, & inter causſas externas, quæ sunt finis, efficiens, & exēplar. Nec enim ex his, si propriè ac philosophicè loquamur, vlla res constat, aut fit: sed efficiens est, à quo; finis, propter quem; exēplar, ad cuius imitationem res efficitur. At principiū est id, ex quo res constat, vel oritur.

Quid per singulas particulas excludatur.

Porro autem per primam definitionis particulam excluduntur quatuor vulgata elementa, & alia composita, quæ ex se vicissim fieri solent: per secundam ea, quæ licet non ex se mutuò fiant, aut constent; conficiūtur tamen ipsa ex alijs, vt corpora cœlestia ex materia & forma: per tertiā substantiæ separatæ, figmēta, accidētiaq; omnia, & vniuersim ea, ex quib⁹ nullū cōpositū naturale oritur, aut coalescit. Sed hæc disputatione proxime sequentis articuli clariora euadent.

ARTICVLVS III.
OBIECTA ADVERsus proximè dicta.

Verùm

VErùm contra ea, quæ nunc asseruimus, hunc in modum licebit obijcere. Cùm ex principijs esse omnia dicuntur, vel particula, ex, significat habitudinem termini à quo, vel habitudinem partis componentis. Si primum, falsò igitur principia dicuntur nõ ex se esse; cùm aliqua principia sint prima contraria, quæ proinde ex se inuicem, vt ex termino fieri debent. Si secundum, sequitur priuationem non esse principium; cùm priuatio non sit pars cõpositi. Quare non rectè ea particula videtur addita. 1.obiectio.

Secundò, forma equi fit ex materia; siquidem de illius potentia excitatur; fit item ex sui priuatione; cùm generatio sit progressio à priuatione formæ ad formam. Ergo principia fiunt ex se. 2.obiectio.

Deinde, materia & forma, cùm sint species quædam, habent suũ genus & differentiam, ex quibus compositione metaphysica constituuntur. Ergo aliqua principia fiunt ex alijs. 3.obiectio.

Præterea, corpora cœlestia nõ oriuntur ex tribus illis principijs: non igitur omnia ex ipsis fiunt. Probatur assumptum; quia in corpora cœlestia non cadit priuatio, neque cœlestis forma contrarium habet, vt docet Aristoteles 1. de cœlo cap. 3. tex. 25. 4.obiectio.

Postremò, in definitione principiorum non definiuntur sola principia singularia; sed neque principia in commune sumpta: igitur nulla principia in ea definiuntur. Probatur antecedens quoad priorem partem, quia singularia non cadunt sub scientiam. Suadetur item quoad posteriorem, quia definitio rei communioris, secundaria saltem ratione, conuenire debet singularibus: at hæc singularibus principijs non conuenit: siquidem ex principijs Socratis, vel Platonis non fiunt omnia, vt luce clarius est. 5.obiectio.

ARTICVLVS IIII.

DILVTIO obiectorum.

NOn erit tamen difficile hæc dissoluere. Ac quod ad primum attinet, disidium est inter expositores quo pacto in definitione principiorum particula, ex, ab Aristotele accipiatur. Nam Simplicius, Philoponus, & Burlæus hoc loco, itemq; Capreolus in 2. d. 12. art. 3. putant primo & secundo loco, cùm scilicet principia dicuntur nec ex se, nec ex alijs esse, importari habitudinẽ duntaxat partis componentis: cùm verò additur, sed ex ipsis sunt omnia, exprimi habitudinem tam partis componentis, quàm termini à quo. Alij vtrobique rationem partis componentis designari inquiunt. Verùm neutra harum interpretationum nobis placet. Non prima, quia admittit Aristotelem in ea definitione vnum vocabulũ in alia & alia significatione vsurpasse, quod nisi cogente necessitate (quæ hîc tamen nulla est) absque vitio non fit. Non secunda, quia Respõs. ad 1.

Disidium inter interpretes.

Et Toletus q. 11. Sotus art. 1. q. 5.

priuationem à numero principiorum excludit; cùm res genita non componatur ex priuatione. Dicendum est igitur cum AEgidio aliisque nonnullis, particulam, ex, semper eodem modo accipiendam esse, ita videlicet, vt significet habitudinem vel partis componentis, vel termini à quo: vtrunque enim complectitur verbũ illud, sunt, cùm principia dicuntur, ex quibus sunt omnia, idest, constãt, aut fiunt: nulla autem principia siue contraria sint, siue non, modò abstractè sumantur, quomodo hîc ab Aristotele accipiuntur, vt D. Thom. annotauit, ex alijs fieri dicenda sunt; cùm ne fiant quidẽ; sed sola singularia per se existentia, atque adeò sola concreta, docente Aristotele cap. 7. huius libri tex. 64. & lib. 7. Metaph. cap. 8. tex. 26. & 27. Quare nec forma ignis, nec candor, nec frigus, aliaue eiusmodi abstracta fieri dicenda sunt, sed ignis, candidũ, frigidum; atque ita res habet in cæteris. Quod siquis obijciat animum rationis compotẽ, cùm peculiari, sibiq; propria actione à Deo creetur, propriè fieri: occurrendum erit non fieri actione physica, de qua hîc agitur, quanquam in eius etiam productione seruetur effatum illud Philosophorum aientium actiones terminari ad suppositа; siquidem anima humana est quid singulare per se existens, quo pacto nomen suppositi in eo pronuntiato accipitur

Particula, ex, quo pacto sumatur in definitione principiorum.

Obiectiõ.

Dilutio.

Ad. 2. Ad secundũ, dicendũ formã equi nec ex priuatione, nec ex materia fieri, cùm nõ fiat, vti proximè statuimus. Si verò quis opponat rem genitã effici ex cõtrario, idest, ex priuatione sui; solã verò formã dici ex priuatione effici, cùm eius duntaxat priuatio in materia insit: quare non cõpositũ, sed formã effici. Respõdendũ erit id, quod generatione propriè fit, quod est solũ compositũ, effici ex priuatione, non ratione sui adæquatè, siue secundũ se totũ; sed ratiõe partis, hoc est, merito formæ, ex qua cõponitur. Adde etiã id, quod gignitur, v.c. equũ fieri ex nõ equo, hoc est, ex re, quæ non est equus, vt ex re priuata, & tanquã ex termino à quo integro, siue totali: qui terminus cõtrarius est termino adquẽ totali, videlicet equo; sicuti priuatio, aduersaria est equinæ formæ, quæ denuo acquiritur.

Quo modo compositum Physicũ fiat ex priuatiõe.

Ad. 3. Ad tertiũ, materiã, & formã, præterquam quòd non propriè fiũt, nõ fieri ex genere, & differentia, vt ex termino, aut vt ex partibus re ipsa cõponẽtib⁹, quomodo principiorũ definitio intelligẽda est; sed vt ex ijs, à quib⁹ sola ratione cõponuntur; vel (quod eodẽ recidit) materiam & formam habere quidem alia principia, non physica, sed metaphysica, vt vocant.

Ad. 4. Ad quartũ, Aristotelem non intellexisse res omnes physicas ex illis tribus principijs oriri, sed eas tantùm quæ generationem & interitum subeunt. Quare tria illa principia simul sũpta non conuenire corporib⁹, cœlestib⁹ sed eorũ dũtaxat duo, materiã videlicet & formam. Quo fit, vt si de principijs intrinsecis, & constituentibus loquamur, omnium rerum physicarum principia complexus fuerit Aristoteles. Quidquid alij velint contendentes sola principia

Tria principia nõ cernũtur in corporibus cœlestibus.

rerum,

rerum, quæ gignũtur & intereunt, tradita ab eo fuiſſe hoc in libro. Quoſſanè refellit tum ipſa principiorum definitio, quæ principijs tam generationis, quàm conſtitutionis quarumlibet rerum naturalium, etiam cœleſtium, accommodatur; tum Ariſtotelicæ doctrinæ ſeries ac methodus: promiſerat ſiquidem in proœmio Ariſtoteles ſe ab vniuerſalioribus ad minus cõmunia progreſſurũ. Nec quenquã turbet quod cap. 7. text. 68. cõcluſerit ſe rerum, quæ generantur & intereunt, principia explicuiſſe. Non enim ijs verbis ſignificare voluit diſſolubiliũ tantùm rerũ principia ab ſe tradita eſſe; ſed tria illa ſimul acceptainueniri in rebus generabilibus: atq; adeò eam, quam aſsignauit, principiorum definitionem, omniũ rerum phyſicarum principia comprehendere. Remotio obiectionis.

Ad quintum, in definitione principiorum definiri primò cõmunia principia; ſecundaria verò ratione principia ſingularia: ſed verba illa, ex ipſis ſunt omnia, partitiuè accipienda eſſe, vt intelligamus vnumquodq; ens naturale fieri ex ſuis, ſiue ex ſingulis tribus. Itaq; vt definitio principijs Socratis accõmodetur, ſat eſt ex ipſis conſtare gigni hũc Socratem. Si autem petas an hæc definitio non modò ſingulis tribus principijs conueniat; ſed vnicuiq; eorum, vt materiæ, vel formæ ſeparatim acceptis. Reſpondemus conuenire, ſi tamen mutentur ea, quæ collectionem ſignificant; dicamusq; principium eſſe id, quod non ex alio, ſed ex ipſo eſt aliquid, hoc eſt per ſe conſtat aut gignitur. Quæ lex ſeruari conſueuit cùm definitiones tradũtur in numero plurali, nec diſtributiuè tantùm, ſed diſtributiuè ſimul & collectiuè ſumuntur, vt in re propoſita accidit. Ad 5. Quo pacto definitio prĩcipiorũ cuilibet principio accõmodari poſsit.

QVÆSTIO II.

VTRVM PRIMA CONTRARIA ſint rerum naturaliũ principia, an non.

ARTICVLVS I.

ARGVMENTA pro parte negatiua.

EOdem capite text. 42. aſſeruit, probauitque Ariſtoteles prima contraria eſſe rerum naturalium principia. Verùm quòd longè aliter res habeat conabitur quis hunc in modum ſuadere. Quatuor primarię qualitates, quæ ſub ſenſũ cadũt, videlicet calor, frigꝰ, humor, ſiccitas ſũt prima cõtraria; cùm nõ oriãtur ex aliarũ qualitatũ pmiſtione: & tamẽ Primũ arg. pro parte negatiua.

non

non ſunt principia rerum naturalium, vt ex ijs, quæ ſuperiùs diſputata ſunt, liquidò conſtat. Ergo prima contraria non ſunt principia.

2 Secundo. In quolibet genere tam ſubſtantiæ, quàm accidentiũ, vt aſſerit Ariſtoteles hoc in lib. text. 50. & 56. datur vna prima cõtrarietas, atque adeò aliqua prima contraria: & tamen accidentia non poſſunt eſſe rerum naturalium principia: ergo prima contraria neutiquam inter principia numerari poſſunt.

3 Tertio. Principia nec ex ſe, nec ex alijs ſunt, ideſt, conſtãt aut fiunt: prima contraria fiunt ex ſe ſe: ergo prima contraria non ſunt principia. Maior patet ex ipſa principiorum notione. Minor oſtẽditur, quia quicquid fit, ex ſuo contrario fit, vt hoc in libro loco citato comprobauit Ariſtoteles.

4 Quarto. Si qua prima contraria forent principia, maximè eſſent forma ſubſtantialis & eius priuatio: ſed hæc non ſunt prima contraria: ergo nulla. Probatur aſſumptio. Nam ſi hæc eſſent prima, non darentur alia ipſis priora: quod tamen falſum eſſe inde patet, quia forma in cõmune, vt comprehendit tam formam ſubſtantialẽ, quàm accidentariã; & priuatio formæ etiam in cõmune acceptæ ſunt priora, quàm forma ſubſtantialis, & eius priuatio; cùm omnia ſuperiora inferioribus, quæ ſub ſe continent, priora ſint, vt patet ex ijs, quæ tradit Ariſtoteles in Categorijs cap. de modis prioris.

ARTICVLVS II.

ENODATIO PROPOSITÆ
Difficultatis, & argumentorum dilutio.

Prima cõtraria quot modis dicantur.

VT hunc nodum, in quo multi fruſtra laborant, diſſoluamus, aduertendum erit prima contraria bifariam dici: vno modo, accipiendo nomen contrariorum preſſè ac propriè: quo pacto primæ quatuor qualitates calor, frigus, ſiccitas, & humor contraria prima nuncupantur; quia præterquam quòd ſub eodem genere maximè differunt &c. non habent alia priora, è quorum permiſtione oriantur, ſicuti habent candor & nigredo, quæ ex quatuor prædictis qualitatibus inter ſe variè attemperatis obueniunt. Alio modo dicuntur prima contraria, ſed impropriè, fuſaque contrariorum ſignificatione, ea, quæ priuatiuè opponuntur. Vocantur autem contraria, quia more contrariorũ ſe ſe interimunt: prima, quia omnium generum contrarietas ad priuatiuam oppoſitionẽ reuocatur. Quod vt planè intelligas aduerte in quolibet genere teſte Ariſtotele cap. 6. huius libri text. 50. & 56. dari vnam primam contrarietatem, quatenus vnumquodque genus per contrarias differentias diuiditur, vt conſtat ex eodem Ariſtotele lib. 10. Metaph. cap. 10. text. 23. Deinde cùm harum differentiarum vna alteri dignitate excellat, quia

In quolibet genere datur vna prima contrarietas.

ſpecies

ſpecies ſunt veluti numeri; cũq, omne id, quod deterius eſt, priuationem, vel quaſi priuationem nobilioris in ſe habeat, fit inde, vt omnium generum contrarietas ad priuatiuam oppoſitionem, tanquam ad aliquid cõmunius & prius reducatur: quod Ariſtoteles 10. Metaph. cap. 7. text. 16. diſertis verbis docet. Ex quo iam liquet cur oppoſita priuatiuè, prima contraria nuncupentur.

Omnis contrarietas ad priuatiuã oppoſitionẽ reuocatur.

Rurſus verò, vt rerum quædam ſunt entia ſimpliciter, nẽpe ſubſtantiæ; aliæ non ſimpliciter, nimirum accidentia: ita ex primis contrarijs priuatiuè, quædam ſunt prima ſimpliciter, alia non item. Prima ſimpliciter ſunt, quæ in genere ſubſtantiæ verſantur, id eſt forma ſubſtantialis, & eius priuatio. Prima non ſimpliciter ſunt, quæ ad alias Categorias pertinent, reducuntur ve; cuiuſmodi eſt quælibet forma accidentaria, eique reſpõdẽs priuatio, vt viſus & cæcitas. Poſtremò hæc ipſa prima contraria ſimpliciter, aut ſunt contraria ſe totis, ſeu per ſe primò & non ratione alicuius partis, vt forma equi & eius priuatio, aut ſunt contraria ratione partis alicuius, vt equus & non equus; non enim hæc inter ſe priuatiuè opponuntur, niſi ratione formæ, ex qua equus conſtat, & cuius negatio in nonequo includitur.

Duo genera primorũ contrariorum.

Rurſus alia duo.

His animaduerſis, cùm Ariſtoteles ait prima contraria eſſe principia, loquitur de primis contrarijs priuatiuè, & in genere ſubſtãtiæ, & quæ ſe totis cõtraria ſunt. Quo pacto, vt ex ſuperioribus liquet, dubium non eſt, quin eiuſmodi pronuntiatum veriſsimum ſit: quãdoquidem prima contraria ita ſumpta reciprocantur cum forma ſubſtantiali, eiuſque priuatione; quæ ſunt duo generationis principia. Nec propoſita in aduerſam partem argumenta vllam iam habent difficultatem. Nam quatuor qualitates primæ, & ea contraria, quæ in quolibet genere tam ſubſtantiæ, quàm accidentium reperiuntur, eſto ſint prima contraria in quodam ſenſu; non tamen ſunt prima contraria ſimpliciter, de quibus hoc loco ſermo eſt. Nec etiam prima contraria ſimpliciter, ſi ſint contraria ſe totis, qualia ſunt ſola abſtracta, fiunt ex alijs, cum abſtracta non fiant. Nec denique ex eo, quod forma & eius priuatio in commune, quoad prædicationem, & reciprocandi conſequẽtiam priora ſint, quàm forma ſubſtãtialis & priuatio ei reſpondens: non, inquam, ob id forma ſubſtantialis & priuatio deſinunt eſſe prima ſimpliciter in ratione principiandi; de qua ſola priori-

Reſponſ. ad quæſt. propoſitam.

Solutio primi, & ſecũdi arg.

Solutio tertij

Solutio quarti.

tate in hac quæſtione agitur; cùm id non obſtet quominùs talia ſint, vt nec ex ſe ſe, nec ex alijs, ſed ex ipſis omnia conſtent, aut fiant.

Capitis sexti explanatio.

PRoximum vero est] Postquam principiorum contrarietatem, tum aliorum Philosophorum testimonijs, tum ratione confirmauit; accedit iam ad eorum multitudinem constituendam; ostenditque nec posse esse tantummodo vnum, nec infinita, nec duo solùm, nec plura tribus. Atque in primis non posse vnum esse ex eo demonstrat, quia principia sunt contraria, vt ex superiori disputatione patet: contratia autem multa esse oportet, alioqui idem sibi aduersaretur.

Nõ posse esse vnũ tantũ prĩcipium.

b Sed neque infinita] Quadrifariã ostendit non posse esse infinita principia. Primùm quia si essent infinita, cùm infinitum humanæ mentis facultatem superet, non possent res naturales in nostram scientiã cadere. Siquidẽ hac absq; principiorum notione obtineri nequit. Secũdo quia in quolibet genere, siue categoria, vt in qualitate, quãtitate, cæterisque huiusmodi vna est contrarietas; ergo & in substantia vna erit; vnius autem contrarietatis duo sunt extrema, quæ vno subiecto, in quo vicissim insunt, cõtenta sunt: nequeunt igitur principia substantiæ esse infinita.

Non posse esse principia infinita.

Hîc aduerte nomine contrarietatis intelligi ab Aristotele oppositionem priuatiuã, qualis est inter substantiã, & non substantiam, albũ & non album; quã de re separatim in quæstionibus plura dicemus.

c Quin etiã] Tertiò idẽ confirmat, quia frustra fit pluribus, quod potest effici paucioribus: at omnia quæ gignuntur, constare possunt in natura positis finitis principijs, vt ponebat Empedocles. Quare non est cur infinita statuantur. Quarto quia si principia essent infinita, cum ea sint contraria, & semper maneant, omnia contraria essent principia, ac semper manerent, quod à vero abest. Aduerte autem hanc rationem momentum habere aduersus eos, qui principiorum infinitudinem omnia contrariorum genera continentẽ inducerent, alioqui nihil conficere, vt consideranti patet. Quo autem sensu verum sit principia semper manere, alibi exposuimus.

Principia sẽper manere.

d Cùm autem finita sint] Docet non esse duo tantum principia, sed addendum tertium, quod vtriusque pugnãm suscipiat, argumentaturque hunc in modum. Vnum cõtrarium (intelligе in abstracto) non potest aliud contrariũ simile sibi efficere: neque enim calor frigiditatẽ ipsam in calorem vertit, aut contra: dãdum est ergo tertium quoddam subiectum, è quo cõtraria se se mutuò pellant, & è quo ignis, verbi gratia, ejecta forma aquæ suam inducat, ignemque generet.

Non sufficere duo tantũ principia.

Quæsti. & cap. 9. huius lib. art. 2.

e Quin etiam] Dandum esse tertium illud principium duabus adhuc rationibus pergit ostendere. Quarum prior hæc est. Principia sunt substantiæ, essentiaue rerum naturalium; atqui contraria nullius rei essentia esse possunt, cùm se mutuò interimant: igitur saltem non omnia

CAP. VI.

PRoximum verò est, vt dicamus vtrum sint duo, an tria. Vnum enim non potest esse, quòd contraria vnũ non sint: b *Sed neque infinita, quoniam id, quod est sub scientiam non caderet, & quòd in omni genere vna sit contrarietas, substantia autẽ vnũ genus est quoddã.* c *Quin etiã ex infinitis esse possũt, præstat verò ex finitis, vt ponit Empedocles, quàm ex infinitis; cùm omniũ causſã ex finitis reddere cẽseat, perinde ac Anaxagoras ex infinitis. Sũt præterea alia alijs priora cõtraria, aliaq; ex alijs fiũt, vt dulce & amarũ, albũ & nigrũ: principia verò manere sẽper debẽt. Nec igitur vnũ, nec infinita esse, ex his constat.* d *Cùm autem finita sint, ratio quædam suadet, duo sola* Textus 51. *non facere. Dubitauerit enim profectò aliquis, quonam modo densitas raritatem, aut hæc ipsa densitatem facere apta est. Similis verò & cuiusuis alius contrarietatis ratio est: neq; enim cõcordia discordiã copulat, aut ex ea aliquid facit, nec discordia ex illa; sed vtraq; aliud quidpiã tertiũ. Sũt verò & qui plura assumãt, è quibus eorũ, quæ sunt, naturam fabricantur.* e *Quin etiam contrarijs aliam naturã* Textus 52. *nisi quispiam subijciat, reuocare in dubium aliquis hoc possit: contraria enim nullius rei essentiam videmus esse: principiũ autem de subiecto aliquo dici non debet.*

Prin-

cipia quæ gignuntur, constare possunt in natura positis finitis principijs, vt ponebat Empedocles. Quare non est cur infinita statuantur. Quarto quia si principia essent infinita, cum ea sint contraria, & semper maneant, omnia contraria essent principia, ac semper manerent, quod à vero abest. Aduerte autem hanc rationem momentum habere aduersus eos, qui principiorum infinitudinem omnia contrariorum genera continentẽ inducerent, alioqui nihil conficere, vt consideranti patet. Quo autem sensu verum sit principia semper manere, alibi exposuimus.

d Cùm autem finita sint] Docet non esse duo tantum principia, sed addendum tertium, quod vtriusque pugnãm suscipiat, argumentaturque hunc in modum. Vnum cõtrarium (intelligе in abstracto) non potest aliud contrariũ simile sibi efficere: neque enim calor frigiditatẽ ipsam in calorem vertit, aut contra: dãdum est ergo tertium quoddam subiectum, è quo cõtraria se se mutuò pellant, & è quo ignis, verbi gratia, ejecta forma aquæ suam inducat, ignemque generet.

e Quin etiam] Dandum esse tertium illud principium duabus adhuc rationibus pergit ostendere. Quarum prior hæc est. Principia sunt substantiæ, essentiaue rerum naturalium; atqui contraria nullius rei essentia esse possunt, cùm se mutuò interimant: igitur saltem non

omnia

omnia principia ſunt contraria. Huius rationis maiorem propoſitionem ſuppreſsit, eius tamen confirmationem adhibuit, quę ita ſe habet. Principium non dicitur tanquam accidens de ſubiecto; quia alioqui principij eſſet principium; ſiquidem ſubiectum principium eſt: at fieri nequit, vt principij principium ſit, vt patet ex principiorum difinitione, qua principia dicuntur, quę nec ex ſe, nec ex alijs, ſed ex ipſis ſunt omnia. Ergo &c.

Non omnia principia eſſe contraria.

f Subſtantiam prętera] Altera ratio eſt. Fieri non poteſt vt ſubſtantia ſit ex non ſubſtantijs, aut nõ ſubſtantia ſit prior, quam ſubſtãtia: hoc autem accideret ſi omnia principia eſſent contraria, cùm contraria, ſaltem aliqua, ſint non ſubſtantię, & omne principium ſit prius eo, cuius eſt principium: fatendum eſt igitur non omnia principia eſſe contraria. Ex quo ſequitur ponendam eſſe tertiam quandam naturam, ex qua ſimul cum forma compoſitum coaleſcat.

Principij enim principiũ erit: quandoquidẽ ſubiectũ principium eſt, & eo, quod de ſubſtantia dicitur, prius videtur. f *Subſtantiam præterea ſubſtantiæ contrariam eſſe nõ dicimus. Quî igitur, fieri poterit, vt è nõ ſubſtãtijs ſubſtantia conſtet? aut non ſubſtantia, ſubſtantiam quomodo*

Text⁹ 53. *præcedet? Quocirca ſiquis & priorem, & hanc orationem veram eſſe exiſtimauerit, eum neceſſe eſt, ſi vtrãq; tueri voluerit, tertiũ aliquod ſubijcere;* g *veluti ij dicunt, qui vniuerſum vnam quandam naturam, aut aquam, aut ignẽ,*

Text⁹ 54. *aut aliquid, quod in horum ſit medio, eſſe inquiunt. Porrò id magis videtur eſſe, quod in horum eſt medio. Nam ignis, & terra, & aer, & aqua contrarietatibus magis tenentur. Quare non abſurdè ij agunt, qui ſubiectum faciunt aliud ab his. Aliorum autem, qui aerem; ſiquidem aer minus, quàm cætera, differentias ſenſiles obtinet; aqua deinde ſequitur.*

Text⁹ 55. h *Verùm hoc vnum contrarijs omnes figurant, vt denſitate, & raritate, intenſioneque, & remiſsione, quæ exuperantiam, & defectionem omnino eſſe (vt priùs dictum eſt) cõſtat. Et quidem videtur opinio hæc vetus eſſe vnum, exuperantiam, & defectionem, eorum, quæ ſunt, eſſe principia; quanquam non eodem modo, quòd duo agere, vnum pati veteres dicerent; poſterorum autem nonnulli contrarium potiùs inquiant vnum agere, & duo pati.* i *Iis igitur, qui par-*

Text⁹ 56. *tim hæc, partim eiuſmodi alia conſiderant, tria eſſe elementa affirmare cum ratione quadam coniunctum (vt ante diximus) videtur; ſed tribus plura, minimè.*

Tum

g Veluti hi dicũt] Suam ſententiam cõfirmat auctoritate veterũ Philoſophorum, qui vnum commune principiũ ſtatuerunt, tametſi eorum nullus veritatẽ exploratè percepерit, aitque rectius philoſophari, qui medium aliquod inter elementa, quam qui vnum ex elemẽtis ſubiectum fecere. Priores enim medium ſtatuunt magis alienum à contrarietate, quale eſſe oportet quod generationi ſubſternitur. Quapropter veriſimilior eſt eorum ſententia qui aerem, deinde qui aquam, quam eorum, qui ignem materiam ponunt: quia aeris contrarietates, ſiue affectiones minus, quàm aquę, ſenſu percipiuntur; & aquæ, quã ignis; propterea quòd aer natura humidus eſt, & tamen aquę humiditas magis ſenſum afficit. Item aer calidus eſt, ſed calor ignis magis ſentitur. Denique ignis aquę comparatus vendicat contrarietatem, quę ſenſum vehementius ferit, habetque maiorem vim ad repeliendum ex ſe id, quod nouam formam inducere conatur, & quidquid arripuerit, abſumit. Quę omnia à conditione ſubiecti, cuius eſt pati, quam maximè abhorrent.

Veteres, qui vnũ cõmune principiũ ſtatuerunt.

h Verum hoc vnum] Suum illud commune ſubiectum contrariorum varietate ſuperiores Philoſophi adornarunt, vt raro, & denſo, & horum maiori minorivè intenſione, quę ad exuperantiam, & defectionem pertinent. Fuit tamen inter eos diſſenſio. Nam cum tria ponerent, antiquiores vnum tantum pati, nempe materiam, duo alia, nempe contraria, inter ſe depugnare affirmabant: poſteriores verò contra duo pati, vnum agere contendebant: vt Plato, qui magnum & paruum pro materia poſuit, & vnam formam.

Plato ꝑ materia poſuit magnum & paruum.

i Ijs igitur qui} Oſtendit principia non eſſe plura, quàm tria. Preſumit autem ſat eſſe vnum commune ſubiectum ad patiendũ; deinde ita argumẽtatur. Non ſunt neceſſaria plura principia ad agendum, quàm duo. Tria igitur ſunt principia. Antecedentẽ propoſitionem probat. Nam ſi plura ſint contraria, quàm duo, verbi gratia, quatuor, duę erunt contrarietates; atque adeò duę medię naturę, in quam vtrunque par contrariorum ſeorſim agat: quod ſuperuacaneum eſt, cùm ad vtriuſque pugnam ſuſtinendam ſufficiat vnum commune ſubiectum. Quod ſi prędicta contraria ponantur eſſe eiuſmodi, vt in ſe mutuò agere queant, atque adeò vnum tantum ſubiectum depoſcant; iam alterum eorum par ſatis erit; proindeque duo tantum erunt contraria. Hęc ratio intelligenda eſt de contrarijs ſimpliciter primis, quę omnia ad vnum commune genus reuocãtur, nec eorum plura genera dari poſſunt, vt ex ijs, quę in quęſtione de principiorum contrarietate diſſeruimus, planum eſt.

Tum enim ad patiendum, vnum eſt, ſatis: tum ſi quatuor poſitis, duæ erunt contrarietates vtriuſque ſeparatim, contrarietatis naturam quandam mediam eſſe oportebit. Si verò ex ſe ſe poßunt vicißim generare, altera profectò ſuperuacanea erit contrarietas. K *Sed nec plures poſſunt eſſe contrarietates primæ: quandoquidẽ ſubſtantia vnũ quoddã genus eſt eius, quod eſt. Principia igitur eo ſolùm, quod aliud alio prius, & poſterius eſt, non genere, inter ſe different. In vno enim genere, vna ſemper eſt contrarietas, omnesque in vnam videntur, contrarietates reduci. Vnum itaque elementum non eſſe, nec duobus, aut tribus plura manifeſtum eſt. Horum autem vtrum ſit, magnam, vt diximus, dubitationem habet.* Textus 57.

K Sed nec plures eſſe poſſunt} Altera ratione idem propoſitũ cõficit. In vno inquit genere, ſeu categoria vna tantum eſt prima contrarietas, ad quam videlicet reliquę in eodẽ genere contentę reducantur. Ergo in genere ſubſtãtiæ erit vna duntaxat prima contrarietas; licet ſub ea plures contineantur, alię priores, alię poſteriores. Vnde ſequitur in generatione ſubſtantię duo tantum inueniri contraria, quæ vnà cum communi ſubiecto ternarium principiorum numerum compleant.

In vnõ genere vna tantũ eſt prima cõtrarietas.

CAP. VII.

NOS ſanè hunc in modum dicimus omnem primùm generationem pertractantes, quandoquidẽ naturæ conſentiens eſt communia primùm exponere; tum ea, quæ cuiuſque propria ſunt, cõtemplari. a *Dicimus nimirum ex alio aliud, & ex altero, alterum generari, aut cùm ſimplicia dicimus, aut cũ cõpoſita. Quod verò dico, eiuſmodi eſt. Fieri poteſt, vt homo fiat muſicus, & vt non muſicum muſicum, aut non muſicus homo, homo muſicus. Ac ſimplex quidem, quod fit, hominem, & non muſicum dico: ſimplex verò, cuius eſt generatio, muſicum: at compoſitũ tã id, quod fit, quàm id, cuius eſt generatio, cùm hominem non muſicum hominem muſicum fieri dicimus.* Textus 58.

De

Capitis ſeptimi explanatio.

QVAE proximis duobus capitibus de rerum naturalium principijs diſſeruerat Ariſtoteles, eadem nunc accuratiùs pertractare aggreditur. Pręſertim verò id, quod ad principiorum numerum conſtituendum ſpectat. Ait autem traditurum ſe principia generationis in communè, vt deinde ad particularia deſcendat, quam viam rationemque doctrinę, vt quam maximè naturę conſentaneam, ſecuturum ſe in pro-

proœmio huius operis dixerat, & sæpe alibi commendat.

A Dicimus nimirum] Vt ad ea, quę in progressu dicturus est, viam aperiat, docet primùm in omni generatione posse nos vti terminis tum simplicibus, tum compositis; tum ex parte termini à quo tum ex parte termini, ad quem generatio tendit. Simplicibus quidem si ex parte termini à quo sumatur aut sola priuatio, aut solum subiectum: ex parte verò termini ad quẽ sola forma in concreto, vt si quis dicat hominem fieri musicum; non musicum fieri musicum. Compositis verò si ex parte termini à quo sumatur aggregatum ex priuatione, & subiecto; & ex parte termini ad quem aggregatum ex subiecto & forma, vt si quis dicat hominẽ non musicum fieri hominem musicum.

b *De horum autem altero non solùm dicitur hoc aliquid fieri; sed etiam ex hoc, vt è non musico musicus: de altero verò in omnibus non dicitur; quandoquidem ex homine musi-*
Text⁹. 59. *cus non fit; sed homo fit musicus.* c *Porro eorum, quæ vt simplicia fieri dicimus, alterum cùm fit, remanet; alterum non remanet. Nam cùm homo fit musicus homo remanet: sed non musicum, & musica priuatum neque simplex, neque cõpositum remanent.*

Text⁹ 60. *His constitutis ex omnibus, quæ fiunt, si quis animaduertat, hoc licet accipere, aliquid semper, quod fiat, subijciendum esse, quod etsi numero vnum est, specie tamen non est vnũ; nã specie, & ratione idem dico. Hominis enim & musicæ ignari essentia diuersa est, & alterum quidem remanet, alterum non remanet; siquidem id remanet, quod nõ opponitur, nempe homo; musicum autem, & musicæ ignarum, idque quod ex vtrisque constat, vt homo musicæ ignarus, non permanent.*

Text⁹ 61. *Aliquid autem ex aliquo fieri, & non hoc fieri, in his, quæ non remanent, magis dicitur, vt ex musicæ ignaro musicum fieri, ex homine minime. Quanquam interdum in his, quæ remanent, similiter dicitur: quandoquidem ex ære fieri statuam dicimus, non æs statuam fieri. In eo autem, quod opponitur, & non permanet, modo vtrọ́q; dicitur, nempe ex hoc illud, & hoc illud fieri. Etenim ex musicæ ignaro, & musicæ ignarum, musicum fieri dicitur. Quare & in composito similiter.*

b De horum autem altero] Duo sta tuit discrimina inter priuationem & subiectum cum ex parte termini à quo sumuntur. Alterum est, quod cùm sola priuatio ponitur ex parte termini à quo, vtranlibet loquendi formulam vsurpare possimus, ita vt dicamus nõ musicum fieri musicum, vel ex non musico fieri musicum: at verò cùm solum subiectũ ponitur, non semper idem liceat. Nãq; tametsi rectè quis dixerit ex ligno fieri cathedram, vel ex ære statuam, nõ tamen rectè pronũtiarit ex homine musicum fieri, sed hominem fieri musicum. — Discrimen inter priuationem, & subiectum.

c Porro eorum] Alterum discrimen est, quod subiectum post generationem maneat; non autem priuatio; maner enim Socrates, qui factus est musicus, non musicum verò minimè. Quo ex discrimine intelliges licet subiectum ad terminum à quo generatio oritur, re vera pertineat; non tamen esse ipsum terminum; quandoquidem termino à quo euanescente, illud perseverat, in reque manet; cùm secus fieri oporteret si subiectum verè, ac simpliciter esset terminus à quo. — Alterum discrimen.

d His constitutis] Ex dictis colligit prẽter duo contraria subijciendum esse omni generationi aliam quandam naturam, quę tertium principium dicatur. Namque licet eiusmodi natura, & priuatio idem numero, hoc est, idẽ subiecto sint, disident tamen ratione, & essentia, quod ad principiorum distinctionem satis est. Distingui autem prędicto modo probat diuersa vtriusque definitio, vt patet in homine, & non musico. Deinde quia subiectum manet in re genita priuatione abeunte. Denique quia cùm priuationem sumimus, rectè dicimus ex nõ — Prẽter duo contraria dã dũ subiectũ.

musico fieri musicum, vel non musicum fieri musicum; cùm autem subiectum accipimus, non ita; vt paulò ante monuerat: quandoquidem non dicimus ex homine musicum effici; esto in quibusdam ita loqui fas sit: vt cùm ex ære statuam fieri pronuntiamus.

Omni mutationi subijci ēdum tertiū quid.

e Cum autem fieri } Persequitur idem institutum, ratiocinaturque hoc modo. In qualibet mutatione tam substantię, quam accidentis, tam rei naturalis, quam artefactę, datur tertium quid duorum contrariorum vicissitudinem sustinens. Cùm igitur plura inueniri mutationum genera non possint, sequitur in omnibus tria illa principia concurrere. Docet autem generatione substantiali fieri aliquid, omnino, ac simpliciter, vt cùm homo, ignis ve producitur: generatione verò accidentaria non fieri simpliciter, sed fieri tale, vt album, aut quantum.

Siquidem ex homine musicæ ignaro, & homo musicæ ignarus, musicus homo dicitur fieri. e *Cū autē ipsū fieri multis modis dicatur, & aliqua non fieri, sed fieri aliquid, solæ autem substantiæ omnino fieri, in alijs quidem constat, necessariò aliquid subijci, nempe id, quod fit.* f *Nam & quantum, & quale, & quod ad aliud refertur, & quando, & vbi, re aliqua fiunt subiecta, quod de alio subiecto sola substantia non dicitur, de ea autem cætera omnia: sed substantiam quoque & alia omnia, quæ omnino sunt, è subiecto aliquo fieri, animum aduertenti manifestum fiet. Aliquid enim quod subijcitur, semper est, ex quo id fit, quod oritur, vt plátæ, & animalia ex semine.* Textus 62.

f Nam & quantum, & quale } Probat, ostenditque variis exemplis in omni generatione, mutationeque dari aliquod subiectū; quod etiam facit libro 5. huius operis, & primo de ortu, & interitu.

g *Quæ autem omnino fiūt, alia fiunt figuratione, vt statua ex ære; alia acceßione, vt quæ augescunt; alia detractione, vt è lapide Mercurius; alia compositione, vt domus, alia alteratione, vt quorum materia immutatur. Omnia autem, quæ sit fiunt, ex subiectis fieri manifestum est.* Textus 63.

g Quę autem omnino fiunt } Dissentiunt hoc loco expositores. Alex āder putat redigi ab Aristotele in summam omnes modos generationis, tam substantię, quam accidentium, sicque interpretatur particulam omnino, siue simpliciter, vt sit idē, quod vniuersim. Alij volunt adhiberi eam particulam ad significanda quę simpliciter gigni perhibentur; ita vt etiam artefacta, quę hîc ab Aristotele recensentur, dicantur simpliciter effici, quia licet eorum forma non sit substantia, tamen cùm fiunt, non dicuntur fieri hoc, aut illud, vt cum sphęra, aut Mercurius ex ære efformantur: sed absolute fieri. Cuius rei eam rationem affert D. Thomas quia artefacta quodammodo censentur in genere substantię propter materiam. Non enim vt se habet candidum ad subiectum, ita & statua; quia candidum significat candorem, & connotat subiectum: statua verò & formam & materiam significat. Quę sententia videtur Aristotelis tertio huius operis, capite septimo, tex. 66. vbi docet subiectum, ex quo artefacta constant esse eorum partem, non secus ac materia cuiusq; rei naturalis, est pars totius. Quod nequaquam asseruisset si res artefactę subiecta connotarent. Nemo enim cygnum partem albi rectè dixerit. Accedit communis conceptio, qua cum artefacti alicuius, vt domus, nomen audimus, non magis formam, quam materiam apprehendimus

ἁπλῶς.

Ex his igitur quæ dicta sunt, manifestum est, quidquid fit, compositum semper esse. Atque est quidem aliquid, quod fit, aliquid verò, quod illud ipsum fit, quod sanè est duplex: aut enim subiectum, aut oppositum. Opponi verò ignarum musicæ, homo subijci dicitur: & figuræ quidem aut formæ, aut ordinis priuatio, oppositū æs autē, aut lapis, aut aurū subiectum. Textus 64.

Si-

mus. Vtraque prædictarum interpretationum nobis placet, etsi priorem improbauit Simplicius. Deinde exemplis confirmat Aristoteles omnia, quę fiunt è subiecto fieri. Vnde concludit quidquid fit esse compositum cum ex materia, subiectove, & forma demùm accedente coalescat. Deinde subijcit cùm in qualibet effectione sit id, ad quod effectio terminatur, & id, cui ipsa effectio attribuitur, quod duplex est, nempe subiectum, & oppositum; liquidò colligi in qualibet effectione tria inueniri, nimirum subiectum, terminum, & eius oppositum, vt cùm Socrates fit musicus, oppositum est non musicum, subiectum Socrates, musicum verò terminus. Quod similiter patet in eo, quod per artem aliquam figuram, aut effigiē recipit.

Quęcunque fiũt fieri è subiecto.

Text⁹ 65. h *Siquidem igitur rerum natura constantium causſæ, atque principia ea sunt, exquibus primis constant, & ortæ sunt, non ex accidente, sed quod quæque sua eßentia dicitur, perspicuum est rem omnem ex subiecto fieri, & forma. Musicus enim homo ex homine, & musico quodammodo componitur. Namque rationes in eorum rationes dissolues.*

h Siquidem igitur } Cùm principia inquit rerum naturalium sint ea, ex quibus ipsæ per se cõstant, & fiunt, tanquam ex eo, quod earum essentia dicitur, patet quanlibet rem naturalem ex materia, & forma, vt ex proprijs principijs cõfici. Quod item ex eo concluditur, quia vnumquodque ex ijs fit, in quę dissoluitur: res autem naturales in materiam, & formam duntaxat dissoluuntur: sicuti & ea, quę ex accidente, & subiecto coalescunt, vt homo musicus, in subiectum & formam accidentariam.

Quanlibet rẽ naturalẽ ex materia & forma confici.

Text⁹ 66. *Ex his itaque fieri ea, quæ fiunt, constat.* i *Est autem subiectum numero quidem vnum; sed specie duo. Homo enim, & aurum, & omnino materia numero potest comprehendis quandoquidem hoc quiddam est magis, & quod gignitur ex ea non ex accidente gignitur. At priuatio, & contrarietas accidens. Vnum verò est forma, vt ordo, aut musica, aut aliorum quidpiam, quæ sic dicuntur.*

i Est autem subiectum } Discrimen statuit inter subiectum, materiamve, & priuationē: quia materia potest numerari, cùm sit magis aliquid; priuatio verò sit accidens. Item quia genitum fit ex materia per se, tanquam ex principio componente, ex priuatione verò non nisi accidentariò, quatenus videlicet constituitur ex materia, cui priuatio accidit.

Discrimen inter materiã, & priuationem.

Text⁹ 67. k *Quapropter principia tum duo, tum tria dici possunt. Et quidem contraria dicere partim licet (vt si quis musicum, & musicæ ignarum dixerit; item calidum & frigidum, aut harmonia præditum, & eadem priuatum) partim verò non licet; siquidem contraria vicißim pati non possunt. Sed hoc quoque dißoluitur, quod aliud sit subiectum, quod contrarium non est. Quare nec contrarijs quodammodo plura sunt principia, sed duo (vt sic dicam) numero, nec rursus duo omnino, quod ipsorum essentia diuersa sit, sed tria. Hominis enim, & musicæ ignari, item æris & figura priuati diuersa est eßentia.*

K Quapropter principia } Ostendit principia posse quodam sensu dici duo, alio tria. Nam si materia, & priuatio sumantur quatenus subiecto vnum sunt, efficient cum forma duo tantum principia; si quatenus sunt specie duo, efficient tria cum eadem.

L Quę autē subijcitur } Materię naturā & conditionē explicat ducta similitudine à rebus artefactis. Nec abs re. Nā cũ ars naturę æmula sit, facile erit ex ijs, quę arte fiũt, in physicarũ rerũ cognitionē venire. Asserit ergo materiā esse purā potentiā, quia vt se habent artefactorũ materia ad formas, quę per artem inducuntur; sic proportione quadam materia rerum physicarum ad essentiam & hoc quiddam, atque ens, hoc est, ad formas naturales, in quibus essentia, & quidditas rerum potissimum consistit. Quare sicuti artefactorum materia, vt lignum, & ęs nullam artificialem formam; ita materia rerum physicarum nullam formam naturalem in sua essentia cohibet. Ex quo sequitur hanc esse puram potentiam. Est autem hic locus desumptus ex Platonis Timęo, vbi Plato de materia differens.

Ars æmula naturę.

Tertium

Quot

Tertium, inquit, genus locus est, qui interit quidem nunquam, sed omnibus quę gignuntur, sedem exhibet, qui absque vllo sensu tangitur, & adulterina quadam ratione comprehendi vix potest.

Materię cognitio adulterina.

Quot igitur rerum naturæ, quæ generationi subijciuntur, sint principia, & quomodo tot sint, dictum est: palam q; est contrarijs subijci aliquid oportere: & contraria duo esse: alio autem quodam modo necessarium non est. Ad faciendam enim mutationem contrariorum altero cum præsente, tum absente satis erit. Text⁹ 68.

m Vnum igitur] in summam colligit ea, quæ hactenus de numero, & contrarietate principiorum disputauit, additque non dum planè ex dictis constare, sit ne materia magis substantia; quàm forma; an contrà. Quam tamen controuersiam in pręsenti non dirimit; vel quia illius explicatio, vt ait Themistius, non ad Physicum, sed ad primùm Philosophum spectat; vel potiùs quia, vt sentiunt D. Thomas, & Auerroes, eam in sequentem librum reijcit, vbi formam materiæ præferendam statuet, docebitque formam non solum esse naturam, sed multo magis, quam materiam, quod hunc in modum ostendit. Id est magis natura, per quod ens naturale actu est, atqui ens naturale est actu per formam, non autem per materiam, quia forma est actus & perfectio, materia verò est pura potentia, ergo, &c. Item quia vt nihil artificiosum est nisi quod artis formam acta habet, ita nihil naturale erit nisi formam naturalem actu possideat. Quo patet quidditatem rei naturalis potissimum in forma consistere.

I. *Quæ autem subijcitur natura, proportione sciri potest. Quam enim rationem ad statuam æs habet, aut lectica ad lignum, vel ad aliquid aliud eorum, quæ formam obtinet materia, & quod informe est, antequam formam accipiat, eandem ipsa ad essentiam, & id quod est hoc quiddam, atq; ens, habet.* m *Vnum igitur principium ipsa est, nec ita vnum est aut ens, vt hoc quiddam. Vnum verò est ratio, & præter hæc priuatio ei contraria.* Text⁹. 69.

Hæc autem quomodo sint duo, & quomodo plura superiùs dictum est. Primùm quidem illud diximus, contraria sola esse principia, deinde illud, necessarium esse aliud quiddam subijci, & esse tria. Ex his verò, quæ nunc tradidimus, manifestum est quæ contrariorum sit differentia, & quemadmodum principia inter se affecta sint, & quid est subiectum. Sed vtrum forma essentia sit, an subiectum, non dum constat. Id verò perspicuum est principia tria esse, & quemadmodum tria, quisve eorum sit modus. Quot ergo, & quæ sint principia, ex his dispiciatur. Text⁹ 70.

QVÆSTIO VNICA.

SINT NE TRIA PRINcipia rerum naturalium, an non?

ARTI-

ARTICVLVS I.

EORVM SENTENTIA, qui omnia vnum esse crediderunt.

QVanta fuerit de rerum Physicarum principijs apud veteres Philosophos dissensio, refert Aristoteles cap. 2. huius libri, & in primo Metaphysicorū à cap. 3. alijsque in locis. Item Hippocrates in libro de natura humana, Plato in Theæteto & Sophista, Theophrast⁹ 3. cap. suæ Metaphysicæ (si eius est illud opus) Plotinus lib. 9. Enneadis secūdæ; & ex sacris doctorib⁹ Iustin⁹ martyr, in sua pārænesi ad gentes, D. Epiphanius lib. 3. aduersus hæreses, tomo. 2. D. Irenæus lib. 2. aduersus hæreses cap. 19. D. Clemens lib. 8. recognitionum, alijq; nonnulli. Erit autem operæ pretiū eiusmodi placita breuiter comprehensa sub vno aspectu ponere. Atque vt ab illis auspicemur, qui, si verbo teneantur, in tradendis principijs à veritate longius deflxere, nec tam ea ponere, quam tollere visi sunt;

Xenophanes Colophonius Archelai, vt quidam aiunt, seu Botonis Atheniēsis auditor, & Parmenides Eleates, qui Xenophani operam dedit, teste Aristotele primo Metaph. cap. 5. & Clemente Alexādrino lib. 1. Stromatū, itemq; discipulus Parmenidis Melissus Samius, ōnia vnū esse asseruerūt; licet nō nihil inter eos fuerit diserimininis. Nā Xenophanes, vt scripsit Aristoteles in libello de Xenophane, Zenone, & Gorgia, vnum illud ens infinitum esse aiebat, similiterque Melissus; Parmenides verò finitum; etsi alij aliud de eis prodiderint.

Xenophanes.

Parmenides.

Melissus.

Quoniam autem huiusmodi placita, si ex eo, quem præse ferunt, sensu æstimentur, non tam disidentium Philosophorum dogmata, quam dormientium somnia esse videntur; iccirco Aristoteles ipse, esto ea hoc libro, acerbè infectatus fuerit; in libello tamen proximè citato, alijsque in locis, eadem mitius interpretatur, quod & alij posteà fecere. Nec verò id difficile, aut alienum fuit. Enim verò cùm hi Philosophi scripta sua ænigmatum inuolucris verborumque insolentia obtexerint, & obscurarint; promptū cuique erat ea in varios sensus ducere. Igitur Plotin⁹ Enneade 5. lib. 1. ca. 8. Philoponus, & Simplicius ad cap. 2. huius libri, alijq; nonnulli asserunt eos vnius entis nomine, ens à materiæ concretione abiunctum significasse; quasi dixerint vnum esse genus entium materiæ expers; cætera verò, ne entis quidem appellationem mereri, quòd instabilia sint, mutationique obnoxia.

Quid vnius entis nomine significarint.

1. Interpretatio.

Alij

2. Interpretatio.

Alij, vt ex ſcriptis Eudemi Simplicius loco citato memorat, putãt illos omnia vnum dixiſſe, id eſt, vnam eſſe mundi vniuerſitatem, quę res omnes, quaſi vnum quid ſuo complexu continet, nec alterius rei creatæ ope indiget; quam intelligentiã innuit etiam Ariſtoteles primo de generatione, cap. 8. eamque affert Craſſus ille Ciceronianus in tertio de Oratore ad Quintum fratrem. Denique ſunt, qui autument eos per vnum ens intellexiſſe ens primum, intelligibile, ac ſẽpiternum, omnisque mutationis expers, in quo vniuerſa in ſimplicem coeunt vnitatem, id eſt, Deum, quem Parmenides finitum dixerit, quod finitam, id eſt, non inchoatam, ſed perfectam, & abſolutã, nec aliunde pendentem obtineat rationem: Meliſſus verò non re, ſed oratione à magiſtro diſidens, infinitũ nuncuparit, quòd nulla potentiæ, ſpatij, aut temporis circunſcriptione definitus ſit.

3. Interpretatio.

Porro hanc fuiſſe horum Philoſophorum mentẽ, nonnulli haud leuibus coniecturis ſuſpicantur. Primùm, quia celebre fuit apud antiquos Phyſiologiæ proceres vnitatis, & vnius entis nomine primam rerum omnium cauſſam deſcribere, quô pertinet illud Mercurij Triſmegiſti, Ἡμόνας ἐίζα τῶμ ἁπάντωμ, id eſt, vnitas radix omniũ rerum. Deinde quia conſtat ex Ariſtotele primo Metaphyſicorum, cap. 5. & Tullio lib. 2. Academicarum quæſtionum, Xenophanem vnum illud ens, Deum appellaſſe; veriſimile eſt autem à Xenophane Parmenidem, atque ab hoc Meliſſum id accepiſſe, quod etiam (ſicuti & multa alia) credunt nonnulli ad Philoſophos manaſſe è diuinis literis, præſertim ex tertio cap. Exodi, vbi Deus cum Moyſe loquens nomen entis ſibi tanquam proprium aſſumit, Ego, inquit, ſum qui ſum; & paulo poſt; qui eſt miſit me ad vos.

Triſmegiſtus

Vnitas radix omniũ rerũ.

Philoſophi multa è ſacris literis hauſerũt.

Vt autem intelligas, quo ſenſu dici queat, omnia vnum quid in Deo eſſe, aduerte bifariam vnumquenque effectum ſpectari poſſe, nimirum vel ſecundũ id, quòd in ſe actu poſsidet; vel vt in ſua cauſſa poteſtate continetur, quod virtuale eſſe effectus vocant. At priori quidem modo quilibet effectus diuerſum quid eſt à cauſſa; poſteriori nihil aliud, quàm ipſa virtus, & poteſtas cauſſæ. Quo fit vt ſi illa ſit vnum, effectus quoque, prout in ea continentur, vnum quidpiã ſint. Ad hunc igitur ſenſum res omnes dicuntur vnum in Deo eſſe, quatenus in eius poteſtate continentur. Vnde eſt illud D. Anſelmi in Monologio omnia effecta in Deo ſunt, non quod in ſe ipſis ſunt; ſed quod idẽ ipſe eſt: & illud Platonis in Sophiſta, in mundo intelligibili, ſiue primo Archetypo, id eſt, Deo, omnia vnum ſunt; licet in ſenſili, caducoque mundo turbata multitudine diuidantur. Et item illud D. Dionyſiij 5. cap. de diuinis nominibus; In diuina bonitate ſunt omnia immenſuratè & vnitè, ſicut in monade omnis numerus vniformiter eſt, & in centro omnes lineæ ad ſe ipſæ, & ad vnum initium, à quo proceſſere, conjunctę, & copulatæ continentur. Quare ſi prædicti Philoſophi ſuũ illud dogma ad huius tam reconditæ veritatis intelligentiã retulere, non modò reprehendendi non ſunt,

Quo pacto ōnia in deo vnum ſunt.

Anſelmus.

Plato

Dionyſ.

ſed

ſed magnopere etiam cõmendandi. Certè Parmenidem defendit, atque interpretatur Simplicius hoc in lib. ad tex. 6. Beſſario. 2. lib. contra Calumniatorem Platonis cap. 3. & Nicolaus Cuſa in libro de filiatione Dei. Lege etiam pro eadẽ re Eugubinum lib. 3. de perenni Philoſophia cap. 5. 6. & 7. & F. Mirandulam lib. 6. de examine vanitatis cap. 1.

Dubitatio.

Quid igitur cauſſæ fuit, dicet aliquis, cur ſe ſe Ariſtoteles in eos Philoſophos tam ſeuerum iudicem exhibuerit, eorumque dicta, etſi in ſpeciem falſa, re ipſa tamen veritati conſona, tot argumentis confutarit? Nimirum vetus Philoſophantiũ cõſuetudo fuerat ab Egyptijs, & Chaldæis, atq; à Pherecide Pythagoræ magiſtro ducta, vt Philoſophiæ myſteria, aut non ſcriberent omnino, aut ſcriberent diſsimulanter, id eſt, implicita recedentium ſenſuum obſcuritate, & Mathematicis imaginibus, atque ænigmatibus recenderent. Nefas enim putabant ad arcana ſapientiæ profanum vulgus admittere, & quæ natura in abdito collocaſſet, & à ſe magno ſtudio quæſita, ac vix tandem reperta eſſent, ea deſidi & ignauæ multitudini cõmunicare. Ariſtoteles verò etſi iudicaret Philoſophiam paſsim euulgandã non eſſe; eam tamẽ doctrinæ rationẽ, quod cuncta in ambiguo relinqueret, & interdũ inani falſitatis ſpecie veritatem obumbraret, minimè probandam cenſuit. Itaq; ob hanc cauſſam tum hoc loco Parmenidẽ & Meliſſũ; tum alibi antiquos Philoſophos frequenter impugnat in ijs etiam rebus, quibus rectè eos ſenſiſſe intelligit, non tã quid illi ſignificare vellent, quàm quod primo verborum aſpectu indicare viderentur, expẽdens. Ne ſcilicet imperitioribus, qui vocabulis hærẽt, hallucinandi, & in errorres incidendi occaſio relinqueretur. Quod animaduertit præter alios D. Thomas 3. Metaph. ad tex. 15. Euſtratius 1. Ethic. cap. 6. Beſſario lib. 1. contra Calũniatorem Platonis cap. 3. & lib. 2. cap. 7. Sed iam adeos pergamus, qui vnum aliquod corpus, rerum naturalium principium fecere.

Reſponſ. Pherecides.

Cur veteres Philoſophiæ myſteria imaginibus, & ænigmatis obtexerint.

Cur Ariſtoteles ænigmaticam Philoſophiam nõ probarit.

ARTICVLVS II.

OPINIO EORVM, QVI vnum duntaxat rerum naturalium principium inuexere.

HEſiodꝰ nõ ſolùm poeta, ſed Philoſophꝰ in primis nobilis terrã è chao primùm natã extitiſſe, atq; omniũ rerũ materiale principiũ eſſe in ſua Theogonia pnunciauit, nõ Philoſophicè, ſed poeticè atq; ex opinione vulgi terrã cœli conitungẽ, atq; omniũ communem matrem vocantis. Idem cenſuiſſe Pherecidem ſcripſit Theodoretus in libro de materia & mundo; itemque Sextus Philoſophus in 9. libro. πρὸς φυσικὸς Credibile tamen eſt Pherecidẽ, non ſolam terram principium exiſtimaſſe; cùm Ariſtoteles primo

Quid de principijs cecinerit Heſiodus.

Opinio Pherecidis

Methaphyſ.cap.7. text. 14. affirmet nullum ex veteribus Philoſophis, qui vnum tantùm principium inuexere, terram rerum initium feciſſe; videlicet, quòd nimiùm denſa, concretaque ſit, & aduētitias formas ægrè excipiat.

Sētentia Thaletis.

Thales Mileſius Ionicæ familiæ parens, vnus è ſeptem Græciæ ſapientibus, & eorum antiquiſsimus, vt ait Tatianus apud Euſebiū lib. 10. de præparatione Euangelica, cap. 3. decreuit elementū rerū omnium eſſe aquam, ex qua (vt Origenes in lib. φιλοσοφομένων. refert) modò addenſata, modò in raritatem abeunte, vniuerſa conſtarent. Nam cùm veterum mentes opinio imbuiſſet, mundū animal quoddam eſſe, nihil Thales ad omnium rerum originem & procreationē magis appoſitum cenſuit, quàm humidum, quo videlicet animalia viuunt, quo paſcuntur, quo deficiente occidunt. Non deſunt autem, qui eum ad hanc ſententiam excitatū fuiſſe putent Homerico illo carmine ὠκεανὸν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα τηθύν. Oceanum diuum geneſim Tethymque parentem. Cum Thalete ſēſiſſe Anaximandrum, refert Ariſtoteles in lib. de Xenophane, & ſi alij aliam ei ſententiam attribuant.

Antiqui mundum animal. fecere.

Quid ſenſerit Anaximāder.

Anaximenes. & alij.

Anaximenes Ioniæ familiæ alumnus, eiuſque auditor Diogenes Apolloniates, Idæus Imereus, & Archelaus Athenienſis cognomento Phyſicus, magiſter Socratis, aerem rerum principium eſſe dixerunt; ea forſitā adducti ratione, quod aer vltrò cedat, cōtrarijs minùs obſiſtat, in minutiſsimas partes euadat, & ad quanuis formam ſe ſe accommodet.

Hippaſus & Heraclitus.

Hippaſus Metapontinus, & Heraclitus Epheſius, qui quod obſcurè admodum ſcripſerit σκοτεινὸς dictus eſt, rerū primordia igni dederunt, nimirum quòd inter omnia elementa loco, & dignitate emineat, quòd per omnia cōmeet, quod cæteraïlli in pabulū cedāt.

Præter ſuperiores Philoſophos, alij quoque vnum fecere rerum principium, ſed à quatuor elementis diuerſum; quorum opinionem Ariſtoteles hoc in lib. cap. 6. text. 54. veriſimiliorem cenſuit, propterea quòd elementa contrarietate diſsidentium qualitatum maximè teneantur, qua vacare materiale principium oportet. Ex horū numero Rheginus Hippus mixtum poſuit ex aqua, & igni; Anaximander Mileſius, mutata forſitan priori ſententia, medium inter aerem & aquam; vel, vt alij tradunt, medium inter ignem & aerem, illo denſius, hoc rarius.

Hippus. Anaximāder.

ARTICVLVS III.

EORVM PLACITA, QVI Multa principia, partim infinita, partim finita ſtatuerunt.

Leucippus

LEucippus Eleates, & Democritus Abderites, siue Milesius, secuti Mochum Phœnicium, quem ante Troiæ excidiũ floruisse memorant, infinita fecere rerũ primordia, id est, infinitas atomos insectiles, penitus solidas, omniumque patibilium qualitatum expertes, ex quarum cõcretione, & inani mundum coaluisse asserebant, ad eum modum, quo ex viginti quatuor literis variè coeuntibus, omnis dictionum varietas existit; vocabat autẽ Democritus eiusmodi insectilia παντερμίαν, quasi rerum semen. In eâdem ferè sententia fuit Epicurus, in quem, vt Lactantius in libro de ira Dei cap. 10. inquit, vanitas omnis de Leucippi fõte profluxit. Eamq; sequitur poeta Lucretius in 1. & 2. lib. sui poematis, alijq; nonnulli. Anaxagoras etiam Clazomenius similium partium infinitatem induxit, & rudis, inordinatæq; naturæ confusam cõgeriem, quã ὁμοιομερίαν dixit, in eaq; aiebat res infinito tẽpore sine distinctione iacuisse; sed euocatis postea ex eadem singulis rebus, in ordinemque digestis, diuinam mentem vniuersum instruxisse pariter, & ornasse.

Quid senserit Leucippus & alij.

παντερμία Democriti.

Epicurus.

Lucretius.

Anaxagoras.

Plura, non tamen infinita rerum initia alij posuere; ex quibus Zareta Chaldæus lucem & tenebras sub patris & matris nomine; Hippus Rheginus aquam, & ignem; Oenopides Chius ignem, & aerem; Onomacritus ignem, aquam, & aerem; Empedocles autem Agrigẽtinus præter illa tria terram, & chaos, siue sphærum, quod vniuersa corpora in vnam speciem informem concluderet. Ab hoc verò, lite vniuersitatis imperium tenente, segregari fingebat elementa ad rerũ procreationem; ac rursus dominatu, conciliatuque amicitiæ, & antiquæ necessitudinis innouato fœdere infera superis permisceri, atq; vniuersa inter se se confundi.

Zareta.

Hippus.

Oenopides.

Onomacritus.

Empedocles.

De numeris Pythagoricis lege Plutharcũ lib. 1. de placitis Philoso. cap. 3.

Pythagorei, vt erant Arithmeticæ studiosi, totum naturæ ordinem, initia, vires, & effecta in numeros retulerunt, præsertim in denarium, cui (vt ad librum 14. Metaph. Aristotelis Syrianus refert) ex Pythagoræ disciplina mysteria quædam, & occultam vim inesse existimabant, tum etiam ob numeri huius excellentiam, in quo cæteri claduntur. Nam qui ad denarium perueniũt, inde, quasi absoluta numeri perfectione, ad vnitatem redeunt, eamque iterant. Itaque totam naturæ vniuersitatem decada appellarunt, ac decẽ principiorum coniugationes effinxerũt, ex quibus omnia fierent, & quasi ad numerũ aptè caderent; ita scilicet vt duas series, quas συστοιχίας dixerunt, hinc inde constituerent; vnam boni, atque habitus; alteram mali & priuationis; vtrique decem principia sic assignantes, vt altera alteris aduersaria essent, videlicet.

Pythagorei.

Excellẽtia denarii.

Principiorum coniugationes ex Pythagorica disciplina.

Finitum.	Infinitum.	Quiescẽs.	Quod mouetur.
Impar.	Par.	Rectum.	Obliquum.
Vnum.	Multitudo.	Lumen.	Tenebræ.
Dextrũ.	Siniſtrum.	Bonum.	Malum.
Mas.	Fœmina.	Quadratũ.	Altera parte longi?

Pythagorici quantũ numeris tribuerint.

HAS decem principiorum complicationes asserit Aristoteles primo Metaph. cap. 2. Alcmeonem à Pythagoricis, vel hos ab illo accepisse. Aiebãt quoque iidem Pyhagorici numeros esse totam essentiam rerum ex potentia, & actu constitutam, & totam rerum quidditatem constare ex pari, & impari. Quibus verbis quid indicare voluerint non planè constat. Verisimile est, quod Auerroes ad cap. 5. lib. primi Metaphysicorum censet, eos nomine paris, & imparis, materiam & formam adumbrasse, ob similitudinis rationem. Numerus enim par, cùm in duo æqua diuiduus sit, aptꝰ est diuisioni; at materia caussa est interitus, atque adeo diuisionis. Item impar, quia sectioni minus est idoneus, formæ assimilatur, quæ nexus & stabilitatis caussa est. Siquidem forma non aliam desiderat materiam; cùm interim materia alias appetat formas, quo ex appetitu diuortium oritur, & dissolutio, eòque spectat illud Philonis Iudæi in libro allegoriarum, binarius est imago materiæ, quæ diuiditur, secaturque tanquam mortalis.

Numerus par materiam designat, impar formam.

Plato.

Denique, vt cæteros omittamus, Plato rerum principia esse dixit, vnum, tanquam formam, itemque magnum & paruum, tanquã materiam, vt ei Aristoteles sæpe attribuit; vt Plutarchus mentem, ideam, & materiam. Iustinus verò Philosophus & martyr in sua paræneſi scribit Platonem in sententia de principijs, sicuti & alijs plerisque in rebus varium fuisse; quòd aliquãdo tria principia posuerit, Deum, Materiam, Speciem, aliâs quatuor, quippe qui mundi animam tribus illis adiecerit. Lege Alcinoum in libro de doctrina Platonis cap. 9. Bessarionem lib. 2. contra calumniatorem cap. 5. Simplicium hoc in loco ad text. 6 Themistium ad text. 32.

In sentẽtia de principijs varius.

ARTICVLVS IIII.

ARISTOTELIS SENTENtia de principiis rerum naturalium, eiusque confirmatio.

CONatu prorsus inani, atque irrito contendit Simplicius hoc in libro ad text. 6. Philosophorum placita hactenus à nobis enumerata ad verum aliquẽ sensum reducere. Nos Aristotelis duntaxat opinionem tueri, atque illustrare nitemur, qui in hac controuersia, non sine magna ingenij laude, veritatem planè assecutus est, & quę ab alijs falsò dicta erant reiecit; quæ verè, sed obscurè, in perspicuam lucem transtulit. Minimè vero mirandum est veteres illos naturæ interpretes balbutiẽte adhuc Philosophia hac in re, vt in multis alijs nõ omnino veritatem inuenisse. Vt enim Seneca lib. 6. Naturalium quæstionum cap. 5. ait, sat magni animi fuit naturæ latebras

Senecæ dictũ

bras cæpisse dimouere. Nec res vlla consummata est, dum incipit; in omnique negotio longè semper à perfecto fuere exordia.

Sit igitur prima conclusio. Tria tantũ sunt principia generationis rerum naturalium, materia, scilicet, forma, & priuatio; id, quod hoc exemplo illustrari potest. Principia, quæ ad Socratis generationem concurrunt, sunt in primis materia, & anima rationalis, quæ est forma hominis; è quibus illa hanc excipit, hæc illam perficit, illa huius pulchritudinem amat, hæc in illius gremio conquiescit; ambæ verò Socratem ipsum componunt. Sed præter illas datur etiam tertium principium, nimirum eiusdem animæ rationalis priuatio, quæ in materia præfuit, & accessu formæ abolita est. Hæc assertio, cùm sit ex earum numero, quas Dialectici exclusiuas appellant, duas habet exponentes, quarum prior est, principia tria esse; posterior non esse plura, quam tria. Vtranque Aristoteles cap. 6. & 7. huius libri luculenta oratione confirmauit, cuius potiora argumenta ad hoc vnum reuocari possunt. Principia generationis rerum naturalium sunt contraria, itemque non contraria; quæ, vt minimum, tria esse oportet; hæc autem sufficiunt, tria igitur sunt, non plura nec pauciora. Antecedens propositio quadripartita est. Prima pars ex eo suadetur, quia termini cuiusque mutationis, à quorum vno in alterum progressio fit, non possunt sibi non aduersari; id quod non solùm Aristoteles loco citato, & 3. lib. huius operis patefacit, sed Philosophi etiam omnes confitentur. Secũda verò probatur, quia principia, quæ rem componunt, contraria esse nequeunt, alioqui non rem conficerent, sed destruerent, cùm contraria se ipsa vltro citroq; interimant. Tertia ex eo fidem habe[illegible]uia opus est saltem tertia quadam natura, quæ nulli duorum cõtr[illegible]rũ aduersaria sit, quæque in rei genitæ compositionem cedat. Quarta denique pars confirmatur, quia tertia illa natura subiecta, satis est, tum vt per se contrariorum pugnam excipiat, tum vt cum altero eorum, id est, cum forma rem genitam componat.

Prima cõclusio, ua proposita qnęst. respondetur.

Compendiũ rationũ Aristotelis ad probandã superiorem cõcl.

Termini cuiusque generationis sunt inter se contrarij.

Secundo probari potest eadem assertio hunc in modũ. Quicquid generatur, pgreditur à nõ esse ad esse (id enim ipsũ generatiõis nomẽ præ se fert) aut ergo progreditur à non esse, id est, à nihilo simpliciter; aut à nõ esse, id est, ab aliquo, quod iccirco nõ esse dicitur, quia caret perfectione, seu forma, quam susc ipere aptum sit. Primum dari non potest, quia ea progressio, creatio est, non generatio. Dabitur ergo secundum, id est, proficiscetur à non esse, hoc est, à materia, in qua insideat priuatio formæ rei, quæ gignitur; atque adeò in qualibet generatione dabitur materia, forma, & priuatio. Cùmque tria hæc sufficiant, non plura erunt constituenda principia.

2. Ratio.

Postremò, tria hæc requiruntur, ac satis sunt, vt per ea substantialis generatio à cæteris mutationibus distinguatur. Non est igitur cur plura, pauciora ve statuamus. Antecedens probatur, quia generatio substantialis per priuationem secernitur à motu, qui oritur à termi-

3. Ratio.

termino positiuo; per materiam à creatione, quæ nullum subiectum supponit. Denique per formā vnaquæque generatio ab alia distinguitur, vt 5. huiusce operis libro patebit.

Tria principia distinctas habere rationes principiandi.

Ex dictis constat omnia hæc principia distinctam rationem principiandi sibi vendicare. Materia enim est principiū mutationis, quia transit ab vno termino ad alium abijciendo terminum à quo, recipiendo terminum ad quem. Forma, quia ad eam transit materia ipsā in se recepiendo. Priuatio, quia est id, à quo materia migrat ad formam, & quod in transmutatione per se abijcitur

Tria principia essentialia generationi.

Sunt autem tria hæc principia essentialia generationi, hoc est, quæ sola atque omnia ad nudam generationis essentiam percipiēdam, siue ad definitiuum illius conceptum simpliciter exiguntur, ac sufficiunt: cùm tota ratio intrinseca generationis in eo consistat, absoluaturque, vt sit progressio à priuatione formæ in materia ad nouam formam, quæ acquiritur.

2. Concluſ.

Secunda conclusio. Duo tantū sunt principia res naturales constituentia, videlicet materia & forma. Hanc assertionem probauit Aristoteles cap. 7. huius libri vsque ad tex. 65. potestque ex eo confirmari, quia priuatio cùm aduersetur formæ, eaque accedēte abscedat: cùm præterea non sit substantia haudquaquam ad rem genitam componendam coire valet, proindeque ad id sola forma & materia relinquitur. Quod verò hæc essentiā constituant suo loco patebit.

Sola materia & forma sūt principia cōstituentia cōpositum naturale.

ARTICVLVS V.

ARGVMENTA ADVERSVS ea, quæ proximè concluſa ſunt.

1. arg.

CONtra ea, quæ superiori articulo statuim⁹, nonnulla se se offerunt argumenta. Primum. Causa efficiēns generationis debet etiam in naturalium rerū principijs numerari: plura igitur sunt principia, quàm tria. Antecedens suadetur; quia omnis actio pendet per se à causa efficiente, alioqui efficiens non esset causa per se; imo & à causa finali, & exemplari, quæ non minùs etiam, quæque in suo genere, in effectum perse influūt. Adde quòd cùm absoluta cuiusque rei cognitio omnium causarum intelligentiam deposcat, vt alibi ostendimus, non videtur quo pacto generationis notio absq; eiusmodi causarū perceptione haberi queat. Vnde fit, vt eas generatio in suo conceptu, tanquam principia sibi essentialia, debeat includere.

2. arg.

Secundū. Non minùs per se progreditur generatio à forma abeunte, quàm à priuatione formæ succedentis: ergo si hæc priuatio, est per se generationis principium; illa itidē forma erit. Probatur assūptum, quia tam fieri nequit vt sine illa forma, quàm vt sine hac priuatione

uatione generatio detur; cùm ſemper generatio vnius ſit corruptio alterius.

Tertium. Tam videtur per ſe requiri ad generationē habilitas, ſiue aptitudo materiæ ad excipiendam formam, quàm materia ipſa: ergo eiuſmodi habilitas erit aliud principium à cæteris diſtinctum. Antecedens probatur, quia nihil gignitur niſi ex idonea aptaque materia; adeò vt cœleſtis materia & forma ſublunaris nec diuinitus in vnum compoſitum per ſe coire poſsint, quia nimirum materiæ cœleſti ad rerum intereuntium formas excipiendas habilitas deficit. 3. arg.

Quartum. Generatio non tendit per ſe adformā, ſed ad compoſitum, vt Ariſtoteles docuit hoc in libro cap. 7. text. 64. Igitur forma non eſt principium per ſe. Probatur conſecutio, quia ſi generatio non tendit per ſe ad formam, certe nec illam in ſuo conceptu includet: ex quo fiet vt forma non per ſe, ſed ex accidente ad generationem pertineat. 4 arg.

Quintum. Quod generationem à creatione per ſubiectum, & à motu per priuationem haud probè diſtinxerimus, videtur oſtendi. Primùm quia actiones non à ſubiecto, neque à termino à quo, ſed à termino, adquem feruntur, diſtinctionem accipiunt. Deinde quia cùm gratia in anima à Deo creatur, eiuſmodi creationi ſubijcitur anima; atque adeo etiam creationi ſupponitur ſubiectum. Item quia cùm vnum corpus ab altero illuminante, & continuo motu ad ipſū accedente, maiora lucis incrementa accipit, ea mutatio, quia continua, eſt verè motus; & tamen non poteſt generatio ab ea diſtingui, cùm illa etiam à priuatione incedat. 5. arg.

Sextum. Ad actionem, qua Deus primos humani generis parentes initio mundi procreauit, concurrerunt materia, priuatio, & forma: & tamen non videtur admittendum eam fuiſſe veram generationem; cùm fuerit actio quædam per extraordinariam Dei potentiam miraculo exhibita. Non ergo tria illa principia ſolius rerum naturalium generationis principia ſunt. 6. arg.

ARTICVLVS VI.

ARGVMENTO-rum diſſolutio.

SVperiora argumenta ſic dilue. Ad primum nega propoſitionem antecedentem, & ad eius probationem dicito rectè cōcludi generationem pendere per ſe à cauſſa effectrici, finali, & exemplari. Cæterùm id non ſat eſſe, vt hæc, eſſentialia principia generationis conſtituenda ſint; requiritur enim præterea, vt in conceptu generationis per ſe includantur; quod non ita eſſe conſtat ex dictis: ſiquidē generatio definitur eſſentialiter progreſsio à priuatione formæ

Solutio. primi arg.

Generatio quopacto eſſentialiter definiatur.

mæ in materia ad nouam formam; in qua definitione nulla externarum cauſſarum mentio fit. Vrgebit tamen quiſpiam hoc modo, generatio eſt actio quædam: ſed actio includit in ſuo conceptu cauſſam agentẽ; cùm definiatur actus agentis, quatenus agens eſt: igitur agẽs pertinet per ſe ad conceptum generationis. Occurrendum tamẽ generationem trifariam ſpectari poſſe; primum vt procedit ab agente; deinde vt recipitur in patiente; tertio abſolutè, vt mutatio eſt: primò modo includere in ſuo conceptu definitiuo agens; ſecundò patiens; tertiò neutrum.

Triplex consideratio generationis.

Ad reliquam partem eiuſdem primi argumenti dices perfectã cognitionem definitiuam non requirere perceptionem cauſſarum externarum, vt in alio huius libri loco docuimus; proindeque ſimiles cauſſas non ſpectare eſſentialiter ad generationem; ſed ea tantum principia, quę ad definitiuam eius notitiam exiguntur.

Sol. 2. Ad ſecundum, formam abeuntem non includi per ſe in conceptu definitiuo generationis, ſicuti priuatio formæ geniti: nec formam illam per ſe ad generationem requiri: ſi enim nulla forma excedente, noua ſuccederet (quod diuina virtute fieri poteſt, etſi per naturam ſemper interitus vnius antecedat generationem alterius.) adhuc nihilominùs tota generatio conſtaret.

Sol. 3. Ad tertium, Dicendum, vel per materię habilitatem intelligi potentiam materiæ, vel non repugnantiam ad accipiendas formas, quæ quodammodo à materia fluit. Si primum, liquet non concludi dãdum eſſe quartum aliud principium; ſiquidem potentia materiæ eſt ipſa materia, nec ab ea vllo modo diſtinguitur: ſi ſecundum, occurrendum erit eiuſmodi non repugnantiam, ſiue aptitudinem, includi in priuatione vt quidpiam, quod ab illa concernitur; quandoquidem priuatio definitur negatio formæ in ſubiecto apto. Quo fit, vt ea aptitudo ſit quædam veluti appendix principij, non autem principium per ſe. Cur autem priuatio potiùs, quàm eiuſmodi aptitudo principium conſtituatur, cauſa eſt; quia ratio generationis non ab aptitudine materiæ, ſed à priuatione per ſe dependet, vt ex definitione generationis patet. Vnde colliges non rectè Argentinatem in 2. ſent. d. 18. q. 1. art. 2. aſſeruiſſe principia rerum naturalium rectiùs poni materiam, formam, & rationes ſeminarias, ideſt, habilitates ſingulis rebus naturalibus à Deo inditas; quàm materiam, formã & priuationem.

Aptitudo materiæ & priuatio quòmodo ſe habeãt.

Improbatur opinio Argẽtinatis.

Sol. 4. Ad quartum, Reiecta alium in locũ longiori diſputatione de termino generationis, reſpondendum eſt generationem, vt ſupra attigimus, tendere per ſe & ad formam & ad compoſitum; ad formam vt ad terminum minùs præcipuum, qui dicitur produci vt quo (excepta anima rationali, quæ à Deo creatur) ad compoſitum verò, vt ad terminum principalem, qui dicitur fieri, vt quod; atque ita interpretandum eſſe locum Ariſtotelis in argumento adductum: neq; ex illo haberi generationẽ non proficiſci etiam ſuo modo per ſe ad formam,

Forma, & cõpoſitum terminus generationis.

mam, eamque in ſuo conceptu includere. Verum licet tam forma, quàm compoſitum per ſe terminent generationem; quia tamen ſola forma vt diſtinctiuum per ſe illius eam terminat (compoſita enim ratione duntaxat formarum, eiuſmodi diſtinctionem conferunt) fit inde, vt non compoſitum; ſed forma principium generationis habeatur; maximè cum compoſitum non ſe habeat ad generationem, vt principians, quod ad principij rationem neceſſarium erat; ſed vt principiatum, genitum ve principiorum concurſu.

Ad quintum reſpondendum actiones mutationeſque eatenus dici per terminos ad quos diſtingui, quatenus omnes, verbi gratia, generationes inter ſe; & creationes item inter ſe omnes, ac ſimiliter motus à terminis ad quos proficiſcuntur, mutuam diſtinctionem capiunt. Quod tamen non efficit quominùs generationes ſecundũ modum à nobis explicatum, ab alterius generis mutationibus actionibuſue per aliud quidpiam differant. Ad id verò, quod de gratiæ creatione obijcitur, dicendum nos eo in loco de propria duntaxat creatione fuiſſe locutos; non de impropria, qualis ea eſt, qua gratia in præiacente ſubiecto à Deo producitur, vt in 8. huius operis libro docebimus. Sol. 5.

Ad diluendum verò id, quod de diſcrimine inter motum generationemque opponebatur, intelligendum eſt dupliciter poſſe motũ à termino poſitiuo tendere: nimirum vel quia ab eo iam in ſubiecto exiſtente incipit, & continuatur; vel quia ab eo continuatur, non tamen incipit. Secundum priorem modum incedit motus, quo Socrates è pallido fit candidus: ſecundum poſteriorem is, quo aer è tenebricoſo fit lucidus per continuum acceſſum corporis illuminantis: ſemper enim poſt inchoatum motum vna pars lucis aliam iam acquiſitam ſupponit tanquam terminum, è quo ad vlteriorem partem acquirendam motus progreditur. Hoc poſito dicendum motus omnes, de quibus, cùm motum generationemque diſtinximus, locuti fuimus; incedere à termino poſitiuo, alterutro è duobus ijs modis, quos diximus: proindeque ratum adhuc manere propoſitum diſcrimen. quo pacto ōnis motus incedat à termino poſitiuo.

Ad Sextum dicito procreationem illam primorum parentum veram fuiſſe generationem: nec obſtare quòd ſupra vſitatum naturæ curſum acciderit; cùm omnia, quibus generatio eſſentialiter cõſtat ad eam cõcurrerint. Non enim quod aliquid miraculo, aut naturæ vi fiat, ſat eſt ad eſſentiæ diſcrimen arguendum, ſi intrinſeca omnia conueniant. Sol. 6. Procreatio primorum parentum vera fuit generatio.

CAP.

V

Capitis octaui explanatio.

Dogmata negantium generationē, & interitum substantialem.

VEterū [a] autem] Refert absurdas quorundam Philosophorum opiniones, qui ex inscitia principiorum eò adducti sunt, vt omnem substantię generationem, interitūq; negarint. Erat autem eorum ratio hęc. Quidquid oritur, aut ex eo quod est, oritur; aut è nihilo. Non ex eo, quod est, quia iam res esset antequam oriretur: non ex nihilo; quia è nihilo fieri aliquid non potest, siquidē semper aliquid subijci oportet, è quo res gignatur. Nulla est igitur generatio, proindeq; nullus interitus. Vnde etiā colligebāt vnū tantū dari ens, quod neque gigni, neq; oriri posit. Quo patet huius sententię, & rationis auctores fuisse Parmenidē, & Melissū, de quibus supra.

b Nos autem] Vt propositā rationē diluat, monet priùs dupliciter accidere posse, vt ex eo, quod est, aut ex eo, quod non est, aliquid fiat: nimirū per se, aut ex accidēte, quod exemplo medici aperit, quem facere aliquid aut pati, aut è quo fieri quidpiā totidē modis dicimus. Nimirū per se, & qua medicus est, mederi; & ex medico nō medicū fieri; ex accidente verò ędificare, & albescere. Hanc autē distinctionē ait Aristoteles antiquos ignorasse, ideòque generationes è medio sustulisse.

c Nos autē & ipsi] Propositā rationem diluit explicādo in primis posteriorem partem assumptionis. Nam si intelligant non posse aliquid fieri è nihilo, siue ex non ente, vt non ens est, tanquam ex principio componente, concedenda est eis assumptio; sed in eo sēsu neganda maior propositio: significat enim, quidquid fit fieri ex aliquo in actu, aut ex nihilo in actu; hunc enim duntaxat entis modum veteres agnoscebant. Si verò contendant ex non ente per accidens nihil fieri, vt ex principio componente, idest, nihil fieri ex materia, cui accidit non ens, idest, cui accidentario conuenit priuatam esse forma rei, quę gignitur; tunc neganda est maior propositio.

Bifariā fieri quidpiam ex eo, quod est.

d Similiter verò] Respondet ad priorē partē assūptionis, aitque ens nō fieri ex ente per se; sed

CAP. VIII.

VEterum [a] autem dubitationem hoc vno duntaxat dissolui modo, post hæc dicemus. Primi enim Philosophi, cùm veritatē, naturamq; rerū inuestigarent, quasi ad aliā quandā viā imperitia deducti à verò aberrarunt, atq; inquiunt rem nullam aut generari, aut interire, propterea quod necesse sit id, quod gignitur, aut ex eo quod sit, gigni, aut è nihilo, è quorum neutro gigni possit. Nā id, quod sit, non gigni; quandoquidem iā sit, è nihilo verò nihil fieri, quod subijci aliquid oporteat. Atque Text⁹ 71. Text⁹ 72.

hoc sanè modo id, quod deinceps accidit adijciendo, multa esse negant, id solum, quod est, concedentes. Illi igitur ob ea quæ dicta sunt, in hanc opinionē adducti sunt. [b] Nos autem Textus 73.

dicimus ex eo, quod sit, aut eo, quod nō sit, fieri aut id, quod non est, aut id, quod est, facere aliquid, aut pati, aut quiduis hoc fieri, vno modo ab eo nihil differre, medicum aliquid facere, aut pati, aut è medico aliquid esse, aut fieri. Quare cùm Textus 74.

hoc bifariam dicatur, illud quoque ex eo, quod sit, & id quod est, aut facere, aliquid, aut pati duobus modis dici manifestum est. Ædificat itaque medicus, non vt medicus, sed vt ædificator, idemq; albus fit, non vt medicus, sed vt niger: mederetur autem, medicusq; esse desinit quatenus est medicus. Cū verò maximè propriè medicum quidpiam facere, aut pati, aut è medico fieri, si hæc quatenus medicus aut patiatur, aut faciat, dicamus, illud quoq; planum est, ex eo, quod non est fieri, id significare, quatenus non est. Quod cùm illi non distinxissent à veritate abducti sunt: & ob hanc ignorationem eò ignorantiæ deuenerunt, vt aliarum rerum nullam generari, aut esse existimarent, imo verò vniuersam tollerent generationem.

Nos

sed per accidens. Vt enim si animal fieret ex animali, & quoddam animal ex quodam animali, ceu canis ex equo, animal in cõmune, quod includitur in cane, nõ fieret per se ex animali incluso in equo; sed canis fieret per se ex equo, seu non cane, quia natura non fertur per se in productionem eius, quod iam erat in materia; sed eius, quod non dum erat: ita si ens, vt ens, fieret, oporteret nullum præcedere ens, atq; ita ex nihilo fieret; quod est impossibile. At cùm non fiat ens, vt ens, sed hoc vel illud ens, sat est præcedere aliquod nõ ens, nimirum, id, quod effici debet; licet hoc non ens re vera aliud ens sit. Est itaque Aristotelis institutum hoc loco, docere, vt fiat hoc ens non debere ex nihilo fieri, sed ex aliquo ente, dũmodo id, ex quo fit, non sit illud ipsum, quod efficitur.

Ens, vt ens, non fit, sed hoc, vel illud ens.

Text⁹.75. c *Nos autem & ipsi dicimus nihil quidem omnino ex eo, quod non est, fieri, tamen ex eo, quod non est, ex accidenti fieri; ex priuatione enim fit, quæ est per se non ens, & non inest. Sed admirationi hoc est, ac videtur fieri non posse, vt hoc*

Text⁹.76. *modo ex eo, quod non est aliquid fiat.* d *Similiter verò neq; ex eo quod est, neq; id quod est, fieri nisi ex accidenti, & per inde hoc fieri, ac si ex animali animal fieret, & ex aliquo animali aliquod animal, vt si ex equo fieret canis. Non solùm enim ex aliquo animali fieret canis, sed ex animali, non tamen vt animalis quandoquidem hoc iam est. Quod si aliquod*

Text⁹ 77. *animal non ex accidẽti fieri debeat, non ex animali erit. Atq; etiam si quidpiam, quod est, non ex eo quod est, neq; ex eo, quod non est. Nam ex eo, quod non est fieri, quid nobis significet, dictu est, nempe, quatenus non est. Sed neq; id tollimus rem*

Textus 78. *omnem esse, aut non esse. Vnus igitur hic est modus.* e *Alter est, quoniam actu & potestate hæc dici possunt, quod quidem alibi magis exquisitè est definitum. Quare, vt diximus, dubitationes diluuntur quibus adducti aliqua eorum, quæ dicta sunt, summouent. Ob hæc enim veteres ab ea via, quæ ad generationem est, & ad interitum, atque omnino mutationem tantopere aberrarunt. Hæc namq; si perspecta fuisset natura ab omni eos ignoratione liberasset.*

e Alter [est] Ostẽdit aliter quoque dilui posse antiquorũ rationẽ adhibita nimirum distinctione entis, quod partim dicitur actu, vt homo, & ignis; partim potestate vt libro 9. Metaphys. c. 12. explicatius dicitur. Itẽque posita diuisione non entis in nõ ens actu, & non ens potestate, idest, purum nihil. Tum ad priorem partem assumptionis respõdet res naturales fieri ex ente potestate, idest, ex materia prima, non vero ex ente actu. Ad posteriorẽ, eas dẽ ex non ente actus non tamen ex non ente potestate fieri. Colligit deinde manifestũ iam esse quo pacto dubitatio veterum Philosophorum generationem negantium dissolui possit; nempe si acutè perspiciatur natura materiæ priuatio-

Ens aliud actu, aliud potestate.

CAP. IX.

Text⁹ 79. *Attigerũt quidem igitur eam & nonnulli alij; sed nõ satis. Primum enim quà Parmenidem rectè dicere consentiunt, ex eo, quod non est aliquid omnino fieri fatentur. Deinde si numero est vna, potestate quoque vna esse illis videtur, quod sanè plurimum differt.*

Nos

nẽ habẽtis: sic enim facile apparebit quopacto ex eo, quod est, & ex eo, quod non est, res gignantur.

Capitis noni explanatio.

Attigerũt a quidã) Coarguit Platonicos, qui tametsi materiæ cognitionẽ attigerũt, eã tamẽ à priuatione neutiquã distinguebãt, pindeq; sicuti priuatio sĩpliciter est nõ ens; ita materiã absolutè nõ ens pnuntiabãt. Fuerũt autẽ in hũc erroré adducti ratione illa

Parmenidis, quidquid est prꝛter ens, est non ens; tum illud sumebant, materia est prꝛter ens; cùm non sit ens actu. Vnde concludebant materiã simpliciter esse non ens. Deinde quia arbitrabantur quꝛcunque sunt vnum subiecto, eadem vnum esse potestate, ac ratione. Quare cùm animaduerterent materiam, & priuationem vnum quidpiam subiecto esse, colligebant esse quoque idem ratione, & essentia; atque adeò materiam simpliciter esse non ens.

Materiam esse nõ ens per accidens.

b Nos enim] Docet se à Platonicorum hac in re sententia abhorrere, quod censeat materiam & priuationem ratione inter se differre, materiamque esse non ens per accidens, ratione videlicet priuationis, quꝛ ipsi accidit, priuationem verò esse non ens per se. Rursus materiã esse aliquo modo substantiam, priuationem verò nullo pacto in substantijs numerari posse.

c Illi vero magnũ] Cum Platonici magnum & paruũ pro materia statuerint, & vtrunq; nõ esse, aut vtrunq; simul, aut alterum seorsim affirmarint, fit vt ternarius principiorum ab eis, & ab Aristotele positus necessariò sit diuersus. Licet enim Platonici subiectum dari fateantur, ab eo tamen potestate, & ratione tertium, nimirum priuationẽ, non distinguũt, vtique eam contemnẽtes propter maleficium, quod molitur, dum in causſa est, vt materia alteram formam expetat, & eã cui actu coniuncta est, repudiet.

Materiam & priuationẽ inter se formaliter distingui.

d Illa enim permanes] Dũ Platonicos insectatur, duabus rationibus materiam, & priuationem formaliter inter se differre ostendit. Prior ita habet. Materia permanet cum forma, eamque suo gremio excipit, tanquã mater semẽ ad gignendã prolem, sed priuatio cùm formꝛ aduersetur, neque cum ea manet, neque illam excipit. Non igitur priuatio, & materia formaliter idem sunt. Hanc verò rationem illustrat edocens formam quidpiam diuinum esse, & bonum, atque expetibile, quod materia ingenita sibi propensione exoptat, & affectat.

e Illis autem accidit] Posterior ratio hꝛc est. Si materia, & priuatio formaliter idem essẽt, sequeretur aliquid sui ipsius interitum appetere, quod à naturꝛ legibus quam maximè est alienum. Probatur consequutio. Nã forma cùm pulchrum & diuinum quidpiam sit, admodũ appetibilis est; non appetit vero ipsa se, quia nihil eius, quod possidet, desiderio tenetur, sed

b *Nos enim materiam, & priuationem esse diuersa dicimus, ipsorumque alterum materiam non esse ex accidente, priuationem verò per se, rursus materiam ad substantiæ rationem propiùs quodammodo accedere, priuationem nequaquam.* c *Illi verò magnum & paruum, aut vtrunque simul,* Text⁹ 80
aut alterum seorsum: non ens similiter. Quare ternarij alius hic, alius ille est modus. Hucusque enim peruenere, naturã aliquam esse subijciendam: sed hanc vnam faciunt. Nam dualitatem etsi aliquis ipsam facit, nempe magnum & paruum, nihilominùs tamen idem facit, quando alteram despexit, videlicet, priuationem. d *Illa enim permanens eorum, quæ fiunt, vnà cum forma, causſa est, perinde atque mater. At contrarietatis altera pars non esse omnino persæpe ei videtur, qui ad eius maleficium animum attenderit. Cùm enim* Text⁹ 81
diuinum quiddam sit, & bonum, & expetendum, aliud quidem contrarium ei esse dicimus, aliud, quod natura sua ipsum expetat, atque desideret. e *Illis autem accidit, vt suum ipsius interitum contrarium expetat. At neque se ipsa expetere potest formas quandoquidem non egeat: neque contrarium, cùm vicißim se se contraria interimant. Sed hoc, est materia, perinde appetens illud ac si marem femina, & quod turpe est, appetat pulchrum. At nec turpe, nec femina per se,*
sed ex accidenti. f *Partim verò & interit, & oritur, partim* Textus 82
non. Nam quatenus est id, in quo, ea ex parte interit: quãdoquidem in eo est id, quod interit, nempe priuatio. Quo autem potestate est, eo non interit: sed necesse est eam neque oriri, neque interire. Nam si oriatur aliquid primum subijci oportet, ex quo insito oriatur, quꝛ quidem est ipsius natura. Quamobrem erit antequam fiat. Dico enim materiã, quod rei cuiusque subiectum est primum, è quo insito non ex accidenti aliquid oritur, & in quod si quidpiam interit, vltimum abeat. Quare erit interempta, antequam intereat.

Prin-

sed eius duntaxat, quo caret; forma autem se ipsa carere non potest. Reliquum est igitur, vt materia affecta priuatione formam tanquam proprium actum perfectionemque desideret. Quare si quis autumet materiam non differre formaliter à priuatione, consequens erit, vt dicat priuationem appetere formam, cuius aduẽtu perit ac proinde idem sibi ipsi exitium optare.

f Partim verò] Absoluit materię tractationem docens materiam per se & suapte natura, seu ratione suę substantię, neque generationem, neque interitum subire, sed ex accidente dũtaxat, idest, ratione priuationis, quę in ea suo modo gignitur, atque interit, cùm incipit esse, rursusque aboletur. Non gigni autem, nec interire per se materiam ex eo ostendit, quia gigneretur ante suũ ortum, & ante suum interitum interiret, quod fieri nequit. Hoc autem sequi ea ratione demõstrat, quia quidquid fit, ex aliquo, quod primũ subijcitur, necesse est fiat; & quod interit, in aliquod vltimum subiectum intereat oportet, quod sanè nihil aliud est, quam materia ipsa, quę definitur primum cuiusque subiectum, ex quo insito vnũquodque non ex accidente generatur, & in quod, si quidpiam interit postremò resoluitur.

Materiam per se neque generationẽ, neq; interitũ subire.

Materię definitio.

g Principiũ autẽ, quod in genere formæ est, vtrũ vnũ sit, an multa, & quot, aut quæ sint, primæ Philosophiæ munus est exquisitè definire. Quare in id tempus reijciatur. De naturalibus verò, & quæ intereunt, formis, in his, quæ post demõstrabuntur, dicemus. Principia igitur esse, quæque, & quot sint numero, hunc in modum à nobis sit definitum. Rursus verò aliunde exorsi dicamus.

g Principium autem] Cùm forma è tribus principijs vnum sit, tantumque in re constituenda habeat momenti, vt ipsa totam pene essentiam contineat, doctrinę ratio postulare videbatur, vt post diligentem materię & priuationis disputationẽ, de forma non minus accuratè ageretur. Occurrit Aristoteles generalem formę tractationem ad primam spectare Philosophiam: explicationem verò formarum naturalium, & intereuntium in ijs, quę sequuntur, tradendam esse. Quod præstat partim 2. huius operis, partim in libris de ortu, & interitu, & de animalibus, alijsque Physiologię libris.

QVÆSTIO I.

INSIT NE REBVS physicis materia.

ARTICVLVS I.

QVIBVS POTISSIMVM ARgumentis Philosophi in rebus physicis materiam astruxerint.

CONstituto sexti & septimi capitis cõtrouersijs principiorũ numero, sequitur vt eas quęstiones, quę prĩcipia singulatim attingunt, disputem⁹. Atq; vt à materia ordiamur, in cuius agnitionẽ ões ferè, qui de natura scripserunt, veritate duce ferebãtur, licet eius nomen minus apertè celebrarint. In primis asserendæ materiæ complures

Aristoteles. Plato. Plotinus.

plures fuere rationes, ac viæ, quas tradidit Aristoteles partim cap. 6. huius libri, partim 8. Metaph. c. 1. tex. 4. & lib. 12. c. 2. tex. 7. Plato in Timæo, Plotinus lib. 4. Enneadis. 2. cap. 6. Auerroes 4. huius operis com. 38. & 8. Metaph. com. 12. ac pleriq; alij. Nos paucis id probare hunc in modum possumus. Cum ignis ex aqua ignem generat, aqua non ex toto interit, neq; in nihilum abit; siquidē posse in nihilū redigere solius diuinæ virtutis est. Manet ergo aliquid, quo superstite, ac seruato fiat aquæ in ignem conuersio. Id autem non est forma aquæ: siquidem hæc nequit cum forma ignis in eodem composito cohærere. Est igitur materia.

D. Damasc. nus in suis Physicis capit. 3. Scot. 7. Metaphy. q. 3. Alb. M. hoc tract. 3. c. 11. Greg. Arim. in 2. d. 12. q. 1 art. 1.

1. argum.

Posse in nihilum redigere solius diuinæ potentiæ est.

2. argum.

Item, vt communi sapientum decreto ratum est, ex nihilo quicquam gigni non potest; gignitur ergo ex aliquo, quod priùs extiterat: id autem non est forma; ea namque denuò inducitur. Est igitur quippiam, quod aduenientem formam excipiat, & vnum idemque permaneat, id est, materia. Atque hæ duæ rationes collectæ sunt ex ea disputatione, qua Aristoteles proximis capitibus materiam inuestigauit, asseruitque.

3. argum.

Sicuti datur vnus actus purus, ita vna pura potentia.

Tertio comprobatur idem institutum, quia sicuti in summo rerū gradu est actus purus, nullius indigus, formarum omnium effector, & omnis mutationis expers, in quem series efficientium caussarum vltimò desinit: ita in infimo esse aliquid debet, quod sit pura potentia, omniū egena, formarū omniū receptrix, & ipsa per se informis, nullā effectricē vim habēs, atq; ad omnes corporeas mutatiões subeundas idonea, in quam caussarū patientiū ordo terminetur: hoc autem nihil aliud, quàm materia est. Lege pro hac ratione, si placet; Alcinoum in lib. de doctr. Plat. cap. 11. Ficinum lib. 5. de immortalit animorum cap. 4. Scotum in 2. d. 12. q. 1.

Alcinous.

4. argum.

Denique idem confirmatur hunc in modum, Omne ens naturale ex forma & ex aliquo subiecto coalescit: alioqui non esset compositum Physicum. Vel ergo illud subiectum ex alio constat, & illud ex alio, atque ita in infinitum: vel deueniēdum erit ad vnum, quod ex alio concretum non sit. Atqui non est admittenda infinita illa progressio; siquidem non datur infinitum in natura. Fatendum ergo erit dari aliquod subiectum, quod ex alio priori non sit, atque adeo materiam.

Lege Aristotelē 12. Metaphy. c. 3. tex. 12.

ARTICVLVS II.

MATERIAM A DEO FVISSE creatam: & generationis atque interitus expertem esse.

Porrò

Hac d re Scotus 7. Metaph.q.8.

PORro autē in cōfesso est (quicquid de hac re Aristoteles, & prisci Philosophi senserint, quod.8.libro huiꝰ operis expendemꝰ) materiam à nullo agente creato, sed à solo Deo productā fuisse; quod ita concluditur. Materia non nisi per creationem efficitur; sed creare ad solam diuinam potentiam spectat. Ergo materia à solo Deo effici potuit. Maior probatur, quia si materia nō crearetur, cùm non habeat esse à se; id enim solius Dei proprium est, sanè fieret præsuppositō aliquo subiecto; quod tamen repugnat; cùm materia sit ipsum primum subiectum, vt docuit Aristoteles cap. 9. huius libri text. 82. Minorem verò propositionem ostendit cōmunis illa ratio, qua Theologi probant solius diuinæ virtutis esse res creare. Nam quantò id, quod producitur, remotius est ab actu; tantò maiorem requirit virtutem in producente; id autem, quod è nihilo fit, tam remotum est ab actu, vt remotius esse nequeat; ac proinde requiret virtutē, qua maior esse non possit, id est, infinitam, quæ soli Deo conuenit.

Non potuisse materiam ab vllo agēte creato effici.

D.Tho.1.p. q.45 ar.5.&1. contra gent. cap.44.Capr. in 1.d.43.q.1. ar.1. Henricus quodl.4. q.vlt.

Ita verò planè constat non generari materiam, quam etiam non interire certū est; vtrūq; autē nō nulli hoc argumēto confirmant. Si materia generationi & interitui esset obnoxia, sequeretur dari aliquid prius primo, & aliquid posterius vltimo, quod est manifesta implicatio. Probatur sequi. Nam materia est primum in generatione, postremum in interitu, hoc est vltimum, in quod res abit, seu resoluitur: omne autem, quod generatur, ex aliquo priori generatur: & quod corrumpitur, in aliquid posterius desinit. Adde quòd si materia interiret vel alia singulis momentis à Deo crearetur, quæ formas reciperet; vel iam diu omnis rerum ortus & propagatio deficiente materia, quæ totius corporeæ naturæ fundamentum habetur, concidisset: quorum primum absurdum inauditumque est, posterius experientiæ palam repugnat. Quare rectè dictum est à Plotino capite septimo libri quarti Enneadis 2. reclamare contra Empedoclem (cuius dogmate elementa materia rerum Physicarum erant) ipsam elementorum corruptionem, quòd materiam ab ortus & interitus vicissitudine liberam esse oportet.

Materiā neq; gigni, neque interire.

Materia totius corporeæ naturæ fundamentum. Plotinus.

Cæterùm licet materia suapte natura ortum & occasum nesciat; docuit tamen Aristoteles capite vltimo huius libri posse eam quodammodo dici interire & gigni ratione priuationis. Nam cùm subeunte forma, eius priuatio aboletur, interit vtcunque materia, quia definit tali subesse priuationi: cùm rursus post formam ablitam priuatio reuiuiscit, eadem materia quodammodo exoritur, quatenus priuationem, qua spoliata erat, recipit. Quærat tamen aliquis cur Aristoteles potiùs à priuatione, quàm à forma ortum, & interitum materiæ communicari censuerit; cùm id potiùs accidere videatur materiæ ratione formæ, quæ, vt est verū ens, ita ortum

Generatio, & interitus quo pacto materiæ cōpetāt.

Quæstio.

&

Respons. Simplicij. & corruptionem verius subit? Respondet Simplicius causſam esse, quia cùm forma aduenit, quodammodo materia absconditur; cùm recedit, manet nudata. Quo fit vt formæ ortu interire potiùs, & interitu oriri dicenda sit materia; cùm tamen interitu priuationis intereat & ortu oriatur. Sed occurrendū potiùs etsi id materiæ tàm priuationis, quàm formæ merito contingat: ab Aristotele tamen ideò soli priuationi attributum fuisse, quia cùm materia & priuatio, vt ante docuerat, subiecto ac numero sint idem, oportet vt alterum alteri, id quod suum est, quasi propinquiori iure, communicet.

Germana responsio.

QVÆSTIO. II.

VTRVM MATERIA appositè definiatur, cognoscatur, appelletur.

ARTICVLVS I.

EXPLICATVR MATERIÆ definitio.

Cognoscitur à nobis Deus partim inficiatione, partim affirmatione.

QVemadmodū, teste Dionysio 1. cap. de diu. nom. & in libro de mystica Theologia cap. 2. & 3. Deus Opt. Max. ob infinitā suæ naturæ perfectionē bifariam à nobis cognoscitur; vno modo, remouendo ab eo quæcunque non sunt perfectiones simpliciter, veluti cùm dicimus Deum non discurrere, non esse corporea mole præditum; (haud secus inquit loco citato Dionysius, ac faciunt ij, qui effigiem è quauis materia educentes, omnia tollunt, quæ impedire possint liquidum latentis decoris intuitū, ipsamq; in se ipsa pulchritudinē occultam sola ablatione pandunt) altero affirmando ea, quæ important perfectionem simpliciter, vt cùm Deum summè bonum, summè sapientē esse pronuntiamus. Ita materia, quod præter alios aduertit D. Bona. in 2. d. 3. art. 1. q. 2. n. 12. ob eius tenuitatem ac defectum, dupliciter à nobis explicatur; vel inficiatione, cùm ei omnem actum perfectionemque denegamus; vel affirmatione, cùm eidem id, quod defectū & potentiam designat, attribuimus. Priori modo descripta fuit à Platone in Timæo, & ab Aristotele 7. Metaph. cap. 3. tex. 8. hisce verbis. Materia non est quid, nec quantum, nec aliquid eorū, quibus ens determinatur. Quam etiam materiæ describendæ rationem secutus est D. Augustinus lib. 12. Confess. cap. 3. & 6. Vbi, materia, inquit

Eisdē modis, sed obscurissimilem rationē percipitur a nobis materia.

inquit, non calor est, non figura, non corpus est, non spiritus; non tamen omnino nihil.

Posteriori, definita est ab Aristotele tum alijs in locis, tum cap. 9. huius libri tex. 82. hoc pacto. Materia est primum cuiusque subiectum, è quo quippiam eo fit pacto, vt non per accidens insit. Quæ definitio, vt extranea ordinatim ac facilius ab ea reijciantur, hunc in modum componenda erit. Materia est id, ex quo quidpiam fit, non per accidens; sed per se, tanquam è subiecto primo. Dicitur, ex quo quidpiam fit, ad remouendas causas externas, efficientem, finalem, & exemplarem. Non enim ex ijs propriè res fieri dicuntur; sed ab efficiente, propter finem, ad exemplar. Dicitur, non per accidens, ad excludendam priuationē: quia licet priuatio sit principium per se generationis; non tamen ex illa per se cōstat res genita: quo pacto verbum, fit, hoc loco accipitur: non constat in quam, ex illa per se, sed per accidens; quatenus priuatio accidit materiæ, quæ per se rē constituit. Debet quoque verbum, fit, ita sumi, vt importet non solùm compositionem entis per se, sed realem, non verò rationis; ad remouenda subiecta omnia, siue corporea siue corporis expertia cōparatione eorum, quæ ex ipsis, & ex accidentibus coalescunt, quæ dicuntur composita per accidens, vt homo albus, angelus sapiens: itemque ad remouenda genera, & differentias, quæ rem genitam nō reali, sed metaphysica compositione constituunt. Dicitur, tanquā è subiecto, vt excludantur formæ substantiales Physicæ, è quibus res naturales non constant, vt è subiecto, id est, vt ex aliquo earum generationi præiacente. Denique additur, primo, vt quibusdam placet ob rerum artefactarum materias, ex quibus artefacta non fiunt, vt ex primo subiecto, cùm eæ necessariò sint compositæ Physica, quæ ex alio priori subiecto consurgūt. Quāquam si artefacta, quod verisimilius iudicamus, tam subiectum, quàm formam arte inductā, significēt; cùm proinde nullo iam pacto maneant entia per se; asserēdum sit ea reiecta fuisse per patticulam, fit, particulam verò, primo, ad vberiorem duntaxat explicationem adhiberi.

Definitio materiæ.

Eius enucleatio.

Remouetur ab illa causæ externæ.

Priuatio.

Quodnis subiectum comparatione cōpositi accidētarij.

Genera, & differentiæ.

Formæ physicæ.

Materia rerū artefactarum

Alias præterea descriptiones materiæ ex Aristotelis fōtibus hausstas lege, si placet, apud M. Albertum in opere de quatour coæuis quest. 2. art. 2.

ARTICVLVS. II.

QVO PACTO MATERIA sub intelligentiam cadat.

QVòd ad materiæ notionem spectat, quæstio est possit ne illa sine forma intelligi, an non? Themistius hoc in libro ad tex. 61. & Scotus q. 1. Prologi sententiarū, & in 2. d. 12. q. 1.

affirmant. Negat D. Thomas in 1. p. q. 87. art. 1. Auerroes 4. libro huius operis comm. 17. AEgid. quodl. 2. q. 13. & pleriq; alij. Hæc dubitatio ita explicanda est, vt dicamus essentiam materiæ sine forma intelligi non posse. Primùm quia, vt est apud Aristotelem in 2. lib. cap. 2. text. 26. materia est relatum (videlicet è numero eorum, quæ transcendentia vocantur) relatum inquam ad formā, atque adeò quoad suam essentiam pendet à forma, & quod inde consequens est, sine illa intelligi nequit. Deinde quia tota ratio materiæ in potentia consistit, potentia verò absque suo actu nō intelligitur, at actus materiæ est forma.

Nequit, materia secundū essētiam absq; forma cognosci.

Sed non est hoc loco prætereundum, quod D. Augustinus lib. 12. confess. cap. 5. docet, materiam ignorando cognosci, cognoscēdo ignorari; nimirum quia, vt AEgidius in suo 5. libro Hexameron cap. 3. declarat, materia habet se se vt tenebræ, cùm in se spectata omni formæ splendore careat. Ac quemadmodum tenebræ non videndo percipiuntur, percipiendo non videntur (dicimur enim tenebras intueri cùm nullum colorem, aut lucē cernimus; dicimur easdem non cernere, cùm colorem, aut lucem aspicimus) ita materia tunc percipitur, cùm in ea nullus omnino actus cognoscitur; tunc ignoratur, cùm actus apprehenditur. Neque hoc pugnat cum ijs, quæ proximè docuimus, materiam videlicet per formam, atque actum cognosci. Aliud est enim intelligi materiam per ordinem, relationēve ad actum; quod illic asseruimus; aliud intelligi, dum ipsa tanquam actus apprehenditur, quod hîc negamus.

D. Aguſtini ſententia de cognitione materiæ.

Remotio obiectionis.

Quæri etiam solet, num intellectus noster proprium materiæ conceptum possit effingere. Ratio dubitandi in eo est, quod Timæus Pythagoricus, quem secutus est Plato in eo libro, quē ab illo Timæum appellauit, docuit materiā percipi à nobis adulterina cognitione, atque adeò non ei propria & germana. Asserendum tamen nihil impedire quominus prædictum conceptum efformare valeamus, cùm materia sit quoddam ens vendicans attributa, quæ & ipsi propria sunt & nostræ mentis aciem non effugiunt; vt esse puram potentiam, esse primum subiectum. Item quia perfecta & distincta cognitio entis naturalis, quam Physiologia tradit, non nisi ex propria & peculiari notitia materiæ primæ haberi potest. Neque his repugnat Timæi pronuntiatum; qui nihil aliud voluit, quam solere nos, cùm materiā primò quærimus, incurrere in formas, quarum inficiatione eam cognoscimus: quod cùm fit non materiæ in se, sed in suis formis intelligentiam capimus. Verùm licet ita res habeat; non iccirco tamen negari debet alijs quoque modis posse materiam cognosci; quemadmodum nec per solam formarum negationē; sed aliter etiam, eam Philosophi definire consueuerunt, vt ex articulo superiori constat.

Quæſtiuncula.

Plato ſecutus Timæum.

Reſponſio.

Cur materiæ cognitio adulterina dicatur.

Idem explicat D. Damascenus in suis phys. c. 3.

ARTI-

ARTICVLVS III.

QVIBVS NOMINIBVS MATERIA à Philosophis nuncupetur.

QVoniam verò materia ob naturalem nuditatẽ in abdito delitescit, eam Philosophi, vt quoad fieri posset, in conspectũ educerent, varijs nominibus quasi vestibus adornarunt: de quibus Alcinous lib. de doctrina Platonis cap. 8. Plotinus c. 6. lib. 6. Enneadis 3. Simplicius hoc in lib. comm. 8. Albertus tract. 3. c. 12. Auic. c. 2. suffic. Igitur AEgyptij materiam fæcem primæ vitæ dixerunt, quòd omnium substantiarum, quæ à fonte diuini esse profluxere, despicatissima sit. Substantiarũ, diximus, nõ accidentiũ; quia si cum accidentibus materia cõparetur, non necesse est vt illis, præsertim omnibus dignitate cedat. Qua de re Scotus in 2. d. 12. q. 2. Iidem materiam descripta lunæ effigie adumbrabant, quòd sicuti luna alieno fulgore conspicua est, ac modò hanc, modò illam speciẽ exhibet; ita materia non nisi aduentitio ornatu splendeat, & ad aliã, atque aliam subinde formam se se effingi patiatur.

Appellatur materia ab AEgyptijs fæx primæ vitæ.

Adumbratur lunæ effigie.

Iam Plato, qui inter cæteros Philosophos, Aristotele antiquiores, reconditam materiæ naturam propius attigit, eam appellauit, non ens. Sic enim ait in Timæo. Quid est, quod semper est, generationem autem non habet? & quid est, quod gignitur quidem, nunquam autem est? Quo loco per id, quod semper est, (vt interpretatus fuit Porphyrius teste Simplicio ad tex. 30. huius lib.) significauit ideã; per id, quod non est, materiã primã. Dicta est etiã materia à Platone τὸ μέγα καὶ μικρὸν, id est, magnum & paruum: quod nonnulli inter Platonis dogmata ἄγραφα, id est, non scripta, sed discipulis familiariter inculcata, recensent. Alij verò licet in eius libris, qui nunc extant, nõ inueniatur, aiunt tamẽ mandatũ esse literis à Platone; quod Porphyrius ex 11. lib. Dercillidis de Philosophia Platonis, refert. Cur autem hisce vocabulis materiam significarit, nõ planè constat. Quidam inquiunt vocari, magnũ, quod cuncta possit recipere; paruũ, quod ex se nihil actu possideat. Porphyrius verò in libro de occasionibus cap. 11. ita scripsit. Materia est tum paruum, tum magnum, quod fiat semper, maneat verò nunquam, neque tamẽ aufugere possit; quippe cùm totius entis sit defectus. Quãobrẽ quidquid promittit mẽtitur; ac si magnũ quid appareat, iterũ euadit paruum; quasi ludus quidam est in non ens aufugiens. Hæc ille. a Quibus similia inuenies apud Plotinũ c. 7. lib. 6. Enneadis 3. Idẽ

Dicitur à Platone, Non ens.

Magnum, & paruum.

Cur ita appellatur.

De hac materiæ appellatione differit Plotinus cap. 6. lib. 6. Enneade 3. Bessario cap. 5. lib. 2. contra Calumni. Picus Mirandula c. 6 libri de ente & vno.

a lege etiã d. Damascenũ i. Physicis cap. 3. vbi aliam huiusce vocabuli rationẽ diserte explicat.

Regio dissimilitudinis.

Plato in Theæteto materiã vocat dissimilitudinis regionem, ideſt, diuinitati vndique dissimillimam, quòd longissimè à Deo abſit, vtpote prope nihil. In Timæo appellat πανδεχές, ideſt omnia habens, ſinum, gremium, conceptaculum, quòd formas excipiat foueatque. In Philebo autem eam nuncupat multitudinem, quòd, vt ſuperiùs explicauimus, diuiſionis cauſa ſit. Ob quam etiam cauſam tum ab eodem, tum à Iamblico in lib. de ſecta Pythagorica dicta eſt dualitas, quæ eſt prima multitudo ac reliquarum omnium multitudinũ radix & origo. Alij quoque ex Platonicis eandem, eſſentiæ primæ quaſi inanem vmbram nominarunt; ac cùm materiales formas idearum imagines eſſe dicerent, eam inſtar ſpeculi, quod eiuſmodi imagines reciperet, eſſe voluerunt.

Omnia continẽs.
Sinus.
Gremium.
Conceptaculum.
Multitudo.
Dualitas.
Inanis vmbra primæ eſſentiæ.
Quaſi ſpeculum.

Lege Ficinũ c. 4. comm. in libru Plotini de redita animę ad diuinũ præſidium.

Denique Ariſtoteles materiam vocat elementum, ſubiectum, & imitatione Platonis matrem. Elementum, quatenus ex ea res naturales primò conſtant, & in eandem vltimò deſinunt. Subiectũ, prout accidentarijs formis ſubeſt. Eæ namque in ſubiecto proprie eſſe dicuntur; licet interdum, etiam reſpectu formæ ſubſtantialis, ſubiectum dicatur. Matrem, qua ratione formas ſuo quaſi gremio excipit & fouet; ijſque grauidata cuncta gignit & fundit ex ſe ſe, & vt D. Dionyſius 4. c. de diuinis nom. ait, naturam ipſam nutrit. Quod tamen nõ ad aliquã materiæ potentiam effectricem, ſed patientem dũtaxat referendum eſt, vt luculentè ediſſerit Plotinus cap. 19. lib. 6. Enn. 3. Quibus autem vocabulis etiam in ſacra hiſtoria 1. cap. Geneſeos informis materiæ conditio & natura deſignata ſit docet D. Aug. lib. 1. de Geneſi contra Manich. c. 7.

Vocatur ab Ariſtotele.
Elementum.
Subiectum.
Mater.

Lege Themiſtiũ in digreſſ. cap. 1. Simpliciũ & Alexã. ad text. 16

QVÆSTIO III.

QVONAM PACTO SE SE habeat materia ad potentiam.

ARTICVLVS I.

QVÆSTIONIS explicatio.

1. concluſio.

PRoximum eſt, vt quid de potẽtia materiæ ſentiendum ſit, ſtatuamus, ſit prima concluſio. Materia ſecundũm ſe eſt pura potentia, ideſt, neque eſt actus, nec aliquid ex potentia & actu compoſitum. Hæc aſſertio eſt tam Peripateticæ, quàm Platonicæ ſcholæ communis; colligiturque ex Ari-

Lib.2.Phys.c. 1.tert.11.& 2. de an.c.1.tex. 7.& lib.8.Metaph.c.3.tex.8 & lib.12. c.2.

Aristotele tum alijs in locis, tum hoc in libro cap.7.tex.69.vbi materiam primam appellat quidpiam informe & 1. de gen.c.3. tex 11.vbi statuit materiæ primæ rationem in potentia consistere. Idem sentit Plato in Timæo cùm materiam primam gremium appellat, siue conceptaculum omnis formæ, speciei & qualitatis expers. Idem D. Aug. 12. lib. Cõfess. c. 3. & 6. & in lib. de natura boni cap.18.& d. Damascenus in sua Philosophia cap.3. Item Plotinus cap. 6. lib. 4. Enneadis 2. Porphyrius lib. de occasionibus cap. 11. Alcinous lib. de doctrina Platonis cap.8. Deinde probatur ratione hunc in modum. Si materia prima non esset pura potentia, vel esset tantùm actꝰ, vel quid ex actu & potentia concretum: sed neutrum dici potest; est igitur pura potentia. Maior propositio cõspicua est: Minor suadetur quoad priorem partẽ. Namque omnis actus vel est informãs, vt candor; vel per se subsistens, atque à materiæ societate omnino seiunctus, vti Deus Opt.Max. & intelligentiæ: sed materia prima neuter horum est: igitur actus non est. Probatur assumptio, ac primùm quòd non sit actus informans: quia alioqui dandum esset aliud subiectũ prius ipsa, ab eaque informatum; quod fieri nequit, cùm materia sit primum subiectum, vt ex superioribus liquet. Deinde quòd neque sit actus per se subsistens ex eo facilè conuincitur, quia iam esset ens completum, & forma ipsa perfectius. Nam actus non informans, quemadmodum est à materia liberior, quàm informans; ita & informantem naturæ dignitate antecellit. Iam verò secunda pars assertionis initio propositæ ex eo suadetur; quia si materia prima ex actu & potentia constaret, esse vtique compositum naturale, atque adeò nec esset primum subiectum, nec ex ea simul cum forma vnum fieret.

Vide etiã Proclum in expositione Timei & Chalcidiu.

Colligitur ex ijs, quæ tradit Aristoteles.

Iam sentit Plato.

D.Augustin.

D. Damascenus.

Plotinus.

Porphyrius.

Alcinous.

Probatur ratione.

Quòd materia non sit actus informãs.

Quõd nõ sit actus per se subsistens.

Quod nõ cõsteret ex actu & potentia.

Sed ecce duo Aristotelicæ familiæ nobiles Philosophi, Henricus Gandauẽsis, & Scotus; ille quodl.1.q.10.hic in 2.d.12.q.1. materiã actũ entitatiuum dicendam esse contendunt. Appellant vero actum entitatiuum, rem actu existentem; quemadmodum & rem non existentem, quæ existere tamen possit, potentiam vocant obiectiuam. Hæc tamen sententia modus ve loquendi non placet. Primùm, quia Aristoteles nullum actum entitatiuum agnoscit, qui vel informans, vel per se omnino extra materiam consistens non sit, quorum neutrum in materiam competit. Deinde, quia materia, licet actum existentiæ, & quidem sibi proprium, obtineat; non tamen est formaliter idem omninò cum eo; siquidem existentia cuiusque creaturæ ex natura rei ab essentia distinguitur, vt suo loco explicabimus. Quare nec secundum hanc considerationem materia actus entitatiuus simpliciter dici debet,

Hanc opinionem pluribus refellit soncinas 7.Met. q. 17.& 9.Meta. q.2. Capreolus in 1. d.3.q. 3.ar.2. & in 2. d.13. q. vnica ar.3. Iauellus 9.Metaph. q. 2.eam tamen defendit Ant. Andr.7. Metaph. q.6. Bargius in 1.d. 5. q.vni. ad fin.

Opinio Henrici & Scoti.

Materia non rectè dicitur actus entitatiuus.

Secunda conclusio. Potentia est essentialis materiæ. Probatur, primùm quia esse potentiam (intellige passiuam, de qua hîc agitur) est esse subiectum capax formæ; at materia ex sua essentia tale quiddam est. Secundò materia, & forma inter se sibi respondent, quoad attribu

2.Conclusio.

attributa vnicuique propria: ergo tam intrinsecè conuenit materiæ esse potentiam, quàm formæ esse actum: atqui forma essentialiter est actus: ergo materia essentialiter est potentia. Tertiò si potentia esset accidens materiæ, non posset ex materia & forma vnum per se fieri: ergo potentia non est accidens materiæ. Probatur assumptum, quia ideò ex materia & forma fit vnum per se, vt testatur Aristoteles 8. Metaph. cap. 6. tex. 15. quia ex potentia & actu sui generis, id-est, qui in genere etiam substantiæ sit, suopte ingenio existit vnum: ergo si potentia materiæ esset eius accidens, nullo modo materia & forma in vnius cumpositi naturam coalescerent. Atque hæc nostra assertio est tum aliorum complurium, tũ D. Thomæ 1. contra gent. c. 43. & in 1. sent. d. 3. q. 4. art. 1. Henrici Gandauensis, in sua summa art. 35. q. 8. Heruæi in tractatu de vnitate formarum q. 16. & AEgidij hoc loco, à quibus non dissentit Auerroes cùm initio lib. de substantia orbis dicat materiam substantiari per posse, & potentiam esse differentiam essentialem materiæ.

Cur ex materia & forma fit per se vnum.

Vt Ferrariensis hoc in lib. q. 11. Soncinat. 8. Meta. q. 6. Capreoli in 1. d. 42. q. 1. ad argu. Aureoli contra 4. concl.

Materia auctore Auerroe substantiatur per posse. 3. conclu.

Tertia conclusio, Materia non est potentia actiua, seu principiũ actionis. Hæc ex superioribus colligitur, traditurque ab Aristotele lib. 1. de gener. cap. 7. tex. 55. & lib. 2. cap. 9. tex. 53. à Plotino cap. 18. lib. 7. Ennead. 3. ab Alcinoo lib. de doctr. Platonis c. 11. à D. Aug. in lib. de natura boni cap. 18. vbi docet materiam primam syluam dici, quòd operantibus apta sit, non vt aliqua ipsa faciat; sed vnde aliquid fiat. Potest autem huiusce assertionis veritas ostendi; primùm, quia actio cùm sit actus agentis, & quidem secundus, non nisi ab actu primo oritur: materia autem non actus est, sed potentia.

Materia cur sylua appelletur.

Prima ratio ad probandã concl.

An materia sit actiua disputat AEgidius quodl. 2. q. 12.

Secunda.

Secundò quia si materia esset agendi principiũ, sequeretur quæcunque eâdem specie materia constant eandem agendi vim habere, sicq; res quæuis sublunaris quanlibet rem sublunarem gigneret; è vt in primo sui poematis libro Lucretius canit, ex omnibus rebus omne genus nasci posset, nil semine egeret, è mare primũ homines è terra posset oriri scamigerum genus & cæt. Quod si quis dicat actionum varietatẽ esse à formis, sed ita vt simul cũ illis materia operis; is neutiquam satisfaciet; nam cum materia non sit actus, vti diximus, neque actum includat, proindeque nullam habeat actiuitatem; consequens est, vt neque integrũ, nec partiale agendi principium sit. Adde cùm vniuersæ actiones agẽtium naturalium ab eorum formis, vt à principio actiuo, elici queant, minimè fuisse conueniens, vt auctor naturæ eam agendi vim materiæ communicaret.

Lucretius.

Prꝙoccupatio

ARTICVLVS II.

ARGVMENTA, QVIBVS probari videtur materiam non esse puram potentiam.

Ma-

MAnichæi teſte D. Auguſtino in lib. de natura boni c. 18. vt erant innumeris erroribus implicati aſſeruerunt materiam eſſe corporum omnium formatricem. Alij (quorum meminit D. Thomas 1. part. q. 3. art. 8. & M. Albertus hoc loco tract. 3. Almariani. cap. 13. & lib. 6. Ethic. tract. 2. cap. 14.) ſuſcepto cum Manichæis in ſaniæ certamine, eo prolapſi ſunt, vt dixerint materiam non ſolũ non eſſe purã potentiam; ſed eſſe ipſum purũ actum, hoc eſt, Deum. Vtriq; ſanè indigni quorum nomen in Philoſophorum ſcholis audiatur, quos tam ſtulta & impia perſuaſio procul à veritate, pietateque diſiunxit. His ergo reiectis erit fortaſſe, qui ſuadere contendat materiam non eſſe puram potentiam, imprimis hoc modo. Materia non eſt potentia; ergo nec pura potentia. Probatur aſſumptũ. Materia in ſe eſt actu ens: ergo bonũ quid, ac perfectum; omnis autem perfectio actus eſt: ergo materia non eſt potentia, ſed actus. Deinde potentia, quam res habet ad aliquid obtinendum, eo adepto cõfeſtim eſſe deſinit, alioqui ſimul res exiſteret in potentia, & actu: ergo ſi materia eſt ipſa met potentia ad formam; vtique acceſſu formæ in nihilum abibit; quod eſt apertè falſum. Item quantitas dicitur à Philoſophis ſequi materiam: hoc autem non ab aliam cauſſam dictũ videtur, niſi quia quantitas fluit à materia; at huiusmodi fluxus actiuitatem ſupponit, & actiuitas nõ niſi ab actu eſt: igitur materia non eſt dicenda pura potẽtia, ſed potiùs actus. Præterea materia eſt aliquid re & eſſentia à forma diſtinctum: quidquid autẽ ab alio diſtinguitur, actum includit; ſiquidem actus eſt, qui ſeparat, vt eſt apud Ariſto. 7. Metaph. cap. 13. tex. 49. ergo materia includit aliquem actum, & ex conſequenti non eſt nuda potentia. Hûc etiam pertinet quòd materia cœleſtis, & ſublunaris continentur ſub materia in commune ſumpta, vt ſpecies ſub genere: omnis verò ſpecies per aliquam differentiam conſtituitur; & omnis differentia eſt forma, & actus, vt docuit Porphyrius cap. de differentia. Quare non videtur negandum in eſſentia materiæ aliquem includi actũ, proindeque eam non eſſe puram potentiam.

In ſana dogmata quorundã de materia.

1. argu.

2. argu.

3. argu.

4. argu.

5. argu.

ARTICVLVS III.

SVPERIORVM argumentorum dilutio.

HAEc tamen argumenta noſtram aſſertionem minimè euertũt, poſſuntque facili negotio explicari. Ac quod ad primũ ſpectat, Manichæi (qui, vt D. Aug. 2. lib. retract. ait, multa bona poſuerunt in natura mali, & multa mala in natura boni) materiam non bonum, ſed malum quid eſſe exiſtimarunt; quos planè confutat illud ſacræ paginæ teſtimonium c. 1. Geneſeos, vidit Deus cũcta, quæ

Soltio primi arg.

quæ fecerat & erant valde bona. Eũdemque errorem pluribus verbis insectatur, & conuincit D. Damascenus in dialogo aduersus Manichæos, & D. Augustinus lib. de natura boni superiùs citato. Asserendum igitur materiam bonum quid esse, quatenus recipiẽdis formis conueniens est, ac suo etiam modo pulchrum; prout rerum speciem componendo vniuersitatis ornatum auget, vt D. Dionysius 4. cap. de diuinis non. docet; Itemque perfectum, non absolutè, sed in suo genere; siquidem ei ad rationem perfectæ potentiæ passiuæ nihil deest; & vnumquodq; perfectũ dicitur, cũ est in debito statu sui esse, vt rectè ait M. Albertus in lib. de quator coæuis q. 2. a. 1.

Etiam materię suæ inest pluchritudo & perfectio.

D. hac re fusius D. Tho. 3. contra gẽt. c. 7.

Sol. 2. Secundum argumentum falsum assumit; non enim qui potentiã ad cursum habet, cùm init cursum potentia deficitur, sicuti neque tantum cùm actus est, potentia est; vt aiebant nonnulli, quos Aristoteles 9. Metaph. c. 3. tex. 5. impugnat. Illud tamen inficiandum non est receptricem potentiam, qualis est potentia materiæ, præsente actu, priuationem eius actus abijcere: cum fieri nequeat vt potẽtia actum simul, eiusque priuationem in se habeat; tametsi nihil vetet inesse simul eidem potentiam, hoc est, inclinationem ad actum, & actum ipsum.

Nihil est simul in actu & potẽtia habente priuationẽ actus.

Sol. 3. Tertium solues, negando iccirco quantitatem dici à Philosophis sequi materiam, quòd ab ea fluat; re enim vera non fluit nisi à composito interuentu formæ: sequi verò materiam dicitur ob eas caussas, quæ à nobis in disputatione de maximo & minimo explicatæ sunt.

Sol. 4. Quarti argumẽti maiorem propositionem negat Aureolus apud Gregorium in 2. d. 12. q. 1. art. 2. & alij, quos Scotus refert ibidem q. 1. asserẽtes materiam non distingui à forma; sed non rectè negãt. Nam si materia, & forma essent vna eademque res; sequeretur nullã esse substantiã physicam verè, ac realiter compositam; cùm partes, quæ aliquod totũ re ipsa constituunt, inter se re ipsa distingui oporteat. Item sequeretur tolli funditus rerum generationem; cùm in omnigeneratione præiacere debeat materia, cui forma recens adueniat. Admissa igitur maiori propositione, explicanda est minor, dicendumque actum esse, qui separat, idest, qui facit res inter se differre: at materiam primam, & formam non differre inter se, siquidem in nulla vniuoca natura conueniunt, quod in ijs, quæ propriè differũt, exigitur; sed esse primò diuersa, quo modo se se habent suprema genera. Vel dicendum actum esse, qui separat, aut intrinsecùs, quo modo homo, & equus distinguuntur per formas, quas in sua essentia includunt: aut extrinsecùs, quo pacto distinguitur materia à forma, quam vti suum actum relatione transcendenti respicit.

Eos impugnant ibidẽ Scot. & Greg. item Gabr. & Basolius, præterea Soncz. 7. Metaph. q. 19. Dionys. Carth. in 2. d. 12. q. 6. Alensis 8. Metaph. ad tex. 4.

Materiam distingui re ipsa à forma.

Actum esse qui separat quo pacto intelligẽdum.

Ad quintum respondendum est materiam sublunarem, & cælestem constitui differentijs, quæ formæ quidem sunt, & actus metaphysici: sed istiusmodi actus non adimere rationem potentiæ, cùm ipsi consistant in potentialitate, & ordine ad formam; atque adeò potentiæ quædam sint.

QVAE-

QVÆSTIO IIII.

VTRVM MATERIA formam appetat?

ARTICVLVS I.

CONCLVDITVR pars affirmatiua.

INter omnes pene Philosophos, qui materiæ intelligentiam assecuti fuere, constat ingenitum esse materiæ appetitum formæ, quod Aristoteles tum alijs in locis docuit, tum hoc in libro cap. 9. tex. 81. aiens formam expeti à materia, vt pulchrum à turpi. Id verò vt planiùs intelligas aduerte ex disciplina Platonis in Hippia Maiori, & in Phædro, pulchritudinem, quod ad rem præsentem attinet, nihil esse aliud, quàm splendorem quendam rei, qui visu perceptus animum allicit. Quoniam verò materia, vt est nuda potentia, ita nullum efficienter progignit accidens, quo se spectandam præbeat; necessariò fit, vt ex se pulchritudine illa careat, ac turpis sit. Vnde eam nonnulli in diuinis literis cap. 1. Genes. per terram inanem, idest, omni specie carentem, adumbratam putant. Deinde cùm forma colores, cæteraq; ad decorem pertinentia secum inuehat, ortum quoque inde est, vt materia ornatum ab illa mutuetur, eamq; propterea expetat, vt natiuam nuditatem & informitatem quodammodo occultet, eiusque pulchritudinem, quasi suam, præ se ferat; vt enim Plato loco proximè citato ait, sola pulchritudo eã sortem accepit, vt maximè omnium amabilis sit. Sed ob id etiam, & multò magis, materia formam appetit, vt beneficio illius, quæ, vt idé Plato in Timæo scripsit, participata quædam est diuinæ naturæ similitudo, ad actum primum substantialem, idest, Deum, à quo longissimè abest, aliquantulùm accedat; quod materia tunc obtinet, cùm à forma perficitur, eiusq; merito ad certam aliquam entis naturalis speciem vocatur.

De amore inter formã & materiã Plato in sympo sio, Themistius hoc loco ad tex. 81.

Pulchritudo quid sit.

Cur materia expetit formam.

Alia ratio, obquam materia formã appetit.

Est autẽ hic materiæ appetitus, vt D. Thomas quæstione 4. de pot. art. 1. & hoc in lib. ad tex. 81. ait, nihil aliud, quàm eiusdẽ materiæ ad recipiendã formã inclinatio, quæ ipsi materiæ penitus insita est, sicuti & cæteris rebus ad proprium finem perfectionemq; sectãdam, pro cuiusq; natura, suæ propensiones insunt. Licet verò hic appetitus vnus idemq; sit, nec à materia distinguatur, vt sentit D. Thomas 1. p. q. 59. art. 2. & Scotus in 2. d. 3. q. 5. tamen respectu formæ, quam nondum possidet, dicitur appetitus desiderij; respectu cius, qua fruitur, appetitus complacentiæ nuncũpatur.

Appetitus materiæ quidnam sit.

Appetitus materiæ bifariam distinctus.

ARTICVLVS II.

REFELLITVR OPINIO Auicennæ negantis conuenire materiæ appetitum formæ.

Inter Auerroem & Auicennam diſsidia vnde.

AVicenna tamen, qui multis in rebus Ariſtotelis Philoſophiam interpellauit, vnde ei magna fuere cum Auerroe diſsidia, hunc appetitum neutiquam in materiam competere exiſtimat primo ſufficientiæ cap. 2. Nam vel materia, inquit, formas appeteret, quia illis omnino caret, quod falſum eſt, cum materia ſine forma non ſit; vel quia plures ſimul habere optat, quod etiam à vero abeſt; cũ materia non appetat id, quod obtinere non poteſt; vel quia earum, quas actu habet, ſatietate afficitur; quod non minus eſt abſurdũ, & à materiæ ſimplicitate alienum. Nullo igitur pacto materia formã expetit. Huius tamen argumenti facilis eſt dilutio. Dicendum namq; eſt materiam appetere abſolutè omnes formas, quas habere poteſt, ſiue illas actu poſsideat, ſiue non: ſiquidem hic appetitus nihil eſt aliud, quàm ordo & inclinatio ad formã; materia autem ad omnes formas æqua ratione inclinatur, ac refertur. Itaq; Auicennæ ratio falſum aſſumit: Aliunde enim materiæ appetitum rimari debuit, vtpote ex ipſius inclinatione, quã ad omnes formas indiſcriminatim habet.

Ratio Auicennę.

Solutio.

Cur materia formarũ deſiderio teneatur.

Sed cur materia, dum vnã actu formam cohibet, præſertim ſi ea forma humana ſit, qua nullam ſuſcipere nobiliorem poteſt, aliam nihilo minùs deſideret? Videlicet quia nulla eius appetitum extenſiuè ſatiat, vt probè ait Scotus in 1. d. 1. q. 1. Item quia quantũuis perfecta ſit ea forma, quam actu poſsidet, niſi alias etiam ſine diſcrimine appeteret, ad eaſque recipiendas apta eſſet, nequaquam vnius corruptio in alterius generationem euaderet; atque ita (ſuppoſito contrariarum qualitatum incurſu, qui omnibus formis ſublunarib⁹ abſceſſum molitur) rerum intereuntium ſpecies penitus occiderẽt.

Quamobrẽ materia dicatur cauſa cõſeruationis rerum.

Ob hãc igitur cauſã Ariſtoteles 2. de gen. c. 9. tex. 51. & 1. Oecon. cap. 3. cenſet materiam cauſam eſſe conſeruationis rerum; quatenus videlicet inductione recentium formarum, quas & appetendo recipit, & recipiendo expetit, ſublunarium rerum vniuerſitas cõtinuata perennique ſerie ſubſiſtit; atque ita res naturales immortalitatem æmulantur, & ad imaginem opificis ſui ſe componunt, quoad poſſunt. Sed eadem quoque materia teſte Ariſtotele 9. Metaph. cap. 9. tex. 17. rerũ interitus cauſa habetur; vnde & 7. eiuſdem operis libro cap. 7. tex. 22. principium non eſſendi dicitur; quia dum qualitates priorum formarum expultrices admittit, compoſito interitũ machinatur.

Cur eadem interitus cauſa perhibeatur.

Cur materia potius, quàm formę, ratio corruptibilitatis aſcribatur lege apud Sonc. lib. 9. Metaph. q. 9.

Quęrat tamẽ aliquis an vt materia formã, ita forma materiã appetat?

Cui

Cui dubitationi respondendum est, cùm appetitus, prout hoc loco à nobis sumitur, non sit aliud, quam inclinatio; & forma ad materiã, vt ad suam potentiam, cum qua compositum condit, naturaliter inclinetur; haud dubiè etiam formam habere appetitum materiæ; dici tamen peculiari ratione materiam appetere formam, propterea quòd hæc illam actuat, & perficit, atq; illius finis est. Responsio.

QVÆSTIO V.

VTRVM MATERIA AD compositi naturalis essentiam pertineat, an non?

ARTICVLVS I.

QVÆ ARGVMENTA PRObare videantur non pertinere.

Væstio hęc non parũ inter Philosophos dubia extitit. Vt enim antiquiores Physicos omittamus, qui solã materiam totam rei quidditatem esse iudicabãt, inter Peripateticos etiã cõtrouersa est. Auerroes 7. Metaph. com. 21. & 34. licet fateatur materiã substantię compositi naturalis partem esse, si substantię nomen constitutum ex materia & forma significet; negat tamen materiam partem esse quidditatis, seu essentiæ. Cui si obijcias materiam poni à Philosophis in essentiali rerum physicarum definitione; respondet illam non merito sui, sed tanquam vehiculum quidditatis in definitionem venire. Eandem sententiam amplexus est Iandunus 7. Metaph. lib. q. 12. & alij, quibus fauet Alexander Aphrodisiẽsis 2. Metaph. tex. 12. & Themistius 3. de anima tex. 9. & 38. sunt autẽ pro illa hæc potissimũ argumẽta. Homo, vt est tritũ Peripateticę doctrinę axioma, essẽtia distinguitur ab equo: perspicuum est autem non distingui per materiam, quæ in omnibus rebus sublunaribus vna specie est: ergo per solam formã; proindeq; nomine essentiæ forma duntaxat intelligitur. Huc pertinet quòd Aristoteles 2. libro huius operis cap. 3. tex. 28. alijsq; in locis formam appellat, ipsum quid est, seu rationẽ quidditatis, quibus verbis quidditatem in sola forma ponere videtur. Negatiuę partis defensor Auerroes. 1. argu.

Secũdò, sicut se habet materia secũdaria ad artefacta, ita materia 2. argu.

primæ ad res naturales: sed materia secundaria vt lignum, aut æs nõ cõstituit essentiã artefactorũ: neq; enim substantia in accidentiũ quidditate cõtineri potest: artefacta autem, qua talia, id est, ex sua forma, sunt accidentia. Ergo neque materia prima naturalium rerũ essentiam constituet.

3. argu. Tertiò, Vermis, qui ex speciebus sacræ Eucharistiæ nonnũquam gignitur, haud dubiè ens naturale est; & tamen non constat ex materia; cùm materia panis post consecrationem euanescat, atque ita generationi vermis nulla subsit materia: non igitur omne ens naturale ex materia constat. Ex quo sequitur materiam non pertinere ad essentiam entis naturalis.

4. argu. Quartò, si materia in essẽtia Socratis v. g. contineretur, hæc singularis materia esset de illius essentia, quod falsum esse probatur. Primò quia materia Socratis actione caloris humidum depascentis perpetuò dilabitur: at rei essentiam fixam esse stabilemque oportet. Deinde quia cùm intereunte Socrate forma cadaueris in eius materiam succedat, sequeretur eandem materiam singularem ad diuersorum essentiam, videlicet Socratis, & cadaueris pertinere: quod videtur absurdum. Item quia si hæc singularis materia esset de huius hominis essentia, non posset idem homo in corporum resurrectione ad vitam reuocari, nisi idem corpus assumeret; quod tamen videtur falsum, cùm eadẽ materia, saltem partiatim, ad multos attinere possit, vt patet in ijs, qui humanis carnibus vescuntur, quarum materiã sibi copulant.

ARTICVLVS II.

EXPLICATIO totius controuersiæ.

1. concl. PRoposita quæstio tribus conclusionibus enodanda est. Prima sit. Negari non debet materiam esse partem essentiæ compositi naturalis.

Eiꝰ auctores. Hęc conclusio est Boetij in libro de duabus naturis & vna persona Christi, est Auicennæ 5. Metaph. c. 4. Alexandri Alẽsis 3. p. q. 6. D. Thomæ 1. p. q. 75. art. 4. & 1. contra gentes cap. 21. Scoti in 3. d. 22. q. vnica, Durandi in 4. d. 44. q. 1. & aliorũ.

1. ratio. Probatur primò, homo, verbi gratia, ex sua essentia est ens naturale; siquidem continetur in categoria substantiæ sub corpore, quod idẽ esse atque ens naturale alibi docuimus: atqui ens naturale est totum physicum, cuius essentia ex partibus constat, non alijs, quàm ex materia & forma: igitur non forma dũtaxat, sed materia etiam in hominis, ac proinde in cæterorũ entiũ naturaliũ quidditate includitur. In proœm. huius op. q. 4. art. 1.

2. ratio. Secundò, si tota essentia hominis v. g. in sola forma consisteret, vtique homo esset sola anima rationalis; quod falsum est. Primùm quia

quia sequeretur animã esse ens per se vnum & completum; cùm negari non possit hominis naturam esse vnũquid perfectum: atque ita ex corpore & anima non fieret vnum per se. Secundò quia cùm anima rationalis interitu vacet, absolutè censendum foret hominẽ esse immortalem, quod nemo dixerit. Accedit auctoritas D. Augustini lib. 19. de ciuitate Dei cap. 3. vbi Varronem commendat, quod hominem nec animam solum, nec solum corpus, sed vtrũque esse statuerit; & 3. eiusdem operis lib. cap. vlt. vbi docet animam non totũ esse hominem; sed meliorem eius partem; quod item asserit D. Damascenus lib. 3. fid. orth. cap. 3. aduersus Platonem. Idemque cõfirmat illud in symbolo Athanasij, anima rationalis, & caro vnus est homo.

Ab auctoritate patrum. August. Damasc. Symbo. Athanas.

Secunda conclusio sit. Materia singularis includitur in essentia cuiusque compositi physici singularis. Hæc est Philosophorum cõmunis, quam asserit D. Thomas 1. p. q. 11. art. 1. & 2. contra gentes c. 81. & in 4. d. 44. q. 1. art. 1. & ibidem Capreolus, Caietanus ad 2. caput libri de ente & essentia, Heruæus in tract. de vnitate formarum. Probatur autem hunc in modum. Quemadmodum se habet homo in commune ad communem materiam; ita Socrates ad materiam singularem: sed communis materia includitur in essentia hominis in cõmune sumpti: ergo & materia singularis in essẽtia Socratis. Secundò idem ex eo confirmatur, quia si quidditas Socratis in sola anima rationali consisteret; sane cùm hominis in commune spectati essentia ex anima rationali & materia constet, non posset homo de Socrate secundum essentiam verè affirmari; neque esset idem re cũ illo. Enim verò differẽtia singularis Socratis nihil tunc cõmuni hominis naturæ adderet præter differentiam singularem huius animæ rationalis. Quare differentia singularis Socratis esset idem re cum anima, & distingueretur re ab homine sicut anima ipsa, ac, quod inde fit, homo per contractionem & coniunctionem cum Socreitate nequiret in naturam vnam coire cum Socrate, nec de eo secundum essentiam verè affirmari.

2. concl. Probatio secundę cõclusionis. Confirmatio eiusdem.

Tertia conclusio sit. Materia singularis, quæ in cuiusque indiuidui essentia continetur, non est indeterminata & vaga, sed certa & vna atq; eadẽ, saltẽ continuatione. Huiusce cõclusionis priorẽ partem, quæ asserit materiam rei singularis debere certam esse & definitam, approbat etiam communis Philosophorum cõsensus eandemq; ea ratio persuadet, quia definitæ & determinatæ rei, qualis est v. g. Socrates, certam ac definitam quidditatem esse oportet: rei autem singularis quidditas non in sola forma, sed in materia etiam consistit, vt ex superioribus patet. Potest quoq; idem ex eo stabiliri, quia ad astruendam, quam fides docet, resurrectionis veritatem, fatendum est nostros animos ad eadem corpora redituros esse; nimirum quia non diceretur idem homo ad vitam excitari, nisi ex eodem corpore reuiuisceret. Quare negari non potest ad vnitatem essentiæ cuiusq; homi-

3. concl. Probatur. Stabilitur. Nostri animi in resurrectione ad eadem corpora redituri.

hominis certæ ac definitæ materiæ vnitatem requiri.

Opinio Durandi.

Durandus tamen in.4.d.44.q.1. contendit ad essentiam Socratis non magis hanc, quàm illam materiam pertinere. Putat enim materiam, eo quod pura potentia sit, nullam ex se vnitatem, aut diuersitatem obtinere, sed eam à forma accipere: atq; adeo si Socratis animus, relicta materia, quam prius informarat, Platonis materiam subeat; hanc & illam materiam vnam simpliciter, atque eandem censendam esse; eundemque omnino Socratem, ac si priori sua materia constaret. Sed non rectè philosophatur. Etenim vnicuiq; materiæ

Refellitur. Materiæ duplex vnitas.

singulari duplex vnitas conuenit; vna propria atque intrinseca, altera aduentitia & externa. Propria est, quam materia sibi ex se se vendicat, in eo etiam naturæ momento, quo formam antecedit. Nãque vt materia est quid re ipsa differens à forma; ita suam habet, sibique propriam vnitatem: siquidem ens & vnũ inter se reciprocantur. Nec propterea quod materia sit pura potentia, hac vnitate carere debet, quæ tam puræ potentiæ, quam actui communis est. Vnitas aduentitia materiæ ea dicitur, quæ ipsi ex formis quas induit, aduenire cõsueuit. Sicut enim cùm ab illis informatur, & perficitur, aliquod ab eis esse mutuatur; ita & aliquam vnitatem. Est autem inter huiusmodi vnitates magnum discrimem. Nam prior quemadmodum materiæ intrinseca est; ita eam reddit simpliciter vnam: posterior verò, vt est aduentitia, ita eam non nisi ex parte, siue aliquo modo vnam efficit. Item prior sicuti essentiam materiæ comitatur, ita stabilis est, ac semper eadem: at secunda, quia extrinsecùs aduenit, nempe à formis, ex earum diuersitate, varia & lubrica est. Durandus igitur quia priorem illam materiæ vnitatem non vidit, putauit solam formam vnitatem, identitatemq; materiæ præstare: atque ita vbi datur eadem forma, eandem necessariò dari materiam: quod est omnino à veritate alienum: cum quælibet materia singularis, vt est vna intrinsecè, ita sit discreta & diuisa ab alia secundum substantiam, & essentiam singularem: alioqui non possent materia Socratis & Platonis ab se diuisæ diuina virtute conseruari separatæ à formis. Quod falsum esse ostendemus in ea, quæ proximè sequitur, quæstione.

Discrimen inter prædictas vnitates.

Declaratur altera pars conclusionis.

Quod ad aliam conclusionis partem attinet, qua asseruimus non oportere vt materia ad rei singularis essentiam pertinens, simpliciter, atque omnimodis semper eadem maneat, sed vt saltem continuatione vna sit; id propterea adiecimus, quia plurima sunt rerum physicarum indiuidua, quorum materia quoad omnes partes fixa & stabilis non est; cùm aliæ continenter dilabantur, aliæ succedant, vt in homine, cæterisque rebus animatis patet. Sed nobis hac in re aduersatur Magister sententiarum, qui in.2.d.30. ad eam sententiam deflexit, vt crederet illam duntaxat materiam, quam quisque humido primigenio affusam à parentibus accepit, ad singulorum hominum essentiam pertinere, eamque toto vitæ decursu integram perseuerare, nec ipsi partem vllam aduenientis materiæ inhærescere. Quam

Opinio Magistri.

Nõ probatur

opinio-

opinionem refellendi in 1. libro de ortu & interitu, vbi de nutritione disputari cõsueuit, commodior est locus. Nunc illud statuimus, materiam Socratis, verbi gratia, tam illam, quam à progenitoribus accepit, quàm quæ ipsi per nutritionẽ agglutinata est, ad eius essentiam, vt ipsius partem physicam spectare: neque toto vitę cursu omnino vnam eandemque permanere, sed vnam duntaxat cõtinuatione; quia nimirum Socrates continuo successu partes alias acquirit, alias abijcit, neque vnam nouam materiã de integro assumit; si enim assumeret, cùm illa non posset non esse simpliciter diuersa, iam desineret, qui erat, esse Socrates. Lege quæ de hac re scripsit D. Thomas 1.p.q.119.art.1. Caiet. ibidem, & Ochamus in 4.q.11.

Quæ materia pertineat ad essentiam Socratis.

ARTICVLVS III.

SOLVVNTVR ARGVMENTA primi articuli.

ARgumenta verò initio quæstionis proposita non concludũt. Quare ad primum dicendum erit hominem dici essentia distingui à leone; quia differt ab illo specifica differentia, quæ licet à materia suo modo sumatur, principaliter tamen ducitur à forma. Quod etiam in caussa est, vt forma dicatur ab Aristotele ratio quiditatis, Et (vt quidam interpretantur) cur anima à Platone homo appelletur, nimirum quia melior pars essentiæ in ea consistit.

Forma cur ratio quiddi tatis ab Aristotele dicatur.

Ad 2. Bifariam responderi solet. D. Thomas primo de interpretatione, alijsque nonnulli censent artefacta, vt statuam, primò ac per se formam duntaxat importare; materiam verò non nisi secundaria ratione, & tanquam vehiculum, siue subiectum formæ; quod videtur etiam placuisse M. Alberto 2. huius operis tract. 1. cap. 2. Hi ad argumentum negabunt maiorem propositionem, dicentq; entia naturalia, propterea quod materiam & formam ex æquo inuehant, includere materiam in sua essentia; non verò artefacta, eo quod nõ eodem modo se habeant. Alij putant artefacta tam formam arte inductam, quàm materiam secundariam, veluti aurum aut æs, ex quo statua, verbi gratia, fit, ex æquo significare; atque adeò omnia artefacta esse composita per accidens. Hi concessa maiori propositione, minorem negabunt. Enim verò licet substantia in essentia accidentis contineri nequeat; nihil tamen obstat quominus contineri possit in essentia eius, quod ex accidente & substantia, accidentaria compositione coalescit, cuiusmodi sunt artefacta. Hæc posterior sententia verisimilior est, videturq; Aristotelis. 3. huius operis cap. 7. tex. 66. vbi docet subiectum, ex quo artefacta constant, esse eorum partem, non secus ac materia cuiusque rei naturalis est pars totius. Quod nequaquam asseruisset si res artefactæ subiecta cõnotarent; nemo enim

Materia an sit de quiddi tate artefactorum.

Affirmatiua pars probabilior.

lege Fonsecam. 5. Metaph. cap. 7. q. 5. sect. 4.

Cygnum

Cygnum partem albi rectè dixerit. Accedit communis conceptio, qua cùm artefacti alicuius, vt domus, nomen audimus; non magis formam, quàm materiam apprehendimus.

Tertium argumentum attingit difficultatem de cõstitutione vermis enati ex speciebus sacræ Euchariſtiæ, quam controuersiam pertractat D. Thomas 3. p. q. 77. ar. 5. Aegidius theoremate. 44. &. 45. Durandus in. 4. d. 12. q. 2. ar. 2. Scotus q. vlt. & alij. Dicendum tamen breuiter est, in eo euentu receptis primùm in quantitate dispositionibus ad formam vermis, ipso generationis momento subijci à Deo materiam, vel denuò creatam, vel aliũde ascitam, vel potius eandem met, quæ euanuerat, reproductam; ex qua simul cum forma, vermis componatur. Innocentius lib. 4. de offic. missę c. 11. Caproolus in. 4. d. 12. q. vnica arti. 3. Rich. art. 2. q. 2. Gabriel lect. 45. in Canonem.

Ad. 4. Concesso priori pronuntiato, ad primam eius impugnationem dicendum erit tametsi materia Socratis perpetuò dilabatur, esse tamen vnam continuatione, sicuti consueuimus dicere eandem flãmam, quæ lignis subinde appositis, atq; absumptis continenter alitur. Ad secundam verò non esse absurdum eandem singularem materiam, cùm suapte natura sit commune formarum subiectum, in essentia diuersorum includi, quatenus nũc hoc, nunc illũd, pro formarum sibi succedentium varietate, componit.

Quo pacto materia Socratis perseueret vna.

Ad. 3. Fatendum est haud posse verè eundem hominem ad vitam reuocari, nisi reddito sibi, quo vixit, corpore. Quod si eadem pars materiæ ad multos pertinuerit futurum, quod D. Augustinus. 22. de ciuit. cap. 20. docet, vt illi reddatur, in quo esse primò cœpit. Nam ab illo, inquit, tanquã mutuò accepta deputari debet, quæ sicut æs alienum redhibẽda est vnde sumpta fuit. Deus verò id supplebit in alio, vel aliunde, vel ex partibus, quæ per nutritionem defluxere. Adde etiam, vt idem homo reuiuiscere censeatur, non oportere, vt quidquid in eo materiæ fuit, atque idem omnino corpus quoad omnes partes resurgat: quemadmodum neque vt idem Socrates viuere dicatur, necessũ est, vt ex ijsdem partibus nulla mutatione variatis constet: alioqui non idem homo esset Socrates puer, & ætate adultus.

Resurrectionis beneficio ad vitam redeuntibus vt eadem materia reddenda

De infantũ corporibus in resurrectione.

Quod attinet ad eos, qui infantes obiere, cùm in iuuenili ætate, congrua corporis magnitudine, vitæ reddendi sint; aliunde eis compensandum erit, quod ad idoneam quantitatem desiderabitur, vt D. Augustinus in Enchir. cap. 85. & 22. de ciuit. cap. 14. ait. Siquis verò obijciat hisce infantibus denuò conferendam septuplo v. g. ampliorem materiam quàm ipsi habuerint: & cùm tam insigni diuersitate materiæ seruandam identitatem rei singularis, proindeque non videri materiam ad singularum rerum essentiam spectare. Occurrit Sotus in. 4. d. 44. art. 2. eiusmodi materiam præstandam à Deo quodammodo supplente, in eo naturæ defectu, vim nutrientis facultatis, cuius ministerio quantalibet materia eis accreuisset, singularis naturæ identitatem seruasset. Reliqua ad huius dubij explicationem spectantia persequitur D. Thomas. 4. lib. contra gentes cap. 81. & in 4. sent.

Obiectio.

Responsio.

4. sent. d. 44. q. 1. art. 2. *in* responsione ad quæstiunculam quartam, D. Bonauẽtura eadem d. art. 2. q. 1. Scotus item q. 1. Capreolus quæst. 1. art. 3.

QVÆSTIO VI.

VTRVM NE MATERIA DIVINA virtute absque omni forma substantiali cohærere possit, an non?

ARTICVLVS I.

QVÆSTIONIS IN VTRANque partem disputatio.

EXtra totius creatæ naturæ facultatem esse, vt materia sine omni forma relinquatur, indicat tũ ipsa ratio materiæ, quæ est pura potentia, & ab actu formæ, vt eius adminiculo existat, physica saltem necessitate dependet; tum decretum naturæ, quæ nihil otiosũ patitur, esset verò otiosa materia absque forma, cùm per se nullam operationem sustinere queat; tum postremo id quoque suadet institutum agentium naturalium, quæ per se in generatione rerum nullius interitum (vtpote naturæ malum) sed nouæ formæ inductionem, spectant. Cæterùm illud est inter Peripateticos valde controuersum, possit ne materia diuinitus absque omni forma consistere.

Cur māteria viribus naturæ non possit existere sine forma.

In hac igitur quæstione negãtem partem defendit Hugo Victorius lib. 1. de Sacramentis p. 1. cap. 4. Magister sent. in 2. d. 12. cap. 5. D. Thomas in quæstionibus de pot. q. 4. art. 1. in 1. p. q. 66. art. 1. & quodl. 3. art. 1. D. Bonauentura in 2. d. 12. q. 1. Durandus ibidem quæst. 2. Capreolus d. 13. q. vnica, Caiet. ad 5. cap. libri de ente & essentia q. 8. AEgidius lib. 1. Hexam. c. 1. Heruæus quodl. 6. q. 1. alijque permulti. Præcipuæ verò rationes pro hac sententia hæ ferme sunt. Materia secundum se est pura potentia; actus autẽ illius est forma substãtialis; ergo si materia esset actu sine omni forma substantiali, esset actu sine actu, quod contradictionem inuoluit. Illustraturque magis eadem ratio hunc in modum. Esse accidẽtarium absque accidẽtaria forma cohærere non potest, vt candidum sine candore: ergo nec substantiale esse absque forma substantiali, cùm eadem sit vtriusque ratio: atqui esse materiæ est esse substantiale: non igitur sine substantiali forma manere poterit:

Assentòres negat part. propositę contr.

1. ratio.

Arg. in 2. d. 12. q. vnica, Ferrar. ad c. 4. lib. 2. cõtra gent. Iandunus q. 16. huius lib. Zimara theor. 15. Achillinus 1. de elementis c. 7. Alfonsus Tol. 2. de an. q. 1 art. 1.

2. ratio. Secunda, Materia omnẽ actum existentiæ mutuatur à forma: ergo nõ potest sine existẽtia formæ cohærere. Probatur assũptũ quia vt se habet actus purus ad potentialitatẽ; ita pura potentia ad actũ: ergo sicuti actus purus nullam habet potentialitatem; ita pura potentia nullum habet actum, proindeque omni actu existentiæ caret.

3. ratio. Tertia, Omne indiuiduum directo, vel reductitiè sub aliquo certo genere contentũ, directò etiam vel reductitiè alicui infimæ speciei illius generis subiacet; alioqui immediatè subesset generi, quod fieri nequit: atqui materia singularis, si absq; forma substantiali cohæreret, reductitiè contineretur sub corpore in categoria substantiæ; quia spectaret ad illud tanquam eius pars, & tamen nulli infimæ speciei illius generis subesset; nec enim ad hominem, vel equũ, aliamve speciem pertineret: nulla igitur ratione materia sine forma esse potest.

4. ratio. Quarta, Natura hominis in communenon potest esse extra omnia singularia, nec natura singularis absque suppositο, vel suo, vel alieno supplente vicem proprij: ergo nec materia potest conseruari sine omni forma. Priorem partem antecedentis concedunt omnes Peripatetici; posteriorem melior Theologorum pars: cõsecutio ea ratione ostenditur; quia difficilius atque operosius habetur puram potentiam sine actu, quàm id, quod est ens in actu absque alio actu conseruare: at hominis natura, tam in commune, quàm in singulari spectata, est ens in actu, vtpote ex materia & forma consurgens. Lege D. Thomã 1. p. q. 84. ar. 7. Capr. in 1. d. 43. q. 1. ar. 2.

5. ratio. Vltima, Vnum relatum ex ijs, quæ secũdum esse dicuntur, non potest altero, ad quod refertur, extincto diuina potestate conseruari: ergo nec materia sine forma consecutio probatur, quia propterea relata secundum esse eo pacto se habent, quia secundum essentiam referuntur ad suos terminos; quod non minùs in materia respectu formæ conspicitur.

1. argum. pro cõtraria parte. Aduersam partem secutus est Henricus Gandauensis quodl. 1. q. 10. Scotus in 2. d. 12. q. 2. Richardus q. 4. Gabriel q. 1. art. 3. Gregorius ibid. q. 2. alijque non pauci, hisce argumentis. Omne absolutum ab altero item absoluto re ipsa distinctum, ac prius natura eo, potest diuinitus sine illo conseruari: nam quæ ita se habent non tam arctè sibi cohærent, quin citra contradictionem mutuò disiungi valeant: sed materia est quid absolutum (esse enim relatum transcendens non adimit entis absoluti rationem) & à forma re ipsa distinctum, vt est cõmunis Philosophorum sententia; itemque prius origine, quàm illa, vt docet Aristoteles hoc in libro c. 6. tex. 52. Potest igitur diuina potentia absque forma conseruari. Maironis in 2. d. 12. q. 2. Bassolius ibidem q. 1. ar. 3. Anton. Andr. in tract. de trib. principijs q. 2. de materia. Lich. ad locum Scot. citatũ. Trombetas. Metaph. q. 1. Saxonia, & Marsil. hoc loco.

2. argu. Deinde quidquid in rebus creatis fit interuentu causæ secundariæ ad essentiam rei nullo modo attinentis, potest Deus vi sua sine eiusmodi causa præstare: sed forma est causa secundaria conseruans materiam, & in eius essentiam non inclusa: ergo nihil obstabit quominùs materia sine forma diuinitus conseruetur.

Deniq;

Denique plus dependet à priori posterius; quã à posteriori prius: sed accidens est posterius substãtia; materia est prior forma; plus ergo dependet accidens à substantia, quàm materia à forma: atqui diuina virtute potest accidens sine substantia cohærere, vt patet in sacra Eucharistia: ergo & materia absque omni forma. 3.argu.

ARTICVLVS II.

ACCVRATIVS EXPLICATVR vtriusque opinionis fundamentum. Differitur de causa existentiæ. Statuitur materiam non capere existentiam à forma.

VT propositæ quæstionis difficultatem enodemus, vtriusque sententiæ fundamenta paulò explicatius proponenda sunt. Negatiuæ partis assertores opinionis suæ præsidium in hoc maximè collocant. Statuunt totam existentiæ originem è forma esse, ita nimirum vt sicuti vis intelligendi à forma humana; ita existentia à qualibet forma, quadam naturæ consecutione, oriatur, indeque in materiam & in totum subiectum deriuetur. Hoc autem ita se habere hisce rationibus videtur concludi. Existere substantialiter est nobilissimus effectus: cùm igitur omnis effectus suæ causę proportione respondeat; fatendum erit existentiam à nobilissima causa prouenire; hæc autem est forma: omnis ergo existentia à forma oritur. Nam quod existere præstantissimus sit effectus, ex eo ostẽditur, quia existere est quid maximè actuale, & præcipua quędam diuini esse participatio, vt testatur D. Dionysius 5. c. de diu. nomi. Quare & ipsã essentiã videtur nobilitate vincere. Quod verò forma inter cæteras causas emineat, inde liquet, quia potiorẽ quidditatis partem confert, & specificat, perficitque compositum: vnde & à Platone in Timæo diuina proles nuncupatur.

Secundò idem suadetur, quia si existere substanti aliter non proueniret à sola forma, sed materia à se ipsa existentiam haberet; multa absurda in Philosophia admittenda essent. Inprimis materiam nõ rectè dici prope nihil. Quis enim iure dixerit prope nihil id, quod ex se actum habet, & quidem præstantissimum, cuiusmodi est existentia? Deinde sequeretur formam non esse causam materiæ; iccirco enim forma causa meteriæ dicitur, quia tribuit illi esse. Quod si non præstat materiæ esse existentiæ, cùm ei esse essentiæ non cõferat, vt perspicuum est: vtique nullum iam esse relinquetur, quod ipsi exhibere possit, atque adeò causa illius non erit.

Huic etiã placito adstipulatur illud Boetij 1. de Tri. c. 3. & in opu.

Consule Auicennã in sua Metaph. tract. 2. c. 3. & 4. Capreolum in 1. d. 8. q. 1. art 3. Caieta. ad cap. 5. & 7. de ente & essentia. Hervęi in tract. de vnitate formarum q. 9. Zumaram in Theore. pp. 10.

Opinio existimantium totam existẽtiã esse à forma.

1.ratio.

D. Dionys.

Plat.

2.ratio.

Boetius.

de vnitate & vno, omne esse est à forma, & illud apud Peripateticos in primis celebre, existentia est vltima actualitas ōnis formę. Nō videtur igitur negandū omnem existentiā à forma proficisci. Quod cùm ita sit, vtique fateri iam oportebit non posse dari existentiam sine forma, alioqui daretur effectus formalis sine causa formali. Patet etiam nequire materiam existere sine forma, cùm sine existentia existere nihil possit. Atque hoc modo se se habet Thomisticæ opinionis fundamentum.

Aduersę opinionis fundamentum.

Cæterùm qui arbitrātur posse materiam diuina virtute sine omni forma consistere, alia via incedunt: persuasum habent existentiam non à sola forma prouenire; sed tam materiam, quàm cætera entia, vt vnumquodque ab alio distinguitur, ita aliquam sibi propriam existentiam vendicare. Id quod breuiter hunc in modum probari potest. Existentia cuiusque non distinguitur ab essentia, nisi vt modus rei à re: ergo vt vnūquodque essentiam ab alio distinctam habet; ita & distinctam sibique propriam existentiam. Assumptum alibi longiori disputatione stabiliendum erit: interim ex eo fidē habeat, quod siquis animū attēdat, planè inueniet inter essentiā & existētiā rei nec maiorē requiri, nec verò minorē sufficere distinctionē.

Existētia quo pacto distinguitur ab essentia.

Materia habet propriam existentiam.

Priuatim verò quòd materia propriam habeat existentiam, nec eam à forma mutuetur, hisce rationibus conuincitur. Vnaquæq; res tunc existentiam capit cùm in rerum natura producitur: sed materia producta est à Deo per creationem; formæ verò, rationali excepta, producuntur per generationem: non igitur materia eādem obtinet existentiam, quam forma. Secundò materia cùm sit formarum receptaculum prius natura existit, quàm singulæ formæ: non igitur à formis existentiam capit. Tertiò si existentia materiæ esset à forma; sequeretur toties materiam interire, quoties priorem formā abijcit, toties produci, quoties nouam recipit; quod nemo dixerit. Consecutio probatur, quia tunc res interit, cùm existentiā amittit, tunc producitur, cùm eā recipit. Quod si quis occurrat nō interire materiā amissa priori existentia, propterea quod eodem temporis momento aliā recuperet; is nequaquam argumēti vim effugiet. Nā cùm noua forma non eandem numero existētiam inferat, iā non eadem materia numero perseuerabit; atq; ita materia illa singularis interitum subibit; quod fieri non posse superiùs demonstrauimus.

præoccupatio.

Respondetur ad argumenta putantium omnem existentiam capi à forma.

Ad eas verò rationes, quibus probari videbatur omnem prorsus existentiā à forma oriri, ita respondendū erit. Ad primam quidem, existentiam esse nobilissimum omnium attributorum, quæ essentiam consequuntur; verum ipsum esse essentiæ simpliciter dignitate præstare, (etsi nonnulli contra opinētur, qui alibi à nobis impugnādi sunt) cuius quidem esse potiorem partem forma intimè confert ipsi composito; quod satis est, vt illa inter causas, saltem internas, principatum obtineat, vt probat argumentum.

Ad secundum negandū est sequi incōmoda illa, quę in argumēto colli-

colliguntur. Non enim sequitur primum; quia quãuis materia propriam habet existentiam, adhuc nihilominus pura potentia est, & in genere substantiæ prope nihil. Nec etiam secundum; quia licet forma non tribuat materiæ totam existentiam: adhuc tamen causa illius dicitur, quatenus eam informando actuat ac perficit: atque ita suum met esse substantiale extrinsecus illi confert, sicut & materia suum formis attribuit, eas excipiendo ac fouendo, vnde materia & forma sibi mutuò causæ esse dicuntur. Illud verò Boetij, Omne esse capitur à forma, intelligendum est de esse specifico ac perfecto, vt Scotus & Gregorius loco citato interpretãtur. Illud item peripateticum axioma, existentia est vltima actualitas omnis formæ, perinde accipiendum est, ac si diceretur vltimam actualitatem formæ (sicuti & aliarum rerum) esse ipsius existentiam, quod verissimum est; neque ijs, quæ à nobis dicta sunt, aduersatur.

Quo pacto existentia dicatur vltima actualitas formę.

ARTICVLVS III.

CONCLVDITVR PARS affirmatiua quæstionis.

HIS ita disputatis quoniam secunda opinio earum, quas art. 1. retulimus, firmiores pro se rationes habet, solidiorique innititur fundamento, amplectenda à nobis est, asserendumque posse materiam diuina virtute sine omni forma substantiali consistere: id quod fiet adhibente Deo maiorem concursum, quo quidquid forma materiam actuãdo præstat, ipse in genere efficiẽtis causæ suppleat. Nec id mirum videri debet cùm etiam Deus in sacra Eucharistia concursum causæ materialis sufficiat conseruando extra subiectum quantitatem, cæteraque accidentia, quæ priùs in materia inhærebant; conseruando inquam actiuè, vt est communis Theologorum sententia.

Deus in genere causæ efficiẽtis supplet causalitatẽ subiecti.

Sed opponet aliquis. Id, quod Deus creat, immediatè conseruat: sicut enim nihil cum Deo, etiam vt instrumentum, concurrit ad creandum; ita neque ad conseruandum. Cũ igitur Deus materiã creet, eandem per se immediate conseruabit, ac sine vllo formæ concursu, quem erga materiam omni forma spoliatam compensari oporteat.

Obiectio.

Respondendum tamen etsi cum Deo creante nihil efficienter concurrat; quia conferre esse ex nihilo infinitam virtutem arguit; nihil tamen obstare quominùs ad esse rerum, quæ creantur, cõcurrat creatura in alio causæ genere; quomodo in prima rerum molitione cùm Deus corpora cœlestia & elementa creauit; tam materia ad eorum formas excipiendas, sustentãdasque; quàm formæ ad materiã actuãdam & fouendam concurrerunt.

Dilutio.

Non est autem hoc loco prætereundum quosdam fuisse, qui in

Opinio existimantium fuisse aliquãdo re ipsa materiam sine forma.

tuenda

tuenda ſententia de conſeruatione materiæ abſque forma, longiùs progreſsi, affirmarint non ſolùm poſſe diuina virtute fieri, ſed effectũ iam aliquando, vt materia abſq; õniforma conſiſteret. Nõnulli enim, quos Argentinas in 2.d.12.q.vnica ar.2.refert, opinati ſunt in ipſa naſcentis mũdi origine fuiſse à Deo procreatam materiam abſq; vlla forma, idque ſignificari cap.1. Geneſeos illis verbis, Terra autem erat inanis & vacua, vbi, vt D. Auguſtinus cap.4. libri imperfecti de geneſi ad literam ait, per terram, quę omnibus elementis ſubſidet, materia; per inanitatem, eius informitas deſignatur; quod etiam inculcat.12. Confeſs.c.7. Atque huic ſententiæ ſuffragari etiam videntur D. Ambroſius lib.1. Hexam. cap.8. D. Baſilius hom.2. Hexam. D. Chryſoſtomus hom.2. in Geneſim, Eucherius in 1.cap. Gen.& rurſum D. Auguſtinus 12. Confeſs.cap.6.& 8. qui materiæ informitatem inductione formarum priorẽ fuiſse affirmant. Marſilius etiã in.3.q.13.art.1.& Gabriel in 3.d.21.quæſt.vnic,art.3. credunt in morte Chriſti abſcedente anima manſiſse diuinum illud corpus ſine vlla forma. Verùm hæ ſententiæ non placent. Nulla enim ratio perſuadet fuiſse aliquando materiam ſine forma, tametſi diuinitus eſse potuerit. Nam quod ad locum illum Geneſeos attinet (præterquam quod inanis terræ nomine non niſi ipſum terræ elementum, quod inane, ideſt, ſine ornatu & pulchritudine iacebat, propriè ſignificatur; materia verò per tropum duntaxat) etſi D. Auguſtinus per informitatem, omnis formæ vacuitatem intellexerit; eam tamen non niſi origine formas antegreſsam fuiſse credidit, vt ipſe met 1. ſuper Geneſim ad litt.c.15.& lib.5.c.8. explicat. Reliqui verò patres citati per materiæ informitatem non omnium formarum, ſed decoris & diſtinctionis priuationem ſignificarũt. Neque etiã in morte Chriſti fuit materia ſine forma, quia abeunti animæ forma cadaueris ſucceſſit. Qua de re in lib. de generatione plura.

Ambroſ. Baſil. Chryſoſt. Auguſt.

Improbatio.

D. Auguſt.

Ita Ambroſius, Theodoretus, Chryſoſtomus, Beda, aliique interpretes. Lege D. Thomam. 1. p.q. 66. ar.1. Vdalricum in ſua ſumma lib.4.

ARTICVLVS IIII.

RESPONSIO AD ARGVMENTA, QVIbus oſtendi videbatur non poſſe materiam diuina virtute abſque forma conſiſtere.

SVpereſt vt ad contrariæ partis argumenta reſpondeamus. Ad primum dicendum formam ſubſtantialem eſſe actum ſubſtantialem materiæ, ideſt, actum ſubſtantialiter informantem materiam: quocirca ſi materia eſſet actu ſine forma ſubſtantiali, eſſet actu ſine actu, hoc eſt, haberet actum accidentarium, nimirum exiſtentiam, abſque actu ſubſtantiali; ſed id nullam contradictionem inuoluit, quæ tamen inuolueretur ſi materia ſine exiſtentia exiſteret. Reliqua verò eiuſdem argumenti pars hanc habet explicationem.

Quemad-

Quemadmodum effectus formæ accidentariæ ſine accidentaria forma eſſe non poteſt; ita neque effectus formæ ſubſtantialis ſine ſubſtantiali forma, veluti animatum ſine anima: ſed enim eſſe ſiue exiſtere materiæ, non eſt effectus formalis formæ ſubſtantialis, ſed exiſtentiæ, quam materia propriã obtinet, vti diximus. Item ſicut exiſtere accidentis ſine exiſtentia accidentis eſſe non poteſt, ita neque exiſtere ſubſtantiæ abſque ſubſtantiæ exiſtentia. Poteſt tamen aliqua ſubſtantia videlicet materia, cohærere ſine exiſtentia formæ ſubſtantialis, vt ſuit à nobis comprobatum.

Exiſtere materiç non eſt effectus formalis formę ſubſtãtialis.

Ad 2. negandum eſt antecedens, & ad eius probationem dicendum non eodem prorſus modo ſe ſe habere purã potentiam ad actũ, quo actus purus ad potentialitatem: quanuis in eo cõueniunt, quòd vt actus purus nullam continet potentialitatem; ita pura potentia nullum in ſua natura actum phyſicum includit.

Ad 2.

Ad 3. dicendum materiam Socratis exutam omni forma cõſtitui per ſe, ac determinatè ſub materia rerum diſſolubilium tãquam ſub ſpecie infima incompleta; reduci verò tanquam partem ad totum ad corpus diſſolubile, quod ponitur in categoria ſubſtantiæ; neq; oportere vt ad aliquã illius ſpeciẽ determinatè pertineat; cùm ad omnes, quarum formæ in eam induci poſſunt, indiſcriminatim duci queat. Sicut enim materia abſque omni forma nullius compoſiti ſpecifici pars actu eſſet, ita ad nullũ actu reduceretur. Neque hoc abſurdum videri debet, tum quia huiuſmodi reuocatio materiæ ad certam ſpeciem, quam componit, non eſt de eſſentia materiæ; tum quia re ipſa materia abſque forma collocaretur, vti monuimus, ſub certa ſpecie, ideſt, ſub materia ſublunari.

Ad 3.

Materia ſine forma ad quam ſpeciẽ pertineat.

Ad 4. conceſſo antecedente neganda eſt conſecutio: & ad eius probationem dicendum haud ſemper eſſe operoſius puram potentiam ſine actu, quàm vnum actũ ſine alio conſeruare: hoc enim poſterius non nunquam implicationem inuoluit, vt in propoſitis exemplis. Nam ſi natura communis per ſe extra ſingularia exiſteret; eſſet, ac non eſſet ſingularis: nõ eſſet, quia ita ſupponitur: eſſet, quia exiſtere in rerum natura, ſicuti operari & produci, non conuenit ſuperioribus niſi per inferiora: quandoquidem vt exiſtere eſt vltima cuiuſque rei actualitas; ita nõ niſi vltimo perfectis & terminatis in ſua ſerie, qualia ſunt ſola ſingularia, primò conuenire debet, cæteris verò ipſorum merito ac beneficio. Quod verò ad ſuppoſiti rationem attinet repugnat etiã dari naturam abſque ſuppoſito, cui innitatur; quia ſubſiſteret per ſe tanquam à nullo dependens, quod in rebus creatis nulli præterquam ſuppoſito conuenit: ſimulque non ſubſiſteret, vtpote ſuppoſiti adminiculo carens; quando ita volunt aduerſarij.

Ad 4.

Cur natura cõmunis extra ſingularia exiſtere non poſsit.

Repugnat dari naturam abſque ſuppoſito.

Contra ſentiunt Cai. 3. p. q. 4. art. 2. Medina ibidem.

Ad 5. concedendum eſt cum d. Thoma. q. 7. depotent. art. 9. cum Scoto in 2. d. 1. q. 4. &. 5. & d. 12. q. 2. cum Capr. in 1. d. 30. q. vnica art. 1. & in 4. d. 12. q. 1. art. 3. cũ Durando in 3. d. 1. q. 1. & alijs vnum relatum

Ad 5.

Relatum mutuum secundum esse nec diuina virtute absque suo correlatiuo dari potest.

relatum secundum esse mutuum non posse, etiam diuina virtute, absque suo correlatiuo in rerum natura dari; sequeretur enim esse ac non esse relatum. Nam quemadmodum tota ratio eiusmodi relatorum consistit in referēdis mutuò inter se subiectis, & quasi in trāsitu ad alia, ita eorū essentiam consequitur, vt si vnum existere ponatur, illud reciproca alterius existentia comitetur; idque indissolubili prorsus necessitate. Nec eodem modo se res habet in materia, cæterisque relatis transcendentibus comparatione suorum terminorum. Nam respectus relatorum secundum esse superueniunt subiectis, vt similitudo lapidi, paternitas Sophronisco. Nec huiusmodi subiecta appellant nisi dependenter ab existentia terminorum. Non enim lapis dicitur similis nisi qui aliud in rerum natura sibi simile habet; nec pater vocatur, (si philosophico & non populari more loquendum sit) nisi actu habens filium. Quod relatis transcendentibus minimè conuenit, cùm non adueniant subiectis, quæ denominent & quæ per ipsa ad aliud referantur; sed sint ipsa met subiecta, aut aliud quid simile.

Idem asserit Marsonij in 1. d. 29. q. 6. Gabr. super Can. lect. 44. Bargius in 1. d. 18.

Oppositum tuetur Gregorius.

Non inficiamur tamen videri etiam probabilem sententiam Gregorij in 1. d. 28. q. 2. art. 1. existimantis posse diuina virtute existere vnum relatum mutuū absque suo termino. Qua de re alibi ex professo disseruimus.

QVÆSTIO VII.

SIT NE PRIVATIO ENS, AN NON?

ARTICVLVS I.

QVAESTIONIS DISSOLVTIO.

Argumenta in partem negatiuam.

à testimonijs sacrę paginę.

SEQVITVR vt de priuatione, altero rerū physicarum principio, disseramus; ac primum sit ne verum ens, nec ne? Qua in dubitatione non desunt argumenta, quibus affirmatiua pars ostendi videatur. Primum quia tam in diuinis literis, quàm apud Philosophos quædam de priuatione enuntiantur, quæ non nisi in verum ens cadere possunt, quale est illud 1. capit. Geneseos, & tenebræerant super faciem abysi, vbi tenebræ, quæ priuatio quædam lucis sunt, dicuntur esse; esse autem non est eius, quod essentiā non habet. Item quia in hymno trium puerorum inuitantur tenebræ ad diuinam laudem, illis verbis, Benedicite lux & tenebræ domino, quod tamen non videtur conuenire nisi ei, quod aliquam entis rationem obtinet, quam Deo, quoad potest, acceptam referat, atque ita diuinam bonitatem totius esse fontem commendet; id enim significat diuina laus in sa-

cris

cris literis, cùm ea, quæ intellectu carent, laudare Deum dicuntur.

Deinde apud Aristotelem cap. vltimo huius libri text. 80. priuatio appellatur malefica; id autem, quod maleficum est, aliquam nocendi vim & ex consequenti aliquam entitatem habet. Item 2. de anima cap. 2. tex. 138. priuationes dicuntur percipi sensu, vt tenebræ aspectu; nihil verò sensu percipitur, nisi quod sensum agendo mouet. ergo & cæt. Ab Aristotele.

Præterea, priuationes formaliter sumptæ habent essentiales definitiones: cæcitas enim secundum essentiam definitur priuatio aspectus. Habent igitur essentiam, atq; adeò sunt veræ res. Ad hæc, cæcitas & quæcunque alia priuatio, intelligitur, exprimiturque à nobis per aliquem conceptum; at conceptus, vt Aristoteles docet primo de interpr. cap. 1. est imago & similitudo rei. Negari igitur non potest priuationem esse rem. à difintione priuationũ. Ab earũ conceptibus.

Hæc controuersia duplici assertione dirimenda est. Prima sit. Priuatio formaliter sumpta nec est ens reale, nec rationis. Probatur facile. Namque ex doctrina Aristotelis quinto libro Metaph. capite 22. textu 27. & libro decimo, capite septimo textu 15. Priuatio est negatio formæ in subiecto natura apto: negatio autem cùm nihil aliud sit, quàm remotio, nullum esse in rerum natura, nec verò in intellectu ponit. Quòd non obscurè testatus est Aristoteles cap. 8. huius lib. tex. 75. cùm docuit priuationem per se, idest, ex sua propria ratione, ac vi, esse non ens. 1. assertio.

Illud tamen est aduertendum quod D. Thomas quarto Metaphy. capite secundo admonet, videlicet priuationes, & negationes quodammodo entia rationis fieri, non per se; sed ex accidente, quatenus eis aliquid rationis obuenit, vt cùm ab intellectu tanquã subiecta, aut prædicata in propositionibus assumuntur. Quò spectasse videtur Aristoteles quarto libro Metaph. capite secundo textu 2. vbi cùm priuationes, & negationes entia quodammodo esse pronuntiasset, adiecit; dicimus enim non ens esse non ens, quasi diceret, efficimus enim negationes ipsas, & priuationes subiecta & prędicata enuntiationum: atque ita id, quod ipsæ in rebus, & ex natura sua non habent, intellectus nostri beneficio assequuntur. Quò pacto priuationes quodammodo fiãt entia rationis.

Secunda assertio. Priuatio formaliter sumpta est in rebus seclusa operatione intellectus. Hæc est contra nonnullos præsertim è recentioribus Philosophis existimantes priuationes in sola mentis notione esse: eam tamen amplectitur Caietanus prima parte quæstione quadragesima octaua articulo secundo & in libello de ente & essentia capite primo Ferrariensis 3. contra gentes c. 19. Eandemque innuit D. Thomas in quæstionibus de malo q. 1. art. 2. suadetur verò in hunc modũ. Forma, eiusq; priuatio, vt Aristoteles docet in cap. de oppositis, versantur circa idem subiectũ: ergo quoties in tẽpore à natura constituto subiectum forma caruerit, inerit ei formæ priuatio. Hoc autem contingit secluſa qualibet mentis actione. Igi- 2 assertio.

Quomodo priuatio sit in rebus.

tur priuatio ineſt in rebus formaliter ſine intellectu. Aduerte autem priuationē eſſe in rebus, non per aliquam exiſtentiam, quæ ipſi formaliter competat. Nam cùm exiſtentia poſitiuũ quidpiam ſit, fieri nequit, vt negationē re ipſa propriè ve informet. Dicitur ergo priuatio exiſtere fundamentaliter, ſeu merito ſui fundamenti, quatenus videlicet exiſtit ſubiectum, cui ſuo modo re ipſa conuenit.

ARTICVLVS II.

SOLVTIO ARGVMENTORVM, quæ probare videbantur priuationem eſſe ens.

Solu. 1.

D. Aug.

NVnc argumēta ſuperiùs adducta diluamus. Ad id, quod primo loco propoſitum fuit, reſpondendum eſt cum D. Auguſtino in lib. de vita beata c. 4. tenebras (quod de cæteris priuationibus ſimiliter accipiatur) ita dici eſſe in aliquo, ac ſi diceretur non eſſe ibi lux. Quod Caietanus ad art. 2. quæſtionis quadrageſimæ octauæ 1. part. planiùs ediſſerens inquit priuationē dici ineſſe rebus per remotionem formæ in actu exercito; quia nimirum priuatio inſidet ſubiecto nõ vt inhærens; id enim entis poſitiui eſt; ſed vt exercens actum remouendi formam.

Idem aſſerit D. Anſelmus in lib. de caſu diaboli c. 41. de conceptu virginali cap. 5.

Ad reliquam eiuſdem argumenti partem dic omnia, quę quoquo modo in naturæ vniuerſitate eſſe dicuntur, etiam ea, quæ nullum entis gradum obtinent, diuinam bonitatem prædicare, hoc eſt, ad bonitatis diuinæ laudem contemplantium mentes allicere. Quod

D. Auguſt.

D. Auguſtinus tum alijs in locis, tum in libro de natura boni aduerſus Manichæos hiſce verbis explicat. Priuationes rerum ſic à Deo ordinantur, vt non indecenter vices ſuas habeant; quemadmodum in cantu interpoſitiones ſilentiorum certis moderatiſq; interuallis, licet vocum priuationes ſint, ſuauitati cantilenæ aliquid conferunt; quemadmodum item vmbræ in picturis eminentiora quæq; diſtinguunt, ac non ſpecie, ſed ordine placent. Vnde & in hymno trium puerorum etiam lux & tenebrę laudant Deum, id eſt, eius laudem in benè conſiderantium cordibus pariunt. Ex quo patet non eo dũtaxat modo, qui in argumento affertur; ſed hoc etiam, quẽ D. Auguſtinus tradit, ſumi verbum, laudare, in diuinis literis; quo pacto in ea etiam, quæ intellectu carent, imo & quæ verè entia non ſunt, cadere poteſt.

Rerum priuationes quo pacto ordinẽtur à Deo.

Conſule D. Iſidorum in libro de ſummo bono.

Sol. 2.

Ad ſecundum argumentum quoad priorem partem dicendũ hac maximè de cauſſa inter alias priuationi maleficiũ attribui, quia materia

teria ex eo quod abſentium formarum priuationem in ſe cohibet, vt actum formæ, quo caret, admittat, actum fomæ, cui veluti matrimonio coniuncta erat, repudiat, atq; ita adulterina quadam ratione maleficium committit. Ex quo non colligitur aliquam ei effectricem vim ineſſe, vt erit conſideranti perſpicuum. Ad poſteriorē partem eiuſdem argumenti dicendum eſt Ariſtotelis ſententiam eo loco eſſe tenebras percipi viſu, non quod aliqua videndi actio feratur in tenebras, ſed quia aſpectus non percipit lucem, quod eſt percipi tenebras negatiuè. Tenebrę quo modo percipi viſu dicantur.

Ad tertium, priuationes vt proprie eſſentiam non habent, ita nec proprie definitiones eſſentiales vendicare, ſed explicationes quaſdā remotionum, in quibus ipſæ conſiſtunt.

Ad quartum, Ex eo, quod priuationum conceptus habeamus, non ſequi priuationes eſſe re vera entia, ſeu poſitiuum quidpiam. Cùmenim conceptus, rerum imagines dicuntur, nomine rerum tā res ipſæ, quàm earum priuationes, & negationes ſignificantur, ac ſi diceremus conceptus eſſe eorum, quæ à nobis intelliguntur, ſimilitudines, ſiue illa entia ſint, ſiue non. Num autem priuationes non ſolum conceptibus formarum, quas negant, ſed alijs, qui ipſis proprij, ac peculiares ſint, percipiantur, cuius controuerſiæ affirmatiuam partem veriorem credimus, tractat AEgidius in 1. d. 36. q. 2. Capreolus in 2. d. 39. q. 1. art. 3. & Ferrarienſis primo contra gent. cap. 71. Ad 4. Veriſimilius dari proprios conceptus priuationū.

QVAESTIO VIII.

VTRVM PRIVATIO VERE principium rerū naturaliū ſit; an non?

ARTICVLVS I.

QVÆ ARGVMENTA OSTENdere videantur non eſſe.

NEgantem propoſitæ quæſtionis partem conabitur quis hunc in modum ſuadere. Principia, vt Ariſtoteles docuit cap. 6. huius libri tex. 50. manere ſemper oportet; ſed priuatio acceſſu formæ aboletur; non eſt igitur principium. 1. argu.

Secūdo, Priuatio, teſte eodē Ariſt. c. 6. huius libri tex. 66. eſt principiū ex accidente; igitur nō eſt verè ,ppriēq; phyſicarū rerū principiū. Conſecutio probatur, quia ſi omnia, quæ ad generationē ex accidēte cōcurrunt principia cēſenda eſſent, plura forent principia, quā tria. Nā ijs etiā annumerari deberet, v.g. forma rei 2. argu.

intereuntis, ſine qua non datur generatio.

3. argu. Deinde, Siqua priuatio eſſet rerum naturalium principium, maximè eſſet priuatio formæ rei, quæ gignitur; ſed ea non eſt; nulla igitur eſt. Probatur aſſumptio, quia eiuſmodi priuatio nunquã dari videtur. Nec enim datur in eo temporis momento, quo forma inducitur; ſiquidem præſente forma euaneſcit eius priuatio. Nec etiã tempore antecedẽte; quod ita oſtenditur. Priuatio eſt negatio formæ in ſubiecto natura apto; ſed ante punctum generationis materia non eſt apta ad formam; cùm nondum habeat diſpoſitionum omniũ apparatum ad eam excipiendam: igitur tempore antecedente non eſt in materia priuatio formæ.

4. argu. Item, Eſſe principiũ eſt eſſe ens (principiũ enim relationẽ ſignificat ad ea, quæ à principio dependẽt aut quoquo modo procedũt) atqui ſuperiori quæſtione oſtenſum fuit priuationem non eſſe ens: non poteſt igitur priuatio eſſe principium.

ARTICVLVS II.

PRIVATIONEM ESSE VERE principium, nec ſuperiora argumenta oppoſitum concludere.

Plato, & alij priuationem non numerarũt inter principia.

IN hac controuerſia Plato, & ex antiquis Philoſophis nonnulli priuationem è numero principiorum excluſere; vel quod eã tãquam non ens deſpicatam habuerint: vel quia nihil in ipſa præter maleficium agnouerint. Rectiùs Ariſtoteles, qui eam principijs annumerauit; non quidem ijs, quæ in compoſitionem veniunt; ſed quæ per ſe ad generationem requiruntur. Cuius ſententiæ veritas paucis hunc in modum confirmari poterit. Id, vnde per ſe generatio proficiſcitur, verè ac propriè principiũ illius eſt: ſed generatio per ſe oritur à priuatione, tanquam à termino à quo: ergo priuatio eſt principium per ſe generationis. Maior propoſitio nota eſt; minor probatur, quia generatio (vt ſæpe diximus) eſt progreſsio à nõ eſſe, vt à termino à quo; hic autem cùm non ſit materia; (ſiquidem terminus, à quo res oritur, vtpote formæ geniti contrarius, nõ manet; materia autẽ ſẽper manet) cõſequens fit, vt ſit ipſa formæ priuatio.

Lege Aphrodiſæũ lib. 2. Nat. q. c. 11.

Sol. 1. argu. Argumenta verò ſuperiùs adducta hunc in modum explicanda ſunt. Ad primum, omiſſa Græcorum, & Latinorum interpretũ in eo loco enarrando diſſenſione, reſpondendum eſt neceſſariò manere principia, non omnia; ſed quæ in rei genitæ compoſitionem coeunt: vel omnia ſimpliciter manere, ideſt, omnia ad quamlibet generationẽ ſeu ſingula tria ad ſingulas generationes cõcurrere, vt Ammonius & alij interpretantur.

Horũ explicationes collegit Zimara in ſuis dilucidationibus.

Quo ſenſu dicatur principia neceſſariò manere.

Sol. 2. Ad 2. Priuationẽ dici principiũ per accidẽs, nõ generationis (ſic enim principiũ per ſe eſt) ſed cõpoſitionis, quatenus materię, ex qua com-

compositum coalescit accidit habere in se priuationem formæ. Aduertit etiam D. Thomas in explicatione eius loci dici priuationem principiũ per accidens, si accipiatur pro priuatione formæ alterius rei, non eius, quæ gignitur.

Ad 3. admittenda est maior propositio, neganda minor; & ad eius probationem dicendum, materiam quandiu formam non habet, esse illa absolutè priuatam, aptamque ex se se ad eam recipiendam; quàm uis proximam & completam aptitudinem tunc solùm obtineat, cùm peruentum fuit ad terminum, complementumque omnium accidentium, quibus ab agente disponitur: qui terminus in ipso tantum generationis momento datur, extrinsecè tamen, cùm in eo omnia prædicta accidẽtia ex toto pereant abcessu formę prioris, factaque vsque ad materiam primam resolutione, vt in libris de ortu & interitu dicemus. Ita verò in ipso pũcto generationis priùs natura, quàm materia formam recipiat inest ei summa aptitudo ad ipsam recipiendam ex vi accidentium, quæ toto tempore præcedenti in ea fuerũt, & in ea prægressione naturæ, siue in eo priori, vt loquuntur, insidet in materia exactissima formæ priuatio. Nec repugnat in eodẽ instãti temporis secundum aliam & aliam considerationem dari in materia & priuationem formæ, & ipsam formã: licet talis priuatio in eodem instanti re ipsa ac simpliciter aboleatur.

Sol. 3.

Exactissima formæ priuatio quando insidet materię.

Ad 4. dicito, si illud pronuntiatum, esse principium est esse ens, significet quidquid principij rationem habet, necessariò esse ens, falsum id esse: si autem sensus illius sit, id, cui relatio principij conuenit, posse aliquam rationis entitatem intellectus beneficio obtinere, eo modo, quo superiùs diximus; tunc verum quidem esse, quod in prædicto effato assumitur; sed non rectè ex eo concludi priuationẽ in se spectatam esse ens, seu positiuum aliquid.

Sol. 4.

Ad 5. negari debet id, quod est ens, non posse à non ente dependere, dummodo ab eo non dependeat vt ab influente, aut impertiente aliquod esse, sed tanquam à termino, atque vt ab eo, quod essentialiter ad suum conceptum requirit. Ita verò se se habet generatio respectu priuationis.

Sol. 5.

Quomodo ens possit pẽdere à non ente.

QVÆSTIO IX.

NVM IN QVALIBET RE NATVrali præter materiã dãda sit forma substãtialis, necne?

ARTICVLVS I.

FORMAM SVBSTANTIALEM ANtiquioribus Philosophis magna ex parte ignotam, posterioribus notam fuisse.

Institutæ



INstitutæ disputationis series postulat, vt de tertio rerum naturalium principio, hoc est, de forma disseramus. Porrò inesse rebus naturalibus non materiam solùm, sed etiam formam, quæ sit pars quidditatis, licet veteris Physiologiæ auctores, vt constat ex 1. libro Metaph. cap. 2. & ex ijs, quæ tradit Laertius lib. 7. de vitis Philosophorū, magna ex parte latuerit; agnouit tamen imprimis Italicæ sectę institutor Pythagoras; tum eiusdem familiæ alumnus Timæus Locrensis, qui materiam ex se nullas habere formas, & tamē eas subinde posse recipere varijs similitudinibus expressit in hunc fere modum. Qui vnguenta suauiter redolentia confecturi sunt, humidam materiam, quam certo cōdire odore volunt, ita præparant, vt odorem nullum proprium habeat, & qui materijs mollibus, impressionique cedētibus figuras imprimere aliquas volunt, nullam omnino priorem in eis figuram apparere patiuntur, sed exactissima quadam leuigatione eas poliunt. Ita illud, quod in omnibus passim cæterorum omnium simulacris rectè figurandum est, his omnibus formis natura sua carere necesse est, Hæc Timæus apud Platonem. Ipse autē Plato ex propria quoq; sententia, vt liquet ex ijs, quæ ab eo varijs in locis, & ab Alcinoo in libro de eius doctrina cap. 8. tradita sunt, subsātiales formas posuit. Quarum duo genera statuit, vnum expers materiæ; quod ideam dixit; alterum cum materia coniunctum, quod formę nuncupatione minus dignum credidit, ideoque receptam imaginem appellandum censuit.

Pythagoras & Timęus formarum assertores.

Plato formas agnouit.

Earum duo genera constituit.

Iam verò Aristoteles substantialium formarum positionem multo apertiùs & luculentiùs astruxit plurimis in locis, vt hoc in lib. c. 7. tex. 65. & lib. 2. cap. 1. tex. 12. Item 2. de ortu & interitu c. 9. tex. 51. lib. 2. de anima cap. 1. & in toto eo opere. lib. 7. Metaph. c. 4. & lib. 12. c. 2. Cuius sententiam omnes fere consequentes Philosophi magno consensu approbarunt; & si ex Platonicis nonnulli magistri sui vestigia persequentes, circa modum, quo forma cum materia societatem coit, à Peripateticis dissenserint; qua de re separatim suo loco.

Aristoteles formarum assertionem āplius illustrauit.

ARTICVLVS II.

AFFIRMATIVAM QVAESTIONIS partem omnino veram esse.

SOlet autem substantialium formarum assertio multis ex capitibus longo rationum ductu à Philosophis comprobari. Nos potiora tantum argumenta in mediū afferemus; quorum primum ita habet. Res naturales sunt compositæ; non ex materia duntaxat; quia cùm hominis, lapidis, & leonis eadem sit communis materia,

1. ratio.

teria,eadem foret omnium essentia, & definitio: habent igitur præter materiam proprias formas,quibus inter se differant. Quod siquis occurrat composita physica constare ex materia,quæ sit substantia, atque etiam ex forma,non tamen,quæ substantia sit,sed accidens; is facilè confutabitur. Imprimis hoc modo.Materia est nuda potentia,vti superiùs demonstrauimus,& tamen est substantia, vt aduersarius fatetur ; ergo & forma multo maiori iure substantia erit. Secundo,si forma esset accidens, nulla esset generatio substantialis; siquidem materia gigni non potest; inductio verò accidentium, non substantialis, sed accidentaria generatio est. Tertio, vel ipsa composita naturalia sunt accidentia, vel substantiæ; si accidentia, non igitur constituuntur ex materia, quæ sit substantia: si substantiæ , non ergo constant ex forma,quæ sit accidens;alioqui aut non substantia ex substantijs, aut non accidens ex accidentibus coalescceret, quorum neutrum fieri potest.

Responsio.

Confutatio datę respõsionis.

Rursus idem hunc in modum suadetur. Singulis rebus naturalibus aliquæ propriæ & peculiares functiones conueniunt,vt homini ratiocinari,equo hinnire, igni calefacere, atque ita cæteris : sed eiusmodi functiones oriri nequeunt à materia , quæ , vt supra ostendimus,nullam effectricem vim habet: oriuntur ergo à substantiali forma.Nec satisfaciet,qui dixerit proficisci à materia instructa accidẽtibus.Quæro enim cur isthæc potius accidẽtia in hac materia,quàm illa conspiciantur ? cur igni potius calor,quàm frigus competat?cur aerem leuitas,non grauitas sequatur? Cùm igitur huius rei causa ad materiam referri non possit,tum quia ob insitam inertiam,nudæque potentiæ sterilitatem, nullum ex se accidens profundit; tum quia cùm vna atque eadem sit in rebus sublunaribus, eadem ijs omnibus accidentia promiscuè inessent; planè sequitur talium accidentium originem ad formam substantialem,vti ad ipsorum fontem,referendam esse.

2.Ratiõ.

Materia nullum ex se accidens profundit.

Proinde negari non potest vnicuique rei naturali suam inesse formam substantialem,ex qua constet, à qua gradus prẽstantiæ, & perfectionis in compositis physicis desumantur; à qua omnis rerum propagatio dependeat; à qua sua cuique rei nota & character insideat ; quæ quidquid operis in natura fit pro sua facultate moliatur; quæ omnes eliciat tum vitæ, tum reliquorum munium actiones ; cui accidentia tanquam instrumenta subsidio veniant; quæ denique spectabilis huiusce mundi theatrum sua varietate, ac pulchritudine mirificè distinguat,atque exornęt.

Substantialis formæ encomia.

QVAESTIO

QVÆSTIO X.

VTRVM APTA, IDONEAQVE sit formæ ſubſtantialis definitio.

ARTICVLVS I.

SOLVTIO PROPOSITÆ dubitationis.

Varia genera formarũ.

Cuius formę definitio inquiratur.

CVm varia ſint formarum genera; quandoquidem aliæ ſunt accidentariæ, vt calor; aliæ ſubſtantiales, vt anima; rurſuſque ſubſtantialium aliæ aſsiſtentes, vt intelligentia mouens cœlum; aliæ informantes, vt formæ elementorum, ſtirpium, & animalium: non quærimus hoc loco de definitione formæ in commune; ſed ſubſtantialis informantis duntaxat. Huius ergo deſcriptionem paucis complexus eſt Ariſtoteles 2. lib. cap. 3. tex. 28. aiens, formam eſſe rationem quidditatis, ideſt, id in quo cuiuſque compoſiti naturalis eſſentia præcipuè continetur; ſeu, quod eſſentiam rei, eiusque definitionem abſoluit, & ab alijs diſtinguit. Apertiùs hunc in modum definiri poteſt. Forma eſt actus ſimplex, ſubſtantialis, vnum per ſe cum materia conſtituens. Dicitur actus, ad excludendam materiam; ſimplex, ad reijciendum quodlibet ex multis actibus inter ſe diuerſis concretum, vt album dulce. Subſtantialis, ad remouendas formas ſimplices accidentarias. Denique dicitur, conſtituens vnum per ſe cum materia, propter intelligentias, quæ nequeunt cum materia in vnius compoſiti naturam venire. Aduerte autem verbum illud, conſtituens, non ita accipiendum, quaſi forma exiſtimari non debeat, niſi quæ actu vnum per ſe cum materia componit: ſic enim animus rationis particeps dum extra materiam per ſe cohæret, non eſſet forma; cùm tamen ex ſua eſſentia, à qua deſtitui nequit, ſit actus, & forma corporis. Ea igitur particula ſic intelligenda eſt, vt forma conſtituat, ideſt, ſuapte natura conſtituere poſsit vnum per ſe cum materia.

Formæ definitio.

Eius enucleatio.

Animus rationalis ex ſua eſſentia eſt forma corporis.

ARTICVLVS II.

QVIBVS NOMINIBVS SVBSTANtialis formæ vis, & præſtantia à Philoſophis deſcribatur.

Sanè

sanè verò vt multiplex est formę dignitas: ita eam Philosophi varijs nominibus appellarunt, & quasi dehnierunt. Pythagoras eam vocauit, vnum; quòd incertam ac vagam materiæ rationem in vnam, certam ve speciem contrahat; vel quòd vnitatem affectet; sicuti materia multitudinem seu diuisionem; tum quòd anima, quæ inter formas principatum habet, vnionem elementorum, partiumque corporis efficiat. Nam cùm corpus ex elementis coalitum in perpetuo fluxu sit, continentis cuiuspiam opera egebat, ne fatisceret. Hinç est illud Pythagoræorum dogma. Rerum tria sunt initia, infinitum, vnum, duo; hoc est, Deus, forma, materia.

Appellatur forma vnũ.

Pythagoricũ dogma.

Timæus Locrus apud Platonem eam dixit mentem, aiens mundum hunc, qui sub aspectum cadit, necessitate, idest materia, & mente, idest, forma constare: quo loco formam mentem appellauit, quòd sit adumbrata quædam primi, ac puri actus, diuinaque mentis similitudo. Ob quam etiam rationem à Platonicis diuina soboles dicta est. Nuncupat item Plato formas physicas, similitudines & effigies; quòd sint imitationes quædam idearum: & vmbras, quòd eam videantur habere rationem ad ideas, quam vmbræ ad corpora. Ideoque 7. de repub. ait nos in hoc mortalium orbe non aliter atque in specu esse collocatos, ac solas inspicere rerum vmbras, quas ob assuetudinem existimamus verè esse.

Vocatur forma mens.

Dicitur diuina soboles.

Apud Aristotelem nuncupatur forma diuinum, pulchrum, optimum, finis. Diuinum, quòd sit participatio quædam diuini esse, vti proximè dicebamus: pulchrum, quòd materiam decoret, totamque mundi quasi scenam spectanda varietate exornet: optimum, quòd sit quidpiam maximè perfectum & appetibile: finis generationis, quòd genitor in re, quam efficit, eam sibi vti propriæ formæ effigiem exprimendam proponat, vt declarat D. Thomas 1. p. q. 44. art. 4. A quibusdam appellatur terminus, quoniam, vt antea dicebamus, materiam diffluentem ac vagam certis finibus coerceat, veluti norma quædam, mensuraque rerum. Vnde Aristoteles 3. huius operis c. 7. tex. 67. dixit formã causam esse terminationis, & continentiæ. Ab alijs dicitur character, quòd cuique rei quasi notam imprimat, qua cognosci, & distingui possit à cæteris: vnumquodque enim ex sua forma spectatur ac secernitur. Denique vulgari nomine dicitur forma, quòd sicuti forma per artem inducta materiam secundariam, vt æs, & lignum; ita ipsa materiam primam concinnet, atque efformet. Plura in hanc sententiam scripsit Albertus M. hoc in lib. tract. 3. cap. 17.

Pulchrum.

Optimum.

Finis generationis.

Terminus.

Character.

Forma.

QVÆSTIO XI.

VTRVM EX FORMA SVBSTANtiali & materia vnum fiat?

ARTICVLVS I.

ARGVMENTA IN NEGATIVAM partem controuerſiæ.

SVperiori quæſtione cùm formam definiremus, aſſeruimus ex illa & materia vnum quidpiam effici; nunc ad illuſtriorem rei notitiam, an id ita ſe habeat diſquiremus. Ac primùm nonnulla ſe ſe offerunt argumẽta, quibus negatiua pars oſtendi videatur.

1.argum. Primum eſt. Vel ex materia & forma ſubſtantiali fit vnum interuentu alicuius medij, quod eas conciliet, & mutuò connectat; vel proximè absque vllo medio, aut vinculo: ſed neutrum horum videtur dandum. Non igitur ex materia & forma ſubſtantiali vnum fit. Probatur Minor quoad priorem partem, quia tale medium ſi daretur, oporteret eſſe aliquod accidens, quod priùs in materiam reciperetur: id verò eſſe non poſſe ex eo oſtenditur; quia cùm inter actum primum, & ſecundum ſit ordo eſſentialis, nequit materia ſecundum ante primum admittere. Item quia ſi eſſet accidens, iam materia, & forma accidentario nexu iungerentur; nec ex illis vnum quid ſubſtantiale, ſed accidentarium coaleſceret. Quoad poſteriorem verò partem ſuadetur eadem Minor, quia vt Proclus ait comm. 3. in Timæum, multitudo omnis, niſi incompoſita futura ſit, eget conciliatrice harmonia, hoc eſt requirit proportionem, accommodationemque ipſarum rerum inter ſe, quæ accommodatio non niſi tertio aliquo velut ſequeſtri perficitur. Item quia ſi forma poſſet per ſe, atque immediatè copulari cum materia; poſſet ei ſaltem diuina virtute ſine media quantitate vniri; ſicque ex anima rationali & materia reſultaret compoſitum vnum per ſe, quod non aliud foret, quàm homo. Quare exiſteret homo ſine capite, & corde, cæterisque partibus integrantibus, quod non videtur concedendum.

Inter actum primum & ſecundũ ordo eſſentialis.

Harmonia cõciliatrix.

2.argum. Secundum, Si ex materia & forma ſubſtantiali fieret vnum per ſe: fieret quoque ex materia & forma accidentaria per ſe vnum: ſed ex his non fit vt palam eſt: ergo nec ex illis. Maior probatur, quia vtrobique videtur par ratio inueniri: cùm non ſolum forma ſubſtantialis, ſed etiam accidentaria ſe ſe habeat ad materiam, vt actus ad potentiam, quam perficit.

3.argum. Tertium, Quæ magis diſtant, minus inter ſe vniuntur; ſed forma ſubſtantialis & materia magis diſtant, quàm accidens & ſubiectum: cùm forma ſubſtantialis ſit ens in actu, materia ens in potentia; contra verò tam accidens, quàm eius ſubiectum ſint entia in actu. Igitur minus poterunt inter ſe vniri forma & materia, quàm accidens &

dens & subiectum: quare cùm hæc non conueniant in vnam tertiam naturam, quæ sit ens per se; neque illa conuenient. 4.argum.

Quartum. Ea, quæ non affectant mutuam vnionem, non possunt inter se naturaliter coniungi; sed materia cùm sit, vt alibi diximus, causa diuersitatis & multitudinis; vnde à Philosophis dualitas, & infinitum vocabatur, minimè affectat vnionem: non potest ergo naturaliter cum forma coniungi: proindeque nec ex mutuo eorum complexu vnum quid existet. Materia dicta est à Philosophis dualitas, & infinitum. 5.argum.

Quintum. Saltem inter materiam & formam humanam non potest naturalis nexus intercedere. Ergo saltem hæ non possunt in vnius compositi per se naturam connecti. Antecedens probatur, quia si talis vnio esset naturalis, sequeretur animam separatam habere natiuam propensionem ad materiam, sicque statum extra corpus esse ei violentum, & quod inde videtur consequi, resurrectionem corporum futuram naturalem, non verò diuinæ potestatis miraculo exhibendam, quod falsum est. 6.argum.

Sextum. Si ex hac forma & hac materia fieret vnum per se, pari ratione ex hac forma, & quacunque alia materia posset effici per se vnum: sed non potest; ergo, &c. Maior probatur, quia quælibet materia prima est pura potentia; quæ videtur esse tota ratio cur ex illa, & forma substantiali dicatur vnum fieri. Minor inde suadetur, quia si ex hac forma, & qualibet materia posset fieri vnum, vtique haberet hæc forma sine discrimine ordinem ad quanlibet materiam quod tamen falsum esse ea ratio ostendit, quia non magis pẽdet forma à certo efficiente, quàm à certa materia, à qua educitur, cui vè unitur. Quare sicuti forma huius equi v. g. nequiuit ab alio, quàm à proprio suo progenitore effici, ita nec è cuiusuis materiæ, sed certæ, & definitæ potestate educi potuit; Et quod inde cõsequens est, non cuilibet materiæ, sed certæ, sibique à natura destinatæ ad vnius compositi societatem coniungi poterit.

ARTICVLVS II.

CONCLVDITVR PARS AFFIRmatiua quæstionis.

VT propositæ quæstioni satisfiat, prænotandum est, quinque esse, quod ad præsens institutum attinet, vnitatum discrimina, à quibus totidem modis vnum dicitur. Prima vnitas est aggregationis, vt in aceruo lapidum. Secunda ordinis, vt in exercitu, quæ maior est, quam prima; magis enim vniuntur quæ ordinem habent, quàm quæ turbata confusione dissoluta sunt. Quinq; vnitatum modi 1. 2.

Tertia est vnitas per accidens, vt in accidente, & subiecto, cui

inhæret, quæ maior est quam secunda; etenim in secunda nullum
4. eorũ, quæ ordine habẽt, inaltero insidet. Quarta est vnitas per se in rebus compositis, quæ videlicet resultant ex compositione partium in aliquam tertiam naturam coeuntium, qualis cernitur in quantitate bipalmari, composita videlicet ex duobus palmis inter se, vno, eodemque communi termino coniunctis. Et hæc vnitas maior est, quàm tertia; cùm vnitas per se reddat absolute vnum: vnitas verò
5. per accidẽs nõ nisi cũ adiectione, & secundũ quid. Quinta est vnitas per se in rebus simplicibus, & in substantijs à materiæ commistione liberis: & hæc cæteris longe præstat, cùm emineat extra omnem compositionem partium realiter disidentium. Cùm ergo ab his quinque vnitatum differentijs vnum dicatur, dum in quæstionem adducimus vtrum ex materia, & forma vnum fiat, accipiendum est vnum vnitate quarto modo sumpta.

Conclusio. Conclusio sit. Ex materia & forma substantiali fit vnum per se. Hæc traditur ab Aristotele lib. 2. de anima capit. 1. tex. 7. & octauo Metaphy. capit. 6. text. 15. à D. Thoma prima part. quæst. 76. art. 7. à Sone. l. Scoto. 8. Metaphy. capit. vltimo quæst. 4. Durando in secundo d. Metaph. q. 1 12. quæst. 2. Alensi. 3. part. quæst. 7. memb. 1. art. primo, estque eius Iauello. q. veritas inde conspicua, quia ex formæ, & materiæ nexu resultant composita naturalia, vt homo, ignis, cœlum, aliaq; ue eiusmodi, quorum vnumquodque est totum quid per se vnum.

Si quis verò sciscitetur quæ nam huiusce mutuæ cohæsionis, & nexus caussa sit. dicendum in primis non posse materiam & formam in vnum coniungi nisi illa ad hanc recipiendam idoneis accidentibus ab agente præparetur; atque ita dari caussam extrinsecam prædicti nexus, nempe ipsum generans; tum præterea dispositiones ab eo inductas; quæ partim ad caussam ipsam efficientem, partim ad materialem spectant. Ad efficientem, quatenus sunt instrumenta, per quæ generans operatur: ad materialem, quatenus vagam materiæ potentiam coercent, habilemque reddunt ad hanc certam, & definitam formam recipiendam. Cæterùm nulla datur interna caussa media, cur ex materia dispositа, & ex forma substantiali vnum per se fiat (eo modo, quo, verbi gratia, in linea datur punctũ copulans in vnum duas lineæ medietates) nec huius rei alia ratio est, nisi quod pura potentia, eiusque actus substantialis ad se primò vicissim ordinantur, & ingenita propensione absque alio medio in vnum conspirant, ac denique naturali quadam societate ad totum perficiendum vniuntur, vt locis ante citatis docet Aristoteles edisseritque Scotus in 2. d. 12. q. 1. & Auerroes 2. de anima cõmẽto 7. D. Thomas 2. contra gent. cap. 70.

Dispositiones ab agente inductę ad quod genus caussę pertineant.

Cur ex materia, & forma substantiali fiat vnũ per se.

Quare minimè audiendi sunt Academici, qui quod viderent hominis formam, & materiam naturas esse quam maximè dispares cõmenti sunt animum nostrum à summo rerum opifice conditũ, priusquam densum hoc, & tenebricosum nostri corporis ergastulum subeat,

Error Academicorum.

De hoc Academicorum dogmate Galenus lib. de dogm. Plat. & Hip. Bessario lib. 3 cõtra Calumn. c. 22. Fernelius lib. 4. Physiol. c. 2.

ſubeat, imprimis corpuſculo quodam illuſtri, tanquam ſimplici veſte indui; tum alio ſubtili quidem, ſed minus ſplendido, & ex tenuium præſertim elementorum permiſtione concreto exterius cõtegi; vt ijs ſtipatus in tertium hoc mortale corpus ingrediatur, & huiuſce medij interiectu cum eo ſocietatem coeat. Hæc inquã Academicorum, non tam dogmata, quàm inſomnia auſcultanda nequaquam ſunt. Vt enim in præſentia omittamus eum errorem, quo humanos animos ante propria corpora conditos faciunt: et ſi materia & forma, ſiue humana, ſiue alia quæcunque vſque adeo inter ſe naturis diſtent, vt ſint primò diuerſæ; poſſunt tamẽ ſine eiuſmodi vinculo in vnius compoſiti rationem arctiſsimè aſſociari; quia ad id nõ naturæ ſimilitudo ſpectari debet, ſed coaptatio & proportio, quæ magna eſt rerum conciliatrix. Vnde & Plato ipſe tam mundi, quam hominis partium vincula, proportiones eſſe, quibus ſingula inter ſe colligantur, in Timæo prodidit.

Proportio magna rerũ cõciliatrix.

ARTICVLVS III.

DVBII CVIVS-dam enodatio.

SAnè cùm formæ tanta ad ſocietatem cum materia ineundam inſit propenſio, iure quæſierit aliquis nũ anima ſeparata non impedita poſsit vi propria ſemet ipſam vnire corpori, ſi ei omnibus ſuis organis, totoque accidentium apparatu inſtructum abſque alia forma ſubſtantiali diuinitus offeratur. In hac dubitatione affirmatiuam partem ſequutus eſt, præter alios, Henricus Gandauenſis quodlib. 11. q. 14. negatiuam Scotus in 4. diſt. 43. q. 3. art. 3. & Capreolus eadem diſt. q. 2. art. 3. Richardus verò ibidem in 3. principali q. 2. vtranque probabilem iudicat.

Cum Henrico videtur ſentire Aureol9, & Bernardus apud Capreolum cad. q.

Placet opinio Henrici. Non eſt enim cur negemus poſſe animam ſe ſe intimè præſentem exhibere tali corpori, quemadmodũ & ſpatio, in quo conſiſtit, & aeri à quo ſpatium occupatur, intimo, atque indiſcreto ſitu adeſt. Deinde cùm animam in corpore diſpoſito vt in proprio perfectibili exiſtentem naturæ neceſsitate ſequatur informatio, animatioque eiuſdẽ corporis; non ſecus ac albedinẽ corpori inhærentem dealbatio; vtique non eſt etiam cur inficiemur copulatum iri tunc animam Socratis cum ſuo corpore, ita vt ex vtriuſque nexu Socrates reuiuiſcat. Non enim propterea id, quod interierat, dicetur idem numero redire per naturã; ſed vi miraculi; quo ponimus conſtitui diuinitus materiam eo modo, quo diximus. Neque etiam tunc deſiderabitur actio, qua attingatur vnio animæ cum corpore: tum quia in hominis generatione eiuſmodi actio ex parte generantis non eſt diſtincta ab illa, qua materia congruis diſpoſitionibus

Occupatio.

tionibus præparatur, quæ præparatio in hoc euentu diuina virtute præstanda est: tum quia vt anima Socratis eadem actione creatur, & vnitur materiæ; ita nunc eadem actione, qua se se in materiam intulerit, eidem copulabitur. Et verò id amplius habet ortus aliarũ formarum, quæ è materiæ sinu educuntur, quod præter illam, vel illas potius actiones, quibus materia ad earum receptionem disponitur (tot enim interueniunt actiones, quot accidentia realiter distincta à generante in materiam inducuntur) alia quoque detur actio ab eodem generante elicita, quæ ad formam intrinsecè terminetur, eam simul producendo & copulando cum materia. Quod in animam hominis minimè cadit, hæc enim, vt est per se subsistens, atque immaterialis; ita corporea generantis actione immediatè, siue intrinsecè attingi nequit; etsi dici possit extrinsecus attingi actionibus materiam ad ipsius inroductionem concinnantibus.

Anima Socratis eadem actione creatur, & vnitur materię.

Lege Cipr. in 2.d.15.q.3. art.3.Scot.d. 17.q.1.

Lege Ferrar. 1.contra gẽt. c 26.Sonc.7. Metap. q. 23.

Vt verò ea, quæ diximus, planiùs intelligas, aduerte circa prædictam vnionem materiæ cum forma, vnionem trifariam sumi. Primum pro actione, qua forma materiæ vnitur. Secundò pro illapsu, quo forma se se in materiæ substantiam penitus insinuat, pariterque substantia materiæ in se, ac suo quasi gremio formam recipit, qui nexus, est vnio substantialis. Tertiò pro relatione vnionis, quæ consurgit inter materiam & formam. Hæc ergo tria in eodem temporis puncto constant, eo tamen ordine, vt actio, qua forma materiæ iungitur, sit prior natura, quàm vnio substantialis; (siquidem hæc illam supponit) & vnio substantialis prior sit, quàm relatio vnionis; quia illa proximum est huius fundamentum, siue, vt vocant, ratio fundãdi. Verùm præter hæc datur vnitas totius compositi, quod est tertia quædam natura à materia & forma realiter differens, vt alibi statuimus.

Vnio triplici ter accipitur.

Lege Caiet. 1.p.q.76.a.1.

Cap.2.huius lib.q.1.art.3.

ARTICVLVS IIII.

RESPONSIO AD ARGVmenta primi articuli.

Sol.1.arg.

NVnc primi articuli argumenta soluamus. Ad primum dicendum est inductis à generante, siue à causa effectrici accidentibus, quibus materia ad recipiendam formam idonea redditur, non requiri aliquod medium, quo materia & forma inter se concilientur, sed suopte ingenio ac per se immediatè copulari. Itaque danda est prior pars maioris in hunc sensum intellecta, & ad primam eius impugnationem dicendum, vt plura in vnum coeant egere mutua accõmodatione & proportione inter se se: verùm hanc inter materiam & formam dari, vti diximus. Quod verò ad secundam impugnationem attinet Henricus Gandauensis quodl. 7. q. 17. AEgidius

in

in 1. d. 23. q. 2. Sonc. 5. Metaph. q. 22. Maironius in 4. d. 12. q. 8. negãt posse diuinitus effici, vt forma materiã omni quantitate exutam informet. Idemque de mente sancti Thomæ esse, ac sibi videri probabile scripsit Capreolus in 1. d. 42. q. 1. art. vltimo. Nobis tamen oppositum videtur cum Argentinate in 3. d. 5. q. 1. art. 1. Scoto in 4. d. 10. q. 2. Bassolio d. 12. q. 2. & alijs. Nec enim ex eo vlla sequetur implicatio. Itaque potest diuina virtute anima Socratis nudæ materiæ vniri: quo in euẽtu resultabit ex ijs compositum quoddam naturale, nempe Socrates, constans partibus physicis ad eius essentiam pertinentibus: licet organorum apparatu & integrantium partium distinctione careat. Hæc enim vt Socrates cohæreat non absoluta, sed physica tantum necessitate exiguntur, cùm sint accidẽtia materiæ; totique composito aduentitia.

Potest diuina virtute formam informare materiã sine quantitate.

Absque artubus, & organorũ distinctione constare potest Socratis essẽtia.

Ad secundum, negãda est maior, dicendumque non eãdem esse rationem in forma accidentaria, atque in substantiali, vt ex vtrauis simul cum materia vnum fiat. Materia enim per se primò ordinatur ad formam substantialem, vt potẽtia ad actum sui generis insita proportione idoneum aptumque vt ambo in vnam tertiam naturam coeant: quæ habitudo inter materiam & accidentariam formam nequaquam cernitur. Quod si quis opponat, Aristotelem lib. 2. de anima cap. 1. tex. 7. asserere ex corpore & anima fieri vnum quemadmodũ ex cera & figura. Quare si ex his non efficitur vnum per se, nec ex anima & corpore, & vniuersim nec ex materia & forma vnum per se constare. In promptu est quod respondeamus; nimirum similitudinem formæ & ceræ non in eo positam esse, quòd eadem sit vnitas eius, quod ex anima & corpore, & eius, quod ex cera & figura resultat: sed quod neque anima, neq; figura egeãt medio, quo connectantur ad constituendum compositum: etsi quoad vnitatem dispar sit vtriusque compositi conditio, cùm alterum sit vnum per se, aliud verò per accidens.

Sol. 2.

Obiectio.

Dilutio.

Ad tertium, dicendum quæ magis distant quoad proportionem, minùs inter se vniri, non tamen quæ magis distant secundum naturas: nunc verò materiam & formam, si mutua vtriusque proportio & habitudo spectetur, maiorem inter se habere conuenientiam ad cõdendum vnum, quàm subiectum & accidentia, vt ex dictis patet. At non deerunt qui probare contendant ex subiecto & accidente effici vnum per se, propterea quod generatio accidentaria, qua Socrates albescit, est mutatio per se vna, quæ proinde in vnum terminum per se ferri debet, non in alium, quàm in compositum ex Socrate & albedine. Resistendum tamen his erit fatendo eam mutationem esse per se vnam; sed negando terminari ad compositum ex Socrate & albedine; re enim vera non terminatur nisi ad album, quod est quid per se vnum, vt pote importans primariò albedinem, secundariò & vt connotatum, Socratem, cui albedo insidet.

Sol. 3.

Obiectio.

Responsio.

Ad quartum, negandum est materiam non affectare vnionem cũ forma,

Sol. 4.

forma, ſiquidem naturali propenſione in eam fertur, ipſamque expetit, vt alibi ex Ariſtotele & Platone docuimus. Neq; obſtat quòd à quibuſdam Philoſophis materia diuiſionis & multitudinis cauſa perhibeatur; (ob id videlicet potiſsimum, quòd in ſublunari orbe dum alias, atque alias formas ſucceſsione admittit, & ipſa vna eadēque ſecundum ſpeciem manens in varias partes ſecatur, ſingularium ſenſibilium multitudinem & diuerſitatem mūdo exhibet) Nō enim hoc mutui inter ipſam & formam amoris conſenſum conſpirationēque adimit; cùm vis amoris ex parte materiæ in eo conſiſtat, quòd ad formas inclinetur, eaſque in ſe recipere exoptet, & receptas ſuo gremio complectatur ac foueat; nec niſi contrariarū qualitatum impulſu dimittat.

Cur materia diuiſionis & multitudinis cauſſa dicatur.

Sol. 5. Ad quintum, negandum eſt antecedens, & ad eius probationem dicendum animam habere ad corpus naturalem inclinationem, etiā dum eſt ab eo ſeparata: & hunc ſtatum nec eſſe illi violentum, cùm ei anima ipſa non renitatur, quod ad rationem violenti exigitur: nec tamen naturalem (quidquid putarit Auicenna, cuius opinionē alibi confutauimus) cùm naturale ſit animæ eſſe in corpore, cuius forma eſt: ſed eſſe ei præter naturam, vt ſentit D. Thomas 1. p. q. 89. art. 1. & Caiet. in commentarijs eiuſdem loci, qui ſtatus inter violentum & naturalem medius eſt. Verùm licet anima ingenitam propenſionem habeat ad corpus, non iccirco reſurrectio cenſenda erit naturalis; ſed ſimpliciter ſupra naturam ex parte modi & principij actiui, quod erit virtus diuina ſupra conſuetum naturæ ordinem & facultatem agens: eſto prędicta reſurrectio ſecundum quid naturalis dici poſsit, videlicet quoad finem, quatenus naturale eſt animæ vniri corpori, vt explicat S. Thomas 4. contra gentes c. 81. Scotus in 4. d. 43. q. 4.

Ità D. Auguſtin 9 12. ſuper Geneſ. c. 35. D. Tho. 1. p. q. 26. art. 1. ad 6.

'Eſſe extra corpo nec eſt ſtatus naturalis animæ, nec violētus.

Reſurrectio ſimpliciter eſt ſupernaturalis.

Pro explicatione vltimi argumenti aduerte in primis, ſi materia cœleſtis & ſublunaris inter ſe ſpecie diſtinguātur, quod in libris de cœlo expendimus, nec materiam cœleſtē habere ordinē ad formas ſublunares, nec materiam ſublunarem ad formas cœleſtes; proindeque nulla vi, etiam diuina, poſſe ex ijs promiſcuè fieri vnum, quia non ex qualibet pura potentia & actu ſubſtantiali, ſed ex ijs, quæ inter ſe ordinem & proportionem habent, vnum conficitur. Si verò formam aliquam ſingularem ex inferioribus cum materia inferiori comparemus, non poterit ea cuilibet materiæ (eſto quælibet ſit pura potentia; nec enim ex hoc tantum ratio vnionis petenda eſt) per naturam vniri, ſed ſibi propriæ & peculiari; quia ſi forma materialis ſit, pendet naturaliter eius conſeruatio, & productio, ab ea materia, de cuius poteſtate elicitur vt probat ratio adducta in argumēto ad confirmationem minoris propoſitionis. Licet non oporteat eam materiam decurſu temporis eandem prorſus eſſe quo ad omnes ſui partes, ſed ſaltē eandē continuatione. Quod ſi forma immaterialis ſit, hoc eſt, anima humana, pēdet etiā à propria materia, nō quoad eſſe; cū extra illā cohærere valeat; ſed quoad officiū informādi.

Lege d. Thō. in 4. d. 43. q. 1. art. 3. Caiet. 1. p. q. 76. art. 5. Ferra. loco hīc cit. contra gent.

At

At enim verò, vt Fonseca lib. 5. Metaphys. cap. 2. q. 14. sectione. 2. & 3. annotauit, quælibet forma sublunaris, poterit cuiuis portioni inferioris materiæ diuina virtute coniungi: non quod earum inclinatio à Deo mutari possit; cùm sit ipsa materiæ, & formæ natura; sed quia si ambæ secundum se absolutè spectentur, ad se mutuò inclinantur, habentque congruam proportionem vt vniri queant; nullaque forma sublunaris ab vlla materia inferiori dependet necessitate absoluta; sed physica duntaxat; quatenus hæc numero forma ab agentibus naturalibus, quæ limitatæ virtutis sunt, non nisi interuentu & instrumentaria vi horum singularium accidentium potest in hac materia produci, eidemque vniri si materialis sit: vel vniri tantum, si immaterialis existat. Item etiam (quod ex eo sequitur) quatenus in nulla materia, præterquam in hac, datur completa habilitas naturalis ad hanc singularem formam recipiendam. Quæ completa habilitas duo requirit, videlicet proportionem ipsius materiæ ad formam; & aptitudinem ad illam recipiendam, sibique copulandam, vel ad copulandam solum, in ordine ad agens physicum. Vnde intelliges ad vnionem huius materiæ cum hac forma diuina virtute peragendam pauciora requiri, quam si eadem vnio agentium naturalium facultate præstari debeat.

Materia & forma sublunaris absolutè spectatæ ad se vicissim inclinantur.

QVÆSTIO XII.

VTRVM OMNES, AC SOLÆ formæ ordinis naturalis è materiæ, subiecti vè potentia educantur?

ARTICVLVS. I.

VIDERI PARTEM NEGATIVAM veram quo ad formas naturalis ordinis.

VIA formæ, de quibus in hac disceptatione agimus aliæ sunt naturalis ordinis, vt forma equi, albedo, quantitas; aliæ non naturales, vt gratia, lumen gloriæ, & formæ artificiales (accipimus enim naturale ita presse,

Formarum maxima genera.

vt ab arte facto distinguatur) propositam disceptationem ab ijs, quæ priori genere continentur, auspicabimur. Ac primùm quod dicendũ non sit eiusmodi formas de materiæ potentia educi, hunc in modum videtur ostendi.

1. argum. Formæ secundum rationes, quas Theologi seminales vocant, latent in materia: ergo etsi ante cuiusque rei compositæ ortum non dum se prodant, actu tamen in materia iam insident; atque adeo nõ ab illa denuò excitantur. Assumptum probatur testimonio D. Augustini cap. 7. & 8. libri 3. de Trinitate, vbi docet, omnium, quæ ad oculos nostros prodeunt, occulta quædam semina in elementis mũdi latere, per quæ illa, quæ in occulto erant, in apertum progrediũtur. Accedit qnòd si formæ non actu præiacent in materia; sed à genitore efficiuntur, nulla generatio respectu materiæ naturalis erit, sed violenta, cùm ab Aristotele lib. 3. Ethicorum cap. 1. violentum definiatur id, cuius principium extra est, ita vt nullam id, qvod patitur, vim conferat.

Auguſt.

Aristot.

2. argum. Secundò. Quod creatur non egreditur de potestate materiæ, vt Philosophi vna voce confitentur; at formæ omnes, si nihil earum præfuit, è nihilo fiunt, quod nihil est aliud, quàm creari; Igitur nulla è materiæ potestate egreditur.

3. argum. Tertio. Idem probare licet in formis notionalibus, siue intentionalibus, per quas nimirum potentiæ in obiecta intendunt, quales sunt imagines colorum, cæteræque cognoscibilium rerum similitudines. Nam cùm eductio realem transmutationem designet, eiusmodi autem formæ sine rei trãsmutatione adueniãt, quo pacto de subiecti potentia educentur?

Formę intentionales.

Quartò. Ascensus lapidis, motus circularis ignis, aspectus homini cæco diuina virtute collatus, relatio similitudinis inter duos candores, cæteræque relationes, quæ rebus physicis adueniunt, sunt naturales formæ: & tamen has de materiæ potentia non educi, ea ratio probare videtur; quia in lapide non est potentia naturalis ad ascensum, sed violenta; in igne non nisi neutra ad conuersionem; in cæco non nisi obedientialis ad aspectum. Denique relationes; sicuti produci non dicuntur, ita neque educi dicendæ sunt.

ARTICVLVS II.

QVIBVS ARGVMENTIS VIDEAtur oppositum ostendi de formis non naturalis ordinis, & de anima rationali.

Contra

CONtra verò quod formæ non naturales è subiecti potẽtia educantur, videtur posse concludi; ac pro artificialibus ita opponimus. Formæ artificiales, vt forma statuæ, habent in subiectis potentiam naturalem, quod eis forsitan quis deesse crederet: educuntur igitur de illorum potestate. Probatur antecedens, primùm quia ars non quamlibet materiam; sed natura aptam, & idoneam ad opus assumit. Vt enim est in prouerbio Pythagorico. Non ex quouis ligno fit Mercurius. Deinde quia alioqui dicendum esset eas formas creari ad eum modum, quo gratia creari dicitur, propterea quod anima non habeat respectu illius naturalem potentiam.

1. argum. De formis artificialibus.

Pythagoricum prouerbium.

Sed quòd ipsa etiam gratia excitetur de potentia animæ, probatur. Namque vel anima in genere causæ subiectiuæ per se, & vi sua continet, conseruatque gratiam diuinitus infusam; vel ad eam contindẽam supernaturali Dei auxilio eget. Hoc posterius non videtur dandum; si detur primum, sequitur animam habere naturalem inclinationem, & potentiam ad recipiendam gratiam. Nam quidquid potest aliquam formam naturaliter sustinere; potest eandem naturaliter recipere. Nihil ergo obstat, quominus gratia de animæ potentia eliciatur, proindeque alia similia dona supernaturalia.

2. argum.

De gratia.

Postremò, Forma humana prodit è potentia materiæ; non est igitur cur inter cæteras rerum naturalium formas ab hac communi lege excipiatur. Antecedens ostenditur. Primùm quia non minoreni vim habet homo ad formam suæ speciei è materia promendam, quàm cęteræ animantes; alioquin præstantissimum animal deterioris esset conditionis. Secundo in materia est potẽtia naturalis passiua ad excipiendam formam humanam. Ergo in ordine agentium naturalium dabitur etiam aliqua facultas actiua, à qua in eandem materiam inferatur. Deinde quia vis actiua instrumenti potest virtute principalis agentis excitari vltra suam speciẽ, vt patet in phantasmate, cuius instrumẽtaria opera ac ministerio intellectus agens species intelligibiles in patientẽ imprimit. Potest igitur facultas gignendi, etsi materiæ inhæreat, prout animæ rationalis instrumentũ est, alterius animæ productionem attingere. Quare non videtur negandum animũ hominis elici è potentia materiæ.

3. argum.

De forma humana.

ARTICVLVS III.

REFVTANTVR FALSÆ quorundam sententiæ.

IN proposita quæstione magna disidentiũ Philosophorũ contẽtione certatũ fuit. Qui enĩ Anaxagorę disciplinã secuti sũt, asseruere formas oẽs singulis in reb⁹ occultas esse, viq; gignentis causę ex fortuita ac turbata cõgerie in ordinẽ traduci, & quasi sopitas excitari, atq; in certam speciem componi. Hãc opinionẽ c. 4. huius libri confutauit Aristoteles. Altera fuit Platonis sententia in Phædone,

Opinio Anaxagorę.

qui docuit rerum intereuntium formas non ſemper in materia extitiſſe; ſed in ipſam ex idearum fontibus, id eſt, (ſi probè eum Ariſtoteles interpretatur) à ſubſtantijs quibuſdam per ſe extra ſingularia cohærentibus in materiæ conceptaculum influere. Hoc etiam placitum multis in locis coarguit Ariſtoteles oſtendens eas ſubſtantias nullo pacto in natura dari poſſe, fruſtraque illas ad rerum generationem aſciſci. Auicenna autem in ſua Metaphyſica tract. 9. cap. 4. & 1. ſufficientiæ cap. 10. intelligentiam quandam finxit inter cæteras poſtremam, eandemque ſublunaris mundi gubernatricem, à qua in materiam ab agente phyſico prius diſpoſitam rerum naturalium formæ inducerentur; quam proinde cholcodem, hoc eſt, formarum datricem vocauit.

Auicennę.

Vt 1. Metaph. c. 7. tex. 25. & lib. 7. c. 8. tex. 28. & lib. 12. cap. 3. tex. 18. & lib. 13. à cap. 7. & 2. de gener. cap. 9.

Contra illum Platonis, & hunc Auicennæ errorem reclamat tum natura ipſa indignè ferens adimi ſibi nobiliſsimam ſuam operationem, ideſt, generationem ſubſtantialem; tum ſchola Peripatetica communi conſenſu. Argumentatur verò contra eam D. Thomas 3. contra gentes cap. 69. & 103. alijsque in locis ratione deſumpta è ſeptimo Metaph. Ariſtotelis cap. 7. & 8. hunc in modum. Omne agens producit ſibi ſimile: id autem, quod in natura generatur, non eſt forma tantùm, ſed compoſitum ipſum (quia eius eſt fieri, cuius eſt eſſe; compoſitum autem propriè eſt, quia per ſe in ſuo eſſe cohæret & ſubſiſtit) oportet ergo vt ipſum generans non ſit forma tantum; ſed compoſitum ex materia & forma. Quare nec Platonicæ ideæ, nec intelligentia Auicennæ; ſed id quod ex forma & materia conſtat, formas in materiã inducit, & cõpoſita naturalia progignit.

Sentẽtia Peripatetica de eductione formarum.

Eius confirmatio.

Vt 1. p. q. 65. art. 4. & q. 105. art. 1. de potent. q. 6. art. 3. quodl. 9 ar. 10. vide etiã Heruęum q. 4. de vnit. form.

Quod ſiquis hanc rationem cauilletur, quòd ex ea ſequi videatur nullum compoſitum phyſicum poſſe à Deo effici, cùm inter illud, quà tale eſt, & Deum ſimilitudo non ſit: occurrit D. Thomas compoſitum ex materia & forma aſsimilari Deo, non quidem ſecundum ſpeciem; ſed ſecundum continentiam virtualem; quatenus formæ omnes & materiã ipſa, quæque ex his conſtituuntur, virtute in Deo inſunt; quod tamen nulli formæ creatæ, quantumlibet naturæ dignitate excellat, conuenire poteſt. Sola enim forma, quæ eſt actus purus, atque omnis limitationis expers, ad nullum certũ effectum coarctatur; ſed incircunſcriptè totam eſſendi & operandi vim in ſe cohibet, vt D. Dionyſius 5. cap. de diuinis Nom. ſapiẽter docet.

Diluitur propoſitę rationis reprehẽſio.

Impugnatur hæc ratio à Dur. in 2. d. 7. q. 4. ppugnatur à Ferrar. 3. contra gent. c. 103.

Ita verò communis eſt Theologorum ſententia non poſſe vllam ſubſtantiam à materia abſolutam, excepto Deo, formam aliquam ſiue ſubſtantialem, ſiue accidentariam in materiam per ſe inducere, ſed duntaxat applicando naturalia actiua paſsiuis; hoc eſt, non poſſe angelos ignem v. c. producere niſi cauſas phyſicas, quibus excitari ignis queat, aptè copulando. Id quod etiam hac ratione oſtenditur. Nam ſi poſſent eiuſmodi formas per ſe inuehere in materiam, vel id efficerent tanquam agentia naturalia, vel tanquam artificialia, ideſt, more eorum, quæ arte operantur. Non priori modo, quia cauſæ naturales deter-

Subſtãtię ſeparatę nullã formam de ſubiecti potentia immediatè per ſe educunt. Eius rei probatio.

D. Auguſtini 12. de ciuit. c. 24. & ſequent. & lib. 3. de Trinit. c. 8. Alẽſis 2. p. q. 43. mẽb. 2. d. Thomę 3. cõt. gẽt. c. 103. D. Bonau. in 2 d. 7. q. 2. & aliorum eadẽ d.

determinatæ sunt à natura ad certas actiones, peculiariaque effecta edenda; vt ignis ad producendum ignem, non aquam; calor ad calorem, non frigus; at Angeli non ad vnam magis, quàm ad aliã formam exhibendam præfiniuntur. Non posteriori modo; quia ars supponit naturam, atque ita Angeli supponerent formam physicam, quam inducere in materiam conarentur. Nullo igitur pacto per se formam aliquam gignere queunt. Quia tamen elementorum proprietates, & astrorum contuitum, influxumque siderum, ac denique omnium rerum occultas vires pernoscunt: & corpora, quæ ipsis quoad motum localem obediunt, paruo negotio aliunde comportare queunt; non est eis difficile formas, quæ per eiusmodi causas in materiam introduci possunt, ad eum modum excitare. Atque hoc pacto Magi ope dœmonum, quibus se nefaria societate astringunt, non nunquã opera edunt admiranda; neque tantum spectris & fictitijs rebus oculorum aciem eludunt; sed veras etiam res, vti veros serpentes subitò progenitos aspectui offerunt, vt præter alios docet D. Augustinus 20. lib. de ciuitate Dei cap. 19. & 3. lib. de Trinit. cap. 7. & 8.

Magi interdum ope dœmonũ res veras aspectui exhibent.

ARTICVLVS IIII.

APPROBATVR ARISTOTELIS opinio, traduntur q; variæ potentiarum notiones, quæ ad rem præsentem faciunt.

INter ea Philosophorum dogmata, quæ articulo proximo confutauimus, medium locum tenet Aristotelica, & vera sententia, quæ statuit formas ante cuiusque rei ortum neque actu existere; sic enim nihil denuò gigneretur; neque prorsus non existere; alioqui iam aliquid natura ex nihilo efficeret; sed esse potestate in materia, & naturalium causarum efficacitate de illius potentia & quasi gremio exciri, & ad actum perfectionemque adduci. Quod Aristotelis decretũ astruit D. Thomas 1. p. q. 45. art. 8. Henricus Gand. quodl. 4. q. 14. Scotus in 2. d. 18. quæst. vnica. Dur. q. 2. Capreolus d. 17. quæst. vnica. Heruæus in tractatu de vnitate formarum quæst. 3. alijque Peripatetici fere omnes varijs in locis.

Sententia Aristotelis.

Soncinas 7. Metaphy. q. 27. & 28.

Vt tamen huic doctrinę lucem afferamus explicandum erit quid sit naturalis potentia; quid ea, quam obedientialem vocant; quid etiam neutra, & violenta. Potentia naturalis est ordo, propẽsio, inclinatiove cuique rei insita ad id, quod sibi consentaneum est, vt potentia materiæ ad formam sibi proportionatã, vis oculi ad vidẽdum, intellectus ad intelligendum, denique cuiusque subiecti facultas, seu capacitas ad actum sibi naturalem. Potentia obedientialis, est aptitudo, seu non repugnantia, quam res habent ad aliquid obtinendũ

Quid sit naturalis potentia.

Quid obedientialis.

De potentia obedientiali D. Tho. in 2. d. 18. q. 2. art. 2. Capr. in 1. d. 42. q. vnica art. 3. Heru. tract. de materia cœli q. 1.

ab

ab eo, cui vel præter, vel ſupra naturæ modum obedire aptæ ſunt. Quomodo ineſt ligno potentia ad formam ſtatuæ, quæ eſt præter naturam prout natura ab arte diſtinguitur, & humanitati conuenit potentia ad vnionem cum Verbo diuino, vt D. Thomas ait 3. p. q. 4. art. 1. quæ vnio eſt ſupra vim & facultatẽ totius naturę creatæ.

Num verò præter hanc bipartitam potentiæ notionem danda ſit etiam in rebus phyſicis potentia neutra, & violenta comparatione aliquorum actuum, diſceptatio non parua eſt. Vocatur autem potentia neutra ea, qua res neque repugnat, neque inclinatur; violenta, qua repugnat. Scotus q. 1. prologi, & in 2. diſt. 2. q. 6. alijſque in locis vtranque dari putat. Caietanus in 3. to. tract. 3. q. 1. violentã admittit, neutram negat. Nos quid veriſimilius videatur, ita breuiter ſtatuimus. Si materia ſumatur, non per ſe tantùm, ſed vnà cum forma, cui ſubeſt; nonnulli actus ſe ſe offerent, ad quos non naturalem habeat potentiam, ſed violentam, vel neutram. Huiuſce pronũtiati veritas hunc in modum oſtenditur. Forma terræ affecta grauitate ſicuti deorſum nititur, ita & aſcenſui repugnat; igitur materia prout terrenæ formæ in eum modum ſpectatæ ſubiacet, recipiet aſcenſum cum renitentia, & repugnantia: ac proinde reſpectu aſcenſus dicetur habere potentiam violentam. Rurſus forma ignis neque repugnat motui circulari, neque ad illum inclinat, cùm ſit ei præter naturam. Ergo materia prout ſubſternitur formæ igneæ recipit motum circularem ſine inclinatione, aut repugnantia; atque adeò reſpectu illius potentiam neutram vendicabit, quæ etiam obedientialis dici poterit, prout vtranque explicauimus. Sanè hunc in modum accepta potẽtiæ neutrius, & violẽtæ aſſertio minimè videtur à Philoſophis repudianda.

Quid ſit potẽtia neutra.

quid violẽta.

Quo pacto dari queant.

Forma ignis vt ſe habeat ad motũ circularem.

Opinionem Scoti tuetur Lichetus & Barg. eiſdẽ in locis.

ARTICVLVS V.

QVID SIT FORMAM EDVCI de potentia materiæ, & quibus id formis competat.

1. conditio.

QVibus ita poſitis, omiſſa Philoſophorum hac de re controuerſia, dicimus vt aliqua forma de ſubiecti potentia educi perhibeatur, duplicem conditionem requiri, ac ſufficere: vnam, vt ad id naturalis potentia ſubiecto inſit; alioqui ipſa eductio non eſſet naturalis: alteram, vt quod educitur ſine talis ſubiecti adminiculo nec effici, nec permanere poſsit; quod vocant pendere in fieri & conſeruari à materia. Etenim quod nõ ita depẽdet haud quaquam è ſubiecto educi; ſed extrinſecùs aduenire cenſetur, vt Ariſtoteles loco, quẽ mox citabim⁹, de animo rationis participe enuntiat.

2. conditio.

Ita

Ita patet vtranque conditionem requiri. Nec verò est cur vlla amplius addatur.

Porrò ob defectum primæ conditionis neque gratia, neque lumē gloriæ, cæteraq; id genus; imo nec artificiales formæ, vt in progressu magis patebit, de potentia subiectorum excitari dicentur. Ob defectum secundæ constat humanum animū non elici è potestate materiæ; quia etsi hęc ad eum recipiendum innatum habeat propensionem; ipse tamen extra illam cohærere per se valet, & eodem cōcursu, quo creatur, & in materiæ gremium à Deo infunditur, extra materiam creari potuisset.

Anima humana nō elicitur de potestate materiæ.

Liquet igitur quæ nā esse debeat propositæ disceptationis cōclusio, nimirum omnes, ac solas formas, quæ naturalis ordinis censentur, educi è potentia materiæ, subiecti vè, dempta forma humana. Etenim in his omnibus, vt ex argumentorum solutione conspicuum fiet, duæ explicatæ conditiones reperiuntur, præter quam in forma rationis participe, in qua secunda conditio locum non habet. Vnde Aristoteles 3. cap. lib. 2. de generatione animalium affirmat solam formam humanam extrinsecus accedere; ideſt, neutiquam è materiæ sinu, vt reliquas formas, educi. Atque hanc materiæ vim, & potentiā vel balbutiebat, vel somniabat vetus Philosophia, cùm omnia in omnibus, ideſt, omnes rerum naturalium formas in materia, è qua res physicæ constant, esse prædicabat.

Cōclusio totius quæstionis.

Proposita conclusio intelligenda est de ijs formis, quæ nunc in materiam inferuntur. Nam eæ, quarum composita in prima rerum molitione à Deo procreata sunt, videlicet formæ corporum cœlestium, & elementorum, non fuere eductæ de potestate materiæ. Nō enim rectè, ac propriè de materiæ potestate educi censetur, nisi ea forma, cuius priuatio cū dispositionibus in materia præfuit: sic enim priorem conditionem, quam supra posuimus, intelligendam volumus. At nequaquam dicendum est præfuisse tunc in materia priuationem eiusmodi formarum; cùm tam ipsæ, quàm earum materia, & composita eodem instanti, à Deo producta fuerint. Nunc verò non solum formæ elementorum de sublunaris materiæ potestate euocantur; sed ipsæ etiā formæ cœlestes de potestate suæ materiæ euocari possent, si eam Deus cū suis dispositionibus absque formis creasset; vel nūc ab eis formas remoueret, deinde easdē, aliasvè induceret

Formæ corporum cœlestium nō fuerunt eductæ de potentia materiæ.

ARTICVLVS VI.

DILVVNTVR ARGVMENTA primi articuli.

NVnc ad dilutionem argumētorum, quæ initio proposuimus veniamus. Quod ad primum attinet, quæ nam sint rationes seminariæ, de quibus loco citato D. Augustinus agit, pertractat

tractat D. Thomas 1. par. q. 115. art. 2. Durandus in 2. sent. dist. 18. quæst. 2. Heruæus ibidem, quæst. vnica art. 3. & in tractatu de materia cœli quæst. 2. AEgidius in 2. dist. 8. Capreolus in 1. dist. 42. quæst. vnica art. 3. Vdalricus in sua summa lib. 4. Henricus Gandauēsis quodlib. 4. q. 14. Sed omissis controuersijs dicendum rationes seminarias nihil esse aliud, quàm naturalium caussarum, seu agētium, seu patientium potentias, & facultates, in quibus, veluti quibusdam seminibus naturalia effecta continentur. Dicuntur autem in ijs latere formæ, non quasi in ipsis actu sint, sed potestate, vt supra diximus. Ad reliquam argumenti partem respondendum formarum è materia eductionem non esse violentam; quia tametsi externa vi fiat, ipsa tamen materia neutiquam ijs recipiendis obluctatur, quod in definitione violenti intelligendum esse monet D. Thomas 12. quæst. 6. art. 4.

Item d. Tho. in 2. d 18. q. 1. art 2.

Rationes seminarię quę sint.

Sol. 2. Ad secūdum, Reiecta Theologorum quorundam sententia, quos refert Magnus Albertus in 2. dist. 1. art. 12. aientium omnes formas à Deo creari; & aliorum, qui putarunt formas esse materiæ coæuas, & in ea præexistere non omnino expresso & absoluto actu, sed inchoatione quadam (cuius opinionis fuisse Magnum Albertum hoc loco tract. 3. cap. 3. & 15. putant nonnulli; quibus aduersatur Soncinas 7. Metaph. quæst. 28. aiens eum aliter censuisse) respondemus admissa maiori propositione, dicendoque imprimis nullam formam, excepta humana, propriè fieri; quia effectio non nisi in rem per se subsistentem cadit, vt superius diximus; atque ita nullā formam effici è nihilo. Ita D. Thomas 1. par. quæst. 90. art. 2. Respōderi etiam potest id creari, quod fit è nihilo, idest, nullo præiacente subiecto, à quo esse eius, quod fit, dependeat. Liquet autem omnes formas naturales, excepta humana, à materiæ societate omnino pendere, cùm extra illā cohærere non possint. Quod si quis obijciat gratiam creari, & tamen effici præiacente subiecto, nempe angelo, vel anima rationali. Occurrendum erit gratiā suomodo creari, vt 8. libro patebit: at licet fiat præiacente subiecto; id tamen non habere potentiam naturaliter receptiuā illius, quo pacto definitio creationis intelligenda est.

Nulla forma excepta humana propriè fit.

Sol. 3. Ad tertium, AEgidius in 2. sent. dist. 13. quæst. 2. Argentinas ibidem quæst. vnica art. 3. Soncin. 7. Metaphys. q. 8. alijq; nonnulli opinātur notionales formas haudquaquam educi è materia, idēq; de luce asserendum inquiunt Alensis 8. Metaph. ad tex. 13. & Dionys. in 2. dist. 13. q. 1. Sed oppositum potius dicendum cū Richardo in 2. dist. 13. quæstione. 1. alijsque compluribus. Itaque inficiamur id tantum debere dici è materia elici, quod cum transmutatione reali fit, si eam transmutationē intelligant, qua aliquid per motum propriè sumptū producitur, aut qua non imago rei, sed res ipsa efficitur. Credimus enim, vt forma aliqua dicatur educi de potentia cuiuslibet subiecti sat esse gigni illā in subiecto interueniēte duplici illa

Formas intē tionales educi de potentia materię.

Vt Heruæo quodlib. q. 10. & in 2. d. 18. q. 1. art. 2

illa conditione, quam articulo superiori posuimus, siue per motum, siue absque motu fiat, siue esse reale, siue notionale habeat.

Ad quartum dicendum licet terra aliquo modo potentiam habeat violentam ad ascensum, & ignis neutram ad motum circularem, vti diximus; tamen materiam primam per se spectatam, quo pacto de illa hoc loco agimus, potentiam habere naturalem ad vtrūlibet horum motuum, vt ad actum naturæ suæ congruentem. Sol. 4.

Quare hos etiam motus educi de potentia materiæ: quanquam nulli locali id proprijssimè conueniat; quia aut is motus consideratur vt idem cum superficie continentis, atque ita non inhæret mobili, vt de eius potentia educi propriè dicatur; aut sumitur, vt idem cum vbi, siue cum existentia mobilis in loco, spatiouè. Quæ existentia forma non est; sed modus quidam, vt tertio huius operis libro dicemus. Quòd verò attinet ad aspectum cæco diuinitus collatum, asserendum est educi eum nihilominus de potentia oculi; quia semper oculus natura sua inclinatur ad obtinendum aspectum, vt ad formam sibi cōmensuratam. Nec obstat quod amissum naturaliter recuperare nequeat. Id enim ex accidente est, nec impedit quin per se ac simpliciter ea forma sit de numero illarum, quę suopte ingenio ab agente naturali in materiam induci posse dicuntur. Relationes autem cùm spectata generis sui natura resultare possint, ac sæpe resultent absque vlla actione propria earum subiecta attingente, vtique pronuntiandum est non propriè illas de subiectorum, materiæue potestate educi.

Aspectus cæco diuina virtute tributus educitur de potetia oculi

Relationes non propriè à subiecti potestate educuntur.

ARTICVLVS VII.

RESPONDETVR SECVNDI articuli argumentis.

ARgumēta verò, quæ articulo secūdo proposuimus, ita diluēda sunt. Ad primum respondemus (etsi alij contra opinentur) formas artefactorum, quæ simpliciter artificiales sunt (de his enim hoc loco agimus) non elici de potentia materiæ, quia respectu illarum non insidet materiæ naturalis potentia, sed obedientialis tantum, vt præter alios annotauit D. Thomas & AEgidius libro. 2. huius operis ad textum secundum, Scotus in 2. dist. 18. q. vnica, & Capreolus in 2. dist. 6. q. vnica arti. 3. Nam cùm necesse sit potentiam actui proportione respondere, nequit materia naturalem habere potentiam nisi ad formas sibi naturales, etiam prout naturale ab artefacto distinguitur. Ad argumentum igitur negandum est antecedens, & ad priorem eius confirmationem dicendum artificem assumere quidem materiam aptam, idest, quę ad opus flecti, & efformari possit; non tamen, quæ ad formam artificiosam, naturalē propensionem habeat.

Sol. primi arg. 2. artic.

Formas simpliciter artificiales non elici de potentia materię.

Adde ad formas artificiales, de quibus sermo est, nullam terminari productionem, atque adeo neque eductionem, sed solum esse modos quosdam quantitatis ex varia illius incisione, aut compositione resultantes. Quare minùs etiam quàm relationes dici posse educi de potestate materiæ.

Formę artificiales sunt modi quantitatis.

Ad refellendam verò posteriorem eiusdem argumenti partem aduertendum erit neque gratiam, neque artificiales formas inuenire in subiecto naturalem potentiam, si propriè sumatur, & vt à nobis in quarto huiusce disceptationis art. explicata fuit: hoc tamen esse discrimen, quod si potentia naturalis receptiua fuso vocabuli significatu accipiatur pro ea, quæ ab agente creato ad actum perduci potest; sic artificiales formæ habent in materia, siue subiecto potentiam naturalem, non autem gratia, quæ à solo agente supernaturali efficitur. Hæc igitur caussa est cur gratia creari, seu concreari dicatur; non tamen formæ artificiales, nimirum, quia illa fit ex nihilo, idest, non præsupposito subiecto, quod habeat potentiam aliquo modo naturalem ad eam recipiendam; cùm tamen secus accidat formis artificialibus, vt ex dictis constat.

Discrimẽ inter gratiam & artificiales formas quo ad potentiã, quam in subiecto inueniunt.

Sol. 2.

Ad secundum, omissis aliorum responsionibus, dicimus animam in genere caussæ subiectiuæ naturaliter sustinere, & conseruare gratiam diuinitus infusam, sibique inhęrentẽ, nec ad eiusmodi caussalitatem præstandam maiori, quàm communi, & generali Dei cõcursu indigere; non habere tamen ad gratiam recipiendam naturalem potentiam, cùm illam non ab agente naturali, sed supernaturali tantum recipere possit, & naturalis potentia receptiua necessariò respiciat naturale agens. Quo fit vt simpliciter negari debeat inesse ei naturalem inclinationem, aut potentiam ad gratiam, aliosque habitus supernaturales.

Nõ inest animę naturalis inclinatio ad gratiam.

De actibus verò eius ordinis, vt de intuitiua diuinæ naturæ contemplatione, de actibus Theologicis fidei, spei, & charitatis, ac similibus maior dubitandi ratio est; quia ad eos eliciendos vi etiam nostra efficienter concurrimus. Sed nec dicendum est habere nos potentiam simpliciter naturalem, siue actiuam, siue passiuam ad eiusmodi actus: siquidem non nisi diuini ordinis auxilio subleuati eos exercere possumus. Quod latius persequi nõ est Physici instituti.

Nõ habemꝰ potentiã simpliciter naturale ad actꝰ Theologicos fidei, aliosq; eiusmodi.

Sol. 3.

Ad vltimum negandum est quod assumit, & ad primam eius confirmationem fatendum inter cæteras animantes solum hominem propriam formam è potestate materiæ non educere; verùm id non ex naturæ imperfectione, sed ex animæ rationalis dignitate proficisci, quæ vt mortis fatum nescit, & extra materiam per se cohærere potest, ita de materiæ sinu non exit; sed à solo Deo creatur, quod tamen non impedit quominùs progignere hominem homo dicatur; quia vt aduertit Caietanus prima parte quæst. 118. arti. 2. vt vnum aliud generet non necesse est, vt producat partes, ex quibus res genita coalescit, sed vt eas mutuò coniungat, atque vniat. Idque homo

Vt vnũ aliud generet quid requiratur.

homo in generatione præstat; attingit enim introductionem animæ rationalis, & eius cum materia copulationem: atque hanc potentiam actiuam naturalem ad vniendam animam rationalem cum materia sat est respondere in rebus Physicis potentiæ passiuæ, quam habet materia ad eandem animam recipiendam. Plura in hanc sententiam D. Thomas. 2. contra gent. cap. 89. alijsque in locis, & Henricus Gandauensis quodlib. 3. q. 16.

Illud verò, quod de vi instrumentaria obijcitur, futile est, ac nullius momenti: fieri enim haudquaquam potest, vt agens creatum opera instrumenti purè materialis aliquid immateriale producat; facultas autem gignendi purè materialis est. Secus tamen accidit in effectione specierum intelligibilium, ad quas producendas vtitur anima vi intellectus agentis, vt principalis instrumenti excitantis, atque eleuantis phantasma. Qua de re suo loco planiùs, ac pleniùs.

Ex dictis manifestum est hominis animum quadam ex parte in materiæ fæcem immergi; siquidem societatem init cum corpore; ex altera ab ea liberum esse, cùm extra illam per se cohærere valeat. Vnde magni quidam Philosophi, vt Trismegistus in Asclepio, auctor libri de caussis propositione prima, alijque nonnulli in orizonte æternitatis, ac temporis eum positum esse dixerunt: quia scilicet quatenus in se materiæ expers & immortalis est, ad diuina, quæ extra omne tempus consistunt, transcendit; quatenus verò materiæ coniungitur, ad mutationes, quas tempus metitur, & absumit, depressus est. Nempe hac ratione princeps auctorque naturæ Deus hominem commonitum esse voluit ne qui terrena mole esset concretus se se vana iactatione insolenter efferret: neue etiam qui mentem haberet cœlestem, ac diuino satu editam abiecta, & terrena cupidè expeteret; sed à corporis societate se, quoad fieri posset, auocans, & diuinitatis amore succensus ad cœlestia, & æterna ardenti studio anhelaret.

Fac de re d. Tho. 4 contra gent. c. 55. Ficinus lib. 3. de immort. anim. cap. 2. Belsario lib. 2. c. 7. contra Calsin. Picus in Heptaplo. cap. 7.

Humanus animus est in orizonte æternitatis, & temporis.

FINIS PRIMI LIBRI.

FINIS PRIMI LIBRI

IN SECVNDVM LIB. PHYSICORVM ARISTOTELIS.

PROOEMIVM.

RECENTIVM PHILOSOPHORVM non nulli eum librum Metaphysicæ, quem Latini secundum, Græci A, τὸ ἐλαττον, idest, primũ minorem vocant, ad hunc de Naturali auscultatione pertinere, eiusque esse proœmium; sed veterum errore ab hoc loco, quasi caput à reliquo corpore, auulsum fuisse opinati sunt. Hanc tamen sententiam meritò reijcit communis Græcorum, & Latinorum interpretum consensus, qui neque secundum librum Metaphysicæ loco mouent, neque hunc ab illo auspicantur. Est autem Aristotelis institutum agere hîc non de materia, & forma tantùm, vt censet Philoponus; neque etiam de fine, & efficiente duntaxat, vt putat Simplicius; sed tum de materia, & forma, quatenus naturæ sunt; tum vniuersim de omnibus quatuor caussarum generibus. In his enim tota huius libri explicatio consumitur. Neque verò hoc libro, vbi, vt Auerroes inquit, totius Naturalis Philosophiæ fundamenta iaciuntur, quadripartitam hanc varietatem præterire debuit Aristoteles; cùm citra eius obseruationem, & notitiam neque rerum naturalium vis, & essentia, neque Physica mutatio, in cuius perveſtigationẽ tanto studio Physiologus incumbit, intelligi possint. Quod si quispiã scisciteturquo iure Philosophus Naturalis de caussis differat, quarum contemplatio Metaphysici propria esse videtur? Occurrendum proprium esse Metaphysici de caussis in commune, vt caussæ sunt, agere, & eas priuatim scrutari, quæ à materia abiunctæ sunt, tametsi ipsam quoque materiam suo modo consideret, vt alibi diximus. Verum alios quoque artifices, vnunquenque pro ratione suæ artis, caussas tractare. Namque Dialecticus de ijs agit, quatenus ad demonstrandum aptæ, idoneæque sunt. Physicus, prout res naturales attingunt, habentque ordinem ad motum. Cæteri denique qua ex parte ad earum rerum, quæ suæ facultatis propriæ sunt, intelligentiam pertinent.

Franciscus Beatus. 2. Metaph. secutus Sadoletum Cardinalẽ.

Institutum Aristotelis.

Iaciuntur in hoc lib. Physiologię fundamenta.

Lege M. Alb. 3. Metaphy. tract. 3 cap. 1. Auer. 2. Metaph. cõ. 6.

In proœmio huius operis §. 1.

Capite

Capitis primi explanatio.

IN priori huius libri parte, quę duobus primis capitibus continetur, agit Aristoteles de natura, & de Naturalis Philosophię consideratione, eiusdemque à Mathematicis discrimine, propterea quod hęc multum conferant ad peruoscendam causarum vim, quarum explicatio, vt antea prefati fuimus, huiusce libri scopus est. Porrò vt naturę definitionem inueniat, tradatque, proponit initio generalem quandam & illustrem rerum diuisionem; tum vt more suo, à communioribus ad minus communia, & à notioribus ad minus nota incedat; tũ quia vt 14. cap. lib. 2. post. & 4. cap. lib. 7. Metaph. docet ad inuestigandam cuiusque rei essentiam nulla commodior, aut magis compendiaria via esse potest, quam si primò cõmuniora in partes distrahamus. Sic enim facile est paulatim eo vsque rem persequi, dum definitio ex duabus tãtum rebus, genere in quam, & reciproca differẽtia coalescat. Atque hanc methodum post Platonem in Phędro, & in legibus, secutus etiam fuit Aristoteles 2 lib. de anima cap. 2. & 3. huius operis cap. 1. illic animę; hîc motus definitionem inquirens.

Methodꝰ inuestigãdę definitionis.

ARISTOTELIS Physicorum.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT. I.



ORVM, a quæ sunt, quædam natura constant, quædam per alias causas. Natura quidẽ animalia, & partes ipsorum, & plantæ, atque simplicia corpora, vt terra & ignis, aer & aqua. Hæc enim, & huiusmodi alia, natura dicimus constare. Quæ omnia ab ijs videntur differre quæ natura nõ constant. b Nam quæ constãt natura, ea omnia motionis, & quietis in se habere principiũ videntur; alia quidem in loco, alia accretionis & imminutionis, alia alterationis. At lectica, & vestis, & siquod aliud tale est genus, quatenus quidem horum nominum singulis appellantur, atque vt ab arte proficiscuntur, nullum mutationis impetum insitum habent; quatenus vero accidit, vt lapidea, aut terrea, aut ex his admista sint, obtinent. Tan-

Text. 1.

Text. 2

a Eorũ quę sunt] Partitio ita se habet. Eorum, quæ sunt, quędam natura cõstãt; quędã per alias causas. Natura cõstant animalia, & eorum partes integrãtes, vt caput, cor, pedes; Item omnia stirpium, & herbarum genera; & quatuor vulgata elemẽta. Non enim hæc ideò simplicia corpora dicuntur, quod materia, & forma careant; sed quod non sint ex elementis concreta, vti corpora mista. Circa hanc distributionem, omissis interpretum controuersijs, aduerte nomine eorum, quę sunt, comprehendi res omnes materiales, siue accidẽtia sint, siue substantię. Per ea verò, quę constant natura, significari quęcunque ex materia & forma componuntur, idest, entia naturalia. Denique appellatione eorum, quę sunt ob alias causas, designari cętera materialia, quorum causę interne non sunt naturę, vt statuã, cuius intimum principium est forma per artem inducta; item candidum v. g. cuius intrinseca ratio est candor; aliaque id genus concreta. Quęrat aliquis cur Aristoteles inter res naturales, non solum animantia, sed eorum partes nominatim recensuerit? Alexander, Themistius, & Philoponus causam fuisse inquiunt, ne quis putaret sicuti artificialium rerum partes aliquæ non arte constant, sed natura, vt ligna & lapides, quibus domus coagmentatur; ita rebus natura con-

Quę nam cõstent natura.

Dubitatio.

Responsio.

constantibus aliquas partes ineſſe, quę non à natura, ſed ab arte proficiſcantur. Alij eã ratione afferunt, videlicet quia cùm partes diſsimilares viuentium non eodem, quo totum, vocabulo nuncupentur. (Non enim pes, aut caput animal dicitur) nequis forte ambigeret, num ipſæ quoque res naturales eſſent, voluiſſe Ariſtotelem eam dubitationem remouere.

b Nam quę natura] Statuit diſcrimen inter illa, quę natura conſtant, & quę per alias cauſſas ſunt, præſertim artefacta; quod ea, quæ conſtant natura, omnia inſitum motus, & quietis principium contineant; alia quidem motus ad locum, vt corpora cœleſtia; alia alterationis, vt reliqua corpora; aut rurſum accretionis & decretionis, vt viuentia: at verò, quę per alias cauſſas ſunt, vt lectica, veſtis, cęteraque artis ingenio elaborata, quia eiuſmodi, non habeant in ſe motus, aut quietis cauſſam, niſi fortè ex accidente, quia nimirum accidit lecticę argenteam, aut ligneam eſſe, aliaue ſimili materia conflatam. Diſcrimẽ inter illa, quę natura conſtãt, & quę per per alias cauſſas ſunt.

c Tanquã natura] Ita vertendũ ſunt, non vt in Argyropili contextu legitur, quę cũ ita ſint patet naturam & cęt. Sic enim habet Græcus cotextus. Quamuis ſentẽtia idem recidat. Colligit ergo Ariſt. naturę definitionẽ ex naturalium, & artefactarum rerum diſcrimine adhũc modum. Id, quo naturalia ab iis, quæ per alias cauſſas ſũt, ideſt, ab artefactis, differũt, eſt principium & cauſſa, vt id moueatur, & quieſcat, in quo primũ, per ſe, & nõ ex accidenti ineſt. ſed natura ita ſe habet. Natura igitur eſt principium, & cauſſa & cęt.

Text. 3. c *Tanquam natura motionis, & quietis, eius rei, in qua eſt, primũ, & per ſe, & non ex accidenti, principium quoddam ſit, & cauſſa:* d *Dico autem non ex accidenti, quod ſibi ipſe ſanitatis cauſſa medicus aliquis eſſe poteſt, qui nõ vt ſanatur artem medicam poſſidet: ſed ipſum eſſe medicum, & ſanari accidit. Vnde & non nunquam inter ſe abiunguntur.* *Text. 4.* *Atque id quidem, quod dictũ eſt, natura eſt.* e *Naturã autem habent, quæ tale obtinent principium: ſũtque hæc omnia ſubſtantia, ſiquidem ſubiectum quiddam ſũt, & in ſubiecto ſemper eſt natura.* *Text. 5.* f *Secundum verò naturam tum hæc ſunt, tum quæ in his per ſe inſunt, vt igni ſurſum ferri. Hoc enim natura nõ eſt, neque habet natura, ſed naturaliter ineſt, & ſecundum naturam.* *Text. 6.* *Quid igitur natura ſit, & quid natura eſſe, quid ve ſecundum naturam dictum eſt.* g *Ridiculũ autẽ eſt, naturam eſſe eniti demonſtrare: cùm huius generis rerum complures eſſe perſpectum ſit. Quæ autem ſunt manifeſta per obſcuriora oſtendere, eius eſt, qui quid per ſe notũ, & quid non per ſe, dijudicare non poteſt: quo quidem modo affici eum poſſe obſcurum non eſt: ab ortu enim vſque aliquis cæcus, de coloribus ratiocinaretur. De nominibus itaque homines eiuſmodi diſſerere, nihilq; omninò cõcipere neceſſe eſt.*

Text. 7. h *Eorum autem, quæ natura conſtant natura atque eſſẽtia, primum quidem informe ſubiectum eſſe nonnullis videtur, vt lecticæ natura lignum: ſtatuæ æs.*

Definitio naturę.

d Dico autem] Explicat cur verba illa, non ex accidẽti, adhibuerit. Nimirũ quia fieri poteſt vt ęgrotus ſibi medicinam calleat, ſe ipſum ſanet. Verũ id non ſat erit, vt ars medendi cenſeatur natura, cum non niſi per accidens ęgroto inſit.

Cuius

Similiterque accidere docet in ijs, quę manu efficiuntur, vt in naui, & ędificio. Nullum enim per ſe motionis principium vendicãt.

e Naturam autem] Expoſuit quidnam eſſet natura: declarat nunc quę ſunt ea, quę à natura dicuntur: monetque dici in primis, quę naturam habent, ideſt, entia naturalia. Hęc verò probat neceſſariò eſſe ſubſtãtias; quia natura aut eſt ſubiectũ, ideſt, materia; aut in ſubiecto, inſidet, ideſt forma. Nihil verò ex materia & forma conſtituitur, quod ſubſtantia non ſit. Alias afferunt huius loci interpretationes Simplicius, Themiſtius, Philoponus, & Auerroes, quas breuitati conſulentes omittimus. Quę dicũtur à natura.

f Secundum vero nat.] Docet etiam à natura dici, quę ſecundum naturam appellantur, quorum notio latius funditur: comprehendit enim non ſolum compoſita phyſica; ſed omnes affectiones, quę ijs per ſe, ac naturaliter competunt, vt igni in ſuperum locum tendere, terrę in medio mundi eſſe.

Occurit obi. g Ridiculum autem) Non deesset fortasse qui obijceret, debuisse Aristotelem antequam naturę definitionem traderet, an natura sit exquirere, & re vera esse argumentis concludere. Occurrit pręstandum id esse ab ijs, qui de re abdita, & de qua dubitari possit an sit, disserunt. At naturam esse neminem latere, cùm palam videamus res moueri. Quare superuacaneā fore eam demonstrationem; quam siquis velit conficere, rei, quę citra ambiguitatem est, per obscuriora fidem facere conabitur. Quod hominis est nota ab ignotis distinguere nescientis, & omnes demonstrandi leges temerè violantis. Sicuti accideret ei, qui ab ortu cęcus de coloribus disputare contenderet. Oporteret enim illum de rebus sensui manifestis, & conspicuis per ignotas, sibique inexpertas ratiocinari; totaque ea disceptatio magis esset verborum, quam rerum; quarum ille perfectam notionem minimè posset assequi. Nam cùm omnis nostra cognitio proficiscatur á sensibus, consequens est, vt qui aliquo sit orbatus, obiectorum ad illum spectantium solidam & expressam intelligentiam obtinere non valeat. Quod monuit etiam Aristoteles 14. cap. lib. 1. posterioris Analyticæ. Hic aduerte licet nō habeatur tanquā per se omnibus notum quid natura sit, vt patet ex discrepantibus ea de re philosophorū dogmatibus; esse tamen omnino manifestum dari naturam, idest, principium aliquod, vnde motus oriatur; cùm apertè cōspiciamus motū esse. Auicenna tamē hoc loco, vt aliâs cōsueuit, Aristotelem increpat autumans non esse per se notum in Physiologia dari naturam; cùm ipse met Aristoteles 7. & 8. huius operis ostendere nitatur ōne, quod mouetur, habere aliquod principiū sui motus. Resistēdum tamen Arabi est negādo probari id ab Aristotele loco cit. cùm solum demonstret nihil posse ab se simpliciter moueri, semperque inter rem mouentem, & motam aliquod esse discrimen.

Philosophicū axioma.

Auicenna Aristotelē coarguit.

Cuius rei signū esse Antiphō dicebat, quod si lectica in terrā defossa māserit, viresq́ sūpserit putredo, ita vt germinet, nō lecticam, sed lignū exoriturum, tanquā dispositio, quæ lege constat, & ars ex accidente insint, ea vero eßentia sit, quæ etiam permanet, ab his perpetuo, continenterque affecta. i *Quod si horum vnūquodque ad aliud quidpiam, hoc eodē modo affectum est, vt æs quidem, & aurum ad aquam, ossa autem, & ligna ad terram, itemque aliud quiduis, ipsorum naturam, atque eßentiā illa eße. Quapropter alij terrā, alij ignem, alij aerem, alij aquā, alij horū aliqua, alij omnia hæc naturam esse inquiunt. Quod enim quisque tale esse existimauit, seu vnum, seu plura, id, totque vniuersam substantiam, esse statuunt, reliqua verò omnia, horum affectiones & habitus, & dispositiones. Et horum quidem vnūquodque sempiternum esse; siquidem eorum alia in alia non mutātur, reliqua verò infinite generari, atque interire.* K *Vno igitur modo natura sic dicitur, prima, quæ cuique subiecta est materia rerum earum, quæ motionis, mutationisque principium in se habent. Alio autem modo forma, & species, ea quæ vt ratio dicitur. Quo enim modo id, quod ex arte est, atque artificiosum, ars dicitur, eodem planè, quod est secundum naturam, & naturale nuncupatur natura. At neque id ex arte quidquam habere, neque artem esse dixerimus, si potestate solùm erit lectica, speciemque lecticæ non dum poßideat, neq́ in his, quæ constant natura.*

Text. 8. Text. 9. Text. 10. Text. 11.

Nam

Philosoph. opin. de natura.

Antiphon.

h Eorum) In explicanda, tradendaque natura diuersę extiterunt antiquorum sententię, quę hoc loco breuiter proponuntur. Aiebant plerique eorum totam rei naturam & essentiā in solo subiecto, hoc est materia consistere, sed in hac tradenda varij erant. Ideo verò materiam naturam faciebant, quia in confesso erat apud illos naturam & essentiam cuiusque rei perpetuam esse debere. Id, quod materię conuenire, ostendebat Antiphō exemplo artefactorum. Si enim quispiam aiebat ille, lecticam terra immerserit, & ea computruerit, ac germinarit; vtique abolita figura lignum aliud orietur: at si forma perpetua esset; lectica alia pullularet. Itaque statuebant antiqui philosophi quęcunque per artem adueniunt, & vniuersim dispositiones lege constantes, idest, mutabiles (quę enim lege sanciūtur pro tēporū varietate mutātur) nentiquā posse ad naturā, essentiāve pertinere, siue rerū naturaliū, siue artefactarū.

i Quod si) Similiter cętera, quę ad aliud comparata ita se se ad illud habent, vt lignum ad lecticam

lecticam decernebant illius esse materiam. Vnde alij terram, alij aquam, vel aliud elementum, aut vnum, aut plura, aut hęc omnia naturam, totamque essentiam esse prędicabant, quia cęteris intereuntibus, elementa semper in mundo permanent. Videbitur autem fortasse alicui repugnare sibi Aristotelem, cùm hoc loco affirmet quosdã terram existimasse naturam esse; id ipsum verò neget libro 1. Metaph. cap. 7. sed non repugnat. Hic enim non solos Philosophos, vt in Metaphysica, sed poetas etiam comprehẽdit, è quorum numero Hesiodus, etsi alioqui nobilis Philosophus, poetam agens, & opinionem vulgi secutus, scripsit in sua Theogonia terram esse primum omnium materiale principium. Quę sententia ideò multitudini arrisit, quod videret terram quasi communem parentem affatim omnia suppeditare, vt annotauit Arnobius libro 3. contra gentes.

conciliantur loca Aristotelis.

k Vnò igitur | Concedit antiquis materiam, naturam esse si accipiatur pro materia prima, & informi subiecto. Asserit tamen non solum materiam, esse naturam; sed etiam formam; imo hanc multo potiori iure naturam appellari. Formã verò de qua loquitur describit illis verbis, forma, & species ea, quę vt ratio dicitur, vt pateat eã à sola forma naturam dici, quę ádhibetur in definitione explicante rei essentiã. Hãc igitur probat naturam esse apta quadam similitudine a rebus artefactis petita. Nã quemadmodum id, quod ex arte est, & artificiosum, dicitur ars, hoc est, quicquid habet, qua tale, id ab arte siue à forma artis habet: ita id, quod secundum naturam & naturale est, vocatur natura, ideſt, à forma naturali obtinet, vt naturale sit & dicatur. Atque vt nihil artificiosum est, nisi quod artis formam actu habet; ita nihil ens naturale erit, nisi formam naturalem actu possideat. Quo patet quidditatem rei naturalis potissimum in forma consistere; atque adeò formam non solum naturã esse, sed multò magis quàm materiã. Idem inuenies assertum 2. de generat. animalium cap. 1. Monet autem Aristoteles agere se in præsenti non de aliqua forma, quę re ipsa extra materiam cohęreat, vel à rebus sensibilibus abiuncta sit; sed quę ab his sola cogitatione separetur.

Forma magis natura, quã materia.

Nã quod potestate caro est, aut os, suã ipsius naturã nõ ante habet, neq; natura cõstat, quã formã, quæ vt ratio est, acceperit, quã definiẽtes, quid est caro, aut os dicimus. Alio itaq; modo natura, formã & species, quæ nisi ratione separari nõ potest, eorũ erit, quæ motionis principiũ intra se cõtinẽt. Quod autẽ ex his est, natura quidẽ nõ est, sed cõstat natura. Atq; natura magis ipsa est, quã materia, quandoquidẽ magis vnũquodque esse tum cùm actu est, dicitur, quàm cùm potestate. Ex homine enim homo nascitur, non lectica ex lectica. Quæ causa est vt figuram naturam esse non concedãt; sed lignum propterea quod si germen proferat, non lectica, sed lignum exoriatur. Quod si hoc ita habet forma quoq; est natura, siquidem homo ex homine gignitur.

Text. 12.

Text. 13.

m *Quin etiam natura, quæ vt generatio dicitur, ad naturam via est. Non enim vt mederi ad sanitatem, non ad artẽ medicam est via (siquidem mederi à medica arte, non ad medicinam artem esse est necesse) sic ad naturam se habet natura, sed id, quod nascitur, ex aliquo ad aliquid venit, aut nascitur. Ad quod igitur veniendo nascitur? non ad id sanè, ex quo, sed ad id, ad quod. Quamobrem forma est natura. Forma autem & natura bifariam dicuntur; quum & priuatio quodammodo sit forma. An verò priuatio contrariumque aliquod in ea, quæ omnino est, generatione habeatur, nec ne, posterius considerandum est.*

Text. 14.

Text. 15.

l Atque natura | Pergit ostendere formam magis esse naturam, quàm materiam, hunc in modum. Id est magis natura, per quod ens naturale actu est, atqui ens naturale est in actu per formam, non autem per materiam; quia forma est actus & perfectio, materia verò est pura potentia. ergo &c. Rursus idem confirmat assumpto argumento Antiphõtis. Nam si pròterea quod ex lectica putrescente non lectica, sed lignum oritur, lignum naturam esse colligebat; certè cùm ex homine homo nascatur, idque non materiæ, sed formæ beneficio, consequens fit vt forma maximè sit natura.

m Quin etiam | Concludit formam esse naturam hac ratione. Ideo natura vno modo accipitur pro generatione seu natiuitate viuentium; quia tam generatio, quam id quod gignitur tendit

tendit ad naturam, tendit verò ad formam: igitur forma est natura. Aduertit autem Aristoteles non eodem modo se habere naturam sumptam pro generatione, quo se habet medicatio. Nam ἴασις hoc est medicari nō dicitur ἀπὸ τῆς ὑγιείας ideſt à sanitate, quę est terminus ad quem; sed ἀπὸ τῆς ἰατρικῆς, ideſt ab arte medica, à qua vt à principio oritur. Natura verò cum pro natiuitate sumitur sortitur appellationem à termino, ad quem. Qua de re in quinto huius operis disputandum erit.

n Forma autem] Formam, atque adeo naturam bifariam sumi inquit, vno modo pro ea, quę verè & propriè forma est: Altero, pro formę priuatione, quę, prout subiectum afficit, & suo modo informat, vtcunque etiam formę nomen sortitur. Subdit postremo expendendum alibi esse vtrum priuatio in generatione substantiali detur nec ne? Si enim talis priuatio admittatur & ea sit forma; cum repugnantia inter formas sit contrarietas, iam substantiæ erit aliquid contrarium. Quod si admittenda non sit, ruent ea, quę de principijs rerum Naturalium superiori libro tradita sunt. Hanc dubitationem reijcit in alium locum, videlicet in libros de ortu & interitu.

QVÆSTIO I.

QVAM NATVRAM HOC LOCO Aristoteles definierit.

ARTICVLVS I.

DE MVLTIPLICI naturæ significatu.

Prima naturę acceptio.

NE consonautium vocabulorum sylua ad naturæ definitionem inueniēdam, percipiendamque alicui fortasis viā obstruat, operæ pretium erit varias naturæ acceptiones quasi ramos obuios præcidere. In primis ergo, vt ait Hugo Victorius primo Didascalon cap. 11. accipitur natura pro mēte diuina rerum omnium opifice, & parente. Hāc autem Philosophi quidam boni, sed non boni Latinitatis auctores naturam naturantem appellarunt; atque ita naturæ nomen vsurpat Stoicorū acutissimus Seneca quarto de officijs libro, cùm asserit nihil aliud esse naturam, quàm Deum; & D. Augustinus 15. de Trinitate cap. 1. cùm inquit supra hanc nostram naturam esse naturam non creatam, sed creatricem, ideſt, Deum. Hinc ortum habuit diuisio naturæ in vniuersalem, & particularem; vbi per vniuersalem naturam Deus potissimùm designatur, qui naturas omnes ipse cohibet, & continet: per particularem res cæteræ, quas etiam nonnulli naturam naturatam vocant.

De naturę significatis Aristoteles, Metaph. c. 4. Boetius in lib. de duab. nat. Thomistius, & Simplicio hoc loco ad text. 7. & c. 16. Auic. 1. Suff. cap. 6. Auer. in epitome Metap.

2. acceptio. Secundò, accipitur natura pro cuiusque rei quidditate, seu essentia. Quo significato docet fides. a in tribus personis diuinis vnam esse naturam; & b Verbi incarnati vnionem non in natura,

a In Symbolo Athanasij.
b In cōcilio Chalc. i Symbolo fidei.

ra, sed in persona effectam fuisse. Quo item modo dicere consueuimus definitionem esse orationem, quæ rei subiectæ naturam declarat. Quanquam si propriè loquamur, hoc est discrimen inter essentiam, quidditatem, & naturam; quod essentia importat ordinem ad esse rei, cuius est: quidditas ad definitionem, qua quid res sit explicatur: natura ad operationem.

Discrimen inter essentiã, quidditatẽ, & naturam.

Tertio, pro tota vniuersitate rerum creatarũ. Quo sensu scripsit Aristoteles 12. Metaphys. cap. 7. text. 38. naturam pendere à primo principio: sicque miraculũ dicimus, c. quod totius naturæ vim excedit.

3.

c. d. Th. 1. p. q. 105. art 7. & quodl. 4. art. 5.

Quartò, pro caussis naturalibus, quatenus secundum insitam propensionem agunt. Quo pacto accepta natura multa obtinuit apud Philosophos encomia, exempli caussa, Naturam nihil frustra moliri. d. facere optimum, quod potest. e. odisse superfluum. f. non denegare necessaria. g. non pati aliquid torpere, aut feriari. h. abhorrere à vacuo. i. iustam esse, & vnicuique suum distribuere, non quidem iuxta proportionem Arithmeticam æqualiter, sed iuxta Geometricam æquabiliter. k. itemque opus naturæ esse opus intelligentiæ. l.

4.

Naturę encomia.

d. Arist. 1. Polit. c. 2. & 2. de gener. anim. c. 4.
e. Lib. 2. de cęl. c. 5. text. 34. & de iuuent & senect. c. 2.
f. Lib 2 de gener. anim. c. 4.
g. Lib. 3. de anim. c. 9. text. 41.
h. Lib. 1. Eth. c. 7. & 2. de cęl. c. 3. text. 17.
i. Lib. 4. Phy. 1 cap. 6.
k. Galenus lib 5 de vsu part. c. 9.
l. Themist. 1. de cœl. c. 2. & Auer. lib. 11. Metaph. com. 18.

Quintò, pro natiuo calore, ac cuiusque animantis temperamẽto, quod ex quatuor primarum qualitatum mistione concretum est. Vnde illud apud Galenum in lib. artis Medicæ capit. 77. Natura opifex, medicus verò minister; & illud, Consuetudo est altera natura.

5.

Denique, vt reliquas eiusdem vocabuli notiones, quæ multo plures sunt, omittamus, accipitur natura pro viuentiũ generatione, quæ natiuitas vocatur; atque hæc est prima, & germana tam apud Latinos, quam apud Græcos huius vocis significatio. Dicitur enim Latinis natura quasi à nascendo; Græcis verò φύσις ἀπό τε φύειν, quod est nasci. At enim quia generatio ab interno principio oritur, deriuatum est naturæ nomen ad significandum internum cuiusque rei principium, vnde primò vnaquæque res habet, vt moueatur, siue illud rebus viuentibus, siue expertibus vitæ insit.

6.

Prima, ac propria naturæ significatio.

ARTICVLVS II.

RESPONSIO AD PROPOSITAM DUBITATIONEM.

HAEC est autem natura, quam Aristoteles hoc loco, & lib. 5. Metaph. c. 4. definijt, quæ vt progressu patebit materiam & formam comprehendit. Nec audiendi sunt Trismegistus, Pythagoras, Plato, & alij, qui, vt partim ex 10. Platonis de Repub. & secundo de natura Deorũ Ciceronis, partim ex Auicẽna primo sufficien-

Veterũ quorundam opinio de natura.

ficientiæ c. 7. & Alberto hoc in loco, tractatu primo, cap. 5. liquet, arbitrati sunt id, vnde res habet, vt naturaliter moueatur, atq; adeò naturam esse vim quandam, seu formam absolutam per vniuersas mundi partes cõmeantem, cuius solertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando.

Est autem diligenter animaduertendum materiam, & formam, quod ad rem præsentem attinet, dupliciter considerari posse. Vno modo secundum se absolutè; altero secundum proprias causalitates, quas quidem exercent tum in se mutuò, dum materia formã recipit, & sustentat, rursusque forma materiam actuat, & perficit; tum erga compositum, dum ambæ mutuo complexu ipsum condunt; tũ etiã in operationem seu motum, quo naturalia ab artefactis distinguũtur. Hoc igitur loco definita est ab Aristotele natura, seu forma, & materia, secundum hanc tertiam notionem, modum vè, vt ex ipsa definitione planum fiet.

Triplex causalitas materiæ, & formæ. In se mutuò. In compositum. In operationem.

Secundò animaduertendũ est naturam analogum quoddam esse, vt præter alios asserit Auerroes hoc in lib. tex. 2. Syrianus apud Simplicium commento 3. & Eudemus apud eundem com. 12. itemq; Magnus Albertus tract. 1. capit. 3. Quibus suffragatur Aristoteles tum hoc lib. cap. 1. text. 12. tum 5. Metaph. capit. 4. text. 5. & 1. de partibus animalium cap. 1. dum ait formam magis esse naturam, quàm materiam. Sanè quod natura, vt materiam & formam cõprehendit, non sit quid vniuocum, patet ex eo, quia alioqui vnus idẽq; gradus vniuocus bis in eodem composito re ipsa contineretur. Nam corpus in commune haberet in se gradum illum naturæ, semel ratione materiæ, iterũ ratione formæ; qui non potest non esse re ipsa distinctus; cum materia, & forma, in quibus contrahitur, inter se realiter differant. Est verò natura analogum secundum proportionem; quia vt se habet materia ad motum, cuius principium & causa est; ita proportione quadam forma. Obtinent etiam ambæ disparem nobilitatis gradum; cùm forma sit entelechia, actus, & perfectio; materia vero pura potẽtia, ac propè nihil. Vnde fit vt causalitas formæ, si generatim loquamur, causalitate materiæ præstantior habeatur.

Natura analogum.

Vnde cõstet naturam nõ esse vniuocum.

Natura analogum secũdũ proportionem.

QVÆSTIO II.

VTRVM NATVRA RECTE AB Aristotele definita sit, nec ne?

ARTICVLVS I.

APPROBATVR, ENODATVRQVE naturæ definitio ab Aristotele tradita.

Naturam

NAturam ita definijt Aristot. hoc loc. Natura est principium & causſa, vt id moueatur & quiescat, in quo primò, per se, & non ex accidēte inest. Quam definitionem optimo iure approbant, tuenturque Peripatetici omnes, vt qua nulla verior, aut magis ad rem apposita à Philosophis tradatur. Quo autem pacto ea sit intelligenda, sic habeto. Prima illius pars est, Principium, & causſa, quæ vicem generis obtinet. Debet autem causſa ita sumi, vt pateat in omnia ac sola quatuor causarum genera; quomodo latiùs funditur principium, quàm causſa, vt alibi diximus. Additur autem causſa principio, ad remouenda principia, quæ non sunt causſæ, vt priuatio; quæ licet principium sit generationis, non tamen illius causa est. Vnde non rectè Magnus Albertus hoc in libro tractat. 1. cap. 7. priuationem ad totam naturæ definitionem admisit, repugnante Aristotele, ac nullam aliam, excepta materia & forma, naturam agnoscente, vt ex libri huius progressu, & ex 5. Metaph. cap. 4. constat.

Natura definitio.

Particulatim explicatur.

1. lib. capit. 1. ad text. 1.

Priuatio nō est natura.

Secunda est, moueatur & quiescat, nomen motus, ac proinde etiam quietis amplè sumendum est hoc loco, ita vt omnes mutationes physicas, siue momento, siue tempore editas comprehendat. Amouet autem hæc particula à notione naturæ ea, quę tametsi alioqui causſæ sint, non sunt tamen causſæ motus & quietis, vt formæ Mathematicæ; item ea, quæ licet causſæ motus existant, non tamen sunt causſæ motus physici, vt substantiæ separatæ prout à se mouentur.

Nec formę Mathematicę.

Nec substantię separatę.

Tertia est, In quo inest, Per hanc excluduntur causſæ externæ, à quibus res physicæ quoquo modo cientur, vt forma ignis respectu aquæ, quam calefacit, cœlum respectu ignis, quem mouet.

Nec mouentia externa.

Quarta est, per se, & non ex accidente, quæ, vt Cōmentator aduertit, intelligenda est ante particulam, primò, adhibeturque ad reijciendas causſas, quæ ex accidente in ipsa re, quæ mouetur, insident; cuiusmodi est ars medendi, qua, verbi causſa, Hippocrates sibi ipsi sanitatem præstat, quæ iccirco natura non dicitur; quia esto causſa fit, vt Hippocrates ad sanitatem redeat, non tamen ei per se, sed accidentariò inest.

Nec accidentarię formę, quę nō in sūa per se.

Postrema est, primò, hoc est non per aliud, siue ita vt nihil priùs insit. Hac excluduntur nonnullæ qualitates, quæ cùm causſæ sint cur composita physica, quibus per se ac necessariò competunt, moueantur; non tamen eis primò insunt; quia scilicet dantur in ipsa re composita aliæ principales, ac priores causſæ motuum. Quo ex genere sunt natiuus calor comparatione viuentium, grauitas respectu lapidis, aliaque id genus, à quibus licet motus, vt ab instrumentaria causa per se oriantur; nihilominùs aliæ sunt in re, quæ mouetur, eorum motuum antecedentes, magisque principales causæ, videlicet materia, & forma.

Imo nec vllā accidens quātumlibet per se cōueniat.

Sunt qui verba illa, primò & per se, cum verbo, moueatur, coniungenda esse affirment; sed non ita est; cùm ea Græcus contextus verbo, inest, apertè copulet; sic enim habet ἐν ᾧ ὑπάρχει πρώτῳ, καθ' αὑτο καὶ μηκαὶτὰ συμβεβηκός, ideſt, in quo ineſt primò, per ſe & nō ex accidente. Nec obſtat quod Ariſtoteles 5. Metaph. c. 4. tex. 5. naturam definiens, particulam, primo, verbo, moueatur, adiunxerit, aiens naturam esse vnde primus motus in vnoquoque est eorum, quæ natura constant; quasi dixerit naturam esse causam, cur ens naturale, in quo ineſt, moueatur primò Non inquam obstat; quia vt Alexander aduertit, vocabulum, primus, non idem eo loco valet, atque particula, primò, hîc appoſita. Illic enim Philoſophus nomine primi motus lationem intellexit, quam 8. Phyſicorum cap. 7. tex. 55. omnium motuum principem nuncupauit, ſicque naturam definijt per eum duntaxat motum, qui ad locum pertinet, vt per omnium primum, ac maximè notum, cunctisque rebus Phyſicis communem.

ἡ κίνησις ἡ πρώτη.

Aliter quoq; particulā, primus, exponit ibidē Alexander.

Motus localis omnium motuum primo princeps ve.

ARTICVLVS II.

ARGVMENTA ADVERSVS naturæ definitionem.

1.argum. ERit tamen qui ſuperioribus hunc in modum obijciat. Corpora cœleſtia, excepto cœlo Empyreo, nunquam quieſcunt; totus terræ globus nunquam loco mouetur; ergo neque natura cœleſtiùm corporum eſt principium quietis; nec natura terræ principium motus. Quare non rectè natura dicitur principium motus, & quietis. Nec ſatisfaciet qui dixerit haud oportere naturam in qualibet re principium eſſe motus ad locum, dummodo ſit alterius mutationis principium, vt alterationis, quæ non ſolùm conuenit terræ elemento; ſed ſuo etiam modo corporibus cœleſtibus dum affuſa ſolis luce colluſtrantur. Non inquam ſatisfaciet cùm Ariſtoteles 5. lib. Metaph. proximè citato loco, definierit naturam principium lationis eorum, quæ natura conſtāt, non obſcurè indicans omnem naturam eſſe principium motus ſecundum locum.

Præoccupatio.

2.argum. Secundo, Quidquid naturaliter mouetur, non niſi à natura mouetur, ſed corpora grauia, & leuia, cùm in propria loca tendunt, mouentur à progenitore ſuo, vt 8. lib. huius operis capit. 4. text. 29. alijsque in locis Ariſtoteles ſentit, mouenturque ab illo naturaliter, cùm ipſorum motus haud dubiè naturalis ſit: ergo progenitor eſt eorum natura: & tamen non in eis eſt. Non igitur natura eſt principium motus eius, in quo eſt.

3.argum. Tertiò, Id, quod gignitur, non dum exiſtit, cùm generatio ſit progreſsio à nō eſſe ad eſſe rei; ergo ſi natura eſt cauſa mutationis rei, cui ineſt;

ries̄t; nequaquam forma rei genitæ poterit dici natura respectu generationis; quod tamen à communi Philosophorum sententia alienum videtur.

Quartò, Tota naturæ definitio competit humanitati Socratis; vt pote quæ principium est, & causa cur Socrates moueatur, &c. Tota item videtur conuenire Deo respectu rerum naturalium, in quibus necessariò existit: & tamen neque humanitas, neque Deus sunt natura hoc loco definita; cùm non sint forma, nec materia. Igitur definitio naturæ non reciprocatur cum re definita. 4. arg.

Quintò, Non minus igni naturale est producere sibi simile, quàm ferri sursum: ergo forma ignis, quæ est natura, non minus dicetur principium mouendi id, in quo est, quàm mouendi aliud. 5. arg.

Sextò, Vel in definitione naturæ, quietis nomine intelligitur tam quies in termino ad quem, quàm in termino à quo; vel altera tantummodò ex his. Non tantummodò altera; cùm vtriusque eadem sit ratio, saltem comparatione materiæ, quæ ad quemlibet motum, & quietem suopte ingenio indifferens est: non vtraque, cùm natura non possit inclinare simul ad oppositа, cuiusmodi sunt quies in termino à quo, & in termino ad quem. Non igitur natura rectè dicitur principium, & causa, vt res quiescat. 6. arg.

ARTICVLVS III.

RESPONSIO AD SVPERIORA ARGUMENTA.

AD primum horum reiecta opinione Plutarchi primo de placitis capit. 1. & Magni Alberti hoc loco tract. 1. capit. 3. aliorūque putantium non definitam hîc ab Aristotele naturam corporum cœlestium, sed intereuntium duntaxat: occurrit Simplicius corpus cœleste, etsi irrequieto motu agitetur, quiescere tamen per centrum, polos, & axes, quæ nunquam locum mutant; quam interpretationem affert etiam Philoponus. Sed ea nobis minimè placet, propterea quod nimis impropria, atque adeò definitioni parum conueniens sit ea quietis acceptio, vt pote, qua cœlum pariter moueri, & quiescere dicatur. Porphyrius, Themistius, Alexander, Auicenna, D. Thomas, & alij affirmant verba illa, moueatur & quiescat, disiunctim intelligenda esse; vt sensus sit, naturam esse principium motus, vel quietis, vel vtriusque. Nobis videtur ea secundum mentem Aristotelis partim disiunctim, partim copulatim accipienda esse; ita vt natura sit principium & causa, aut motus tantum, vt in corporibus

Simplicij responsio ad 1. arg.

Responsio aliorum.

Germana solutio.

cælestibus, aut motus simul & quietis, vt in cæteris corporibus. Est enim perpetua Aristotelis sententia, vt constat ex ijs, quæ docet. 3. huius operis tex. 1. & 1. de cælo, text. 5. omnibus rebus physicis, siue caducæ, siue immortales sint, inesse propensionem ad motum; itemque sphæras cælestes non habere in se quietis principium. Vnde est illud, quod. 9. Metaph. cap. 9. text. 17. scripsit, videlicet non esse pertimescendum ne cælum quiescat; quia, non est, inquit, in eo potentia contradictionis, id est, potentia vt moueatur, & non moueatur; sicuti D. Thomas ibidem exponit. Quod placitum videtur etiam de communi veterum Philosophorũ sensu, vt annotauit Scotus in 4. distinct. 48. q. 2.

Secũdũ Aristotelem omnibus corporibꝰ inest ꝓpẽsio ad motum.

Non omnibus ad quietem.

Si tamen non quid Aristoteles senserit; sed quid sentiendum sit, quæratur; placet sententia existimantium cœlum non ad motum duntaxat, sed etiam ad quietem suopte ingenio inclinari; licet posito eo, qui nunc est, rerum ordine, non nisi miraculo quieturum sit. Itaque cœlestem naturam ex se principium esse non solùm motus, sed etiam quietis. Qua de re planiùs, ac pleniùs in libris de cœlo. Ad alteram verò partem argumenti de motu terræ dicendum terræ globum, saltem ratione partium, moueri; deinde habere etiam naturalem potentiam, vt totus deorsum feratur, si à propria sede extraheretur; cui potentiæ haud necesse est respondere aliquam vim actiuã naturalem, quæ totam terram sursum leuet: sufficit enim causa effectrix descensus; quæ quidem est tum genitor ipsius terræ, tum eius forma substantialis, atque etiam grauitas, cuius beneficio suis conglobata nutibus descenderet.

Cœlum non solũ ad motum, sed ad quietem etiã inclinatur.

Tota terræ moles habet potẽtiã actiuã, qua vergat deorsũ.

Sol. 2. Ad secundum respondendum est non omnẽ id, à quo res vtcunq; naturaliter cieri dicitur, nuturam esse eius, quod motum subit; sed id tantùm, à quo, vt à principio intrinseco mouetur.

Sol. 3. Ad tertium, ea, quæ momento fiunt, dum fiunt iã esse; id autem, quod gignitur, momento fieri, atque ita dum gignitur, tam ipsum, quàm eius formam eodem puncto temporis actu existere. Neque officit quod priùs origine sit forma, quàm res genita: vt enim forma dicatur natura respectu generationis sat est dari vtrunque in eodem instanti temporis.

Sol. 4. Ad quartum dicendũ humanitatẽ Socratis non esse primò causam motus, & quietis, sed partes ipsius, materiam scilicet & formam: quæ sunt ea priores; atque ita se habent, vt per eas hoc ipsum de illa à priori demonstrari queat. Deum verò non dici rebus inesse, vt hoc verbum in naturæ definitione intelligitur, & à nobis in tertia illius particula explicatum est art. 1. huiusce quæstionis.

Sol. 5. Ad quintum dicimus etsi forma, quæ est natura, nõ solùm sit principium motus eius, in quo inest; sed possit etiam esse principium mouendi alia, vt hoc loco, commento. 12. aduertit Simplicius; tamen non fuisse ab Aristotele definitam naturam per principium mouendi alia, ne excluderetur materia, quæ haud dubie natura est,

nec

nec aliud mouet, sed duntaxat motũ in se recipit. Deinde quia maximè fuit rationi cõsentaneũ vt, Arist. naturam definiret per id, quo naturalia à non naturalibus disident; hoc autẽ solũ est principium motus eius, in quo inest. Nam rerũ quædã supra naturam eminent, vt Deus, & intelligentiæ, quæ ob eximiam suam dignitatem immobiles sunt; Deus quidem absolutè, intelligentiæ vero quatenus non habent in se principium, quo Physicè moueantur. Quædam infra naturam consistunt, videlicet res artefactę, quæ adeò ignobiles sunt, vt nec quo ipsæ moueantur, nec quo alia moueant, principium in se habeant. Aliæ medium locum obtinent, nempe res Physicæ, quæ neq; ita sunt abiectæ, vt principium nullius motus vendicent, neq; ita perfectæ, vt neutiquam moueri possint; sed mediam conditionẽ sortitæ, & aliud mouere queunt, v. c. gignendo sibi simile; & se ipsas mouere, vt locum acquirant, augescant, aliamvè eiusmodi perfectionem sibi congruentem possideant. Quo fit, vt entia naturalia, licet ab artefactis per principium mouendi se, & mouendi alia differant (vtroque enim carent artefacta) tamen ab ijs, quæ supra naturam sunt, non nisi per principium mouendi se distinguantur. Atque adeò patet commune discrimen, quo naturalia à nõ naturalibus differunt, esse quòd naturalia habeant in se principium, quo ipsa moueantur; per quod proinde natura definiri debuit, vt ex eo rerũ naturalium proprietas, & essentia magis innotesceret.

Tripartita rerum distributio quoad motum.

Quędam supra motũ cõsistunt.

Quędam infra.

Alię in medio.

Ad vltimum respondent aliqui graues Philosophi, quietis nõmine non significari ab Aristotele quietem in termino à quo, sed dũtaxat in termino ad quẽ; propterea quod natura nõ inclinet ad priorem quietem, verbi causa, ad eam, qua lapis in aere detinetur, sed ad posteriorem, quam obtinet dum in natiua sede consistit. Cùm tamẽ materia, vt ipsimet fatentur, respectu motus violenti sit natura hoc loco definita; vnde & nullus datur motus, qui non sit naturalis respectu materiæ, vt in progressu dicemus; consequens est, vt eadem materia comparatione cuiuslibet quietis, etiam violentæ, natura sit, atque adeò, vt in naturæ definitione omnis quies promiscuè intelligi debeat. Nam esto composita physica non inclinentur ad omnem quietem ex parte formæ; inclinantur tamen ex parte materiæ, quæ natura quædam est hîc definita. Nec est absurdum eandem materiã inclinari simul ad quietes oppositas, dũmodò non inclinetur ad eas simul obtinendas: quemadmodum nemo negarit inesse eidem materiæ simul propensionem ad qualitates contrarias, veluti ad candorẽ, & nigredinem, esto ijs simul affici non possit.

Sol. 6.

Quietis nomine quæ nã quies intelligatur in definitione.

QVÆSTIO III.

VTRVM DEFINITIO NATVRÆ principio dũtaxat passiuo conueniat, an non?

ARTI-

ARTICVLVS I.

DIVERSÆ PHILOSOPHORVM sententiæ, & earum confutatio.

Opinio Scoti & aliorum.

SCOTVS in 2. distinctione 18. quæst. vnica, & eius sectatores, itemque Burlæus hoc loco, & vt videtur Simplicius commento 12. tex. 16. & 17. sic naturę definitionem interpretantur, vt nomine principij & causæ solum principium passiuũ designari putent, statuantque nulli actiuo principio, qua tale est, sed passiuo tantum naturæ notionem conuenire. Quanuis enim ipsam quoque formam naturam esse fateãtur; aiunt eam haud quaquam naturam dici, nisi quatenus principij passiui rationem obtinet, idest, pro vt materiam aptam, habilemque reddit ad motum excipiendum.

Prima ratio Scoti.

Probat verò opinionem suam Scotus hoc modo. Propterea mutatio naturalis dicitur, quia est à natura; omnis autem naturalis mutatio est à principio passiuo tantum. Igitur natura non est principiũ actiuum, sed passiuum. Maior, & consequutio perspicuæ videntur. Minor suadetur, quia ea mutatio dicitur naturalis, qua vnũquodque aptum est mutari à quocunque agẽte mutetur. Hoc autem nulli rei physicæ conuenit ob actiuum principium, sed passiuum tãtum: sicut enim res non mouetur, nisi quia patitur, ita nec mouetur naturaliter, nisi quia motum recipit.

2. ratio.

Secundò ita disputat. Natura, qua natura, est principium internum eius, quod mouetur, sed principium motus non est internum rei, quæ mouetur, vt actiuum est, sed vt passiuum; siquidem accidit, verbi causa, ægroto qui sanatur, habere in se artem, qua ad sanitatẽ moueatur. Igitur natura, qua natura, passiuum tantum, non actiuũ principium censeri debet.

Aliorum sentẽtia superiori aduersa.

Alij superioribus ex aduerso oppositi arbitrantur naturæ nomine solum principium actiuum comprehendi; quia si principiũ passiuum esset natura, quilibet motus, etiam violentus, esset rei physicæ naturalis; quandoquidẽ omnis motus habet principium passiuũ in re, quæ mouetur. Præterea idem confirmatur, quia Aristoteles cap. 2. huius libri, tex. 2. & 3. discrimen constituit inter naturalia, & artefacta, quòd illa habeant in se principia suorum motuum; hæc verò minimè: loquebatur autem de actiuis principijs: nam passiua vtrisque communia sunt, vt patet in statua, quæ non minùs apta est ad recipiendum in se suũ motum, quàm rude lignum. Quare in solo principio actiuo videtur Aristoteles naturæ rationem ponere.

1. arg.

2. arg.

Refutatio prioris sententię.

Neutra tamen hãrum opinionum, aut vera, aut Aristotelica est. Non prior, quia rebus natura constantibus non minùs naturale est

agere

agere, quàm pati, & mouere se, quàm moueri à se, vt planum est in viuentibus, quæ operationes suas ab interno principio actiuo naturaliter edunt. Quare non minùs propriè dicetur natura principium actiuum, quàm passiuum. Item quia formæ ignis comparatæ ad motum, quo in superiora tendit, prout est illius caussa efficiens, conuenit tota naturæ definitio. Cùm igitur forma ita sumpta sit principiũ actiuum; negari non poterit aliquod actiuum principium, qua tale, esse naturam. Tertiò quia si Aristoteles nomine principij & caussæ passiuum duntaxat principium significare voluisset, vtique per eas particulas artem medendi à naturæ definitione excluisset.

Posterior quoque sententia & Aristoteli, & veritati repugnat. Aristoteli, quia cap. 1. tex. 10. & c. 2. tex. 21. & c. 8. tex. 81. huius libri disertis verbis docuit non solùm formam, sed etiam materiã esse naturam, quod repetit libro 5. Metaph. cap. 1. tex. 5. Rationi, quia cùm essentia compositi naturalis, non ex sola forma, sed ex materia etiam constet, non forma tantum, sed materia quoque natura erit; quandoquidem essentia cuiuslibet compositi physici, qua tale est, ex naturis coalescit. Impugnatio posterioris.

ARTICVLVS II.

EXPLICATIO VERÆ OPINIONIS, & argumentorum aduersarum partium dilutio.

PEripatetica igitur, & veritati consona doctrina est, naturæ definitione comprehendi tum materiam, tum formam; & illam quidem principium esse passiuum motus eius, in quo est; hanc verò actiuum; tametsi hæc non semper actiuum principium sit; sed interdum formale: quo pacto se habet anima ad vitales functiones, quarum non solùm efficiens, sed etiam formalis caussa est, teste Aristotele 2. lib. de anima cap. 4. tex. 36. & 37. eodemque modo affecta est cœlestis forma erga motum circularem, ad quem cœlum, nõ ex parte materiæ duntaxat, sed etiam ex parte formæ suopte ingenio inclinatur. Nec verò putandum est huiusmodi propensionem à forma ipsa distingui, aut illi vt quidpiam adiectitiũ inesse. Est enim idem prorsus cum ea sicuti inclinatio materiæ ad formam idem omnino est cum materia. Tam formã, quam materiam esse naturam. Forma cœli est caussa formalis sui motus.

Nunc ad primi articuli argumenta respondeamus. Ad primum Scoti pro priori sententia dicendum multa esse, quæ non solùm ob principium passiuum; sed etiam ob actiuum, quod in se habent, naturaliter apta sunt moueri, vt viuentia. Quare concessa maiore propositione negetur minor, & quod ad eius probationem assumitur. Quan- Respõsio ad 1. arg Scoti.

Quanquam enim res non mouetur nisi quia patitur, potest tamē ob id etiam naturaliter moueri, quia se ipsam mouet, atq; ita erit ei motus naturalis ratione principij passiui, & actiui simul.

Ad.2. Ad secundum admittenda est maior propositio; assumptioni verò occurrendum etsi principium motus ex eo quod actiuum, nō necessariò internū esse debeat; cùm multa principia actiua motus externa sint; aliquando tamen principium efficiens motus necessariò internū esse, vt in viuentibus: quo pacto non se habet ægrotus cùm artis suæ beneficio sanatur, qui istius motus principium in se ipso ex accidente habet.

Sol. 1. pro 2. opi. Omnes motus comparatione materię naturales sunt. Occupatio. Ad primam verò earum rationum, quibus secunda opinio nitebatur, respondendum est omnes motus comparatione materiæ naturales dici posse; non omnes tamen respectu compositi physici naturales esse: quia sicuti potior natura est forma, quàm materia; ita vt motus alicui composito naturalis sit, formæ magis, quàm materiæ habenda ratio est: proindeq; esto ad quemlibet motum materia inclinetur, nisi ad eum forma ipsa propensionem habeat, non erit rei compositæ simpliciter naturalis existimandus; sed aut violentus, si ei forma obnitatur, aut præter naturam, si neq; ad eum procliuitatem, neque repugnantiam vendicet. Quod si quis vrgeat naturam esse causam, vt id, in quo inest, idest, ipsum compositum physicum naturaliter moueatur. Occurrendum, sat esse ad rationem naturæ si causa sit, vt ipsum compositum moueatur naturaliter; vel absolutè (cùm motus à forma oritur) vel secundum quid, cùm non prouenit à forma, sed in materiam tantummodò recipitur. Nec repugnat eundem motum alicui simpliciter violentum esse, quia forma in cōtrarium nititur; & aliquo modo naturalem; quatenus materia habet insitam vim receptiuam omniū motuū, siue eis forma repugnet, siue obsequatur.

Sol.2. Discrimē inter naturalia & artefacta. Ad secundam respondemus discrimen traditum ab Aristotele inter naturalia, & artefacta sic esse intelligendum vt nullum artefactū, qua tale, habeat in se principium determinatū, ac certū, siue actiuū, siue passiuum sui motus; quod verissimum est. Nam cùm, verbi gratia, statua indifferenter ex ære, auro, aut ligno conflari possit, ex se non magis hoc, quàm illud principium, etiam passiuum, sui motus vendicat, quod in rebus naturalibus multò secus accidit.

QVÆSTIO IIII.

VTRVM ANIMA IN NATVræ definitione contineatur.

ARTI-

ARTICVLVS I.

OPINIO EXISTIMANTIVM non contineri; eiusque refutatio.

Ametsi proxima disputatione mõstratum fuerit nõ rectè principiũ actiuũ à naturæ definitione remoueri; adhuc tamen peculiaris existit dubitatio circa animã, quæ fons est vitaliũ functionũ, earũq; principiũ actiuũ. Nã Simplicius ad textũ primũ, & secũdũ huius libri, atque, vt idẽ refert, Eudemus, itẽq; Magnus Albertꝰ hoc loco tract. 1. c. 2. & libro de origine animæ c. 4. & Auicẽna primo sufficiẽtiæ c. 5. arbitrãtur animã nõ esse naturã. Primùm quia natura, vt testatur Aristoteles 9. Metaph. c. 2. tex. 3. præfinita & determinata est ad vnũ; at anima nõ ad vnã, sed ad omnes loci differentias motum efficit.

Assertores partis negatiuę.

Lege 4. c. lib. 3. de diuina sapient. secũdu Aegypt.

Secundò, quia Peripatetici tria faciunt principia, naturã, animã, & intellectricẽ vim; vbi animã à natura distinguunt. Tertiò, quia saltem anima humana nullo modo videtur esse natura; cùm Aristoteles 1. de partibus animalium cap. 1. perspicuè ostendat non esse Physici negotij animum rationis participem considerare, propterea quod natura non sit.

Contraria tamen opinio tuenda est, quam sequuntur Alexander apud Simplicium hoc loco com. 3. Auerroes, & Themistius ad tex. 3. & maior, ac melior Philosophorum pars. Primùm quia tota naturæ definitio, vt omnes eius partes consideranti planum erit, conuenit animæ. Deinde quia nutritio, accretio, cæteræque vitales functiones cõnumerantur ab Aristotele hoc libro cap. 1. tex. 1. inter motus naturales, haud dubiè quia oriuntur à natura; oriuntur verò ab anima. Præterea quia Aristoteles cap. 8. text. 80. stirpium, & animantium exemplo suadet naturam alicuius finis gratia operari, & 1. de partibus animalium cap. 1. docet ad Physicum attinere de anima sentiente, & vegetante absolutè disceptare, quia sunt naturæ. Negari igitur non potest in Peripatetica disciplina animam verè ac propriè naturam esse.

Animam esse naturam.

Quòd autẽ concedendũ sit nõ cæteras tãtùm animas, sed intellectiuã quoque, esse naturã, probatur ex eo, quia oĩs forma substãtialis corporis physici est natura; siquidẽ, vt ex superiori capite liquet, naturæ notio tam materiã, quàm formã cõprehendit; at anima intellectiua est verè, & essentialiter forma humani corporis, vt est decretum in Concilio Lateranensi 3. sub Leone decimo sess. 8. & in Viẽnensi sub Clemente 5. & refertur in Clementina de summa Trinitate, & fide Catholica. Atque illud etiam monemus animum rationis compotem non secundum alios tantum gradus, vt sentiendi, & vegetandi; sed etiam secundum gradum intelligendi naturã esse.

Etiam intellectricẽ animam naturã esse.

Concil. Lateranense. Viennense.

Namque sub eo etiam gradu est verè forma compositi physici, nempe hominis, vltimam ei differentiam cõferens, atque eius esse absoluens, quod proprium formæ est.

Reijcitur sententia Platonis, & aliorum.

Quare minimè pbam⁹ eã sententiã, cui⁹ auctor fuit Plato, assertores Themisti⁹, Simplici⁹, Philopon⁹, & de Latinis nõnulli, qui volũt animã humanã, put intellectiua est, gubernatoris dũtaxat, nõ verè informãtis locũ in corpore obtinere, atq; adeò secundũ eũ gradũ nõ esse verè formã corporis. Licet enim intellect⁹ corpori nequaquam hæreat; id tamẽ nõ impedit quomin⁹ intellectiua anima, cui insidet, secundũ gradũ intellectiuũ, qui ab ei⁹ substãtia re ipsa nõ distinguitur, verè, ac ꝓpriè corpus informet. Qua de re plura in 2. de anima.

ARTICVLVS II.

SOLVTIO ARGVMENTORVM primi articuli.

Quo sẽsu dicatur natura ad vnũ determinata.

NVnc eorũ argumẽtis, qui animã è naturę definitione excludebãt, occurramus. Ad primũ respondendũ est, cùm natura determinata ad vnũ dicitur, nõ accipi naturę nomẽ in toto significationis suæ ambitu; sed paulo pressiùs, vt ijs tantùm cõuenit, quæ sine delectu operãtur; quo sẽsu (vt Scotus in quodlibetis q. 2. explicat) iccirco natura ad vnũ determinata perhibetur; quia cùm libertatis expers sit, nequit è multis hoc, aut illud pro arbitratu suo eligere; sed ad vnũ definitè cõtẽdit. Ad secundũ, in illa etiã partitione ãgustè admodũ vsurpari naturæ nomẽ, prout nimirum materiam, & formam rei duntaxat inanimatæ comprehendit.

Huius effati vberiorẽ explicationem habes apud Zimaram in theorem. propos. 22.

Ad tertiũ, Aristotelẽ humani animi cõsiderationẽ nõ omnino Naturali Philosopho adimere; sed tãtùm velle eã nõ õni ex parte Physicã esse, vt alibi explicuim⁹. Nec absolutè negare animã intellectricẽ esse naturã; sed quoad eas affectiones, quæ ipsi à corpore abiũctæ, & extra materiæ fæcẽ cõueniũt, vt esse in loco definitiuè, capere intelligibiles rerũ notiones superni luminis ĩfluxu, & quædã alia, quorũ merito vt ad statũ substantiarũ separatarũ quodãmodo ascẽdit; ita si secũdũ eã pręcisè rationẽ spectetur, natura nõ est. Itaq; Aristoteles per id humanã mentẽ ab alijs rerũ viuentiũ formis eo loco secernit, quòd illa cùm ĩmortalis sit, ac multò pstãtioris notæ, à corpore abscedẽs trãsnaturalẽ cõditionẽ, ac fortẽ adire queat, hæ vero minimè.

Explicatur locus Aristotelis 1. de partibus animalium cap. 1.

In proœmio huius operis q. 4. art. 3. ad 4.

QVÆSTIO V.

VTRVM ARS, ET NATVRA SIMILItudinis rationem inter se habeant?

ARTICVLVS I.

QVIBVS INTER SE REBVS conueniant.

QVoniam ex naturæ, & artis collatione illustrior euadet naturæ cognitio, eas hoc loco inter se conferemus. Mirificè igitur inter se conueniunt, pariterque differunt ars, & natura. Cõueniunt primò, quia naturæ opera procedunt sicuti opera artis, id est, certa præscriptione, ratis legibus, compositè, & ordinatè. Quod Philosophos, (non eos hìc intelligas, qui præter pallium, nihil Philosophi habuere) ad eam mentem excitauit, vt intelligerent, fatereturque res physicas diuinæ artis prouidentia & solertia gubernari; videlicet quia intuebantur dissimilium rerum, ex quibus vniuersum constat, varietatem in vnum ordinem conuenire, & compositione, quod artis proprium est, contineri. Vnde naturam artem Dei, & Deum Ἀριστοτεχνίαν, idest optimum artificem dixerunt; & Plato duplicem artem posuit, vnam diuinam, humanam alteram; atque humanæ omnia, quæ artificum opera elaborantur; diuinæ vniuersa, quæ natura fiunt, attribuit.

De hac re Philo Iud. in lib. de Monarchia.

Natura ars dei.

Secundo. Cõueniunt, quia sicuti agens naturale effectũ producit sibi cognatum, ac similem ratione formæ ex qua ipsum constat; ita artifex opus effingit intelligibili formæ, siue exemplari à se concepto, proportione respondens. Sic verò vt formæ naturales habent primò esse in agente, in quo potestate continentur, quod virtuale nuncupatur, deinde in materia, quam idem met agens apparat; ita artefactorum formæ obtinent primò esse in mente artificis, quod ideale dicitur; postea verò in materia, quam idem artifex perpolit.

Formę artificiales habent primo esse in mente artificis.

Tertiò. Quia sicuti ars naturam, ita natura Deũ supponit. Idest, quemadmodum ars nihil efficit, nisi suppeditato sibi cõposito Physico, in quo artificiosam formam concinnet: ita natura nihil gignit, nisi præiacente materia à Deo creata, in quam naturalem formam inducat. Sicque per hos gradus res in lucem exeunt; Deus profert è nihilo: natura ex ente potentia: ars ex ente perfecto: Deus creando; natura generando; ars componendo, concinnando uè.

Lege d. Aug. lib. 83. q. Sco. in 4. d. 1. q. 1. Aeg. quodl. 3. q. 1.

Per quos gradus res prodeunt in lucem.

Quartò. Quia tam ars, quàm natura sensim proficit, & ab imperfectionibus ad perfectiora incedit. Ars enim, verbi gratia, pictoris primò susceptum opus leuiter adumbrat; tum in omnem colorum varietatem paulatim conformat, ac tandem perficit: & canendi ars musicos, priusquam ad rem veniant, proludere non nihil iubet. Natura item, exempli caussa, in effingendo fætu (quod in cæteris etiam suo modo seruare consueuit) initio rude quid sine membrorum distinctione exhibet; tum sensim expolit, donec animal perfectis lineamẽtis in decentem speciem stato tempore absoluat. Sic intellige quod scripsit Aristoteles in ꝓblematis sect. 10. probl. 44. naturã facere praue oĩa, & plura praua, quàm recta; videlicet quia in ꝓcreatione animãtiũ (ꝺ ijs enĩ illic sermo erat) à prĩcipio praue agit, idest, ĩperfectè, & quasi rudi penicillo; & plura facit praua, quã recta, idest, pluraĩperfecta, & ignobilia. Nã siue terrestria, siue aquatilia, verbi gratia, cõtẽplemur, haud dubiè multò ãpliorẽ multitudinẽ eorũ, quę inferiori

Natura & ars paulatim ꝓficiunt.

gradu ſtant, inueniemus. Nimirum quia vt vnumquodq́ue excellit magis, ita plura exigit, proindeq́; difficiliùs, & rariùs in vitã prodit. Lege Ariſt. 2. de ãia c. 4.

Natúra menſura artis: ars regula artefactorum.

Quinto. Quia ſicuti natura eſt menſura artis; ita ars eſt menſura artefactorum. Et vt natura diuinam artem; ita humana ars naturam, quoad eius fieri poteſt, æmulatur. Quocirca ars diuina exemplar naturæ; & natura diuini archetypi exemplum, ſimulq́ue exẽplar humanæ artis dicitur; & à quibuſdam etiam ars humana, nunc altera natura, nunc naturæ ſimia appellari conſueuit, vt pote quæ ex natura multa effinxerit, vt ex vmbra picturam, ex antris ædes, ex auium volatu vela, ex piſcium pinnis remos, ex cauda gubernaculum. Sanè verò vt natura, quo diuinæ artis prẹſtantiam magis exprimit, eò altiorem gradum obtinet; ita ars tanto commendatur amplius, quanto ad naturam propiùs accedit, resq́ue veris viciniores imitando exhibet; ita vt quæ viuentes referunt, ſpirare ipſæ videantur. Quale illud. Quo pacto ars ſit naturę æmula Hugo lib. 1. Didaſcalõ.

Ars naturę ſimia.

Artis Phidiacæ toreuma clarum,
Piſces aſpicis: adde aquam natabunt, Martialis lib. 3.

Et aliud de lacerta. Lib. 5.

Inſerta Phialæ Mentoris manu ducta,
Lacerta viuit, & timetur argentum.

Zeuxis, & Apellis mira opera.

Hac artis excellentia Zeuxis vuas pinxit adeò veritate repræſentatã, eò vt aues aduolarint. Hac Apelles Alexandrum magnum fulmẽ tenentem expreſsit, ita vt digiti eminere, & fulmen extra tabulam eſſe videretur; tanto operis, & famæ ſucceſſu, vt vulgo dicerẽt duos eſſe Alexandros, vnum Philippi filium nullis viribus ſuperabilem: alterum, opus Apellis, nulla arte imitabilem.

Sed illud hic quoque obiter aduerte, res creatas non ſolùm diuinam artem æmulari; ſed vnamquanq́ue earum aliam ſe perfectiorem pro ſuo captu exprimere. Nã terra v. g. animalis ſpeciẽ præſefert, quòd habeat ſubterfluentes aquas, tanquam venas; ſaxeos montes pro oſsibus; plantas, & herbas velut capillos, vt præter alios tradit auctor operis de diuina ſapientia ſecundum Aegyptios, lib. 8. c. 2. Et vniuerſim inferiora corpora ad cœleſtium rationem ſe ſe, vt poſsũt, accõmodant teſte Ariſtotele 9. Metaph. c. 9. text. 18. videlicet, quia vt cœleſtia iugi motu circumeunt, ita ſublunaria quaſi in orbẽ perpetuò oriuntur, & occidunt; & vt ſtellæ errantes nunc magis nunc minùs ad nos accedunt, ita in ſubcæleſti mundo alia, atque alia rerũ facies, & viciſſitudo ſecundum quadripartitã anni varietatem, cõſpicitur. Quin & ipſi etiã cœleſtes globi alias diuiniores cauſas imitantur, nimirum intellectuales ſubſtantias, quatenus vt hæ intelligendo ad alia procedunt; deinde reflexa cognitione in ſe recurrunt; ſic illi ab eodem ad idem punctum perenni agitatione cõmeant.

Quę́que res alia in ſe perfectiorẽ imitari nititur.

Opus de diu. ſap. ſecundi Aegyp. incer ti auct.

Sextò. Quia vt in rebus naturalibus, ita in iis etiam, quę artificioſo ſtudio elaborantur caſus locum inuenit. Et in naturalibus quidem multa paſsim occurrunt exempla. In artefactis duo quãſimillima à ſcripto-

Lege etiã Plutharch. in libello de fortuna.

scriptoribus celebrãtur, quæ Plinius lib. 35. Naturalis historiæ, cap. 10. commemorat.

Septimò, Quia, vt Aristoteles docet hoc in libro cap. 8. tex. 86. neque natura (sumit autẽ naturam prout ab anima intellectrici distinguitur) neque ars deliberat; quod tamen non dequauis arte intelligi debet, siquidem medicina, nauigatoria, & mille id genus deliberant; sed vt Aristoteles ipse 3. Ethicorum cap. 3. explicat, de ijs, quæ per certa, & statuta media finem attingunt, cuiusmodi est ars saltandi, & effingendi literas. Quod hisce verbis Themistius quoq; edisserit, non cõsultat faber lignarius, vtrũ prius secandũ sit, aut dolandũ, nec grammaticus, quẽadmodum literarum elemẽta scribẽda sint, hoc est A. aut B. Nec verò cũ Cleonẽ scribit, cogitat, quã primã, quam secundã literam collocet, ædificator etiam non consultat vtrũ iacienda primò fundamenta sint, an parietes construendi, an tectum apponendum. Eodem modo textor, & lapidicida, dum suo officio funguntur, non consultant; sed habet sibi suum quisque certum, finitumq; opus, nec ordinem ad finem propositũ pertinentẽ ignorat.

Quę artes deliberent, quę non.

ARTICVLVS II.

QVIBVS REBVS INTER se disideant.

DIfferunt quoque ars & natura multifariam. Primò, quia ars non efformat veras res, vt veram arborem, sed veri imitatrices, & vt quidam rectè ait, verè falsas, dum veris ludit coloribus ad veri speciem referendam ex artè collocatis. Atque hinc est, quod picturas, vigilantium insomnia nonnulli appellarunt; quod in illis non res ipsæ quoad esse proprium; sed rerum dũtaxat imagines se ostendant.

Secundò differunt, quia quoties ars, & natura ad opus aliquod faciendum conspirant, ars perficit naturam, vt docet Aristoteles c. 8. huius libri tex. 79. Præterea ars obtinet locum ducis, & regulę, natura verò est, quæ formatur, ac regitur, vt patet in eo, qui arte canit. Nec tamen propterea simpliciter asserendum est artem præstare naturæ, vt aduertit Plotinus Ennead. 4. lib. 1. & Galenus lib. 6. de morbis vulgaribus commento 9. licet enim effecta naturæ, vt vox, & pedum agitatio ab artis præscriptione modificentur; simpliciter tamen suum esse à natura capiunt.

Tertiò, Quia vt D. Thomas 2. contra gentes cap. 76. ait, formę per artem inductæ, artis actionem non consequuntur, sicuti formæ à natura editæ. Nec enim domus aliam domum, quemadmodum equus equum alium progignit. Huiusce autẽ discriminis ratio est, quia naturales formæ vt cundẽ in progenitore, & in re genita essẽdi mo-

Cur artificiales formę nõ consequãtur actionẽ artis.

modum obtinent; ita eandem sortiuntur agendi vim; at artificiosæ aliter in mente, ideaque artificis; aliter in rebus ipsis artefactis insunt, vt planum est.

Quartò, Quia cùm forma rei, quæ interit, in instanti generationis abscedat, vel extinguatur, simulque omnia illius accidentia abolcãtur, fit inde vt forma naturalis aduenìat enti in potentia, ideſt, nudæ materiæ; cùm tamen formæ artefactorum superueniãt enti actu, siue rei iam perfectæ, & absolutæ, ideſt, toti composito. Vnde ars dicitur ibi incipere, vbi natura desinit.

Ars incipit vbi natura desinit.

Quintò, Quia vt obseruat Plotinus, cap. 1. lib. 8. Ennead. 3. & Auerroes in sua paraphrasi super lib. de ortu, & interitu, ars in externa superficie præcipuè versatur; quia videlicet externam faciem, & elegantiam potissimum affectat. Natura verò in abditioribus elaborãdis impensiùs occupatur; vt quæ rebus magis necessaria, ac potioris momẽti sint, proindeq; ab optima parẽte curari magis debeãt.

Lege Eustratium ad cap. 4 lib. 6. Eth. Auerroè 12. Metaph. cõ. 18. AEgidũ quodl. 2. q. 12. Alexãdrũ in opusc. de mistione.

Sextò, Quia formæ naturales sunt actuosæ, & quasi viuæ; formæ verò artefactorum tanquam stolidæ, & emortuæ, nullam effectricẽ vim habentes; vtpote, quæ nihil aliud sint, quàm compositio, ordo, & figura, seu modus quidam ac determinatio quantitatis, vt cõstat ex ijs, quæ docuit Aristoteles primo huius operis c. 5. tex. 46. Ideòque vt quantitas suopte ingenio est ignaua, & iners, dataque à natura quasi altera materia ad sustinenda accidentia: ita formæ per artem inductæ nullam ex se ad agendum efficacitatem obtinẽt. Atq; hinc est quod res naturales possunt habere in se motionis et quietis principium; artefactæ verò, qua tales, non item, docente Aristotele non solùm hoc libro cap. 1 tex. 2. sed etiam in 6. Ethic. cap. 4. & 12. Metaphys. cap. 3. tex. 14.

Formæ artefactorum nõ habent vim actiuam.

QVÆSTIO VI.

POSSIT NE ARS OPERA NATURÆ moliri, an non?

ARTICVLVS I.

QVIBVS ARGVMENTIS videatur posse.

Arg.

VT ea, quæ de artis, naturæque conuenientia, & discrimine tradidimus, apertiora fiant, expendendum hoc loco erit possit ne ars naturæ opera efficere. Quòd enim possit, videtur ostẽdi imprimis, quia (vt alia huiusce generis com-

complura omittamus) Dædali ſtatuę, ſicuti Ariſtoteles 1. Politicorum cap. 3. & 1. de anima cap. 3. tex. 44. & Plato in Menone aiunt, hucilluc ſponte diſcurrebant. Item quia legimus apud Philoſtratū in Apollonij Tyanei vita tripodes quoſdam aureos in Iarchæ gymnoſophiſtæ conuiuio ſe ipſos motaſſe; & aureos pincernas conuiuis operam ſuam præſtitiſſe. Item quia, teſte Fauorino apud Gellium lib. 10. Noctium Atticarum cap. 12. Archytas columbam ligneam confecit, ponderibus, atque aura intus incluſa, ita libratam, vt medio aere ſuſpenſa volitaret. Deinde quia notū eſt Archimedē ſphæram vitream feciſſe, vbi aſtrorum ortus, & obitus, defectus ſolis, & lunæ, & denique omnium cœleſtium ſphærarum, ſyderumque cōuerſiones rata ordinis conſtantia, & æquabilitate diſtinctæ viſebantur; quod humani ingenij miraculum imitatus poſtea eſt Poſidonius, vt teſtatur Cicero lib. 2. de natura Deorum.

Dędali ſtatuę.

Tripodes Iarchę.

Columba Archytę.

Sphęra Archimedis. Et Poſidonij.

Secundò. Quædam artes edunt effectus, ad quos natura non pertingit; ergo & à fortiori eos, quos natura edere poteſt. Probatur aſſumptum exemplo annulorum, & imaginum Aſtronomicarū, ideſt, quæ certo aſtrorum ſitu, & influxu compingūtur, quarum vi multa ſupra vſitatum curſum naturæ effici tradunt auctores, vt Porphyrius referente D. Auguſtino 10 libro de ciuit. cap. 11. Plato in 2. dialogo de iuſto, Plotinus cap. 40. lib. 4. Ennead. 4.

2. arg.

Imagines Aſtronomicę.

Prætereà idem conuinci poteſt artificio Alchymicæ, cuius profeſſores verum aurum abs ſe fieri prædicant; veriſimile autem nō eſt ſemper eorum operam, & ſumptus in fumum abire. Quare non videtur negandum multa naturæ opera artis ingenio effici; imo & in nonnullis artem non naturam æmulari, ſed vincere.

3. argum.

ARTICVLVS II.

PROPOSITÆ CONTROVERSIÆ explicatio.

TAmentſi propoſita quęſtio amplam diſputandi ſegetem offerebat, ne tamen æquo longiores ſimus, rem quam fieri poſsit breuiter expediemus. Concluſio ſit. Neq; ars, neq; artificialis forma aliquod naturæ opus vi ſua efficere valet. Probatur; Nam in primis ars non aliter cum artifice concurrit, quàm tradendo ei regulas, & præcepta operis faciundi: at huiuſmodi regulæ non habēt vim inducēdi naturalem aliquam formam in materiā. Idem quoque de forma artificiali ex eo patet, quia, vt ſuperiori quæſtione oſtendimus, formæ per artem inductę nullam ad agendum vim obtinent.

Concluſio.

Probatio.

Sed enim aduertendū eſt, licet neque ars, neque forma artis queāt per ſe motum efficere; poſſe tamen ei modum quendam adhibere,

tv

vt videlicet hoc, aut illo pacto fiat; sicque saltatio, quæ facultate motrici in membris hærenti exercetur, ab arte habet, vt eleganter, concinnè, & numerosè exerceatur. Sic etiam cùm aliquid per artem è plano fit acutum, artis beneficio celeriùs mouetur; nō quòd figura ipsa plana, aut acuta ad motum efficienter concurrant; sed quia plano corpori plus medij se se opponit, quàm acuto; atque ita facilius hoc, quàm illud interiecti corporis repugnantiā vincit. Qua de re Aristoteles ad calcem lib. 4. de cœlo.

Ars applicando naturalia actiua passiuis efficit multa naturę opera.

Adiecimus in conclusione, vi sua, quia aliena vi, idest, applicādo naturalia actiua passiuis, non dubiū quin ars multa naturæ opera efficiat, vt patet in Medicina, quæ natiua herbarum virtute ęgris corporibus sanitatem reddit, & in multis artibus, quæ adhibito igni, alijsve eiusmodi causis naturalibus variè materiam immutant. Qua itē ratione dęmones, vt superiori libro diximus, diuersas formas, etiā animantium, imperfectorum tamen, in materiam inferunt; sic enim dæmonum ope Magi Pharaonis, serpentes exhibuere, non adumbratos, sed veros, vt sentit D. Augustinus 3. libro de Trinitate, c. 7. & in libro octoginta trium quæstionū q. 76. Origenes homilia 13. in Marcum, D. Thomas de potentia q. 6. art. 5.

Cap. 9. q. 10.

Exod. c. 7.

Cōsectariū.

Ex dictis duo inferuntur consectaria. Primum est, cùm malefici incantant serpentes, feras detinent, homines à statu mentis deijciunt, & turpi amore irretiunt, aliaque eiusmodi complura efficiunt; non posse ea à characteribus, & figuris, quibus ad id vtuntur, proficisci; sed præstari dæmonum industria, qui ad ea signa tacito vel expresso fœdere accurrunt, vt hominum mentes ludificent, & superstitione imbutas à veri Numinis cultu auocent. Hinc D. Augustinus 10. libro de Ciuitate Dei, cap. 11. Porphyrij confutat errorem, qui inter vitiū sacrilegæ curiositatis, & Philosophiæ professionem, sententijs alternātibus fluctuans aiebat per figuras, & imagines Astronomicas, quarum ante meminimus, admirabiles in terra effectus edi. Qua in re dupliciter errabat; primùm, quia formis corporum artificialium vim agentem tribuebat; deinde quia dæmones à culpa vindicare nitebatur, eorum præstigias, & maleficia in cœlestium corporum afflatus conferendo.

Malefici vt feras, & homines excantēt.

Error Porphyrij.

Alterum cōsectarium.

Alterum consectarium est artificio naturalis Magiæ occultas naturalium causarum vires inter se copulantis, multa absque interuentu dæmonum fieri, quæ licet admirationem excitent, quòd supra naturæ facultatem effici videantur; re vera tamen physicam habent rationem. Quale est videri extendi per triclinium vitem; apparere subitò conuiuas ōnes truncos, aut asininis capitibus, & alia; de quibus scripsit Guillielmus Parisiensis in suo opere de vniuerso corporali, & spirituali. Quibus etiam similia non pauca circunforanei ludificatores aspectui exhibent arte exercitatissima, quæ celeri motu, atque agitatione defixum in res obtutum frustratur.

Iudificatores circūforanei.

ARTI-

ARTICVLVS III.

PRIMI ARTICVLI ARGVMENTIS nihil contra proximè dicta concludi.

ARgumenta verò initio propoſita ſic erunt explicanda. Ad 1. dicendum ſtatuas, aliaque id genus artefacta nō moueri à ſuis formis, nec ab arte; ſed à natura, compoſitis intus latenti artificio machinulis, & argento viuo, alijsuè eiuſmodi, quæ motum illū efficiant, ſicuti videmus in horologijs, quæ libratis certa ratione ponderibus cientur. Itaque haſce motiones ars non efficit, ſed modificat & attemperat.

Motus artefactorum nō efficit ars, ſed modificat.

Ad 2. Neque annulos, neque imagines Aſtronomicas vllam ex ſe ad tales effectus vim habere, aut illam è cœlo excipere, vt oſtendit D. Thomas 22. q. 96. art. 2. Quare quæ de eiuſmodi rebus circumferentur vel ad fabulam pertinent, vel ad dæmonum præſtigias.

Imagines Aſtronomicę non habent vim edendi effecta, quę ipſis quidam attribuunt.

Ad 3. quid reſpondendum ſit, proxima quæſtione ſtatuemus.

QVÆSTIO VII.

NVM CHYMICÆ ARTIS INDVSTRIA verum aurum efficiat.

ARTICVLVS I.

QVI NEGATIVAM PARTEM ſequantur, & quibus argumentis.

AVRI ſacra fames vt aurum inueniret, chymicam excogitauit, artem naturæ vel æmulam, vel inuidam, quæ aurum progignere ſtudet, quod terra à ſe progenitum gremio cohibet, ne ſi pariat, non tam aurum fundat, quàm veneum luxuriæ, & auaritiæ. Hæc igitur ars, num verum, atque omni ex parte probatum aurum efficiat, in controuerſia eſt. Efficiat, inquam, non vi ſua; ſic enim non poſſe, ex ijs, quæ ſuperiùs diſputata ſunt, conſtat; ſed applicando naturalia actiua paſſiuis, hoc eſt, adhibendo variam permixtionem, & temperiem ſulphuri & argento viuo, quam perhibent communem eſſe materiam argēto, & auro, cæteriſque metallis procreandis, vt teſtatur Magnus

Communis materia gignendis metallis.

Albertus lib.3.de mineralibus, cap.9. & Leuinus lib.2. de occultis naturæ miraculis,cap.32.

Assertores partis neg.

In hac controuersia D.Thomas 2.sententiarum d.7. q.3. art.1.& de potentia, q.6.art.1. Aegidius in 3. quodlib.q.8. post Auerroem in paraphrasi ad primum librum de generatione animalium,& Auicennam in suis commentarijs Meteororum, & Hastem nobilē Philosophum, quem refert Albertus loco citato, arbitrati sunt aurum chymicum non esse verum,sed fucatum.Probat autē id D.Thomas ex eo,quia forma auri non videtur induci nisi vi caloris ætherei, & à sole præsertim dilapsi. Vnde aurum confectum calore igneo,quo chymici artifices vtuntur,non nisi adulterinum erit,vt pote ab illegitimo parente editum. Accedit quòd verisimile omnino est naturam ad auri generationem solam mineram delegisse terræ sinu inclusam, quò vndique, vt veteres aiebant, deorum cætus, idest, cœlestium corporum vires,confluunt.

Prima ratio à calore.

Secunda ratio. à vena minerali.

Tertia ratio. à naturę lege.

Eandem sententiam ea ratione confirmat Aegidius, quia quæ in quolibet genere perfecta sunt, non vagam habent, sed certam,& definitam ortus sui causam. Quare cùm aurum inter omnia metalla nobilitate præluceat, vno duntaxat modo fiet, nimirum eo, quem natura adhibet humanæ arti ignotum.

Quarta ratio. Ab experientia.

Deniqúe idem alij stabiliunt hunc in modum.Negari non potest in ijs,quæ ad naturam,vel ad mores,vel ad artium disciplinam pertinēt,magnam vim habere argumentum ab experientia ductum; at longa experientia cōpertum est huiusce artis professores cùm magnis impensis & pertinaci studio,pro vero auro conficiendo desudarint,non nisi fucatum extulisse. Igitur eiusmodi auri confectio impossibilis est.

ARTICVLVS II.

SOLVTIO PROPOSItæ quæstionis.

Concl.

NIhilominus sententia nostra est. Etsi perdifficile sit chymicæ rationis artificio verum aurum producere; non videri tamen id omnino impossibile iudicandum. Huius assertionis priorem partem suadet experientia. Posteriorem approbat D.Thomas secunda secundæ q.77. art.2.Magnus Albertus lib.3. de Mineralibus cap.9.

Henricus Gandauensis quod lib.5.q.3.Zimara in tractatu de differentijs naturæ, & artis. Mirandalanus lib.9.de euersione singularis certaminis, sect. 7. alijque è iunioribus Philosophis non pauci.

Primū arg.

Qui eo potissimum ducuntur argumento, quod cùm ars æmula, imitatrixque naturæ sit, non apparet cur naturam in efformando vero auro imitari non possit, quam sæpe alijs in rebus, quæ operosiores videbantur, ad viuum expresit. Constat enim quædam animalia

animalia artis industria progigni, vt apes ventribus boum recentibus cum fimo obrutis, vel iuuencorum corpore exanimato; bufones elixatura anatis sub dio positæ; & id genus complura. Animalia quę artis industria gignuntur.

Plinius Nat. hist. lib. 11. cap. 20.

Præterea. Angeli naturali cognitione perspectum habent quam materiam, quam etiam qualitatum temperationem veri auri generatio requirat. Igitur si omnia inuicem ritè componant, & tempestiuè applicent, obseruato etiam ad id astrorum influxu, legitimum aurum proferent, sicuti & veros serpentes. Quare potest legitimum aurum arte confici. Quòd si quis respondeat posse quidem; sed non hominum arte, de qua nostra disceptatio est: contra id obijcimus; quia nihil omnino conuincit eius artis peritiam adeò supra humani ingenij captum esse, vt neutiquam ad homines peruenire posse iudicanda sit. 2. argum. Refutatio responsionis.

Nec sanè refert, quod ea nunc fortasse lateat, neque hactenus ex fornace chymico verum aurum prodierit; cum multa in dies hominum solertia, & industria inueniantur superioribus seculis ignota, vt vsus tormentarij pulueris, & pyxidis nauticæ; ars typographica; artificium separandi aurum ab argento, sacchari ex arundinibus excoquendi, miscendi specula plana vitrea. Etsi ex his quædam non tam recèns inuẽta, quàm postliminio in vsum reuocata esse nõnulli putent. Quarundam rerum artificia recens inuenta.

Quare non videtur existimandum confectionem veri auri per Alchymiam omnino impossibilem esse, licet perquam difficilis sit. Argumenta autem, quæ à D. Thoma in contrariam partem adducta sunt, ita soluentur. Primum quidem aiendo multa fieri cœlestis caloris vi quæ etiam vi caloris ignei perficiuntur, maxime cum hi calores iuxta veriorem sententiam inter se specie non differant. Respõsio ad arg. contrariæ partis. Ad 1.

Secundum verò argumentum à loco mineræ metallariæ parum habet roboris. Licet enim aurum in terræ gremio, vt in patrio solo natura gignat, non proinde tamen eius effectionem ei loco ita videtur addixisse, vt nullo modo extra effici queat. Ad rationem Aegidij inficiandum est non posse interdum id, quod in suo genere excellit, multimodis gigni, cùm videamus ignem elementorum omnium principem, & actione alterius ignis, & radiorum coitu, & duorum corporum attritu generari. Ad 2. Ad 3. Multimoda ignis generatio.

Illud tandem in hac disceptatione monendum censuimus, Chymicam prout nunc se habet, ac interim dum certioribus veri auri à se confecti experimentis, artificium non probat, noxiam, perniciosamque iudicandam, ac proinde nequaquam exercendam, tum ne fucatum, minus ve perfectum aurum pro legitimo, & naturali diuendat, tum ne fornaculæ promittendo lucra, decipiat. Quo nomine eius professores haud satis benè in Republica audiunt. Alchymicę professores nõ satis benè audire.

Eoq; ſpectat illud Ioannis vigeſimi ſecundi in Extrauagante, ſpõdet. Alchymiſtæ ſpondent, quas non habent diuitias. Et denique ea cauſa fuit vt Diocletianus huiuſce artis libros diligenter conquiſitos flammis dederit, vt lib. 7. lect. antiq. cap. 2. Cælius teſtatur.

Ex dictis perſpicua iã eſt ſolu. vlti. argu. ſuperioris cõtrouerſię, cuius occaſione hæc diſſeruimus. Non enim Alchymia ſi aurum efficit, id propria vi efficit; ſed applicando naturalia actiua paſsiuis.

Capitis ſecundi explanatio.

POSTQVAM a Ariſtoteles diſſeruit de natura, & in ea diſputatione, quędã veluti fundamenta iecit Naturalis Philoſophię; explicat in hoc capite diſcrimen inter Phyſicum, & Mathematicum, Naturalem Philoſophiam, & Aſtrologiam: vt quę cuiuſque contemplatio ſit, quibusve terminis contineatur, planè conſtet. Putaret enim fortaſſe aliquis nullam in ijs eſſe differentiam, quòd Mathematicus conſideret plana, ſolida, longitudines, & puncta, quę inueniuntur in corporibus ad Naturalem Philoſophum ſpectantibus: ité quòd Aſtrologus contemplatur cœleſtium ſphęrarum accidentia, vt motum, & figuram, aliaque eiuſmodi, quę Phyſici negotij ſunt: præſertim cùm Phyſicus cœlectium naturam ſcrutetur, & abſurdum ſit eum, qui in ſubſtantiæ inſpectione verſatur, accidẽtia omittere. Intelligit autem Ariſtoteles appellatione Mathematici vel ſolum Geometram, qui plana, ſolida, & longitudines conſiderat, vel tã Geometram, quàm Arithmeticum, qui abſolutè Mathematici nuncupantur.

Diſcrimẽ inter Mathematicũ, eſt Phyſicum.

b Atque hęc quidem] Statuit diſcrimen inter Mathematicum, & Naturalem Philoſophũ; inter Aſtrologiam & Phyſicam; quòd licet eiſdem in rebus verſentur, non eondem tamen cõſiderandi modum habeant. Enim verò accidentia, quę Naturalis Philoſophus expendit, quatenus naturalium corporum termini & affectiones ſunt, & vt materię nexu implicantur; eadem Mathematicus conſiderat, abſtrahendo illa à corporibus phyſicis, & à materia. Quæ in re nullum committit errorem cùm illa ſyncero, atque omnino ſimplici mentis conceptu abiungat, nec re ipſa corporibus ineſſe inficietur, vt cùm quis hominem concipit non concipiendo Socratem, in quo eſt. Differt quoque Aſtrologus à Philoſopho Naturali: quia hic contemplatur cœli naturam, & eſſentiam, itemque motũ, vt eſt illius actus, ab eiuſque principijs oritur, aliaque ſimiliter. Aſtrologus verò nihil curans cœli naturam, motuum proportiones, ęqualitates, diſtantias, & his affinia perpendit.

c Hoc verò idearum] Arrepta ex dictis occaſione, idearum aſſertores coarguit, qui quòd eam

CAP. II.

CVM a verò definitum ſit, quot modis dicitur natura; poſthac contẽplandum eſt, quo Mathematicus à Phyſico differat. Nam plana, & ſolida, & longitudines, & puncta, quæ Mathematicus conſiderat, naturalia corpora obtinent. Inſuper an Aſtrologia à Naturali ſcientia ſit diuerſa, an pars. Abſurdum namque eſt, ſi quid ſol eſt, aut luna Phyſici ſit ſcire, nullum eorum, quæ per ſe inſunt, accidentium ſcire; præſertim cùm naturæ ſcrutatores de ſolis quoq;, & lunæ figura, & vtrũ terra, & mundus rotũda ſint, nec ne diſſerere videantur. b Atque hæc quidẽ Mathematicus quoque pertractat, ſed non vt corporis naturalis vnũquodque terminus eſt: nec item accidentia contemplatur, qua ex parte eius generis accidunt rebus. Quapropter abiungit, ſiquidem à motu cogitatione poſſunt diſiungi, nihilque intereſt, nec cùm diſiunguntur, vllum falſum exiſtit. Text. 16. Text. 17. Text. 18.

Hoc

eam abstractionem, quę sola mente fit, non percipterent, ideas inuexerũt, ideſt, formas quasdam ęternas, & immunabiles rerum nascentium & interęuntium, per se extra singularia cohęrentes: cùm tamen fieri nequeat vt tales formę à singularibus abiunctę sint, vt pote, quę etiã mente minùs a materia secerni valent, quàm Mathematicę, quę non re, sed cogitatione, à materia dirimuntur.

Quo pactõ formæ Mathematicę abstrahuntur à materia.

d Quod ita declarabitur} Bifariam ostendit Naturales formas minùs à materia & motu, qui materiam sequitur, abiungi posse, quam Mathematicas. Primum quia in definitionibus formarum Mathematicarum, vt paris, imparis, recti, curui, numeri, ac figurę, nec motus locum habet, nec materia: cùm tamen in Naturalium formarum definitionibus, vt carnis ossis, nerui, materia adhibeatur. Videlicet habent se Naturales formę ad Mathematicas vti simum ad curuum; vt enim simum sine naso intelligi non potest, quia est propria illius affectio, ipsumque cõnotat; ita formę Physicę absque materia percipi nequeunt; Mathematicę queunt. lege hoc loco Simplicium, & Proclum in primũ Eucl.

e Declarãt verò} Alia ratione comprobat Physicã cõsiderationẽ minus esse à materia abiũctam: quàm Mathematicam: quod videlicet Musica, Perspectiua, & Astrologia, quę ex Mathematicis ad Naturalem scientiam propius accedunt, ea, quę cõsiderant, nõ prorsus à materia auocant.

Text. 19. c *Hoc verò idearum quoque auctores cùm faciunt, fallũtur. Nam naturalia abiungunt, quæ minùs quàm Mathematica poßunt abiungi.* d *Quod ita declarabitur, si vtrorunq́, & ipsorum, & accidentium definitiones afferre aliquis nitatur. Nam par quidem, & impar, rectum, & curuum, quinetiam numerus & linea, sine motu definientur: caro autem, & os, & homo minimè. Sed hæc vt nasus simus, non vt curuum dicuntur.* Text. 20. e *Declarant verò & quæ in Mathematicis sunt magis Naturales, vt perspectiua, Musica, & Astrologia: nam contra quodammodo, ac Geometria se se habent. siquidem Geometria naturalem lineam contemplatur; sed nõ quatenus est naturalis; Perspectiua verò Mathematicã quidem lineam, non tamen quatenus Mathematicam; sed qua* Text. 21. *ex parte est naturalis.* f *Cùm autẽ natura bifariam dicatur, tum forma tũ materia, sic contemplari hæc debemus, perinde ac quid est simum dispiceremus. Quare nec sine materia, nec ex materia.* g *Nam & de hoc dupliciter dubitare aliquis sanè poßit, cùm duæ sint naturæ, vtram Physicus contempletur, an id, quod ex ambabus, constat. sed si id, quod ex am-* Text. 22. *babus, etiam vtranq́. Vtrum igitur ad eandem an ad aliam, atque aliam attinet, vtrãque cognoscere. Ad veteres quidem respicienti materiam considerare videbitur. Formam namq́ & essentiam Empedocles, ac Democritus parum admodum attigerunt. At*

f Cùm autẽ natura} Cùm, inquit, naturę notio tam formã, quàm materiam comprehẽdat, fit vt res naturales ex his constiturę considerentur vt simũ; quod paulò ante declaratum fuit; proindeq, nõ percipiantur absq; materia; licet non ex materia, quia nimirum haud quaquam ex materia primò & principaliter innotescunt, cùm omnis cognitio ab actu & forma oriatur. Aliter tamen D. Thomas, Philoponus, & Albertus Magnus interpretantur verba illa, nec ex materia, vt sit sensus esto Physicus non consideret res naturales absque materia, tamen præcipuam eius curam, & studium circa formam versari.

g Nã & de hoc} Cùm natura sit duplex, forma, & materia; ait posse ambigi an vtriusq; contẽplatio ad Naturalẽ Philosophũ pertineat. Tũ quasi respondendo interrogat, & interrogando respondet, re vera pertinere; cùm tam materia, quàm forma sint partes compositi Naturalis, quod Physicus considerat; eiusdemque artificis munus sit, partes, & quod ex partibus coalescit, contemplari; etsi veteres in solius materię cognitionem incubuerint; etiã Empedocles, & Democritus, qui tamen inter alios nonnullam formę notitiam obtinere videbantur. Dub. Resp.

h At si ars} Probat vtriusque naturę inspectionem Physici negotij esse, in hunc fere modum. Cùm ars naturę solertiam, qua potest, imitetur; vt se habet ars ad artefacta, ita se habebit Naturalis scientia ad res Physicas; atqui ars non formam duntaxat, sed materiam etiam Vtriusq; naturę cõtemplatio Physici est.

etiam considerat. Igitur Naturalis scientia non solam rerum physicarum formam, sed earũdem quoque materiam expendet. Assumptionem probat, quia Medicus non sanitatem tantum cognoscit, sed humores etiam, in quibus ea, vt in materia, consistit; itemque architectus non solam ędium formam, sed ligna, & lapides, ac reliquã materiam attendit. Monet verò Aristoteles artes considerare materiam vsque ad quendam terminum, quia artes omnes & facultates, ac scientiæ certos habent limites vltra quos non procedunt.

Materia propter formã.

i Id prętereа cuius› Alia ratione idem ita concludit. Eiusdem scientię est finem, & ea, quę finis gratia sunt, perpendere: sed materia est gratia formę; & forma est finis: ergo Naturalis Philosophię erit, & materiam & formam contemplari. Quod verò forma sit finis, probat ex eo, quia id, ad quod aliqua continuata motio tendit, & cuius gratia fit, est vltimũ & finis: at continuata motio, qua disponitur, ornaturque materia, tendit ad formã, in eãque terminatur. Duo hîc aduertenda sunt. Alterum est appellatione naturę significari ab Aristotele formam, propterea quod sit potissima naturæ pars. Alterũ est ꝓpterea dixisse Arist. finẽ id esse, ad quod cõtinuata motio tẽdit: quia si motio iterrũpatur, & mobile substitat ante id, quò pergebat, eiusmodi terminus nõ dicetur habere rationẽ finis, sed is, ad quẽ vltimò progressionem destinarat.

Forma potissima naturæ pars.

k Quapropter› Reprehẽdit poetã, qui quòd videret finem esse extremũ, & esse id, cuius gratia, putauit omne extremum rectè dici finem. Vnde & de mortuo pronũtiant, finem habet, gratia cuius est genitus. Nõ est enim quodlibet extremũ finis, sed id, quod optimi habet rationem, & cuius gratia fit aliquid. Hunc poetam ait Philoponus esse Euripidem, insignem Tragędiarum scriptorem: senarius tamen, qui ab Aristotele citatur, videtur fuisse in aliquo eius opere, quod iniuria tẽporis interciderit, cùm in ijs, quę nunc exstant, non reperiatur.

Euripides.

h *At si ars imitatur naturam, formamque & materiam ad quendam vsque terminum cognoscere eiusdem est artis, vt sanitatem, & bilem, atque pituitam, in quibus est sanitas, medici, domus similiter formam, materiamque vt lateres, & ligna, ædificatoris, eodemque modo & in alijs, amborum quoque naturarum habere cognitionem, Naturalis profectò erit scientiæ.* i *Id prætereа cuius caussa, & finis, & quæ eius sunt caussa, eiusdẽ sunt Natura autẽ finis est, & cuius caussa. Nã quorum motionis continuæ aliquis est finis, is vltimum est, & id, cuius gratia.* k *Quapropter & poeta ridiculè eò adductus est, vt diceret, finẽ habet, cuius gratia erat genitus: nõ enim omnem, quod vltimum est finis est: sed id quod optimum.* Text. 24.

L *Quin etiam artes materiam faciunt, aliæ quidem omnino, aliæ ad opus: idoneam, eaque vtimur,* m *quod nostri gratia sint omnia, siquidem finis quoquo modo & nos sumus. Id enim, cuius gratia, bifariã dicitur, vt* n *in libro de Philosophia est traditum. Duæ verò materiei præsunt artes, eamq; cognoscunt, ea, quæ in vsu est posita, & quæ effectrici præest, architectura: quare & quæ vtitur quodãmodo est architectura; sed differunt, quòd altera formam, altera vt effectrix materiam cognoscat. Qualis namque claui est forma gubernator cognoscit, & iubet: alter verò quali è ligno erit, quibusve ex motibus. Porro in his, quæ arte fiunt, operis gratia materiam nos facimus: in rebus autem naturæ suppetit.* Text. 25.

Quadripartita varietas artium.

L Quin etiam artes› Explicat hoc loco Aristoteles diuersa munia artium, quæ in opere sunt positę; quorsum verò non satis inter expositores liquet. Videtur tamen eò spectare, vt variarum artium exẽplo concludat Naturalẽ philosophiam nequaquam materiam negligere, aut ignorare. Aduertendum est igitur quadripartitam esse varietatem artium, quę in externum opus incumbunt. Quarum duo genera materiam faciunt: alia duo imperant. Porro ex ijs artibus, quę materiam faciunt, quędam omnino faciunt; alię duntaxat ad opus præparant, & idoneam reddunt. Materiam omnino faciunt, vt figulina lutum: prępарant, vt statuaria marmor. Rursus earum, quę imperant, quas principes vocant, quędam faciendis operibus, quibus vtuntur, pręsunt, vt gubernatoria arti nauium effectrici: illa enim huic magnitudinem, formamque nauis pręscribit. Quędam pręsunt operibus, quę alijs vtenda tradunt, vt nauium constructędarũ ars ei, quę ligna particulatim dedolat, & expolit: & hęc illi, quæ

Tex.

quę in cędendis lignis occupatur: quarum opus gubernatorię obseruit.

Philosophiã Naturalẽ cõtemplari materiam.

Ex his ratum esse vult Aristotele. Philosophiam Naturalem materiam cognoscere cùm eã non ignorent operarię artes, tam quę in materia peculiariter insistunt, vt planum est, quàm quę formam adhibent, precipiuntvè: cùm hanc in materiam idoneam inferendam curent.

m Nostri gratia sint} Artefactarum rerum molitionem ait nostri gratia esse, nosque eius finem aliquo modo haberi. Quod nequis miretur, cùm finis operis videatur esse id, in quod continuata motio desinit, vt paulò ante dixerat, monet finem duplicem esse, nimirum finẽ, cuius, idest, cuius acquirendi gratia actio exercetur, qualis est sanitas; & finem, cui, hoc est, cui res comparatur, cuiusmodi est Socrates, cui valetudo acquiritur: atque hoc posteriori modo nos finem esse artefactorum, cùm illa in nostros vsus cedant.

Finis cuius, & finis cui.

n Vt in libro de Philosophia} Quem appellet hoc loco Philosophię librum non constat. Simplicius, Themistius, & Philoponus intelligunt libros de moribus. Verùm in his diuisio illa finis non inuenitur. D. Thomas putat significari libros primę Philosophię; sed neque in his, si horum nomine intelligat libros Metaphysicæ, saltem perspicuè legitur, etsi ex quibusdã verbis septimi capitis lib. 12. vtcũqs elici possit. Verisimile fortasse est indicari ab Aristotele libros alios de Philosophia, quorũ meminit Laertius, & Cicero 3. de natura deorũ. Inuenitur tamen prędicta finis distributio in libro 2. de anima cap. 4. tex. 37.

Text. 26. *o Præterea ex his, quæ ad aliquid sunt, materia est, cùm alij formæ alia materia subijciatur. Ad quem igitur vsque terminum formam, & quid est cognoscere Physicus debet? An vt Medicus neruum, aut faber æs, aliquo vsque? vna quæque enim alicuius rei est gratia, & in eis formis versatur, quæ separari non possunt, in materia autem sunt, siquidem homo & sol hominem generant. Quo autem modo, ea, quæ separata est, se habeat, & quid sit, Philosophiæ primæ est definire.*

o Prętera ex his, quę} Tandem quòd tam materia, quàm forma ad contemplationem Physicam pertineat ex eo probat, quia relata, seu quę mutuò referuntur, sub eãdem scientiam cadunt: materia verò & forma mutuò referuntur. Cui rei argumento est, quod cuiusque compositi naturalis forma non quãlibet materiam sine discrimine, sed certã & determinatam exposcit, parique modo materia non cuiusuis formę, sed certę, & proportione sibi respondentis capax est.

QVÆSTIO VNICA.

VTRVM MATHEMATICÆ, QVÆ mediæ appellantur, magis Naturales, quã Mathematicæ sint: an non?

ARTICVLVS I.

VIDERI MAGIS ESSE NATVRALES.

COnstat ex doctrina Aristotelis tum superiori cap. tum lib. 6. Metaphy. c. 1. tex. 2. scientiarũ Mathematicarum duas tantũ esse, quæ propriè & exquisitè Mathematicæ dicãtur, nẽpe Arithmeticã, & Geometriã: alias ĩter has, & Physiologiã, mediũ obtinere, quòd earũ subiectũ partĩ Mathematicũ, partĩ Naturale sit, videlicet Perspectiuã, Musicã, Astronomiã.

Enim

Geometer. Perspectiuus. Enim verò Geometer lineas, & magnitudines à materia absoluit, easque solo animo comprehendit: Perspectiuus lineas existētes ponit, & easdem considerat vt cadunt sub aspectum, qui radijs rectis in linearum modum ab oculo ad rem, quæ videtur, parrectis fit. Item Arithmeticus. Arithmeticus numeros ab omni materia seiunctos expendit: Musicus. Musicus eosdem vt re ipsa existentes in materia sensibili, in voce nimirū, aut sono, contemplatur. Similiter sphæram & magnitudinem Geometer à materia abstrahit; eadem verò Astrologus. Astrologus prout corporibus cœlestibus coniuncta sunt, considerat.

Cùm igitur tres prædictæ disciplinæ partim ad Mathematicam, partim ad Physiologiã accedant; 1. argum. quęri solet hoc loco an magis Naturales, vel magis potiùs Mathematicæ sint. Ac quòd magis sint Naturales ex eo primùm suaderi potest, quia vt in proœmio huius operis ostendimus, scientiæ contemplatrices capiunt vnitatem, & distinctionem secundum abstractionem à motu & à materia: hæ verò scientiæ in gradu abstractionis cum Naturali Philosophia conueniunt; siquidem visum, sonum, quantitatemque in subiecto certo considerant, quæ omnia sensibilia sunt, nec ratione abstrahuntur à materia. Quęst. 1. art. 3.

2. argum. Secundò. Idem hunc in modum probatur. Mathematica nõ substantiam considerat, sed quantitatem: atqui saltem Astronomia, & Perspectiua considerant substantiam. Non ergo ad Mathematicam spectant. Minor ostenditur, in primis quia id de Astronomia conceptis verbis docet Aristoteles lib. 12. Metaph. c. 8. text. 44. Sed de Perspectiua quoque idem suadetur. Nam Perspectiuus demonstrat, exempli gratia, figuram multorum laterum æqualium directè visui oppositam videri circularē, propterea quod eius anguli visum effugiunt; demonstrat, inquam, id ex imbecillitate potentiæ sensitricis, & ex natura substantiæ huic accidenti subiectæ. Itaq; de ipsa quoq; substantia cognoscit, ac iudicat.

3. argum. Tertiò. Idem ex eo confirmatur, quia harum artium subiecta, à subiectis earum, quibus subalternantur, non differunt, nisi ratione accidentis adiuncti v. g. numerus sonorus, quæ est res Musicæ subiecta, additione tantum sonori, à numero disidet. Quare cùm sonorum ad Physicam spectet, simpliciter dicendum erit Musicam magis Naturalem esse, pariqúe modo Perspectiuam, & Astronomiam.

4. argum. Deniqúe id videtur censuisse Aristoteles proximo cap. tex. 20. illis verbis, declarant verò, & quæ in Mathematicis sunt magis Naturales, vt Perspectiua, Musica, & Astrologia.

ARTICVLVS II.

MAGIS ESSE MATHEMATICAS, quam Naturales.

Ample-

AMplectenda tamen est opinio D. Thomæ hoc loco ad 1.ex. 20.& opuſ. 70. Ferrarienſis q. 2. huius libri, Soncinatis. 6. Metaphy.q.11.aliorumque aſſerentium Perſpectiuam,Muſicam,& Aſtronomiam magis eſſe Mathematicas, quam Naturales. Primùm quia in vulgata Mathematicarum artium partitione connumerantur. Deinde quia ab ijs, qui ſe Mathematicos profitentur, tractari conſueuerunt. Item quia affectiones, quæ de earum ſubiectis demonſtrantur, per media Geometriæ, & Arithmeticæ oſtendi ſolent: demonſtrationes verò, & ſcientiæ, eò pertinent, vnde media accipiunt: cùm medium veluti formale quippiam ſit in ſcientijs. 1.arg. 2. 3.

Aduerſariorum autem rationes hunc in modũ explicandæ erunt. Prima dicendo licet harum diſciplinarum ſubiecta quadam ex parte ſub ſenſum cadant; ſecundum id tamen, quod à ſubalternantibus deſumunt, quodque in ijs, quod ad rem propoſitam attinet, potioris momenti habetur, nec ſenſum, nec ſenſilem materiam attingere. Sol.1.rat.pro contr. parte.

Ad ſecundam dicendum Mathematicas omnes circa quantitatem verſari, ſed enim ſynceras hoc differre à medijs, quòd illæ quantitatem ab omni ſubiecto auocent; hæ verò eandem in ſubiecto certo, ac definito meditentur, vt Aſtronomia in ſubſtantia cœleſti. Eaque cauſſa eſt cur Mathematicæ mediæ aliquo modo ſubſtantiam ſpectent; videlicet non quòd eius ſubſtantiam ſcrutentur; ſed quia eam ſub conſideratione quantitatis ad certum ſubiectum definitæ vtcunque inuoluunt. Quæ conſideratio ſubſtantiæ quaſi ex accidente ſe habet, non per ſe omnino, vt in phyſica. Sol.2.

Ad tertiam. Etſi Mathematicæ mediæ differant à ſuis ſubalternantibus ob accidentariam conditionem, qua earum ſubiecta contrahunt, id tamen non obſtare quominus ad earum naturam magis appropinquent, propter eas rationes, quas ante aſsignauimus. Sol.3.

Ad vlt. non ſignificaſſe inibi Ariſtotelem haſce diſciplinas ſimpliciter magis eſſe Naturales, ſed eas è Mathematicis, magis Naturales eſſe, quàm quæ puræ Mathematicæ nuncupantur. Sol.4.

Capitis tertij explanatio.

ACCEDIT ad diſputandum de cauſsis, cuius tractationis eam rationem affert, quia huiuſce diſciplinę propoſitum eſt ſcire, id eſt, cognoſcere propter quid res ſit, omnesque affectiones entium naturalium ad ſuos fontes, & principia reducere. Quod nemo perfectè aſſequi poterit, niſi teneat cauſſas rei vſq; ad primam, ideſt, proximam. Ignorata cauſa proxima nemo perfectè cognoſcit propter quid res ſit.

a Causſa itaq;} Totum hoc caput ex hoc loco trãſtulit Ariſt. in lib. 5. Metaphyſicę, eſtque ſecundum eius libri caput, in quo omnes cauſſarum modos recenſet. Exorditur autem à materia, propterea quòd antiquis Philoſophis magis innotuerit. Quam definiens, ait eſſe id, è quo, cum inſit, aliquid fit. Eſt autem definitio hęc intelligenda eo modo, quo à nobis ſuperiori libro explicata fuit, ità vt ſoli materię primę conueniat, ſubintellecta videlicet particula, primò, in verbo, inſit. Nec obſtant exempla rerum artefactarum, quę Ariſtoteles ad rẽ illuſtrandam adhibuit; non ob proprietatem, ſed propter analogiam, ſeu proportionem vtriuſque materię.

Definitio materię.

b Alia eſt forma} Alterum cauſſę genus eſt forma, quę ratio eſſentię vocatur, quod in ea rei eſſentia præcipuè ſit poſita. Cur autem Ariſtoteles formam & exemplar coniunxerit diſſident interpretes. Sãctus Thomas arbitratur voluiſſe cõprehendere eorum dogma, qui eſſentias à materia abiũctas exemplaria rerum eſſe voluerũt. Alexãder putat formam dictam eſſe ab Ariſtotele exemplar, quòd natura formã potiſsimùm reſpiciat, eaq; adepta cõquieſcat. Themiſtius, & Philoponus aiunt formam appellari exemplar, quod agẽs naturale in generãdo, perficiẽdaq; re ità ſe habeat, vt ij, qui in artefactis affabrè moliẽdis exẽplar, quod imitentur ſibi proponunt. Alij, quorũ explicatio magis arridet, aiunt voluiſſe Ariſtotelem cauſſam exemplarem in hoc ſecundo cauſſarum genere numerare: quę eſt interpretatio Fonſecę libro quinto Metaphyſ. loco citato.

Cur Ariſtoteles formã & exemplar cõiunxerit.

CAP. III.

HISCE autem definitis, quæ & quot numero cauſſæ ſint, conſiderandum eſt. Nam cùm hæc tractatio ſciendi ſit gratia; ſcire autem aliquid non priùs putemus, quàm propter quid vnumquodque ſit, ſumamus, quod quidem aliud non eſt quàm cauſſam primam ſumere, nobis quoque in generatione, & interitu, & omni naturali mutatione agendum hoc eſſe manifeſtum eſt, vt earum principijs cognitis, quidquid quæritur, ad ea reducere enitamur. Text. 27.

a *Cauſſa itaq; vno modo id dicitur, è quo, cùm inſit, aliquid fit, vt æs ſtatuæ, & argentum phialæ, horumq; genera.* b *Alia eſt forma, & exemplar, quæ eſſentiæ quidem eſt ratio, atque eius genera, vt harmoniæ diapaſon, duo ad vnum, & omnino numerus, & partes, quæ inſunt in ratione.* c *Præterea id vnde mutationis, aut quietis primum eſt principium, qualis cauſſa eſt is, qui conſulit, & pater filij, & vno nomine id, quod efficit eius, quod fit, & quod immutat eius quod immutatur. Inſuper vt finis, hic autem eſt id, cuius cauſſa: vt deambulandi ſanitas.* Text. 28. Text. 29.

Cur

Definitio efficientis.

Definitio finis.

b Alia eſt forma} Alterum cauſſę genus eſt forma, quę ratio eſſentię vocatur, quod in ea rei eſſentia præcipuè ſit poſita. Cur autem Ariſtoteles formam & exemplar coniunxerit diſſident interpretes. Sãctus Thomas arbitratur voluiſſe cõprehendere eorum dogma, qui eſſentias à materia abiũctas exemplaria rerum eſſe voluerũt. Alexãder putat formam dictam eſſe ab Ariſtotele exemplar, quòd natura formã potiſsimùm reſpiciat, eaq; adepta cõquieſcat. Themiſtius, & Philoponus aiunt formam appellari exemplar, quod agẽs naturale in generãdo, perficiẽdaq; re ità ſe habeat, vt ij, qui in artefactis affabrè moliẽdis exẽplar, quod imitentur ſibi proponunt. Alij, quorũ explicatio magis arridet, aiunt voluiſſe Ariſtotelem cauſſam exemplarem in hoc ſecundo cauſſarum genere numerare: quę eſt interpretatio Fonſecę libro quinto Metaphyſ. loco citato.

c Prętera id vnde} Tertium genus cauſſę eſt efficiens, quod definitur id vnde mutationis, aut quietis primum eſt principium: id eſt vnde primò ſecundum exequtionem mutatio, aut quies prouenit. Poſtremum eſt finis, qui dicitur id, cuius gratia cętera fiunt. Cętera, intellige, quę ad ipſum referuntur. Nam cùm, verbi gratia, Socrates ad obtinendam ſanitatem deambulat, à cibo abſtinet, potionem ſumit, horum omnium cauſſa dicitur bona valetudo, quia hęc omnia eius obtinendę gratia fiunt.

d Cum autẽ cauſſę} Proponit tria quędam pronuntiata ad perfectiorem cauſſarum intelligentiam vtilia. Primum eſt eiuſdem effectus plurẽs cauſſas eſſe poſſe, non ſolum per accidens, vt ſatis liquet, ſed etiam per ſe. Quod verum eſt tam de cauſsis eiuſdem generis, quarum vna eſt ſuperior, alia inferior, vt hic ſtatuarius, ſtatuarius, artifex; quàm de pluribus diuerſi generis, cuiuſmodi ſunt materia, & efficiens, vt æs, & ſtatuarius reſpectu ſtatuę. Plures tamen cauſſę totales & eiuſdem ordinis nullius effectus habere poteſt.

Eiuſdem effectus plures cauſſę.

f Quędam vero} Secundum pronuntiatum eſt, cauſſas diuerſorum generum poſſe ſibi mutuo eſſe cauſſas, vt patet in deambulatione, & bona valetudine, quarum hęc finis eſt illius, illa cauſſa efficiens huius.

Cauſę ſibi mutuò cauſę.

f Quin

f Quin etiam〉 Tertium pronuntiatum, idem alio, & alio modo contrariorum effectuũ causſã eſſe poſſe. Nã idem gubernator ſi adſit nauí, cauſſa eſt ſalutis, ſi abſit, naufragij. Idem cauſſa contrariorũ.

g Quę autem nunc〉 Quia vnunquodque genus cauſſę latè funditur, nequis propterea exiſtimaret plures eſſe generales cauſſandi modos docet quatuor omnino eſſe, ad quos videlicet reliqui aut pertineant, aut reuocentur.

h Syllabarum namque〉 Docet in genere materialis cauſſæ conſtitui literas reſpectu ſyllabarum; compoſita phyſica reſpectu eorum, quę arte elaborantur, elementa reſpectu miſtorum, partes integrantes reſpectu ſui totius, & hypotheſes, ſiue ſumptiones reſpectu concluſionis. Nam hęc omnia habent ſe tanquam id ex quo, ſiquidem ex literis conſtant ſyllabę, ex naturabilus artefacta & cæt. Aduertit autẽ Alenſis lib. 5. Metaphyſ. in commẽtarijs huius capitis hypotheſes, ſiue ſumptiones bifariam conſiderari poſſe, nimirum vel quoad terminos, vel quoad vim concludendi: priori modo ſpectare ad cauſſam materialem; quia concluſio conſtat ex maiori, & minori extremo, quę in præmiſſis continẽtur: poſteriori pertinere ad cauſſam efficientem. Quę pertinent ad genus cauſſę materialis.

Cur enim deambulat? vt valeat dicimus: quod cùm diximus cauſſam reddidiſſe arbitramur, atque omnium ſanè, quæ alio mouente inter ipſum fiunt, & finem, vt inter ſanitatem extenuatio, aut purgatio, aut medicamenta, aut inſtrumenta. Vniuerſa enim hæc finis ſunt gratia: ſed differunt inter ſe quòd alia ſint opera, alia inſtrumenta. Cauſſæ igitur tot ferè modis dicuntur. Tex. 30. d *Cùm autem cauſſæ multis modis dicantur, fit interdum, vt multæ eiusdem rei non ex accidente ſint cauſſæ, vt ſtatuæ ſtatuaria, & æs, non per aliud quidpiam, ſed quatenus ſtatua eſt, quanquam non eodem modo, ſed alterum quidem vt materia, alterum vt id, vnde eſt motus.* e *Quædam verò viciſſim ſibi ſunt cauſſæ, vt exercitatio boni habitus, & hic exercitationis: ſed non eodem modo, at ille vt finis, hæc vt principium motionis.* f *Quin etiam contrariorum idem eſt cauſſa. Quod enim cùm adeſt alicuius rei eſt cauſſa, id cùm abeſt, contrarij interdum cauſſam eſſe dicimus: vt gubernatoris abſentiam nauis ſubmerſionis, cuius ſalutis eius præſentia erat cauſſa.*

i Quędam vt eſſentia〉 Tria refert ad genus cauſſę formalis, nimirum totum, compoſitionem, & formam. Vocat autem totũ, vt Alenſis explicat, id, quod coaleſcit ex partibus ordine quodam duntaxat inter ſe iunctis, vt exercitus. Compoſitionẽ verò id, quod componitur ex partibus nõ ſolũ ordinẽ habentibus, ſed in vnam aliquã formam cocuntibus, vt domus. Denique formam peculiari nomine appellat eam, quę propriè forma dicitur, cuiuſmodi eſt forma hominis, aut lapidis. Quę pertinent ad genus cauſſę formalis.

Tex. 31. g *Quæ autem nunc traditæ ſunt cauſſæ, omnes in quatuor modos manifeſtiſſimos cadunt.* h *Syllabarum nanque elementa, eorum quæ opificio conſtant, materia: ignis, & quæ ſunt eiusmodi, corporum, totius partes, & concluſionis hypotheſes, vt id ex quo ſunt cauſſæ.*

k Semen autem〉 Commemorat ſpectantia ad cauſſam efficientem: deinde ad cauſſam finalem; monetque finem oportere bonum quid eſſe; alioqui nequaquam cętera eius gratia fierent; cùm noſtra actio non niſi bonum quid ſpectet: nihil tamen referre vtrum id re vera bonum ſit, an ſpeciem tantùm boni obtineat. Oportet finẽ bonũ quid eſſe.

l Cauſſarum autem〉 Diſtinxit cauſſarum genera ex quatuor modis cauſſandi per ſe & eſſentialibus: nunc eoſdem modos varijs diuiſionibus partitur ſecundum diuerſas habitudines cauſſarum ad effecta, vt annotarunt D Thomas, & Alenſis. Prima diuiſio ita habet. Cauſarum, quę eiuſdem generis ſunt, ideſt quæ vel omnes, exempli gratia, materiales ſunt, vel omnes effectrices, alia eſt prior, ideſt, communior; alia poſterior, ideſt, minùs cõmunis. Vt in genere cauſſę materialis, marmor eſt cauſſa minùs communis ſtatuę. Lapis verò, communior. In genere item effectricis cauſſę, ſtatuarius cauſſa eſt minùs vniuerſalis ſtatuę; artifex vniuerſalior; ſimiliterque res habet in cęteris. Varij modi cauſſarum.

m Pręterea vt accidens } Secunda diuisio duas subdiuisiones continens hęc est. Caussarũ quędam sunt per se, quędam ex accidente. Et iterum caussarum ex accidente alię magis, alię minùs vniuersales: alię propinquę, alię remotę. Caussa per se ea dicitur, à qua per se, & vt talis est, effectus pendet, vt statuarius comparatione statuę. Caussa ex accidente est, à qua nõ per se pendet effectus, est tamen coniuncta cum caussa per se. Quo modo ait Aristoteles Polycletum esse caussam per accidens statuę, quia accidit statuario esse Polycletum. Caussa ex accidente minùs vniuersalis est idem Polycletus respectu statuę; vniuersalior verò, homo, animal. Hic aduerte dupliciter rem aliquam posse dici caussam ex accidente, vno modo, quia accidit caussę per se; sicuti Polycletus, & album accidunt statuario, qui est caussa per se statuę. Altero, quia licet sit caussa per se, comparatur tamen cum eo, quod accidit effectui per se, vt si statuę accidat candor, statuarius, qui est caussa per se statuę, caussa est ex accidente comparatione candidi. Porro Aristoteles hoc in loco solam caussam ex accidẽti priori modo explicauit.

Quę sit caussa per se.

Quę per accidens.

Horum verò quædam sunt vt subiectum, veluti partes: i quædam, vt essentia, vt totum, compositio, & forma. k *Semen autem, & medicus, & qui consuluit, & omnino efficiens, caussæ sunt omnes, vnde mutationis, vel status, vel motionis est principium. Alia vt finis, bonumq; cæterorum. Id enim, cuius gratia optimum, finisq; aliorum esse debet. Nihil autem refert bonum dicatur, an quod appareat bonum. Et tales quidẽ, & tot specie sunt caussæ.* l *Caussarum autem modi numero quidem multi sunt, sed si summatim colligantur, hi quoque erunt pauciores. Multis enim modis caussæ dicuntur: & earum, quæ eiusdem sunt generis alia prior est, alia posterior, vt sanitatis medicus & artifex, & harmoniæ diapason, duplum, & numerus, & semper ea, quæ continent ad singula.* m *Præterea vt accidens, & horum genera, vt statuæ, alio modo Polycletus, alio statuarius, cùm statuario vt Polycletus sit, accidat. Quin etiam quæ accidens continent, vt si homo, aut omnino animal statuæ sit caussa.* n *Sunt verò & accidentium alia alijs remotiora, alia propinquiora, vt si albus, & musicus statuæ caussa dicantur.* o *Præter autem omnes, quæ propriè, & quæ ex accidenti dicuntur, aliæ sunt, quæ quod possint, aliæ quod agant, dicuntur, vt ædificationis domus ædificator, aut is qui ædificat, ædificator.*

Text. 32.

Text. 33.

Text. 34.

p *Idẽ verò & in his, quorũ caussæ sunt caussæ, dicetur, quod in his, quæ exposita sunt, vt in hac statua, aut statua, aut omnino signo, & ære hoc, aut ære, aut õino materiæ, atque in accidentibus eodem modo.* q *Sed & coniuncta tum hæc, tum illa dicentur, vt non Polycletus, nec statuarius, sed Polycletus statuarius.*

Text. 35.

Text. 36.

Porro

n Sunt verò & accidentium } Hic tradit subdiuisionẽ caussę ex accidente in propinquiorẽ, & remotiorẽ. Caussa propinquior est accidens, quod à caussa per se minùs distat. Remotior verò item accidẽs, quod à caussa per se lõgiùs abest, veluti candidũ & musicum, quia statuarij sunt accidentia, sunt caussa per accidens statuę: verũ quia Musica minùs ab arte statuaria distat, quàm candor; siquidẽ Musica ars est, sicut & statuaria; candor verò non est ars, iccirco Musica ꝓpinquior statuæ caussa est, quàm candidum.

Caussa propinquior.

Caussa remotior,

o Pręter autem omnes quę } Tertia diuisio est, qua caussa vniuersim diuiditur in eam, quę potestate, & in eam, quę actu caussalitatem exercet. Potestate, vt statuarius cùm nihil operis molitur. Actu vt idem cùm operi manũ admouet.

Caussa potestate.

Caussa actu.

p Item vero } Docet eas, quas tradidit, caussarum partitiones posse etiam effectis suo modo accommodari. Effectorum enim quędam communia sunt, quędam minùs communia; alia per se, alia ex accidente, alia actu, alia potestate.

Caussę coniunctę

q Sed & coniuncta } Quarta diuisio est. Caussarũ alię coniunctę sunt, alię simplices. Coniunctę, de quibus hoc loco agit Aristoteles (nam alijs etiam modis innecti possunt) sunt cõplexiones caussarum per se & per accidens, veluti Polycletus statuarius comparatione statuæ; Apelles pictor respectu imaginis. Simplices verò, vt Polycletus per se, vel statuarius per se.

Caussę simplices.

r Porro hęc omnia } Omnes caussarum modos, de quibus hactenus disseruit ad duodecim redu-

reducit. Nam si sumantur tres coniugationes; nempe caussa vniuersalis, & particularis; per se, & per accidens; connexa, & simplex: & quisibet horum modorum cum potentia, & actu complicetur, duodecim modi euadent. Nempe vniuersalis actu, vniuersalis potentia; particularis actu, particularis potentia; per se actu, per se potentia; per accidens actu, per accidens potentia; simplex actu, simplex potentia; connexa actu: connexa potentia.

s Hoc autem differunt} Constituit discrimen inter caussas singulares actu, & singulares potentia (idem intellige de vniuersalibus) quòd nempe caussas actu, & effecta actu simul esse, vel non esse oporteat, ita vt si existat id quod actu caussat, necessariò existat id, quod actu caussatur; & contra. Caussę verò potestate non ita se habent, siquidem stante domò potest artifex interire; itéque potest existere artifex, etsi nõ actu domum ædificet.

r *Porro hæc omnia numero sunt sex, quæ bifariam dicuntur: aut enim vt singula, aut vt genus, aut vt id, quod est ex accidenti, aut vt genus accidentis, aut hæc vt coniuncta, aut vt Simpliciter dicta, omnia verò aut agentia, aut quæ possint agere.* Text. 37. *Hoc autẽ differunt, quòd, quæ efficiunt, & singula, atque ea, quorum sunt caussæ, simul sunt, & non sunt, vt hic, qui medetur, & hic, qui sanatur: & hic, qui ædificat, & hoc, quod ædificatur. At quæ sunt potestate, non semper, cùm domus, & ædificator non simul intereant.* Text. 38. *t Rei autem cuiusque caussa summa quærenda est, veluti & in alijs: vt homo ædificat, quoniam architectus est, architectus autem est ex architectura. Hæc itaq; prior est caussa, eodemque modo in omnibus. Præterea generum genera, & singulorum singula: vt statuarius statuæ, & hic huius, & quæ possunt efficere eorum, quæ possunt esse, quæ autem efficiunt, eorum quæ efficiuntur. Ac caussæ quidem quæ* Text. 39. *sint, & quemadmodum sint caussæ, satis à nobis sit definitum.*

t Rei autem} subijcit duo theoremata tractandis caussis accommoda. Alterum est in comparanda scientia tandiu esse progrediendum, quousque deprehendatur, & assignetur caussa summa eius rei, cuius scientiam inuestigamus. Vocat autem caussam summam eã, quæ proximè effectum attingit, siue immediatam, qualis est Architectura respectu opificij. Alterum, reddendas esse effectibus idoneas, & congruentes caussas, nempe effectui singulari singularem caussam; vniuersali communem; effectui actu, caussam actu; atque ita cæteris.

Quę methodus esse debeat in tractandis caussis.

Capitis quarti explanatio.

DAditis caussarum generibus ad perfectam earum notionem desiderari censuit Aristoteles tractationem de casu, & fortuna, quibus non nulli rerum naturalium, vt Democritus, & Empedocles; alij humanarum, vt multi, præsertim de vulgo, efficientiam attribuebant. Proponit igitur explicandum vtrum casus & fortuna sint, an non? Si sint, quidnam sint, quam rationem caussę obtineant, & quo pacto inter se distinguantur.

CAP. IIII.

a Cùm autem} Aliquot opiniones veterum recenset: in primis eorum, qui casum & fortunam nihil omnino esse contendebant; quod duplici ratione probare conabantur. Primùm ita. Nullus est effectus, cui certa & definita caussa non respondeat; ergo nihil casu, aut furtuitò euenit. Consequutio videbatur perspicua; siquidem ea duntaxat in casum, & fortunam homines conferunt, quorum incertam,

Opiniones negantiũ casum, & fortunam aliquid esse.

Dicuntur verò & fortuna & casus in caussarum numero esse, multaque fortuitò, & casu & esse, & fieri. Quonam igitur modo fortuna & casus in his sint caussis, & vtrum sint idem fortuna & casus, an diuersa, & quid omnino fortuna sit, quidvè ne casus considerandum est. Cùm

incertam, ac indefinitam caussam esse putant. Assumptum verò inductione ostendebant. Cùm enim quispiam, verbi gratia, forum petens in eum, quem non quęrebat, incidit; huius rei caussa fuit itio illa, seu voluntas in forum eundi, ibique res venales emendi. Atque ita facile erit cęteris euentis caussas dare.

b Quin etiam) Secunda ratio, quę est ab auctoritate in hunc modum conclusa erat, Veteris Physiologię inuentores in explicando rerum naturalium ortu, & interitu, earumq. caussis disquirendis nullo numero habuere fortunā, nullāq; eius mentionem fecere. Igitur fortuna nihil omnino est.

c Quanquā hoc quoque) Omissa priori ratione posteriorem diluit asserens potius veteres reprehendēdos esse, quod de casu & fortuna nihil disseruerint, quam ex ipsorum hac in re silentio colligendum casum & fortunam non dari; pręsertim cùm interdum fortunę nomē vsurparint, imo & nonnulla fortuitò euenire cōcesserint. Prior autem ratio ex ijs, quę inferius dicēda sunt, facilè dissoluetur. Nēpe effectus, qui casu, & fortuitò cōtingunt, rarò cum effectis per se intētis iungi, vt inuentionem thesauri cū fossione agri: proindeque huiusmodi effectus certę, ac pręfinitę causę rationem, ad quam referantur, non habere.

Respōsio ad rat. phil.

d Pręsertim cùm interdum) Quod Empedocles fortunam posuerit probat ex ijs, quæ in eius Cosmopæia, hoc est in libro de mundi fabrica, legūtur, videlicet aerem casu in superum locum euolasse cùm sępius alio modò fuisset agitatus. Itemque partes animantium fortuito concursu inter se coaluisse.

Empedocles fortunā posuit.

e Sunt etiam qui) Democritus cum animantium, stirpium, aliarumque minorum mundi partium generationem in mentem, aut naturam, aliasvè caussas retulisset: tamen ipsam molitionem, compositionemque vniuersitatis attribuit fortuito concursui atomorum in infinito

Democriti dogma.

a *Cùm etiam nonnulli vtrum sint, nec ne dubitent: nihil enim à fortuna fieri inquiunt, sed omnium, quæ casu, aut fortuitò fieri dicimus, definitam aliquam caußam eße, vt fortuitò ad forum proficiscendi, & eius quem volebat quidem, non putabat autem, inueniendi, rei alicuius, cum ad forum venißet, emendæ voluntatem caußam esse. Similiter & cæterorum, quæ à fortuna dicuntur eße, aliquā semper caussam sumi poße, non autem fortunam.* b *Quin etiam si aliquid esset fortuna, absurdum sanè videri, & meritò dubitare aliquis posset, cur veterum sapientum nemo, qui generationis, & interitus caussas tradiderit, quicquam de fortuna definierit. Sed (vt videtur) ne illi quidem à fortuna quidpiam proficisci arbitrabantur.* c *Quanquam hoc quoque est admirandum, cum à fortuna, & casu multa fiant, & sint, quorum singula in aliquam eorum, quæ fiunt, caussam (vt sermo antiquus fortunam tollens ait) referri posse non ignorantes, eorum tamen nonnulla à fortuna esse omnes inquiunt, alia minimè. Quapropter aliquam mentionem facere debuerant. At nec illorum quicquàm, nempe amicitiam, aut litem, aut ignem, aut mentem, aut aliud aliquid eiuscemodi fortunam esse censuerunt. Absurdum igitur est eos seu esse eam non putauisse, seu cùm putauerint, prætermisisse; præsertim cùm interdum vtantur: vt Empedocles non semper aerem in summum locum ait secerni, sed vt contigerit. Inquit enim in Cosmopæia, Sic currere tum contigit, sæpius autem aliter. Animalium etiam partes à fortuna inquit factas esse.*

Text. 40. Text. 41. Text. 42. Text. 43.

e *Sunt etiam qui mundi huius, aliorumque omnium caussam in casum referant: conuersionem enim & motum eum, qui vniuersum distinxit, & in hunc ordinem redegit, casu esse.* f *Et hoc sanè admiratione maxima dignum est, quod animalia quidem & plantas neque esse, neque fieri à fortuna, sed aut naturam, aut mentem, aut aliquid aliud tale caussam esse affirment, propterea quod ex cuiusque semine non quoduis fiat, sed ex tali oliua, è tali autem homo; cœlum verò, & ea, quæ inter sensilia diuiniora sunt, casu effici censeant, talemque eorum nullam, qualis plantarum, & animalium est, caußam eße.*

Text. 44. Text. 45.

Atqui

finito spatio temerè discurrentium, vt testatur Aristotelis 1. de Cœlo & 1. de partibus animalium cap. 1.

f Et hoc sanè admiratione } Superioris sententiæ falsitatem ex eo conuincit, quòd per absurdum sit corpus cœleste, & ea, quę inter aspectabilia excellunt, & stabiliora, ac diuiniora sunt, casu effecta fuisse: cętera verò, in quibus fortuiti euentus sępe visuntur, causas certo ordine constitutas vindicasse. Hac ipsa ratione vtitur etiam Aristoteles 1. de partibus animal cap. 1. Quam ob rem, inquit, verisimilię dixerim cœlum, & factum esse ab eiusmodi causa, si factum est, & magis esse ob eam causam, quàm animalia caduca, atq; mortalia: ordo enim, & status, certusque status longè magis in rebus patet cœlestibus, quàm in nobis: incerta autem, inconstans, & fortuita conditio in genere mortali potius est. Coarguitur.

Text. 46. *Atqui si ita est, hoc ipsum consideratione dignum est, præclarumq; erit de eo aliquid dicere. Nam præterquã quod alioqui absurdum est id quod dicitur, absurdius adhuc est hæc dicere, cùm nihil in cœlo casu videant fieri, in his autem, quæ non à fortuna, fortuitò multa accidere, cuius tamen contrarium fieri conueniebat.* Text. 47. g *Sunt autem nonnulli, quibus fortuna causa quidem esse videtur, sed menti humanæ incognita, perinde, ac diuinum quiddam, admirandumq; numen sit. Quid itaque vtrunque sit & fortuna & casus, & vtrum idem sint, an diuersa, & quomodo in eas causas, quæ definitæ sunt, cadant, considerandum est.*

Ordo in cœlestibus magis elucet.

g Sunt autem } Tertia opinio erat Stoicę familię, & aliorum Philosophorũ ante Aristotelis tempora existimãtium fortunam causam esse multorum effectuum, sed reconditam, atque humanę menti ignotam, & diuinum quid habentem. Hanc non impugnat hoc loco quod ridicula sit, positque ex ijs, quę inferiùs dicenda sunt, facili negotio confutari.

Capitis quinti explanatio.

PRimum a itaque } Vt suam de casu & fortuna sententiam explicet duplicem præmittit diuisionem. Prima est. Effectuum quidam semper eodem modo prouenium, nullamque habent varietatem, vt ortus & occasus syderum: quidam plerunque, nõ tamen semper, vt pluuiæ per hyemẽ, canities in senectute, alij nec semper, nec plerunque, vt nasci hominem bicipitem, vel sole in Cancro existente frigere apud nos. Illud ergo prõ certo habendum esse ait, ea quæ in prioribus duobus mẽbris cõtinentur, non pertinere ad fortunã: quę verò in alijs, posse fortuitò contingere, vt cõmunis hominum consensus testatur. Partitio effectuum.

CAP. V.

Text. 48. *PRimùm a itaq; cùm alia semper eodem modo fieri videamus, alia plerunq;: perspicuum est, fortunam neutrius horum generis causam dici: idq; quod fortuitò euenit, nec eius esse generis, quod necessariò, & semper est, nec eius, quod plerunque. Sed cùm quædam præter hæc etiam fiant, eaq; omnes à fortuna inquiant proficisci, fortunam, & casum aliquid esse manifestum est. Nam & quæ sunt eiusmodi, ea fortuitò fieri, &* Text. 49. *quæ fortuitò fiunt, ea esse eiusmodi nouimus.* b *Eorum autem quæ fiunt, quædam alicuius gratia fiunt, quædam non fiunt. Et horum alia delectu fiunt, alia non delectu.*

b Eorum autem } Altera diuisio est. Eorum, quę fiunt, quędam sunt gratia alicuius, id est, ob aliquẽ finẽ, quędam minime. Rursus quę gratia alicuius fiunt bipartito distribuuntur. Alia namque animi deliberatione, & consilio peraguntur, vt rei familiaris administratio; alia natura, vt germinatio arboris. Additque in ijs, quę alicuius gratia fiunt (intelligo vel actu, vel potestate) ambo inueniri, idest, casum & fortunam. Alia partitio.

In

Quę

In quibus rebus fortuna, & casus repetiatur.

c Quę igitur} Particulatim declarat quę nam ea sint, in quibus fortuna, aut casus interueniant, docetque, vt Simplicius, & Themistius interpretantur, esse illa, quę gratia alicuius seu mente, seu natura fiunt, si sint causę per accidens, hoc est, cum ex his sequitur aliquid diuersum ab eo, cuius gratia fiebat: tunc enim id, quod sequitur, fortuitum dicitur. Quod vt planum sit, prę oculis habendum est tam causarum, quam effectorum quędam esse per se, quędam per accidens. Ac quemadmodũ quę per se dicuntur certã, definitamq; rationem habent: ita qæ per accidens, ancipitem, & indeterminatã obtinere. Verbi causa, fossor, quia per se est causa fossionis præfinitum habet ordinem, modumque ad eiusmodi effectum: at ex accidẽte multa tam ipsi, quàm eius effectui iungi queunt. Siquidẽ potest fossor esse musicus, albus, senex, aut iuuenis. Item potest fossioni adiungi inuentio viperę, thesauri, aut carbonum. Ea igitur eueniunt casu, & fortuitò, quæ prędicto modo effectui, in quẽ causa per se intendit, ex accidẽte iunguntur, vt thesauri inuentio fossioni terrę.

Inbis verò, quæ alicuius sunt gratia, ambo inueniuntur. Quare perspicuum est etiam in ijs, quæ nec necessariò sunt, nec plerunque, nonnulla esse, in quibus esse id potest, quod est, ad finem referri. Ad finem autem referuntur & ea, quæ mente agi possunt, & quæ natura. c *Quæ igitur eiusmodi sunt,* Text.50. *cùm fieri ea accidit, fortuitò dicimus fieri. Vt enim res alia est per se, alia quæ accidit, sic & causa esse potest: vt domus causa quidem per se id est, quod vi ædificandi est præditum: album autem aut musicum accidunt. Et causa quidem per se definita est, quæ verò accidit indefinita: quandoquidem vni accidere possunt infinita. Vt igitur dictum est, cùm in his, quæ alicuius fiunt gratia, id fit, tum casu esse, & fortuitò dicitur. Horum autem inter se differentia post definietur: hoc verò nunc constet, in his, quæ alicuius sunt gratia, ambo esse, vt pecuniæ accipiendæ gratia venisset, si acceperum se illam sciuisset. Venit autem non ea de causa,* Text.51. *sed accidit vt venerit, idq; fecerit accipiendi causa: & hoc quidem nec plerunq;, nec necessariò in eum locum proficiscens (finis autem, qui est acceptio in his causis non est, quæ in eo sunt sitæ, sed in his, quæ sub delectum, & mentem non cadunt,) tumq; fortuitò venisse is dicitur. Quod si delectu, eiusque rei gratia aut semper veniens, aut plerunque accipiens, non fortuitò. In his igitur, quæ, cùm alicuius sint gra-* Text.52. *tia, delectu fiunt, causam, quæ accidat fortunam esse, manifestum est. Quare cùm delectus absq; mente non sit, mens, & fortuna in eodem versantur.* d *Causæ igitur, à quibus fieri* Text.53. *id potest, quod fortuitò euenit, definitæ non sint necesse est: quo fit, vt fortuna rei non definitæ esse, atque homini occulta videatur. Atque etiam fit, vt fortuitum nihil euenire possit videri. Omnia nanque hæc quod rationem habeant coniunctam, rectè enuntiantur. Nam aliquo quidem modo à fortuna aliquid fit: ex accidenti enim fit. Atque vt acci-* Text.54. *dens, fortuna est causa: proprie autem nullius: vt domus architectus causa est, ex accidenti autem tibicen. Infinitæq; sunt multitudine, quibus cùm venisset pecuniam acceperit, non eius rei gratia profectus. Nam & videre aliquem vo-* Text.55. *lens, & insectans, & spectaturus, & fugiens.*

d Causa igitur} Quoniam ea, quę casu eueniũt, multifariã accidere possunt, colligit fortuitum euentum non habere causas definitas, sed varias & incertas. Vnde etiam intelligi posse ait non multum ab his differre, quę alij de fortuna docuerunt, videlicet fortunã esse causã, & nõ esse causã: esse causã ex accidenti, vt est architectus tibicen respectu domus; & non esse causam per se, ac definitam, vt est profectio in forum collata cum inuentione eius, qui pecuniam dedit; quę profectio ob multas, & varias causas esse potuit.

Euentus fortuitus nõ vendicat definitas causas.

Illud

e Illud etiam} Illud quoque ab alijs non inscitè prolatum inquit, fortunam esse quid prę-

Fortuna dicitur esse pręter rationem.

ter rationem: cùm ratio in ijs, quę rarò eueniunt, nulla appareat. Idem repetit libro primo

Rheto-

Rhetoric. ad Theodect. capite 5. hisce verbis. Verùm eorum quoque bonorum, quę præter rationem accidunt, fortuna causſa eſt, vt ſi cùm cęteri fratres deformes ſint, ſolus pulcher ſit, vel ſi cùm cęteri theſaurum non viderint, ſolus aſpexerit, vel ſi, cùm proximus ſagitta interierit, is ne tactus quidem ſit & cęt. Nam hęc omnia fortunatorum eſſe videntur.

Text. 55. c *Illud etiam rectè dicitur, fortunam eſſe quiddam à ratione alienum; quandoquidem ratio in his verſetur, quæ aut ſunt ſemper, aut plerũq; ; fortuna autẽ in his, quæ præter hæc fiũt. Quare cùm ea, quæ hoc modo sũt cauſſæ, definita nõ ſint, fortuna etiã quiddã eſt nõ definitũ.* f *Sed tamẽ de quibuſdam aliquis dubitauerit, nũ fortunæ quænis cauſſæ eſſe poſſint, vt ſanitatis, aut ſpiritus, aut æſtus, ſed non detonſio; ſiquidem*

Text. 56. *cauſſarũ ex accidenti aliæ alijs ſunt propinquiores.* g *Secunda autẽ dicitur fortuna, cùm bonũ aliquod euenerit: aduerſa, cùm malũ. Sed cùm magna hæc fuerint, fortunæ grãdis proſperitas, magnũq; infortuniũ: quare & cùm parũ abeſt quin excellens aliquod in malum, aut bonum incidamus, infortunio magno, aut grandi fortunæ proſperitate vtimur, quãdoquidẽ mens perinde ſtatuit, ac ſi id iam adeſſet. Nam quod parum abeſt, nihil abeſſe propemodũ videtur. Fortunæ etiã grandis proſperitas ratione optima incerta eſt: fortuna etenim incerta eſt, quando nihil, nec ſemper, nec plerunque fortuitũ eſſe*

Text. 57. *poteſt. Vtrunque igitur, caſus & fortuna cauſſæ ex accidenti in his ſunt, quæ nec omnino, nec plerunque fieri contingit, & horum, quæ in his fiunt, quæ alicuius ſunt gratia.*

f Sed tamen de quibusdam } Cùm idem effectus fortuitus multas cauſſas ex accidente habere poſſit; alias remotiores, alias propinquiores, in controuerſia adducit quę nam ex ijs cauſsis fortuna exiſtimanda ſit. Vt ſi quis capillum totonderit, deinde ęſtus, aut venti perflatus acceſſerit, & ſanitatem præter opinionem recuperet, in quod horum, vt in fortuitam cauſſam conferenda valetudo ſit? ſentit verò, vt interpretatur Philoponus, viciniorem cauſſam magis dicendam fortunã,

Quod paſſi abeſt nihil abeſſe videtur.

Cauſſa viciniorem magis dicenda fortuna.

g Secunda autem } Solet fortuna varijs affici epithetis ratione effectuum, quos inducit. Horum nonnulla perſtringit hoc loco Ariſtoteles.

Capitis ſeptimi explanatio.

DIfferunt a autem } Caſus & fortunę diſcrimen in eo eſſe docet, quod fortuna minùs latè pateat, & in ijs duntaxat poſita ſit, quę ex propoſito, & conſultò geruntur: caſus verò non ita ſe habeat. Sed enim aduertendum eſt caſum bifariã ſumi. Vno modo pteſsè, quo pacto neque caſus eſt fortuna, nec contra vlla fortuna caſus. Definitur enim ita acepta fortuna, cauſſa per accidens in ijs, quę alicuius gratia delectu fiunt. Caſus verò definitur, cauſa per accidẽs in ijs, quę alicuig gratia fiũt, ſine delectu tamẽ. Altero modo aceipitur caſo, vt eſt quid cõmune caſui, & fortunæ: ſicq; licet omnis fortuna caſus ſit, nõ tamen retro cõmeant. Ac ſecũdũ hãc rationẽ

Quid ſit fortuna.

Quid caſus.

sumitur casus hoc loco ab Aristotele, definiturque ita. Casus est caussa per accidens in ijs, quę alicuius gratia fiunt.

b Idque ex eo scire) Esse fortunam eorum tantùm, quę cònsultò geruntur, probat Aristoteles, quia fortuna ijs competit, quibus contingit esse benè fortunatos, & quorum propium est in rebus agendis versari. Quod ex eo intelligi potest, quia fortunę excellens prosperitas aut est idem quod felicitas, quę actio quędam est, aut est illi cognata. Quare si ijs tantùm cõuenit fortuna, quorũ est agere, & agere est eorum, quę vtuntur deliberatione (cætera enim magis aguntur, quã agunt) consequens fit, vt fortuna tantùm reperiatur in ijs, quæ consultò fiunt. Circa hanc rationem aduerte ex 1. lib. Ethic. cap. 7. felicitatem consistere in actione rationi cosentanea, quę hominis est ppria, eique in vita perfecta contingit. Quę felicitas non idem est, quod prosperitas, sed ei aliquantulum affinis, quatenus ipsam ornat, & cumulatiorẽ reddit; licet non defuerint, qui in ea felicitatem absolutè collocarint; ad quorum dogma, etsi falsum, alluśit Aristoteles cùm dixit prosperam fortunã aut felicitatem esse & cæt.

Fortuna quotum sit.

Vnde & necesse est in rebus agendis fortunam versari. Text. 58.
b *Idq; ex eo scire licet, quod fortunæ grandis prosperitas, aut cum felicitate idem esse, aut illi affinis videatur. Quare cùm felicitas actio sit quædam, siquidem bona est actio, ea profectò, in quæ actio non cadit, nec fortuitam quidem rem vllam possunt efficere.* c *Ob eamque caussam, neque inanimatum vllum, neque bellua, neque infans, quòd delectum non habeant, quidpiam agunt eorum, quæ fortuna eueniunt: nec item fortunæ grandi prosperitate, aut excellenti infortunio, nisi quadam similitudine vtuntur, vt Protarchus fortunatos dixit lapides, è quibus aræ extructæ essent, quòd honore afficerentur, tùm alij eiusdem generis pedibus conculcarentur. Sed etiam hæc ipsa quodãmodo à fortuna perpetiuntur, cùm fortuna is egerit, cuius actio in eis versatur: alio modo non patiuntur. Casus autem alijs quoque animalibus, & multis inanimatis congruit, vt equum dicimus casu venisse, quòd cùm venisset, seruatus est, cùm tamen vt seruaretur non venisset: tripes quoque casu cecidit, quòd sedendi quidẽ sit caussa, sed vt subsellium esset, non ceciderit. Perspicuũ itaq; est in his, quæ alicuius gratia omnino fiunt, cùm non eius, quod euenit gratia, cuius caussa extra est, fiunt, tum nos ἀπὸ ταὐτομάτου, id est casu id fieri dicere. Horum autem ea fortunæ tribui, quæ cùm in delectum cadant, in his, quæ delectu sint prædita, casu efficiuntur.* d *Signum autẽ est, quia vox μάταιος, quæ valet frustra, tum vsurpatur, cùm id cuius gratia aliquid sit, factum non fuerit, sed illud, quod eius gratia. Vt si deambulatio deijciendi alui sit gratia, eaque deambulanti non subsequatur, frustra dicimus ambulasse, & suo effectu frustratam ambulationem: perinde ac μάταιος, hoc est frustra id sit, quod cùm alterius gratia aptum sit esse, id non perficit, cuius gratia est cõparatum Nã si quis se frustra lauisse dixerit, quod sol non defecerit ridiculus profectò fuerit, siquidem lotio eius gratia instituta non erat. Sic igitur τὸ αὐτόματον, hoc est, casus nominis ratione dicitur, cùm αὐτὸ μάταιον, hoc est, frustra ipsum fuerit effectum. Decidit nanq; lapis non feriendi gratia, casu igitur decidit, propterea quòd etiam cadere possit, feriendi gratia ab aliquo deiectus.* Text. 59. Text. 60. Text. 61. Text. 61. Text. 62.

c Ob eamque caussam) Licet ijs, quę delectu carent, fortunę ratio non cõueniat, si propriè loquendum sit; conuenit tamen similitudine quadam. Quo sensu Protarchus fortunatos dixit lapides, è quibus deorum altaria constarent, quòd eis homines honorem cultumque exhiberent, & infortunatos eos, qui humi strati conculcarentur pedibus. Addit etiã Aristoteles ea, in quę deliberatio non cadit, licet circa fortuitos euentus aliquid nõ agant, posse tamen eos perpeti, si aliquid interueniat factum ab ijs, qui fortuitò egerint. Exemplum esse potest infans, qui alicuius opera obiectus feris, ab ijs sustentatus est, deinde ad regni fastigium peruenit.

Ab

Signum

d Signum autem est) Argumento à græci vocabuli notatione ostendit casum reperiri in ijs, quę alicuius gratia fiunt siue consilio, siue naturę impulsu, siue ab animatis, siue ab animę expertibus efficiantur. Nã casus, & frustra sunt sibi admodũ vicina, siquidẽ αὐτόματον, quod Latinis est casus, deducitur ἀπο του μάτην quod est frustra: at frustra dicimus quicquid alicuius gratia comparatum fuit, neque tamen illud obtinuit.

e Vtrũque autẽ) Statuit casum & fortunam ad genus causę efficientis pertinere, quia nimirum sunt causæ ex delectu, aut naturę impulsu efficientes id, cui ex accidente adiungitur, quod casu euenit, veluti cùm fossioni terrę, quam per se & cõsilio fossor moliebatur, thesauri inuentio annectitur, aut lapsui lapidis suopte pondere deuoluti vulneratio prętereuntis Socratis.

Casus & fortuna ad efficientem causã pertinent.

Tex. 64. *Ab his autem quæ fiunt natura id, quod fortuna euenit maximè abiunctum est. Nam cùm præter naturam effectum quidpiam est, non à fortuna, sed casu potiùs factum fuisse enuntiamus. Quanquam & hoc quoque diuersum est, quãdoquidem vnius causa externa est, alterius insita. Quid igitur casus, & quid fortuna, & quid inter se differunt, dictũ est.* e *Vtrunque autem eorũ ad eum causæ modum pertinet, vnde motus oritur principium. Aut enim eorum, quæ natura, aut eorum, quæ mente fiunt, causæ sunt semper: sed*

Text. 65.

Text. 66. *earum multitudo definita non est.* f *Cum verò eorum, quorum causa, aut mens, aut natura esse potest, casus, & fortuna sint causæ, idque tum demum, cùm eorum aliquid fit ex accidenti, nihilque quod ex accidenti sit, ea antecedat, quæ sunt per se, proinde quæ ex accidenti causa est, ea sit posterior, quæ per se est, casus nimirum, & fortuna mente, &*

Text. 67. *natura erunt posteriora. Quare si quàm maximè cœli causa sit casus, mentem & naturam, cùm aliorum multorum, tum huius vniuersi priorem esse causam necesse est.*

f Cum verò eorũ) Ex ijs, quę hactenus disputauit, progreditur contra Democritum, qui cœlestis mundi ortum casui & fortunę ascribebat. Nam cùm casus & fortuna sint causę per accidens, eorum quę à mente vel natura fiunt, nihil ab ijs proficisci potest, quin aliquid quidpiam à mente, vel natura priùs oriatur, ex quo deinde fortuitus casus sequi possit. Quare si cœlum casu procreatum foret, oporteret aliquem effectum per se, eius molitionem antegressum fuisse, quod absurdum dictu est.

Error Democriti.

QVÆSTIO I.

SIT NE FORTVNA, ET FA-tum in rebus an non?

ARTICVLVS I.

VERÆ DE FORTVNA sententiæ explicatio.

ETHnici, vt erant infinitis superstitionibus implicati, fortunæ numen dedere, nec solùm Poetæ, qui multa mentiuntur, sed etiam nonnulli Philosophi. Tametsi horum quidam, dum in re stulta volunt esse sapientes, fortunæ sexum mutarunt, non Deam, vt Poetæ, sed Deum appellantes.

Cur Ethnici fortunę numen tribuerint.

Fuerunt autem in hunc errorem inducti, quòd viderent latentes quosdam, & inopinatos euentus, quorum causſam cùm ignorarent, nec tamen nullam esſe sibi persuaderent, occultum aliquod esſe numen, à quo ij prouenirent, ideſt, fortunam ſtatuerunt. Vnde illud Ciceronis, ignoratio rerum, atque cauſſarum, fortunæ nomen induxit.

Fortunę pictura.

Porro Cebes Philoſophus, alijque veteres fortunam cæcam effinxere, furenti ſimilem, volubili ſaxo pendentem. Quo picturæ

Eius ſignificatio.

artificio ſignificare volebant eam nihil ratione, aut iudicio, omnia temerè, & cæco impetu adminiſtrare; rerum humanarum aleam ſusque deque vertere; iniquam vexatricem esſe, malis propitiam, bonis aduerſam, vagam, ac verſatilem, & in ſola leuitate conſtantem.

Boet.

Quò pertinet illud Boetij libro 2. de conſolat. proſa 2. hunc continuum ludum ludimus, rotam volubili orbe verſamus: infima ſummis, ſumma infimis immutare gaudemus. Sed alijs etiam modis

Alia fortunę effigies.

Ethnici fortunam pingebant ad eius potentiam ſignificandam. Nam Bupalus, vt Pauſanias libro 4. ait, primus apud Smyrnæos ſtatuam fortunæ fecit capite polum, altera manu cornucopiæ quaſi dominam gerentem.

D. Aug. Lactant.

Porro hanc tam abſurdam, & ridiculam de fortunæ imperio & diuinitate ſententiam coarguit, præter alios, D. Auguſtinus 4. libro de ciuitate Dei cap. 18. & Lactantius libro 3. cap. 28. & 29. Ea igitur

1. concl.

exploſa duas concluſiones ſtatuemus. Prima ſit. Negari non debet dari in rebus fortunam, ſi fortuna ſumatur, vt eſt cauſſa per accidens in ijs, quæ ob aliquem finem ex electione operantur. Hæc concluſio comprobata fuit ab Ariſtotele cap. 5. huius libri, nec opus eſt plu

Qui omnino caſum, & fortunã negarunt.

ribus eam argumentis ſtabilire; tametſi non defuerunt ex poſterioribus Philoſophis quidam ætate Magni Alberti, vt idem hoc in loco tractatu 2. cap. 10. commemorat, qui contra ſenſerint, affirmarintq; non dari vllo modo caſum, aut fortunam.

2. concl. D. Aug.

Secunda concluſio. Reſpectu Dei optimi, maximi, nihil caſu, aut fortuitò euenire poteſt. Hæc traditur à D. Auguſtino lib. 3. de Trinitate cap. 4. hiſce verbis. Nihil in iſta totius creaturæ ampliſsima quadam, immenſaque Republica eſt, quod non de interiori, atque intelligibili aula ſummi imperatoris aut iubeatur, aut permittatur. Aſtruitur verò ab eodem in lib. 83. quæſtionum, quæſt. 34. hunc in modum. Quidquid caſu fit, temere fit; quidquid temerè fit, ſine prouidentia fit; ſed nihil extra diuinæ prouidentiæ regulã accidit: ergo reſpectu illius nihil temerè, aut vice fortuita poteſt accidere. Secundò idẽ ſuadetur, quia ſi quid cõparatione Dei poſſet furtuitò cõtingere, poſſet Deus esſe cauſsa per accidẽs alicuius: quod repug-

Repugnat Deum esſe cauſſam per accidens alicuius rei.

nat; primùm quia omnis cauſſa per accidens habet aliam nobiliorem, ad quam reuocetur. Deinde quia id, quod eſt cauſſa per accidens, inſciẽter incurrit in effectũ, quod Deo neutiquã conuenit, de

Boet.

quo rectè ſcripſit Boetius. 5. lib. proximè citati operis, metro 2.

Huic

Huic ex alto cuncta tuenti
Nulla terræ mole resistunt,
Non nox atris nubibus obstat.
Quæ sunt, quæ fuerint, veniūtq́;
Vno mentis cernit in ictu:
Quē, quia respicit omnia solus,
Verùm possis dicere solem.

ARTICVLVS II.

QVO SENSV ADMITTI, AVT NEgari fatum debeat.

DIcamus etiam nonnihil de fato, quod casui & fortunæ cognatum est. Quidam fatum, inane nomen sine re esse putarunt. Alij ita fati legibus addixere omnia, vt voluntatis arbitrium tollerent, aientes fatum esse indeclinabilem rerum seriem, & catenam per æternæ consequentiæ ordines semet ipsam implicantem: siue naturalem, & necessariam rerum consequentiam. Alij præterea fati ordinem, ac prouidentiam ad species, non verò ad singularia, saltem intereuntia, extenderunt. Varij errores circa fatum.

His tamen reiectis, qui longè deuium à veritate iter tenuerunt, admittendum est dari in rebus fatum; sed quale mox dicemus, neq; propterea aut rerum contingentiam, aut voluntatis delectum & libertatem adimi; cùm minimè conueniat, vt fatum impediat, vel è medio tollat modum agendi particularium causarum, quarum aliæ ex libertate, aliæ solo naturæ impetu, aliæ contingenter, aliæ necessariò ex se, ac suopte ingenio operantur. Præsertim cùm hæc in agendo varietas ad pulchritudinem, & ornatum vniuersi magnopere conducat. Quam qui mundo adimunt similes ijs sunt, qui è pictura colorum differentiam, è musica vocum varietatem, è tragædia personarum multitudinem tollunt. Dari fatū in rebus.

Est igitur fatum apud eos, qui recte sentiunt, nihil aliud, quàm inhærens rebus mobilibus immobilis dispositio, per quam diuina prouidentia suis quæque nectit ordinibus, vt definit Boetius lib. 5. de consolatione, prosa 6. Siue, est ordo causarum secundarum diuinam prouidentiam exequentium. Quam priorem definitionem hinc intelliges. Cùm Deus per causas medias pleraque effecta exhibeat, potest eiusmodi causarum ordinatio bifariam considerari: vno modo prout in ipso Deo est; sicque vocatur prouidentia; & definitur, ratio ordinis rerum in diuina mente existens. Altero, prout est in causis ordinatis, directisque à Deo ad effecta producenda; atque ita prædicta ordinatio fati rationem obtinet, dicitúrque dispositio, seu ordo rebus mobilibus inhærens; mobilibus, inquam, quia causæ secundariæ, in quibus fatum reperitur, in se spectatæ mutationi sunt obnoxiæ: & in hanc, vel illam partem cadere possunt. Appellatur nihilominus idem ordo immobilis, quia stabilis est, ac firmus Quid sit fatum. Quid prouidentia.

non

non in se, vel absolutè, sed relatus ad diuinam prouidentiam, è cuius fonte descendit. Dicitur postremò prouidentia diuina per eiusmodi ordinem cuncta nectere; quia quæ Deus facienda apud se statuit, illius interuentu re ipsa promit ac perficit.

Obiectio 1. Verùm obijciet aliquis. Fatum est causa rerum, quæ fato perficiuntur, pertinetque ad effectricis causæ genus, cùm ea, quæ ei subiecta sunt, efficiat. Igitur fatũ non est ordo. Probatur consequutio, quia ordo est relatio; relatio autem nullam efficiendi vim possidet.

Obi. 2. D. Aug. Secundò D. Augustinus in Ioannem tractatu 37. & libro 5. de Ciuitate Dei cap. 9. & in lib. de doctrina Christiana, alijsque in locis

D. Greg. fatuos censet eos, qui fatum aliquid esse putant. Itemque D. Gregorius in homilia 10. Epiphaniæ monet ne quid fatũ esse existimemus. Igitur fatum nihil est.

Dilu. 1. obic. Ad primum horum dicendum, si fatum ex sua formali ratione spectetur, esse relationem illam ordinis, nec eo modo ad causam efficientem pertinere; sed duntaxat cũ pro causis ipsis ordinatis accipitur.

Dilu. 2. Ad secundum cùm patrum auctoritas fatum damnat, fatum sumere pro ineuitabili illa necessitate rerum contingentium, & arbitrij libertatem adimente; quam vti diximus, nonnulli falsò inducebant.

Capitis septimi Explanatio.

Cõprobatur quaternarius numerus causarum.

ATa vero causas] Quoniam tam varios causarum modos recensuit, ne quis inde fortasse occasionem capiat existimandi plura esse causarum genera, quàm quatuor, hunc confirmat numerum, ostendens nec plura, nec pauciora esse, argumentaturque in hunc modum. Tot sunt genera causarum, quot ea, quę quęruntur: hęc autem quatuor sunt: igitur causarum genera sunt quatuor. Maiorem propositionem subticuit, minorem inductione comprobat. Vsurpauit autem verba illa, propter quid τὸ διὰ τί fusa significatione, quomodo causis omnibus accomodatur; alioqui finali duntaxat.

b Ad formam in immobilibus] Exempla causę formalis dicit reperiri in immobilibus, idest in ijs, quę absque materia, motúque considerantur, quales sunt res Metaphysicę, & Mathematicę, idq; in Mathematicis priuatim ostẽdit, vbi quęrentibꝰ ꝓpter quid aliquid ita se habeat, definitionem, quę solam formam comprehendit, reddimus, in eamque vltimò explicationem conuertęs resoluimus. Vt si quis à Mathematico petat cur linea aliqua recta sit, respondebit, quia ex equo sua interiacet puncta, seu quia linearum à puncto ad punctum tendentium minima est quę

CAP. VII.

ATa verò causas esse & tot, quot diximus, numero, Text. 68.
manifestum est. Totidem enim quæstio ea comprehendit, qua propter quid, quæritur. Nam quæstio, propter quid, aut ad formam b *in immobilibus, vt in Mathematicis, vltimò reducitur, siquidem ad recti, aut commensurati, aut alterius cuiuspiam definitionem ad extremũ reuocatur.* c *Aut ad id, quod primùm mouit, vt cur bellum intulerunt? quia prædati sunt: aut cuius gratia? vt imperium obtineant: aut materia in his quæ generantur. Has igitur, totque esse causas perspicuum est.* Text. 69.

Cùm

quę eſt lineę rectę definitio. Si petatur cur aliquis ângulus rectus ſit, dicet, quia linea recta ſuper rectâ ad perpendiculũ cadẽs angulos rectos facit. Si rogetur cur aliquę lineę ſint mẽſuratę, reſpõdebit, quia habent cõmunem aliquâ menſurã, quę eſt cõmenſuratarũ linearũ definitio.

c Ad id quod} Proponit exempla aliarum cauſſarum, quę item redduntur, cùm diſquirimus quamobrem aliquid ſit, vt quamobrem Phocenſibus Thebani bellum intulerunt? redditur cauſſa mouens, ſeu efficiens, quia Phocenſes eorum templum ſpoliarunt. Quamobrem Rex Perſarum Græciæ bellum intulit? redditur finis, quia Græcię volebat imperare. Quamobrem putruit lectus? redditur materia, quia conſtabat ex ligno.

Varię cauſſarum exempla.

d Cùm autem cauſſę} Statuit pertinere ad Phyſicum noſſe omnia cauſſarum genera, eáque poſſe reddere, naturaliter; ideſt, ex prõprijs principijs diſſerendo. Ad huius verò rei vlteriorem explicationem duo ſubijcit. Alterum eſt, cauſſarum ad ſubſtantię generationem concurrentium plerumque tres in vnum coire: ſcilicet formam rei generantis, & genitę, atque etiam finem, tametſi nõ eodem prorſus modo. Finis namque, & forma rei genitę ſunt idem numero inter ſe; non tamẽ idem numero, ſed ſpecie tantùm cum forma generantis. Quod videre eſt in procreatione hominis, & aliorum ſimilium, quę cũ mouent, mouentur: talia enim ſunt quę phyſicam motionẽ efficiunt. Ait autem ita plerunq; fieri, quia non ſemper ita res habet. Nam in generationibus, quas æquiuocas nominant, vt cùm ſol ex putrescente materia mutem genetat, forma generantis ſpecie differt à forma rei genitæ.

Phyſiologus omnia cauſſarum genera nouit, reddítque.

Text. 70. d *Cùm autem cauſſæ ſint quatuor, omnes noſſe Phyſici eſt, & quæſtionem, qua quæritur, propter quid, in omnes reducens naturaliter reddet materiam, formam, id quod mouet, & id cuius gratia. Sed plerunque tres in vnum coeunt, quandoquidem forma, & id cuius gratia, ſunt vnum: id autem, vnde motus origo eſt, eius eſt ſpeciei, cuius hæc ſunt: hominem nãque homo generat, atque omnino ea, quæ cùm mouent mouentur: quæ autem non ita ſe habent, non iam ad Phyſicam ſpectant. Neque enim motum, aut motus principium in ſe habentia, ſed ab omni motu libera motionem efficiunt.*

Text. 71. e *Quo fit vt tres ſint tractationes, vna de immobili, altera de mobili quidem, ſed eo quod non interit, tertia de ijs quæ intereunt.*

Tex. 72. f *Cauſſa itaque propter quam ab eo redditur, qui & ad materiam, & ad formam, & ad id, quod primùm mouit, reducit. Generationis enim hoc modo maximè cauſſas conſiderant quid poſt, quid fiat, & quid primùm effecerit, aut quid perpeſſum fuerit, eodemq; modo ſemper id, quod deinceps ſequitur.*

Text. 73. g *Duplex autem principium eſt, quod naturaliter mouet, quorum alterum quia motionis principium in ſe non habet, non eſt naturale: quo in genere eſt ſi quid mouet, nec mouetur, veluti id, quod immobile penitus eſt, & omniũ primum.*

h *Itemq;*

e Quo fit} Notat ſecundò, cùm tria ſint mouentium genera, ſcilicet immobilia, hoc eſt Deus & intelligentiæ, mobilia interitus expertia, ideſt cœleſtia corpora; mobilia interitui obnoxia, nempe cęteręres naturales, vnumquodque ex his ſuam tractationem expoſcere; licet duo poſteriora ad eundem artificem pertineant. Nam primum negotij eſt Metaphyſici, ſecundum & tertium Phyſici. Ac de primo diſſeruit Ariſtoteles in libris primæ Philoſophiæ: de ſecundo in libris de Cœlo: de tertio in cęteris operibus ſuę Phyſiologię.

Tria genera mouentium.

f Cauſſa itaque} Probat iam omnes quatuor cauſſas pertinere ad Phyſicam conſiderationẽ. Nam eiuſdem diſciplinę eſt generationem, & generationis cauſſas ſcire. Quare cùm ad Phycam pertineat ortum rerum naturalium conſiderare, pertinebit & eius cauſſas cognoſcere. Porro autem inueniri in qualibet generatione cauſſas omnes inde conſtat; quia inueniũr imprimis id gratia cuius efficiens operatur, ideſt, finis; & forma ipſa, quę inducitur; & item quod patitur, formamque recipit, id eſt materia; ac denique efficiens, quod rem gignit.

g Duplex autem} Dixerat cauſſas, quæ ita mouent, vt ipſę immobiles ſint, conſiderationis Phyſicę non eſſe. Nunc quia poſſet id quiſpiam in dubium vocare, propterea quod omnia eiuſmodi mouentia naturaliter, hoc eſt, vi, ac facultate proprię naturę moueant; & quęcunque mouent naturaliter videntur cadere ſub contemplationem Phyſicam: occurrit non

quę

Quę mouentia pertineãt ad Physicũ.

quę quouis modo naturaliter mouent pertinere ad Physicum, sed quę habent in se principium motionis, quo ipsa cieantur: quod longe abest à primo mouente, hoc est, Deo, in quo nulla prorsus mutatio inueniri potest.

h Itemque essentia { Forma quatenus rationem finis obtinet, vnum est ex immobilibus, quia finis mouet nullum in se motum subeundo: pertinet tamen eius consideratio ad Physicum, quia cùm natura gratia finis operetur, nemo exactè naturam cognoscet, qui formam etiam qua finis est, ignorauerit.

Physicus per omnes causas demonst. trat.

i Caussa propter quam { Docet Physicum per omnia caussarum genera damonstrare. Nam per caussam efficientem demonstrat rem quampiam effici, aut necessario, vt fieri dies longiores, quia sol ad nos propiùs accedit: aut plerunque, vt ex eo quod genitor bipes sit, prolem futuram bipedem. Per caussam materialem, vt mixta dissolui, quia constant ex quatuor elementis. Per formam, vt hominem esse aptum ad capessendas disciplinas, quia est particeps rationis. Per finem, vt dentes aduersos acutos esse, quia dantur à natura ad diuidendum cibum.

h *Itemque essentia & forma: finis enim est & cuius gratia. Quare cùm natura alicuius gratia efficiat, hanc quoque necesse est scire,* i *& caussa propter quam, omni ex parte reddi debet,* k *veluti ex hoc illud necessariò fieri, ex eo autem illud aut omnino, aut plerunque, etsi hoc futurum est, vt ex propositionibus conclusio, & quia hæc essentia est, & quia sic præstat, non omnino, sed pro cuiusque essentia.* Text. 74.

CAP.

k Veluti ex hoc { Caussam efficientem indicat illis verbis, ex hoc illud, materialem illis, vt ex propositionibus conclusio, est enim talis conclusio, quia constat tanquam ex materia talibus terminis in maiori, & minori propositione dispositis. Formalem illis, & quia hęc essentia est, nam forma est pręcipuę ratio quidditatis. Denique finalem illis, & quia sic pręstat, nam ex fine, tanquam ex mensura sumitur ratio conuenientiæ, vti oculos debere esse in capite, quia ita speculatoribus conuenit. Addit autem, Pro cuiusque essentia, quia finis vnicuique proprius est illi optimum quid spectata eius natura, quę vt in alijs alia est, ita & alius finis.

Finis vnicuique proprius, illi optimum quid.

QVÆSTIO I.

VTRVM CAVSSA RECTE A PHILOSOPHIS definiatur, an non?

ARTICVLVS I.

TRADVNTVR VARIÆ CAVSSÆ definitiones è quibus vna maximè probatur.

SEquitur vt de caussis disseramus, quarum tractatio præcipui momenti in Physiologia est, non solùm quia caussæ sunt quasi fontes aliqui perennes, ac redundantes, vnde existunt omnia, quæcunque natura rerum capit, & continet; sed etiam quia ex earum ignoratione & effectorum notitia admiratio existit, à qua sicuti, teste Aristotele 1. Metaphys. c. 2. post Platonem in Theæteto, initium duxit Philosophia; ita tunc absoluta censetur, cùm admiratione ipsa deposita perfectam caussarum

Ab admiratione cæpit Philosophia.

tum notitiam amplexa est; vnde Hesiodus in libro, qui inscribitur opera, & dies, eum felicem vocat, qui potuit rerū cognoscere causas. Hesiodus.

Vt igitur quid causa sit primùm scrutemur, sciendum est causæ nomen multifariam vsurpari; nonnunquam admodum amplè, aliquando nimis presse, interdum medio quodam modo. Admodum amplè, & more populari, dum ita sumitur, vt cum principio reciprocetur: quo pacto causæ nomen accepit Aristoteles 12. libro Metaphys. cap. 2. tex. 12. cùm priuationem causam vocauit. Nimis presse, cùm causa spectatur, prout habet ordinem ad effectum: & effectus quatenus ab efficiendo dicitur; sic enim solam agentem causam complectitur. Atque in hoc sensu ait D. Augustinus lib. 83. quæst. q. 28. omnem causam efficientem esse, & Plato in Hippia Maiore, efficiens & causam nihil omnino differre. Medio quodam modo, cùm omnia, ac sola quatuor vulgata causarum genera comprehendit. Quæ propria est, & à Philosophis passim vsurpata causę notio; atque in eo sensu erit à nobis de causa hoc in loco disputandum. Causę nomen variè sumitur. D. Aug. Plat.

Porro causæ definitionem nullibi expresse tradit Aristoteles; sed ex ijs, quæ proximo superiori capite, text. 68. docuit, hanc interpretes eliciunt. Causa est id, quod reddimus, cùm propter quid res quæque ita se habeat, inquiritur. Quo in loco verbum, propter quid, quod si propriè sumatur ad causam finalem duntaxat pertinet, fusa significatione vsurpauit, ita vt in omnes causas pateat. Plutarchus verò libro primo de placitis Philosoph. capit. 11. ex veterum decretis ita causam definit. Causa est, per quam aliquid contingit. Auicenna, in sua Metaphysica tractatu 6. capit. 1. causam censet esse id, quod tribuit esse rei. Boetius in Topicis, D. Thomas, alijque Peripatetici hanc definitionem crebrò vsurpant, quam ex libro de causis elicitam volunt; Causa est id, ad quod aliud sequitur. Intelligunt autem sequi aliud ita, vt ab illo esse accipiat. Namque ex facultate ad ridendum sequitur humanitas; cùm risibile & homo inter se reciprocentur; & tamen facultas ad ridendum non est humanitatis causa; quia humanitas suum esse ab illa non accipit. Definitio causę ex Arist. Alia definitiō ex veterū placitis. Alia ex Auic. Alia à Peripateticis crebrò vsurpata.

Cæterùm ex omnibus definitionibus illa nobis magis arridet. Causa est id, à quo aliquid per se pendet. Eius autem explicatio in ijs, quæ superiori libro circa definitionem principiorum disseruimus, magna ex parte continetur. Quare non est cur actum agamus. Illud tantùm adijcimus, particulam, per se, poni ad remouendas causas per accidens, vt musicum respectu ædificij, & eas, quas appellant conditiones, sine quibus non, Alia, quę cęteris pręfertur.

cuiuſmodi ſunt rerum occaſiones, locus, & tempus, aliaque id genus, ſine quibus actio non procedet, cùm tamen effecta non per ſe, & directò ab illis pendeant.

ARTICVLVS II.

OBIECTA CONTRA DEFINITIONEM CAUSSÆ.

Obiect. SEd iam aliquis obijciet. Nonnulla dantur, quæ non ſunt cauſsę, à quibus tamē aliqua per ſe depēdent: quædā itē ſunt cauſſæ, à quibus non pendent per ſe alia: igitur definitio cauſsæ nec ſoli nec toti definito cōuenit. Prior antecedentis pars oſtenditur. Nā vnum relatum pendet per ſe ab alio; cùm relatorum proprietas ſit ſeſe mutuò in rerum natura ponere & tollere. Item generatio pendet per ſe à priuatione; ſiquidem priuatio eſt per ſe principiū illius. Item homo pendet per ſe ab animali rationis participe; quandoquidem illius eſsentia hæc eſt. Præterea humanitas Chriſti pendet per ſe à Verbo diuino, vt à terminante ipſius dependentiam: Et tamen neque vnum relatum cōparatione alterius cauſsa eſt, cùm ambo ſint ſimul natura, vt in relationis categoria docet Ariſtoteles; neque priuatio eſt cauſsa generationis, vt ex ſuperiori libro patet; neque animal particeps rationis eſt cauſsa hominis, ſi verum eſt, quod alibi diximus, omnem cauſsam diſtingui eſsentia à ſuo effectu; neque item Verbum diuinum quatenus terminat humanitatis dependentiam, poteſt eſse cauſsa, quia cùm radix cauſsalitatis diuinæ erga creaturas ſit potentia diuina, quæ eſt eadem in tribus perſonis, iam omnes tres perſonæ terminarent dependentiam humanitatis, atque adeò omnes illi eſsent vnitæ, quod decretis fidei repugnat. Ergo etcæt.

Ex dependētia vnius relati ab alio.

Generationis à priuatione.

Hominis à ſua eſsentia.

Humanitatis à Verbo diuino.

A communi effato Philo. Deinde poſterior pars antecedentis ita ſuadetur. Commune philoſophorum effatum eſt, id quod eſt primum in vnoquoque genere eſse cauſsam reliquorum; & tamen aliqua dantur in generibus prima, à quibus non pendent reliqua. Ergo aliquid eſt cauſsa, à quo aliud non per ſe pendet. Probatur aſsumptio; quia candor eſt primus in genere colorum, & lux prima inter omnes qualitates, quæ ſub ſenſum cadunt: & tamen neque à candore alij colores, neque à luce omnes qualitates ſenſibiles pendent.

ARTICVLVS III.

DILVTIO OBIECTORVM.

Supe-

SVperiora obiecta, quæ ad confirmandam priorem antecedentis partem allata fuere, paruo negotio confutabit, qui dixerit nihil per se ab aliquo pendere (saltem prout pendere hoc loco à nobis sumitur) nisi ab eo accipiat esse: quo pacto non sunt affecta aut vnum relatum comparatione alterius; aut generatio respectu priuationis. Item dependentiam propriè sumptam non versari inter ea, quæ essentia non differunt, sicque hominem, si propriè, & Philosophicè loquendum sit, non pendere ab animali rationali. Quod verò attinet ad dependentiam humanitatis à diuino Verbo, quod altioris negotij est, respondemus humanitatem pendere ab illo, vt à puro termino, non vt à conferente per se primò aliquod esse naturæ: proindeque Verbum diuinum non propriè humanitatis causſam esse: habere tamen modum quēdam formalis causſæ respectu illius, quatenus eam supra omnem naturæ modum perficit, suam ei subsistentiam, & personalitatem attribuendo.

Verbum diuinum comparatione humanitatis assumptę habet modū causę formalis.

Circa id, quod postremò obiectum fuit, aduerte in primis effatum illud, primum in vnoquoque genere est causſa reliquorum, non inueniri in 2. libro Metaphys. c. 1. tex. 4. vnde à nonnullis citatur. Eo enim loco tantùm docet Aristoteles semper illud esse magis tale, propter quod vnumquodque tale est. Deinde quòd ad eius intelligentiam spectat, non parum inter se auctores dissident, vt videre est apud Capreolum in 2. dist. 14. q. vnica art. 1. Ferrariensem ad caput 13. libri primi contra gentes. Omissa longiori disputatione, placet interpretatio Durandi in 2. dist. 15. quæst. vltima, etsi Thomistis nō probetur, videlicet id, quod est primum in vnoquoque genere esse causſam reliquorū, si sit primum in aliquo genere causſalitatis; quomodo primum efficiens est causſa omnium efficientium; & vltimus finis, qui est vltimus, & principalis in genere finium, est causſa finalis aliorum. Primum verò, siue præstantius in genere prædicamentali, hoc est, inter species alicuius categoriæ, cuiusmodi est candor inter colores, lux inter sensiles qualitates, non oportere esse aliorum causſam, si causſa propriè sumatur. Addimus tamen id, quod ita primum est, posse vtcunque vocari causſam exemplarem aliorum, quatenus est veluti mensura, cuius maiori, minoriue propinquitate eorū perfectio æstimatur; secundum quā considerationem alia quoquo modo ab illa pendere dicenda sunt. Vnde patet nihil superioribus argumentis fuisse conclusum contra causſæ definitionem, cuius multò vberior, & illustrior explicatio tradita est à Fonseca lib. 1. Metaph. cap. 7. q. 1. sect. 3.

Quo pactō primū in vnoquoque genere dici possit causſa reliquorum.

QVÆSTIO II.

VTRVM NE CAVSARVM GENERA quatuor sint, an non?

ARTICVLVS I.

CONSTITVITVR CAVSArum numerus.

Diſcrepantes ſententię de numero cauſarum.

DE numero cauſarum neque inter priſcæ doctrinæ viros, neque inter poſteriores Philoſophos ſatis conſtitit. Non nulli enim, quibus cauſarum turba diſplicuit, ſolam materiam cauſæ nomine dignam habuere, ſimiles ijs, qui opus aliquod Phidiæ, aut Praxitelis intuentes ſolum in eo marmor, aut æs admirantur. Alij ad materiæ iacentis inertiam, efficientis cauſæ vim tantummodò adiunxere. Alij numero gaudentes impari tres fecere cauſas, Deum, materiam, & formam. Denique, vt cæteros omittamus, fuere è recentioribus Philoſophis, qui octo cauſarum genera non minùs inter ſe diuerſa, quàm ſunt, quæ Ariſtoteles poſuit, numeranda iudicarint.

Veterum opiniones de numero cauſarum quæ apud Laertiũ in vita Zenonis Citiei. Mirandulæ de examine vanit. c. 10.

Quaternarij cauſſarũ numerus.

Vera tamen eſt Ariſtotelis ſententia aſſerentis quatuor eſſe duntaxat cauſarum genera; ſcilicet cauſam efficientem, finem, formam, & materiam. Quem ille numerum ex varietate quæſtionum, quibus propter quid aliquid ſit, quæritur, capit. 7. huius libri comprobauit.

Cõprobatur.

Nam cùm cauſſa ſit ratio, quæ affertur ad quæſtionẽ explicandam; quot ſunt genera quæſtionum, tot erunt cauſarum: quæſtionũ autem quatuor ſunt genera. Aut enim quærimus, cuius gratia aliquid fit, & eſt finis: aut à quo fit, & eſt efficiens: aut ex quo, & eſt materia: aut per quid, & eſt forma.

Idipſum quoque alijs rationibus confirmarunt Albertus Magnus hoc loco tractatu. 2. cap. 7. & 5. Metaphyſicorum c. 3. D. Thomas in opuſc. 31. Auicenna in ſua Metaphyſica, tractatu 6. cap. 1. Simplicius hoc in libro ad text. 68. Sufficiet tamen hæc vna ratio.

Aſtruitur idẽ numero cauſſarũ alia ratione.

Compoſita naturalia non fiunt ex nihilo; quia per naturam ex nihilo nihil fit: fient igitur ex aliquo præexiſtente; quod cùm non ſit totum compoſitum; alioqui iam res ante ortum ſuum exiſteret, oportebit fieri ſimul ex alio denuò accedente, quod rem compleat, abſoluatq́; : at quod præexiſtit, eſt pura potẽtia, ſeu materia; quod abſolutionẽ affert, eſt actus, ſeu forma. Igitur omnia cõpoſita naturalia conſtant ex duplici cauſſa interna; videlicet materia, & forma. Rurſus præter has, quia nihil à ſe ipſo effici poteſt, requirũt cauſam efficientẽ, à qua producãtur; efficiẽs autẽ ſi nõ temerè, & inordinatè agat, neceſſe eſt, vt ob aliquẽ finem operetur. Erunt igitur cuiuslibet rei naturalis quatuor cauſæ; duæ internæ, materia ſcilicet, & forma: & externæ duæ, vt pote efficiens, & finis. Quod ſi res naturales, quæ omnium maximè compoſitæ ſunt, atque adeò

Res phyſicę omniũ maximè compoſitę.

à plu-

à pluribus dependet, plures causas nõ exigunt, planè sequitur causarum numerum ampliorem esse neutiquam posse, si de generalibus causandi modis loquamur.

ARTICVLVS II.

OBIECTA QVÆDAM.

SED contra hæc sic licet obijcere. Instrumẽta agentium, vt calor ignis, serra artificis, aliaque huiusmodi sunt veræ causæ; cùm in effecta per se influant; & tamen ad nullum ex quatuor generibus pertinent: plura igitur sunt causarũ genera. Probatur assumptio. Nam quod ad causam efficientem, ad quam pertinere videbantur, re vera non pertineant, ex eo constare videtur, quia causa efficiens vt Aristoteles docuit hoc in lib. cap. 3. tex. 29. est, à qua effectus primò oritur; at effectus non primò oritur ab instrumẽto; cùm instrumentum non nisi virtute prioris agentis operetur. 1. obiectio.

Deinde Actus pendent per se ac secundum essentiam ab obiectis, in quæ feruntur; ergo obiecta sunt causæ actuum: & tamen ad nullum è quatuor vulgatis generibus videntur pertinere. Sunt igitur plura genera. Quòd si quis respondeat obiecta pertinere ad causam finalem, quia actus referuntur ad obiecta tanquam ad finem; in prõptu est refutatio. Nullius enim rei essentia secundum se sumpta pẽdet à fine, sicuti nec ab efficiente; cùm hæ duæ causæ non respiciant effecta, nisi vel quatenus actu producũtur, vel vt producibilia sunt, quæ est quædam effectio rerum essentiam consequens, non verò ipsa essentia. 2. obiect. Præoccupatio.

Tertiò Causa efficiens intellectu prædita, dum ex arte agit intuetur exemplar, quod imitatur, & à quo per se pendet res, quam efficit. Igitur exemplar est causa per se rerum artefactarum. Nec satisfaciet qui dixerit Aristotelem solas rerum naturalium causas tradere instituisse. Namque licet res naturales nõ per se pendeant ab exemplari creato; pendent tamẽ ab ideis, siue exemplaribus diuinis, respectu quorũ artefacta quædam sunt. Quare etiam res naturales habent exemplaria, à quibus per se dependent. Quæ cùm Aristoteles hoc loco non tradiderit, sanè parum accuratè videtur causarum genera numerasse. 3. obiect. Confutatio responsionis

ARTICVLVS III.

DILVTIO OBIECTORVM.

AD primum horum respondet Philoponus hoc in lib. tex. 27. instrumenta reduci ad causam materialem; sed non rectè sentit. Primùm quia sola causa efficiens propriè instrumenta habet, Dilutio 1. ob.

habet. Deinde quia instrumenta influunt actiuè in effectū dum agētis actionē exequuntur, quod materiali causſæ non conuenit. Quare dicendum potiùs instrumenta pertinere ad causam efficientem, esto illis tradita causæ efficientis definitio non competat; quia nimirū nō omnes causæ efficiētes ea definiuntur, sed præcipuæ tātùm, & quæ dignæ habentur, quibus effecta simpliciter attribui possint.

Instrumenta pertinent ad causam efficientem.

Dilutio 2.

Ad secundum, dic obiecta comparatione actuum, quibus speciē tribuunt, non pertinere ad causam finalem, vt probat argumentum, sed ad formalem; non quidem internam, sed externam duntaxat, vt docet D. Thomas in prima secundæ q. 1. art. 3. Est enim proprium causæ formalis certæ speciei notam rebus indere, quod actibus præstāt obiecta; nō quidē eos intrinsecè cōponendo, sed exteriùs mēsurando. Nec officit quod illis notio causæ formalis, quam Aristoteles hoc in lib. cap. 3. tex. 28. assignauit, simpliciter non accommodetur: non enim eo loci causa formalis in tota suæ significationis amplitudine definita est.

Obiecta respectu actuum pertinent ad causſim formalem externam.

Vltima obiectio peculiarem attingit difficultatem de causa exemplari, quæ seperatim à nobis excutienda est.

QVÆSTIO III.

QVID NAM SIT EXEMPLAR.

ARTICVLVS I.

ENODATVR EXEMPLARIS, seu ideæ definitio.

Cognitio ideārum quanti sit momenti. D. Aug. Clemēs Ale.

IDEARVM cognitionem non solùm ad sapiētiæ studium necessariam, sed ad morū disciplinam perutilem esse constat ex ijs, quæ scripsit D. Augustinus lib. 83. quæstionum, quæst. 46. & Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. Ille enim negat absque ideis quenquam sapientem esse posse; hic affirmat eum, qui diuinas ideas contemplatus fuerit, victurum quasi Deum inter homines; quòd nimirum altissima æstimanti, res istæ sublunares volent velut vmbræ. Porro nos hoc loco de exemplari, siue idea disseremus, quòd hoc vnum sit è generibus causarum, vt mox patebit; de quo tamen Aristoteles aut nihil, aut ppe nihil disputauit. Imprimis ergo quod ad naturam, definitionemque ideæ spectat, variæ de illa fuere sentētiæ, vt legere est apud Eusebium Cæsariensem in lib. contra Philosophos cap. 44. Alcinoum in libro de doctrina Platonis cap. 9. & Plutarchum lib. de placitis cap. 3.

De natura ideę diuersa dogmata.

Sed

Sed ijs omissis placet ea definitio, quæ colligitur ex D. Augustino libro 12. de ciuitate Dei cap. 25. traditurque a D. Thoma de veritate quæst. 3. art. 1. videlicet, Idea est forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem. Quæ vt intelligatur, aduertendum est formam, quod ad rem præsentem attinet, tripartitò diuidi; scilicet in formam à qua, ex qua, & ad quam. Forma à qua est ea, à qua effectus, vt ab agendi principio egreditur. Forma ex qua est illa, è qua res constat. Vtriusque exemplum est animus hominis, à quo intelligendi actio manat, & ex quo simul cum materia homo componitur. Forma verò ad quam est, ad cuius similitudinem aliquid fit.

Idex definitio ex D. Aug.

Tripartita formarũ varietas.

Igitur in proposita definitione locum generis subit forma. prout hanc triplicem formarum varietatem comprehẽdit. Verba illa, quã aliquid imitatur, excludunt à ratione exemplaris formas, quas aliæ non imitantur, vt formam humanã comparatione formæ ignis. Deinde illa, ex intentione agentis, remouent formas, quas effecta casu exprimunt, quo pacto si Apelles nihil ad Platonem respiciens suis eum lineamentis fortuitò effingeret, non diceretur Plato illius imaginis exemplar. Additur, determinantis sibi finem, vt reijciantur formæ agentium naturalium, veluti forma ignis alium ignem generantis. Neque enim illa ignis geniti exemplar propriè dicitur: quia cùm ignis per intellectum, & voluntatem nequaquam operetur, finem sibi præstituere nequit; quod tamen in ijs, quæ propriè ad exemplar agunt, necessariò requiritur. Vnde D. Thomas art. 3. quæstionis proximè citatæ admonet nec ipsam diuinam essentiam, quà essentia est, sed quà intellecta, ideæ habere rationem. Quare probãda non erit eorum sententia, qui asserunt effecta, naturalia habere ideã, siue exemplar sui in caussa proxima: nisi forte exemplaris nomen laxiori significato vsurpent.

Enucleatur ideæ definitio.

Formę agentium naturalium nõ sunt ideę.

ARTICVLVS II.

EXEMPLAR NON ESSE RATIonem formalem, sed obiectiuam.

PORro cùm multa in quolibet artifice reperiantur, vt ars, species intelligibilis, & cõceptus, tum formalis, ideſt, imago expressa rei artefactæ; tum obiectiuus, hoc est, res ipsa artefacta, quam mente concipit: quæret aliquis ecquod horũ exemplaris habeat rationem? Communis Philosophorum, Theologorumq; sententia est, exemplar, siue ideam, si propriè sumatur, esse conceptũ. Nam quòd neque ars, neque species intelligibilis exemplar sit, ex eo manifestũ est, quia hæc sunt agendi principia; non verò id, quod artifex imitatur. Controuersia tamen non parua est vter conceptus exem-

Communis sententia exẽplar esse conceptum.

exemplar sit. Alij namque formalem, alij obiectiuum esse arbitrãtur.

Quod exemplar videatur cõceptus formalis.

Priores suam sententiam inde comprobant, quia oportet exemplar expressiuum esse rei, quæ exterius efformatur; at exprimere non rationi obiectiuæ, sed formali conuenit. Deinde quia ideæ sunt principia cognoscendi: ratio autem obiectiua non principium est, sed terminus, in quem fertur cognitio. Tertiò quia si ideæ essent rationes obiectiuæ, hoc est, artefacta mente concepta, vel essent eadẽ singularia, quæ exterius efformanda sunt, vel alia. Non eadem, tũ quia idem sibi ipsi caussa esset, tum quia singularis differentia futuri artefacti pendet à concursu circunstantiarum, quæ non dum existunt, atque adeò nequit artifex certam illius habere prænotionem: sed neque potest esse aliud singulare; cùm artifex aliud sibi imitandum, saltem per se non proponat: igitur artefactum menti obiectum non continet rationem ideæ. Postremò idem ex eo cõfirmatur, quia ideæ in Deo non videntur esse rationes obiectiuæ, sed formales. Primùm quia ex communi Theologorum sententia distinctio idearum est prima omnium, quæ in Deo respectu creaturaũ inuenitur; prior verò est distinctio rationum formalium, quàm obiectiuarum. Secũdò quia si creaturæ à Deo conceptæ, vt homo, leo, aquila, essent ideæ, sumeret Deus à creaturis rationem operandi, nec per se sibi ad agendum sufficeret, quod nullo pacto admittendum est.

1. ratio.

2. ratio.

3. ratio.

4. ratio.

Exemplar esse cõceptum obiectiuũ aliorũ opinio.

Alij censent exemplar esse conceptum obiectiuum, quod ita probant. Esto artifex nullum conceptum formaret, sola cognitio sat esset, vt rem intellectam exterius effingeret. Dari igitur potest exẽplar sine conceptu formali. Antecedens ostendi solet in beatis, quĩ diuinam naturam intuentes non formant verbum, vt est compluriũ Theologorum opinio: & tamen possunt nonnulla eorum, quæ in ea apprehendunt, externo opere efficere, non aliquam internã imaginem imitando; sed res obiectas exprimendo. Secundò ita argumentantur, exemplar est id, ad quod artifex intuendo, operari dicitur: atqui artifex dum operatur non intuetur suum conceptum formalem; nec necesse est ea reflexione vti. Igitur conceptus formalis non est exemplar artificis. Tertiò, Causalitas exemplaris cõsistit in quadam imitatione passiua; sed artifices non imitantur conceptum, cùm illum opere non exprimant, sed rem conceptu repræsentatam. Ergo ea potiùs exemplar est. Quartò, Platonici, qui ex omnibus antiquitatis Philosophis maximè ideas celebrarũt, appellabant eas, res ipsas à materiæ commercio, & singularium concretione abiunctas. Itẽ Boetius lib. 3. de consolatione Philosophiæ, metro 9. loquens de mũdo archetypo, mundi nomen ei indit. Tu, inquit, cũcta superno ducis ab exemplo pulchrum pulcherrimus ipse mundum mente gerens. Deniqne Aristoteles 7. Metaphysicæ cap. 7. tex. 23. ait corporis sanitatem fieri à sanitate, quæ est in mente; quo loco per sanitatem, quæ est in mente, haud dubiè intellexit exemplar sanitatis, quod in medici animo insidet: hoc autem non sanitatis imagi-

1. argum.

Beati multorũ sẽtẽtia nõ formant verbum.

2. argum.

3. argum.

4. argum.

Platonici ex antiquis Phi. maximè ideas celebrarũt.

Boetius.

Aristoteles.

imaginem vocauit; sed sanitatem ipsam menti obiectam. Quare videtur hi auctores rationē exēplaris in cōceptu obiectiuo collocasse.

Hæc posterior opinio verisimilior videtur, quam amplexus est D. Thomas de veritate quæst. 93. art. 2. Durandus in 1. d. 36. q. 3. art. 3. Scotus. d. 35. q. vnica, Ochamus, & Gabriel ibidem quæst. 5, Aliacensis in 1. q. 6. art. 3. alijque ætatis nostræ Philosophi non pauci. Neque erit difficile aduersariæ sententiæ argumenta diluere. Ad primum enim respondetur non pertinere ad rationem exemplaris in cōmune esse expressiuum, seu declaratiuum rei; sed esse id, quod artifex intueatur, & imitando exprimat. Quanquam & illud dici potest, etiam conceptum obiectiuum exprimere rem, vel quatenus est quid exemplariter imitabile; vel ratione conceptus, in quo repræsentatur. Peculiariter tamen diuinis ideis attribuitur exprimere res ipsas; quia essentia diuina, quæ obtinet rationem ideæ, quatenus cognoscitur à Deo vt imitabilis à creaturis, eminenter continet hominem verbi gratia cuius est idea, prout ab illo est imitabilis, similiterque res cæteras, & eas perfectissimè repræsentat.

Item Bassolius in 1. d. 36. quęst. 2. ar. 2. Bacon9 quodl. 2. q. 2.

Approbatur 2. opinio.

Dilutio primi arg. pro priori sententia.

Quo pacto ideę diuinę res ipsas exprimant.

Ex hac solutione habetur secundi argumenti explicatio. Eodem enim modo, quo concedimus, vel negamus exemplar esse expressiuum rei, concedi etiam vel negari debet esse rationem cognoscendi. Ad 3. respōdemus ideam, siue exemplar artificis creati nō esse illudmet singulare artefactū, quod re ipsa molitur; nec aliud extra mentē consistens, ad quod oculos referat, quasi id per se, aut necessariò requiratur; sed esse artefactū aliud cōfusum, & quasi vagū, quod mēte apprehendit, & ad cuius imitationem externum opus effingit.

Dilutio. 2.

Dilutio. 3.

Ad 4. quod ad priorem eius partem attinet, respōdemus rationes obiectiuas, ideſt, creaturas prout diuino cōceptui obijciuntur posteriores esse rationibus formalibus: non tamen essentiam diuinam vt eidem conceptui repræsentatur secundum rationes imitabilitatis. Ad posteriorem partem eiusdem arg. dicimus in nostra sententia diuinas ideas nō esse creaturas ipsas à Deo cognitas; & tamē esse rationes obiectiuas, ideſt ipsā diuinā essentiā conceptā à Deo prout à rebus creatis est imitabilis. Itaque existimamus diuinā, & creatā ideā partim inter se cōuenire, partim differre: Cōuenire, quod vtraque sit ratio obiectiua; differre, quòd architecti summi idea non sit res, quā producere instituit, sicuti idea creati artificis. Cuius discriminis ea ratio est, quia in essentia diuina, quæ est primariū diuinæ intellectionis obiectū, cōtinent, ac relucēt oīa, quæ effici possūt; pindeq; necesse est vt Deꝰ in quouis ope faciūdo ad eā prīcipaliter respiciat, eādēq; primaria ratione imitetur. In artifice verò creato nō ita res habet.

Dilutio. 4. Discrimē & cōuenientia inter ideam diuinam, & creatam.

QVÆSTIO IIII.

VTRVM EXEMPLAR VERE, AC PROpriè caussa sit ad genus caussæ formalis pertinēs?

ARTICVLVS I.

CONCLVDITVR PARS affirmatiua.

Art.2. superioris quęst. argu.n.3.

HIS ita explicatis, vt ad quæstionem antè excitatam veniamus; imprimis quod exemplar verè, ac propriè caussa sit, facile cõuinci potest. Primùm quia omne artefactum per se pendet à suo exemplari; verbi gratia cuncta, quæ in natura fiunt ab ideis diuinis; & domus, cæteræque res arte laboratæ ab idea creati artificis, & à natura, cuius per se æmulæ sunt, vt alibi diximus. Secundò quia si de Socratis imagine cur sima sit, quispiam interroget, nõ dissoluetur perfectè quæstio, nisi exemplari, vt causa reddito. Tertiò quia non solum ex Platonico dogmate in Timæo, & Phædone, alijsque in locis; sed etiam ex cõmuni Theologorum sensu ideæ dicuntur principes & primariæ rerum caussæ.

Prima probatio conclusionis.

Secunda.

Tertia.

Qui auctores reuocent exẽplar ad caussam efficientem.

Quibus argumentis.

Controuersia tamen est ad quod nam caussæ genus exemplar pertineat. Scotus in suis theorematis, & in 1.d.2.q.2. & d.36.q.vnica art.1. Heruæus eadem distinc.q.1. D.Bonauentura in 3.d.11.q.3. Alensis prima parte q.23.membro 4.art.1. alijque nonnulli putant reduci ad caussã efficientem; quæ opinio ita probari potest. Eodem modo se habet forma intelligibilis ad artefactũ, quo forma physica ad naturalẽ effectum, quem producit; vtraque enim est forma agentis ipsius actionẽ determinans: sed forma Physica efficienter influit in effectum, & ad caussã efficientẽ pertinet. Ergo & forma intelligibilis, siue exemplar. Secundò, exemplar respectu artefacti est vti sigillum comparatione figuræ, quam exprimit, vt rectè ait Philo Iudæus in libro, qui inscribitur, quod deterius potiori insidiari soleat, Atqui sigillum efficienter exprimit figuram, proindeque ad caussã efficientem reduci debet; ergo & exemplar. Adde quod ideæ diuinæ tum à D.Dionysio 4.& 5.capit.de diuinis nominibus & à D.Augustino 12.de ciuitate Dei cap.25.tum ab alijs Theologis nuncupantur effectrices rerum existentium caussæ. Quare non videtur negãdum eas, proindeq; cætera exẽplaria ad genus caussæ efficiẽtis pertinere.

Bonetus c.8. huius 3 libri. Niph9.2.Metaph. disput. 4 c 2. Picolominus in sua phil. Mor. Gradu 5 cap. 47. Vallesius in controu. phy.q.13. Burgius in 1.d.2. q.2.

Philonis sententia de Ideis.

D. Dionys.

D. August.

Exẽplar pertinere ad genꝰ caussę formalis.

Verisimilior tamẽ est opposita sẽtẽtia aientium exemplar secundũ eam caussalitatem, quam sibi, quatenus exemplar est, vendicat, hoc est, quatenus est forma obiectiua, vnde sumitur imitatio, nõ ad caussam efficientẽ, sed formalẽ spectare. Quã tuetur Magnus Albertus in 1.d.20.ar.1. Aegidius in theorematis ꝓpositione 37. Hẽricus Gãdauẽsis quodlib.9.q.1. Durãdus in 1.d.45.q.2. Argẽtinas quęst.vnica ar.2. Caietanꝰ ad ar.4.quæstionis 6.primæ partis, & ad ar.3.quæstionis 44. alijque nonnulli. Probaturque in hunc modum. Exẽplar, vt ex dictis patet, nihil est aliud, quàm id, ad quod respiciens artifex operatur, quodque imitando exprimit; atque ita exemplar eatenus

Abulensis ad cap.5. Matth. q.12.

A caussalitate propria exẽplaris.

eatenus cauſſare dicitur, quatenus paſsiua imitatione certam formam indit rei artefactæ: ſed in hoc cauſſandi modo nulla apparet vis, aut influxus cauſsæ efficientis, ſed formalis extrinſecæ duntaxat. Igitur exemplar non ad efficientem; ſed ad formalem cauſſam pertinet. Secundo idem confirmatur ex D. Dionyſio 5. cap. de diuinis nominibus, D. Auguſtino lib. 83. qnæſt. Boetio lib. 1. de Trinitate, Proclo, alijſque Platonicis, qui ideas diuinas nunc formas ſinè materia; nunc formas archetypas, & primæuas vocant. Pro quo etiam facit ipſa nominis etymologia. Nam quod Græcè ἰδέα, Latinè forma dicitur.

Testimonija Dionyſij. Auguſtini. Boetij. Procli. à nominis etymologia.

Itaque ſtatuimus exemplar propriè cauſsam eſſe, comprehendiq; generali formalis cauſsæ nomine & ratione. Nam communis formæ notio in eo conſiſtit, vt rei quidditatem, & ſpeciem tribuat. Ac ea quidem forma, quæ materiam per ſe informando id præſtat, interna eſt; quæ per ſolam imitabilitatem, externa, atque exemplar.

Ad ea igitur argumenta, quæ oſtendere videbantur exemplar effectricis cauſsæ obtinere rationem, hunc in modum reſpondendum erit. Ad primum quidem dicendo formam phyſicam agentis, itemque formam intellectualem partim inter ſe conuenire, partim differre: conuenire, quod vtraque ſit forma determinans: differre, quòd hæc per paſsiuam imitationem; illa per actiuum influxum determinet, formetque effectum. Ex quo patet non eandem eſſe vtriusque rationem cauſſandi. Ad ſecundū admiſsa maiori, eiusque confirmatione quatenus concludit aliquid ſimilitudinis inueniri inter figuram, & exemplar, neganda eſt aſſumptio. Non enim figura ſigilli aliquam effectricem vim habet reſpectu formæ, quam in cera exprimit (ſicuti nec eam habet quantitas, cuius modus eſt figura, vt alibi diximus) nec ſi eam obtineret, idem propterea de exemplari dicendum foret, cùm in multis ſimilitudo deficiat. Ad vlt. reſpondendum eſt ideas diuinas eſſe effectrices rerum cauſſas, non quà ideæ ſunt, ſed ratione diuinæ artis, ad quam pertinent, ſeu quatenus re ipſa idem ſunt cum eſſentia diuina.

Reſpõſio ad argumẽta ad uerſariorũ.

Figura non concurrit effectiuè.

Diuinę ideę quo pacto ſint cauſę efficiẽtes rerum.

vt in libr. cap. 1. quęſt. 3. art. 2.

ARTICVLVS II.

EXEMPLAR NON REDVCTIè, ſed directò ad formalis cauſsæ genus pertinere.

IVre tamẽ quæſierit aliquis num exẽplar ad cauſsã formalẽ internam quaſi illius cõcauſsa, & appẽdix reuocari debeat? Reſpõdem? nõ debere reuocari, ſed per ſe diſtinctũ formalis cauſsæ genus cõſtituere. Quod cenſuit Plato in Timæo, & Phædone, alijque eiusdẽ ſectæ

Platonici exẽplaria cęteris cauſsis antepoſuere.

sectæ alumni, vt pote qui in caussarum partitione exemplaria cæteris caussis prætulerint, eaque ab illis tum nobilitate, tum caussandi modo, ac notione distinxerint. Idem tuentur præter alios Henricus Gandauensis quodlib. 9. quæst. 2. & Fonseca lib. 1. Metaphy. cap. 7. quæst. 1. sect. 5. vbi totam hanc cõtrouersiam accuratè pertractat.

Caussalitas formę intelligibilis antecedit caussalitatem formę informãtis.

Suadetur verò hæc sententia. Primùm quia etsi forma informans & exemplar in generali formalis caussæ notione conueniant; differunt tamen, vt ex dictis constat, secundum speciales caussandi modos. Secundò quia caussalitas formæ intelligibilis suapte natura præit caussalitatem formæ informantis; neque illa ab hac causandi vim mutuatur; cùm prius sit artificem opus ipsum interiùs efformare, & intelligibilem formam imitatione passiua ab externa forma exprimi, quàm formam externam informare materiam, compositumque ipsum condere. Tertiò quia exemplar est prototypa ratio essentiæ rei, cuius exemplar est, forma vero inducta ab agente est participata quædam illius similitudo, quæ materiam informando, essentiam complet.

Exẽplar est ratio prototypa.

Occurritur obiectioni.

Quo patet non minùs præcipuam caussalitatem in suo genere præstare exemplar, quàm formam internam, atque adeò non debere caussam exemplarem quasi appendicem, & concausssam ad formalem reduci, sed vtramque propriè, ac per se, vti duo membra specie distincta, sub vno communi genere caussæ formalis collocari. Nec quenquam turbet, quòd Aristoteles quatuor tantum caussarum genera recensuit; spectauit enim caussas in commune duntaxat, quas si speciatim persequi voluisset, nõ quatuor tantum, aut etiã quinq; addito exemplari, sed multo plures numerasset, vt ex singularum caussarum diuisionibus, quas 3. huius libri cap. cum Aristotele explicuimus, planum est.

QVÆSTIO V.

SITNE OMNIS CAVSSA EFFE-ctu suo nobilior?

ARTICVLVS I.

QVO SENSV OMNIS CAVSSA dici possit effectu suo nobilior; itemq; de nobilitate materiæ, formæ, & exemplaris.

Duplex consideratio rei, quę caussa dicitur.

RES, quæ caussa nuncupatur, bifariam, quod ad præsentem disputationem attinet, spectari potest: vno modo præcisè, prout caussat; altero, secundum suam absolutam entitatem; quæ consideratio in effectum similiter cadit. Potest enim effectus expendi, vel prout caussatur, vel simpliciter secundum, suam

suam naturā. Hoc posito, si de caussa, & effectu priori modo sumptis loquamur, conclusio sit, omnem caussam esse nobiliorem suo effectu. Probatur, quia præstantius, ac diuinius est tribuere esse, quàm accipere; & non pendere ab alio, quàm pendere; at caussare non est aliud, quàm tribuere esse, & omne, quod alicui esse confert, qua eiusmodi, non pendet ab eo, cui esse impertitur.

Prima cõcl.

Eius probatio.

Lege d. Thom. in 4. d. 1. q. 1. art 4. quæstiuncula 1. ad 3.

Si autem caussa, & effectus secundum posteriorem notionẽ accipiantur, quid de vtriusque nobilitate sentiendum sit, subiectis infra conclusionibus aperiemus. Sit igitur secunda conclusio, Materiam esse ignobiliorem forma & composito, quorum caussa est. Probatur, quia vt 9. Metaphys. c. 10. tex. 19. Aristoteles docet, actus nobilior est, quam potentia; at materia est pura potentia, forma verò actus. Item quia, vt constat ex cap. 9. lib. 1. huius operis tex. 81. forma est quid pulchrum & diuinum; materia verò turpe & quasi fæx quædam naturalibus rebus subsidens, ac propè nihil. Postremò quia forma potiorem essentiæ partem continet: vndè hoc in lib. c. 3. tex. 28. dicitur ratio quidditatis. Negari igitur non potest materiam minùs nobilem esse, quàm formam. Ex quo etiam liquet eandem deteriorem esse composito, cùm in hoc forma ipsa includatur.

Secunda cõclusio.

Eius confirmatio.

Forma pulchrum, & diuinum.

Materia quasi fex subsidens rebus naturalibus.

Idem astruit Plotinus lib. 3. Enn. 6. c. 7. lege etiã quæ dixim 9 1. lib. cap. 9.

Si autem forma cum materia comparetur, quid sentiendum sit ex proximè dictis constat: si verò cum ipso composito, cuius etiã caussa est, conferatur, non conuenit inter Philosophos vtrum eorum alteri dignitate præstet. Platonici formam nobiliorem esse contendunt, quod etiam ex Peripateticis asserunt Auerroes commento 4. huius libri, Iandunus 5. Metaphys. q. 16. Zimara in theorematis propositione 10. & propositione 69. alijque nonnulli. Horum ratio est, quia compositum totam perfectionem capit à forma. Quare, cùm propter quod vnũquodque tale, id magis sit tale, sequitur formam perfectiorem esse composito. Deinde quia compositum præter formam continet in se materiam, quæ sicuti omnium est imperfectionum quasi mater, ita composito defectum potiùs, quàm nobilitatem conciliat.

Cõtrouersia de dignitate formę respectu cõpositi.

Qui putent formam nobiliorem cõposito.

1. ratio.

2. ratio.

Sit tamen tertia conclusio, Formam esse ignobiliorem composito. Hæc inter Philosophos, & Theologos communior est, eamque sequitur D. Thomas 3. parte. q. 6. art. 5. Richardus in 2. d. 15. q. 2. circa 3. princip. Durand. in 3. dist. 2. q. 2. Capreolus eadem dist. q. vnica art. 3. Soncinas 7. Metaph. q. 18. Simplicius hoc in lib. tex. 4. & alij. Suaderi autem hæc opinio hoc modo potest. Id, quod totam alterius perfectionem & amplius aliquid in se continet, certè præstantius illo est; sed ita se habet compositũ respectu formæ; siquidem cohibet in se totum id, quod forma & præterea materiam. Igitur compositum præstantius est, quàm forma. Atque hæc ratio sumpta est ex Aristotele 7. Metaph. cap. 3. tex. 7. vbi sic ait. Quare si prior forma sit, & magis ens, quàm materia, & id quoque, quod ex vtrisq; constat, prius per rationẽ eandẽ erit. Ita legit Aphodisæus, non

Tertia cõcl.

Prima ratiõ.

Ioãnes Neapol. quodl. 2. q. 7. Antonius Andr. 7. Metaph. Iauell. ibidẽ q. 4. Trombeta 11. Metaph. q. 1.

non vt alij, qui hunc locum in contrarium sensum rapiunt.

2. ratio. Cõposito nobilior essendi modus cõuenit.

Item, Composito nobilior competit modus essendi & operandi, quàm formæ; igitur forma est eo ignobilior. Probatur assumptum, quia compositum, completum quid est, & per se subsistit, ac per se operatur, eique proprietates & idiomata attribuuntur. Non enim formam ignis, sed ignem calefacere & alium ignẽ generare dicimus. Accedit quòd præcipua naturæ intentio in totum fertur; quòd totum propriè gignitur; quòd partes cõparatione totius sunt veluti materia, vt Aristoteles docuit hoc in libro c. 3. tex. 31. Quæ omnia argumento sunt totum absolutius quid & perfectius esse, quàm partes.

Solutio 1. rationis pro cõtraria sent.

Ad primam verò rationem aduersariorum respondendum erit totum non omnem perfectionem capere à forma. Nam etiam materia perfectũ quid est, nõ simpliciter, sed in suo genere, & in ratione subiectiuæ potẽtiæ, vt alibi diximus. Quo fit vt ipsa quoq; toti perfectionẽ adiũgat, præsertim cùm eius quidditatẽ integret, & cõponat. Cap. 9. huius primi lib. q. 3. art. 3.

Sol. 2.

Ad secundam dicendum etsi materia quasi mater, ac seminarium quoddam sit imperfectionum, quæ rebus materia constantibus accidunt, quatenus eas variè mutabiles & interitui obnoxias reddit; ex alia tamen parte eadem suo modo perficere; tum ob rationem proximè adductam; tum præterea quia est commune receptaculum, & quasi gremium accidentium, quibus res corporeæ in suo gradu perficiuntur, quantũlibet ea imperfecta sint, facta ad res immateriales comparatione.

Etiam materia p̃ suo modo subiectũ perfic. t.

4. conclusio. Probatio.

Quod ad exemplarem causam attinet, quarta conclusio sit, causam exemplarem interdũ esse effectu suo nobiliorem, interdũ æquè, aut minùs nobilem. Hæc intelligenda est de exemplari creato, quia diuinum infinitè perfectius esse palam est; cùm sit ipsa diuina essentia cognita vt imitabilis. Probatur verò conclusio, quia exemplar creatum interdum est res aliqua naturalis, vt Alexander, quẽ Apelles suis coloribus, & lineamentis exprimit: constat verò Alexandri imaginem inferioris esse naturæ, quàm ipsum Alexandrum: nõnunquam est aliquod artefactum, vt domus, ad cuius similitudinem artifex manum dirigit; nemo autem ignorat artefactum, quod exterius effingitur, aliàs perfectius, aliàs æquè, aut minùs perfectum euadere, quàm id, quod artifici ad imitandum propositum fuit.

ARTICVLVS II.

DE FINALIS, ET EFFECTRICIS causæ præstantia.

Multiplex cõparatio causæ finalis.

SEquitur vt de finalis causæ excellentia dicamus. Potest causa finalis comparari, vel cum agente, quod ipsa allicit, & translatitia motione excitat, vel cum eius operatione, aut medijs, quæ

ad

ad obtinendum finem applicantur. Nunc breuitatis cauſſa, eam tãtummodò cum operatione agentis, quæ, vt progreſſu patebit, ipſius finis effectus eſt, conferemus.

Sit quinta concluſio, Cauſſam finalem interdum eſſe effectu nobiliorem, interdum non. Hæc quoad priorem partem liquet, tum alijs in rebus, tum in intuitiua diuinæ naturæ contemplatione, quæ eſt noſtrarum actionum finis, & ijs longè præſtantior, ac diuinior. Quoad poſteriorem etiã patet quotidianis exemplis, vt verbi cauſſa, cùm quis gratia pecuniæ philoſophatur; cùm tamen Philoſophię ſtudium poſſeſsioni pecuniæ longè præſtet. 5. concluſio. Vnde cõſtet.

De cauſſa efficiente, tam vniuoca, quàm æquiuoca ſit ſexta concluſio, Nullam cauſſam efficientem principalem eſſe ignobiliorem ſuo effectu. Probatur, Nam vel effectus id, quo propriam cauſſam dignitate vinceret, à ſe ipſo haberet; vel à cauſſa. Non à ſe, vt patet, cùm nihil, præter Deum, habeat eſſe à ſe. Non à cauſſa; quia nihil tribuit id, quod non habet; & quicquid effectui à cauſſa confertur, præexiſtit in cauſſa, vel excellẽtiori modo, vel ęquè perfecto. Quare fieri non poteſt vt cauſſa principalis ſuo effectu deterior ſit. Ideo verò concluſionem ad principalem cauſſam reſtrinximus; quia planum eſt minùs præcipuas cauſſas ſœpenumero effectis naturæ gradu inferiores eſſe, vt ſemen comparatione prolis, calorem reſpectu ignis. 6. conc'uſio. Oſtenditur.

Sit ſeptima concluſio, Cauſſam æquiuocam principalem, ſemper eſſe effectu nobiliorem. Hæc, quam aſſerit D. Dionyſius cap. 2. de diuinis nominibus, D. Auguſtinus lib. 83. quæſt. q. 2. & lib. 12. ſuper Geneſ. cap. 29. Auicenna 6. Metaph. cap. 3. ex eo oſtendi poteſt, quia effectus communi Philoſophantium voce differt ſpecie à ſua cauſſa æquiuoca; vnde & ab eo naturæ diſcrimine deſumpta eſt cauſſæ æquiuocæ appellatio. Cũ igitur talis cauſſa non præhabeat in ſe formaliter eſſe ſpecificum effectus, oportet cõtineat illud eminenter, & meliori nota, atque adeò, vt nobilioris naturæ ſit, quàm eius effectus. 7. concluſiõ. Probatur. Pro hac cõcl. leged. Tho. q. 4. 1. p. art. 2. & 3. Scotũ in 4 d. 12. q. 3. & 1 quodl. q. 5. Alenſẽ 2. p. q. 83 mẽb. 2. art 2. Heru. quol. 2. q. 2. Capr. in 1. d. 35. q. 1. art. 1. & in 4. d. 12. q. 1. art 3.

Sit octaua concluſio, Cauſſam efficientem vniuocam, eiusq; effectum, tam ſecundum naturã ſpecificam, quàm indiuiduã, æqualem inter ſe obtinere perfectionem. Huiuſce concluſionis veritas, quod ad perfectionem naturæ ſpecificæ attinet, in confeſſo eſt, patetque ex ipſa vniuocæ cauſſæ notione: dicitur enim cauſſa vniuoca, quæ ſpecie conuenit cum effectu: proindeque cùm naturæ ſpecificæ perfectio neque incrementa, neque diminutionem ferat, ſicuti nec numeri; non enim ternarius pluribus, aut paucioribus quàm tribus vnitatibus conſtare poteſt; fit vt effectus, & cauſſa vniuoca parem ſpecificæ perfectionis gradum ſortiantur. 8. concluſio. Suadetur. Cur ſpecies dicantur quaſi numeri.

At enim circa perfectionem naturarum ſingularium controuerſia non parua eſt. Verùm quod ita ſentiendũ ſit, vt ſtatuimus, & quòd ſingularia contenta ſub eadem ſpecie infima, non ſint alia alijs perfectiora Singularia ſub eade ſpecie non ſe excedunt vllo gradu eſſen tię.

fectiora secundum gradum suæ particularis essentiæ, affirmat Durandus in 2. d. 32. q. 3. Argentinas ibidem q. 1. Soncinas 8. Metaphy. q. 26, & alij. Quò etiã inclinat Henricus Gandauensis quodl. 3. q. 5. etsi neutram partẽ asserat veritus, vt doctor Sorbonicus auctoritatem Parisiensis articuli, in quo vt ipse refert, erroris nomine æqualitas animarum damnatur. Sed quoniam hæc quæstio non est huius loci subsistimus in ipsa simplici assertione, quam etiam statuit & defendit Fonseca libro 5. Metaph. cap. 28. quæst. 16.

Articulus Parisiensis.

Dubitatio. Quærat tamen aliquis si omnia eiusdem speciei indiuidua parem habent essentiæ perfectionem, ex quo sequitur eorundem etiã naturales potentias in se æquales esse, vnde proueniat, vt alia perfectiùs, alia minùs perfectè operentur? Respondemus prouenire id à qualitate materiæ, & meliori organorum apparatu, ac dispositione: hæc verò non à particularibus progenitoribus solùm tribui, sed ab aliarum caussarum concursu, vt à proprietate patrij soli, & à natalitijs syderibus atque apotelesmatis, In quo sensu ait D. Thomas 3. cõtra gent. cap. 84. verum esse posse illud Ptolemæi in Centiloquio, cũ fuerit Mercurius in natiuitate alicuius domorum Saturni, & ipse fortis in esse suo, dat bonitatem intelligentiæ medullitus in rebus. Hinc etiam Hippocrates asseruit prudentiores esse, qui ad meridiem spectant, quàm qui ad Aquilonem, nec tam ira effrenes. Quo allusit egregius poeta in eo carmine.

Resp.

D. Thom.

Ptolem.

Hippocr.

Non obtusa adeo gestamus pectora Pæni,
Nec tam auersus equos Tyria Sol iungit ab vrbe.

Plato. Plato quoque in Timæo scripsit Atticam regionem ob cœli temperiem præclaris ingenijs esse fæcundam; Mineruamque belli, ac Philosophiæ amantem, locum sibi delegisse, qui simillimos sibi homines procrearet. Lege in hanc sententiam, si placet, Gallenum lib. 3. Aphoris. comm. 14. & lib. 2. de temperamentis Auerroẽ 2. Meteororum cap. 2. Plutarchum lib. 5. de placitis cap. 30.

Attica præclaris ingenijs fœcunda.

QVÆSTIO VI.

IN QVONAM CAVSSALITAS seu caussandi ratio consistat.

ARTICVLVS I.

CAVSSALITATEM NEQVE ESSE relationem caussæ, neq; rem, quæ denominatur caussa, absolutè sumptam.

HAEC

HAEC controuerſia aliquot pronuntiatis explicanda eſt. Primuum ſit. Cauſalitas non eſt relatio cauſsæ. Probatur; nam conferre eſse effectui eſt quid effectu ipſo priùs. Cùm igitur relatio effectus ſit poſterior effectu, eademque ſimul natura ſit cum relatione cauſsæ, planè ſequitur relationē cauſsę eſſe quid poſterius, quàm cōferre eſſe, ſeu, quod eòdē recidit, quàm cauſalitatem rei, quæ de nominatur cauſsa. Item cauſsalitas actiua, hoc eſt, per quam res cauſsat, eſt proximum fundamentum relationis cauſsæ; ſicut cauſsalitas paſsiua, id eſt, per quam res cauſsatur, proximum eſt fundamentum relationis effectus: at relatio, eiusque fundamentum proximum non idem ſunt.

Primum prō nunciatum.

Cauſsalitas actiua proximum fundamentum relationis cauſsę.

Secundum pronuntiatum. Cauſſalitas non eſt res ipſa, quæ cauſſa dicitur, ſecundum ſuam naturam præcisè ſpectata; ſed eſt quidpiā ei competens, cùm ad effectum actu concurrit. Huiuſce pronuntiati prima pars inde oſtenditur, quia cauſsalitas eſt poſterior, quàm id, quod de nominatur cauſsa, ſumptum ſecundum ſe; poſterior, inquā, vel tempore, vt patet in cauſsalitate, qua Socrates genitus eſt à Sophroniſco; vel ſaltem origine, vt in cauſsalitate, qua ſol eodem momento, quo eſt à Deo procreatus, lucem fudit. Secunda pars ex eo ſuadetur; quia vbi primùm cauſsæ ad ſua effecta præſtanda actu cōcurrunt, confeſtim dicuntur ipſæ poni in actu; nec ob aliud cauſſare dicuntur, niſi quia eiuſmodi concurſum exhibent. Quare nihil aliud erit cauſſalitas, quàm hic concurſus; de nouo adueniens rei, quæ denominatur cauſsa.

2. pronuntiatum.

ARTICVLVS II.

CAVSSALITATEM IN CÆTERIS cauſsis, excepta efficiente, eſse modum quendam rei, quæ denominatur cauſsa.

TErtium pronuntiatum, quod ſuperioris explicationem continet, hoc eſto. Cauſſalitas in omnibus cauſsis, præterquam in efficiente, nō eſt aliqua entitas media inter cauſſam, & effectum ab vtroque diſtincta; ſed eſt modus quidam eius, quod denominatur cauſsa, idem re cum ipſo. Veritas huiuſce pronuntiati, quòd attinet ad materiam, & formam, inde patet, quia, vt ſuperiori libro oſtendimus, materia & forma ſe ipſis immediatè vniuntur, & totum condunt; atque adeò nec ad mutuam cauſſalitatem, nec ad eam, quam erga compoſitum habent, exercendam, vlla media entitate abſoluta indigent; ſicuti nec eam requirunt genus, & differentia ad conſtituendam ſpeciem.

3 pronuntiatum.

Materia, & forma immediatè iungūtur, & conſtituunt rem naturalem.

Deinde in omnibus cauſsis, efficiente excepta, vniuerſim id ipſum oſtenditur ea ratione, quòd ſuperuacaneū ſit eiuſmodi entitatem re

distinctam inuehere; cùm sine illa singularum caussarum vis & defendi,& explicari facilè possit,vt ex ijs,quæ inferiùs dicemus,planum erit: vbi etiam cur efficientem exceperimus, costabit.

Quo differat caussalitas à re, quę denominatur caussa.

Verùm quòd non sit negãdum caussalitatem differre ab eo,quod caussa nuncupatur,saltem,vt modum rei à re; hinc patet. Nam cùm aliqua ita comparata sunt,vt vnum sine altero non solùm intelligi, sed existere etiam possit; necessariò aliquid inter illa discriminis intercedit: at perspicuum est posse rem, quæ caussa appellatur, sine caussalitate apprehendi; vt si quis naturã formæ, verbi gratia, secũdum se concipiat. Constat etiam posse eandem sine caussalitate sua consistere; quandoquidem caussalitas non inest rei nisi cùm actu ad effectum concurrit; imo is modus se habendi nihil est aliud, quàm ipsa res, quæ caussa denominatur, vt actu concurrit ad effectum: forma autẽ potest existere, quin actu materiam informet, & conseruet; vt patet in anima rationis participe, quæ per se extra materiam cohæret. Item materia potest diuina virtute conseruari, etsi nullam in se habeat formam, respectu cuius propriam caussalitatem administret. Quod similiter in alijs videre est.

QVÆSTIO VII.

QVÆ SIT RATIO CAVSSANDI efficientis caussæ.

ARTICVLVS I.

VIDERI MODVM REI, QVÆ CAVSSA dicitur, non verò actionem.

Opinio Herneĳ,& aliorũ.

PEculiaris existit difficultas circa caussalitatem effectricis caussæ, sit ne etiam modus quidam idem re cum ipsa caussa, quem modum nonnulli influxum appellant; an potiùs actio, qua effectus producitur, quæque re ipsa à caussa distinguitur. Heruæus quodlib.2.q.2. Soncinas, & Iauellus 5. Metaphys. q.4. alijque ætatis nostræ magni nominis Philosophi in priorẽ iuere sententiam, quæ hisce argumentis videtur comprobari. Primùm,

1.ratio. quia cùm in cæteris caussis inueniatur ille modus, qui sit propriè caussalitas, non est cur etiam in caussa efficiente non detur, cùm in omnibus æqua ratio esse videatur.

2.ratio. Secundò, quia actio non est aliud, quàm effectus prout fit, siue, vt vulgò loquũtur, in fieri. Vnde D. Gregorius Naziãzenus in sermone de Spi-

de Spiritu sancto docet actionem magis agi, quã agere. Quod item approbat D. Damascenus lib. 3. fidei orth. Quare vt effectus, ita & actio aliquam causalitatem priorem se requirit: hæc verò causalitas non potest esse alia actio, ne in infinitum fiat additio; erit igitur modus causæ efficientis idem re cum ipsa. Grego. Naz. Damasc.

Tertiò quia causalitas debet antecedere omne id, quod à causa oritur, cùm id omne causari dicatur; at manifestum est non effectũ duntaxat, qui ex actione relinquitur, sed ipsam quoque actionem à causa proficisci. Neque obest quòd actio nõ propriè produci, sed comproduci dicitur. Enimverò non id tantùm, in quod productionis, sed id etiam, in quod comproductionis nomen cadit, ab efficiẽte, vt à causa pendet; atque adeò efficiens, etiã respectu illius, causalitatem obtinet. 3. Ratio.

Quartò, idem confirmatur hunc in modum. Deus non creat sine vera, ac propria causalitate, cùm verè, ac propriè causa sit rei creatæ; & tamen non creat per aliquam actionem: ergo saltem respectu Dei fatendum est actionem non esse causalitatem. Probatur minor, quia nullum datur subiectum, in quo talis actio recipiatur. Nam si quis dicat recipi in ipsam rem creatam, facilè refellitur; quia cùm res producta sit posterior actione, qua producitur, & omne subiectum sit prius actione, quam recipit, idem esset se ipso prius, & posterius, quod fieri non potest. 4. Ratiõ.

ARTICVLVS II.

EFFICIENTIS CAVSSALITATEM reuera in actione consistere.

NObis tamen amplectenda videtur contraria opinio, quæ hisce duobus pronũciatis continetur. Primum est. In efficiente dũ actu causat, non datur aliquis influxus, qui idem re sit cum ipso. Quod ita probatur. Neque entitates, neque earum modi frustra multiplicandi sunt; sed frustra, ac citra vllam necessitatem ponitur in causa agente eiusmodi influxus: non est igitur ponendus. Minor suadetur, quia vt efficiens agat satis est actio, qua effectum per se attingat. Nec obest, quòd modus causandi aliarũ causarum in ipismet causis insidet, nec ab eis realiter differt. Cæteris enim causis non suppeditauit natura aliam rationem, qua se suis effectis possent communicare præter eum modum. Cur autem non suppeditarit, mox dicemus. Primum prõnuntiatum. Confirmatio.

Secundò, stabilitur idem pronuntiatum, quia Deus est propriè causa efficiens dum creat, aut aliquid aliud efficit, & tamen haud ei tunc talis modus, siue influxus conuenit, alioqui admittẽdum esset cadere in Deum, aliquem mutationis modum, cum nempe habere incipe- 2. confirmatio eiusdem.

inciperet mõdum illum realem absolutum, quem antea nõ habebat. Nec satisfaciet qui responderit non dicendum ob id mutari Deum: propterea quòd non censetur mutari nisi id, quod realem entitatem de nouo accipit, cuiusmodi non est influxus ille diuinæ voluntatis; cùm tantùm sit modus quidam habendi se ad effectũ. Non inquam satisfaciet, quia esto concederemus non dari mutationem propriè dictam, nisi cùm res nouam entitatem realem accipit, minimè tamen inficiandum est (quod libro quinto fusius docemus) id, quod nouum modum realem in se ipso admittit, subire re vera aliquam mutationem, saltem minùs presè accepto mutationis vocabulo, videlicet pro quacunque varietate, qua subiectum aliter habeat, quàm priùs; qualem mutationem ea quoque subeunt, quibus noua relatio realis aduenit; cùm tamen à diuina natura omnis mutatio, etiã minima, omnisque vicissitudinis obumbratio longè absit. Vnde & Theologi cõmuni consensu negant potuisse Deo conuenire nouam relationem realem ad creaturas; quia sequeretur mutari Deum.

Præoccupatio.

Noua relatio realis nõ potest in deũ cadere.

Item. Si prædictus influxus in cæteris caussis agẽtibus inueniretur, competeret etiam voluntati dum agit: at quòd non cõpetat suadetur. Nam cùm eo posito necesse sit statim sequi actionem, admittendum esset actiones voluntatis eatenus tantùm elici à nobis liberè, quatenus in nostra potestate est talem influxum vel edere, vel continere: atque ita ratio bonitatis, & malitiæ moralis non esset primò formaliter in nostris actionibus; sed in eo influxu. Quod à communi Theologorum doctrina abhorret.

3. confirmatio.

Ratio bonitatis, & malitiæ moralis in quo insit primò formaliter.

Fatendũ tamen si prædictus modus se habendi, siue influxus efficientis, non ponatur esse aliud, quàm effectum actu pendere ab ipso efficiente, quod est quidpiam efficienti extrinsecum, negari id non posse, nec vllum incõmodum inde sequi, siue in Deo, siue in nostra voluntate; vt qui animum attẽderit, facilè perspiciet. Verùm neque talis modus rectè appellatur influxus; neque ratio caussandi, siue caussalitas efficientis censeri potest: quandoquidem effectum pendere actu ab efficiente supponit influxum ipsum, siue actionem efficientis in effectum, qua illi esse conferat, tanquam propria ratione agendi, vti iam expressiùs dicemus.

Actualis dependentia effectus à suo efficiẽte supponit actionem efficientis erga ipsũ.

Secundum pronuntiatum sit. Caussalitas efficientis est eius actio. Veritas huiusce pronunciati, quod est de mente Magni Alberti hoc in libro tractu secundo, capite 6. D. Thomæ quinto Metaphys. capite secundo, texto secundo, & complurium ætatis nostræ Philosophorum, inde ostenditur, quia caussalitas est ratio, qua quæque res aliquid per se caussat; at ratio, qua efficiens aliquid per se caussat, est actio; cùm per eam proximè, & intrinsecè attingat effectum. Præterea caussalitas efficientis vel est influxus, de quo paulò antè, vel actio; nec enim aliud occurrit, in quo eius caussandi

2. pronũtiatum.

modus

modus ſtatui poſſe videatur: at ille influxus eſſe nõ poteſt; vt oſtẽdimus; eſt igitur actio.

Si quis autem petat cur ſoli cauſſæ agenti cauſſalitas realiter diſtincta attributa ſit? Reſpondemus propterea ſic fuiſſe comparatum à natura, quia vt peculiare eſt efficienti poſſe producere effectum interuentu formæ realiter ab eo diuerſæ, vt igni alium ignem miniſterio caloris: itemque vt proprium eiuſdem efficientis eſt, formam à ſe realiter diſtinctam, non quolibet modo attingere, ſed verè, ac ſimpliciter producere; & agere etiam in remota diffundendo effectum per intermedia: ita conſentaneum fuit, vt ipſi duntaxat ratio cauſſandi realiter diuerſa conueniret. Dubitatio. Reſponſio.

ARTICVLVS III.

OCCVRRITVR ADVERSARIÆ partis argumentis.

NVnc cõtrariæ ſententiæ argumentis ſatisfacere conabimur. Ad primum quid reſpondendum ſit patet ex dictis. Ad ſecundum dicendum, actionem ſecundum ſuam realitatẽ eſſe ipſum effectum, dum fit; & ſub hac cõſideratione habere ſe ex parte effectus, quatenus eius effectione comproducitur: ſed eandem ſpectatam prout agens illius interuentu effectum attingit, habere ſe ex parte cauſſæ; ac tametſi ab illa dependeat, non proinde inter eas dandam eſſe aliam intermediam cauſſalitatem; quia id, quod ita à cauſſa dependet, vt ſit ipſa cauſſalitas, nequaquam alia cauſſalitate indiget; ſicuti nec exiſtentia aliã exiſtentiam, qua exiſtat, nec actio aliam poſcit actionem, qua fit. Sanè quòd hæc ſolutio probanda ſit etiam ijs, qui nobiſcum arbitrantur cauſſalitates aliarum cauſſarũ eſſe modos ſe habendi rerum; & tamen circa efficientis cauſſalitatẽ à nobis diſſentiunt, ex eo poteſt ſuaderi, quia tales modi, licet non ſint realiter diſtincti; ſunt tamen aduentitij rebus, quæ cauſſæ dicuntur, & in ijs ſuſtentantur; atque adeò non poſſunt non vtcunq; ab ijs ipſis rebus pendere: & tamen non iccirco alias exigunt cauſſalitates, quarum vi in actum prodeant; alioqui oporteret in infinitum abire.

Quo modo actio ſe habeat ex parte effectus.

Quo modo ex parte cauſſæ.

Cur inter actionem, & cauſſam agẽtem non detur alia media cauſſalitas.

Ad tertium dicito cauſalitatem debere anteire id, quod à cauſſa oritur, vel quoquo modo pendet; dummodo id non ſit ipſa cauſſalitas; nec ſat eſſe, vti proximè oſtendimus, actionẽ pendere ab efficiente, vt propterea inter ipſa, alia media cauſſalitas interponenda ſit.

Cauſſalitas vt antecedat id, quod à cauſſa pendet.

Ad quartum conceſſa maiori propoſitione neganda eſt minor, & ad eius confirmationem reſpondendum actionem creandi recipi in id,

Actio creandi in quo ſubiecto recipiatur.

id, quod creatur; neque esse absurdum vnam, eãdemq; rem diuersa consideratione priorem & posteriorem esse. Itaque res creata in genere caussæ subiectiuæ antecedit creationem, eamq; in se recipit; in genere caussæ efficientis eandem subsequitur, ac per eam fit.

QVÆSTIO VIII.

VTRVM SINGVLÆ CAVSSÆ peculiares sibi caussalitates vendicent, an non?

ARTICVLVS I.

VENDICARE, ET QVÆ nam eæ sint?

Opinio quorũdam circa materię caussalitatem.

CVM omnes caussæ per modos, rationesvè caussandi tanquam per proprios actus inter se differant, nemini dubium esse potest, quin vt quæq; caussa ab alia distinguitur, ita diuersam caussalitatem sortiatur. Id quod etiam singula caussarũ genera percurrenti manifestum erit. Vt igitur à materia ordiamur, Auicenna 6. suæ Metaphysicæ tractatu 2. c. 4. Magnus Albertus hoc in lib. tract. 2. c. 1. Ioannes Maior 2. sentent. dist. 12. arbitrantur materiam respectu solius compositi caussalitatem obtinere. Alij comparatione formæ duntaxat. Nam quòd materia simul erga formam, & compositum caussalitatem habere nequeat, suadet ea ratio; quia sortiretur duplicem caussandi modum; nec iam vna, sed multiplex caussa esset. Priuatim verò pro priori sententia facit, quòd data caussalitate materiæ circa formam, admittendum esset animam quoque rationalem pendere à corpore, vt à caussa sui esse; quod tamen eius immortalitati repugnat; cùm naturaliter fieri non possit, vt id, quod à materia habet esse, extra ipsã cohæreat. Posteriori id astipulatur, quia sicuti materia est pura potentia; ita omnis eius caussalitas spectanda videtur circa actum, idest, circa formam, quã gremio suo excipit, fouetque.

Aliorum sententia.

Non potest naturaliter extra materiam consistere quod à materia habet esse.

Superiorũ sententiarum refutatio.

Neutra tamen harum opinionum vera est; sed ea, quæ materiæ duplicem attribuit caussalitatem; vnam erga formam, alteram erga compositum. Nam cùm forma per se pendeat à materia, vel absolutè, vt à caussa sui esse; quod cæteris formis commune est: vel quoad informationem; quia scilicet informandi officium citra materiã obire nequit; quod vnum animæ rationali conuenit; planum fit mate-

materiam cauſſalitatem habere reſpectu formæ. Rurſus cùm eſſentia compoſiti naturalis ex materia, & forma conſtet, perſpicuè patet compoſitum naturale pendere per ſe à materia, atque adeò materiæ cauſſalitatem circa ipſum quoque verſari. Iam quòd hæc ratio cauſſandi materiæ, diuerſa ſit ab illa, quam eadem materia ad formã habet, perſpicuum videtur: aliter enim pendet forma, aliter compoſitũ à materia; cùm illa pẽdeat vt à recipiente; hoc vt à cõponente.

Materia ſortitur dupl cẽ cauſſalitate.

Porrò quod diximus de materia, æquiori iure de forma aſſerendum eſt, videlicet eam duplici præditam eſſe cauſſalitate: altera in materiam, quam informando actuat; altera in compoſitum, quod vna cum materia partiatim condit. Eſt verò inter has cauſſalitates diſcrimen: nam illa, quam materia, & forma inter ſe mutuò exercent, antecedit origine eam, quam erga compoſitum habẽt: quandoquidem noſtro intelligendi modo prius eſt vniri inter ſe mutuis officijs materiam & formam; quàm totum conſtituere. Sed enim vt compoſitum naturæ dignitate partibus ſuis excellit; ita præſtantior eſt materiæ, & formæ cauſſalitas erga ipſum, quàm mutua earũdem inter ſe ſe.

Similiter forma.

Igitur argumenta, quæ materiæ duplicem cauſſalitatem nullo pacto cõuenire poſſe ſuadebant, nõ perſuadent. Nec enim illa propterea vnius cauſſæ rationem habere deſinet; cùm eius cauſſalitas comparatione formæ ſit quaſi via ad eam, quam exequitur reſpectu compoſiti, cùmque vtraque materiæ cauſſalitas poſsit aliquo modo dici vna; nimirum ordine, quatenus prior ad poſteriorem ordinatur. Similiter dicito de cauſſalitatibus formæ.

Reſpõſio ad arg u. aduerſariorum.

Quod verò de anima humana obijciebatur, ſolutum iam eſt. Sicut enim illa extra aliarum formarum ſortem eminet, poteſtq; ſeparatim ſubſiſtere; ita non pendet à materia, vt à cauſſa ſui eſſe; ſed quatenus ſine eius conſortio nec informandi munus adminiſtrat, nec etiam ad complẽdam, abſoluendamque ſpeciem pertingit, vt annotauit D. Thomas in quæſtionibus diſputatis quæſt. vnica de anima art. 1. in ſolutione duodecimi argumenti, lege quoq; Henricum Gandauenſem quodl. 6. q. 14. Ad aliud de potentia materiæ dicendum, licet materia ſit pura potentia, non debere iccirco reſpectu etiam illius, quod ex potentia & actu coaleſcit, ideſt, cõpoſiti.

Anima rationalis quo pacto dici poſſit pendere à materia.

His in hunc modum conſtitutis, cauſſalitates omnes ſummatim, ſingulatimque ſub vnum veluti aſpectũ demus. Materia, & forma, vti proximè dictum fuit, geminã obeunt cauſſalitatẽ; vnam mutuam, alteram erga compoſitum. Cauſſalitas materiæ ad formam cõſiſtit in recipienda, fouenda, & ſubiectiuè conſeruanda forma, modo ſuperiùs explicato. Cauſſalitas formæ erga materiam ſita eſt in actuanda, & formatiuè excolenda tuẽdaque materia. Vtriuſq; verò cauſſalitas reſpectu totius, in eo cõponendo verſatur; materiæ quidẽ in componendo more potentiæ inchoatũ, & imperfectũ eſſe cõferentis: formæ, in cõponendo more actus rẽ perficientis, hoc eſt,

Cauſſalitas materiæ.

in

in certo gradu, ac ſpecie collocantis. Exemplaris autem cauſſalitas cernitur in artefacto ſecundum paſsiuam imitationem efformando.

Finis. Efficiẽtis in actione, qua effectũ producit. Finis deniq́; in eo, quod eius gratia aliquid fiat. Sed hæc duo cauſſalitatum genera ijs, quæ in progreſſu diſputanda ſunt, illuſtriora fient. Ex dictis patet ſolutio quæſtionis initio propoſitæ; ſiquidem oſtendimus nullum eſſe cauſſæ genus, quod propriam, ac peculiarem cauſſalitatem non vendicet.

ARTICVLVS II.

ALIQVOT DVBIA, EO-rumque explicatio.

1. dubi. EX ijs, quæ hactenus diſſeruimus, dubia quædam emergunt. Primũ eſt è quibus nam latebris, quovè naturæ receſſu prodeant in lucem modi illi, in quibus ſitas eſſe diximus cauſsalitates omnium cauſsarũ, excepta efficiẽte. Nã quòd ij in ſuis cauſſis non ſimul actu inſint, hoc eſt, in materia omnes eius cauſsalitates, ſimiliterq́; in cæteris; perſpicuum videtur. Alioqui exiſterent actu in quauis materia non tot, quin plures modi entitatiui reales; cùm non tot, quin plures formæ decurſu temporis ex ea educi poſsint. Quæ tamen infinitudo, eſto non ſit entitatum realiter differentiũ, admittenda non eſt.

2. dubi. Secundum. Vtrum ſicuti cauſsis prædictæ cauſsalitates actiuæ, aut quaſi actiuæ conueniunt; ita & in effectis reſpondeant conſimiles cauſsalitates, quæ nihil aliud ſint, quàm modi ſeſe habendi, effectorum, prout ea dependent actu à ſuis cauſsis. Si enim ita ſit, vtique oportebit cùm, exempli cauſsa, forma equi producitur, dari in ea actu, quod minimum, tres modos reales & abſolutos, videlicet vnum in ordine ad materiam; alterum ad finem; tertium ad efficiens, à quibus neceſſariam habet dependentiam.

3. dubi. Tertium. An quemadmodum efficiẽs diſtinguitur realiter à ſua cauſsalitate actiua, ita eiuſdem effectus à ſua paſsiua realiter differat. Cùm vtrinque videatur ſeruanda proportio.

Reſpõſio ad 1. dub. Ad primum horum dicendum eos modos virtute, ſeu poteſtate contineri in rebus, quæ denominantur cauſsæ, ab ijsdemq́ue ſingulatim in actum exilire data occaſione: quemadmodum & oblato idoneo ſubiecto ad calorem recipiendum, adhibitisq́ue alijs circunſtantijs confeſtim ignis promit calefactionem. Itaq́ue cùm forma ab agente inducitur in materiam, illico materia ſinu ſuo formam recipit, ac fouet, ſicq́ue erga illam ſuæ cauſsalitatis munere defungitur. Deinde eadem materia, cùm poſtea aliam formam induit, abiecto modo, quo priorẽ fouebat, aliũ aſsumit; deinde alios, pro numero ſucce-

Cùm materia nouã formam recipit, alium modũ induit.

succedentium formarum; quia totidem oportet esse causſalites, quot sunt integra causſata.

Ad 2. respondemus dandas esse in effectis causſalitates illas passiuas, siue dependentias; nec debere mirum videri, quòd in vnum effectũ tot modi congerantur, cùm à totidẽ modis simul dependeat. Responſio ad 2.

Ad 3. Modum se habendi, qui effectis respectu sui efficientis conuenit, non distingui re ab illis; quia nulla necessitas cogit attribuere eis nouam entitatem, sicuti cogit eam attribuere ipsi caussæ respectu effectorum. Neque oportet hac in re vtrinque proportionem seruari. Ad 3.

QVÆSTIO IX.

VTRVM CAVSSÆ SIBI MVTVÒ causæ sint, an non?

ARTICVLVS I.

NEGATIVÆ PARTIS argumenta.

VIdebitur alicui nequaquam fieri posse vt caussæ sint sibi mutuò caussæ. Nam cùm id, quod est caussa caussæ, sit etiam caussa eius, quod ab eo caussari dicitur, vt constat ex lib. de caussis propositione prima; si, exempli gratia, materia esset causſa formæ; & forma materiæ; vtique materia esset causſa sui ipsius, quod longè à vero abest. 1. argum.

Deinde quia cùm omnis causſa sit prior causſato, idem respectu eiusdem esset prius, & posterius; prius, vt causſat aliud; posterius, vt ab eodem causſatur. 2.

Item quia si efficiens esset caussa finis, nõ esset finis simpliciter omnium causſarum prima: esset enim quodam in sensu prior; nimirum vt ab eo pendet efficiens; in alio posterior, quatenus ipse pendet ab efficiente. 3.

Præterea cùm caussæ dicuntur sibi mutuò causſæ, vel appellatione caussæ intelligitur ipsa relatio caussæ ad effectum; vel res, quæ denominatur causſa; vel causſalitas, modusue causſandi vtriusque. Non primum, quia relatio caussæ, & effectus sunt simul natura, sicque vna non est caussa alterius. Non secundum, quia sanitas, quæ est finis Medici, non caussat Medicum. Nec tertium, quia forma non habet à materia perficere, & actuare, in quo formæ caussalitas consistit; nec finis habet à caussa efficiente, vt eius gratia aliquid sit, vel fiat, qui est modus proprius causſandi finis. Nullo igitur pacto dicendum videtur caussas sibi mutuò causſas esse. 4.

ARTICVLVS II.
QVÆSTIONIS
dissolutio.

Causas sibi mutuo causas esse.

NIhilominùs causas esse sibi mutuò causas docuit Aristoteles hoc in libro cap. 3. tex. 30. idemq; repetit 5. Metaphy. cap. 2. tex. 2. Quod si probè intelligatur, verisimum est. Monet autem D. Thomas ibidem & Magnus Albertus hoc in libro tractatu 2. cap. 6. huiusmodi effatum non vniuersim accipi debere; quasi quælibet causa respectu vniuersarum; vniuersæ respectu cuiuslibet, causæ sint; sed indefinitè, cerniq́ue eius veritatem comparato fine per se cum efficiente; & materia per se cum forma; sic vt inter finem, & efficientem reciprocatio causæ sit; itemq́ue seorsim inter formam, & materiam. Præterea ipsemet Aristoteles locis citatis palam docuit non comparare se in eo pronuntiato causas eiusdem generis; sed diuersorũ. Quædã, inquit vicissim sibi sunt causæ, vt exercitatio boni habitus, & hic exercitationis; non tamẽ eodem modo; sed ille vt finis, hæc vt principium motionis.

Deinde aduertendum est ex Alensi in commentarijs ad idẽ caput libri quinti Metaphy. causam vnam dici posse causam alterius, vel quoad causalitatem, vel quoad esse. Quibus ita constitutis sit prima assertio. Finis est causa efficientis quoad eius causalitatem; nõ tamen quoad esse. Huius prior pars traditur à Magno Alberto, & D. Thoma locis citatis. Probaturq́ue ex eo, quia causalitas efficientis, vt supra à nobis decretum fuit, est eius operatio, & hæc inter finis effecta cẽsetur; cùm efficiens non nisi finis alicuius gratia operetur, vt in progressu planum fiet. Posterior verò pars liquet. Nã v. g. Medicus non accipit esse à sanitate.

1. assertio. Quomodo finis sit causa efficientis.

Secunda assertio. Efficiens est causa finis quoad esse; non tamẽ quoad eius causalitatem. Hanc statuit ibidẽ Alensis, eiusq́ue prior pars inde suadetur, quia cùm Medicus gratia acquirendæ sanitatis ægroto medicamenta adhibet, eumq́ue sanat, haud dubiè sanitatẽ ipsam in rerum natura constituit. Quod intellige de ijs finibus, qui ante agentis operationem non dum sunt. Qui enim iã præexistũt, vt aurum, quod auarus sibi finem proponit; ij non quoad esse ab efficiente causantur, vt nemo non videt, sed quoad ipsam possessionem, adeptionemvè. Posterior autẽ pars ex eo conspicua est, quia causalitas finis præuenit omnino causalitatem efficiẽtis, vt ex prima assertione constat.

2. ass. Quo pacto efficiẽs sit causa finis.

Tertia assertio. Nec forma est causa materiæ, nec materia formæ quoad causalitatẽ: vtraque tamẽ alterius causa est quoad esse, vel simpliciter, vel aliquo modo. Hanc assignat loco notato Sanctus Thomas. Eius verò prior pars ea ratione concluditur, quia forma non tribuit materiæ sustentandi officiũ, nec materia formæ munus infor-

3. ass. Quę sit mutua causalitas inter materiã & formam.

informandi. Posterior patet ex dictis; quandoquidem tam materia, quàm forma materialis simpliciter à se mutuo pendent; cùm nec illa naturaliter possit existere nisi à forma actuetur; neque hæc, nisi à materia foueatur. Quòd si forma immaterialis sit, hoc est, animus hominis; pendet quoque à materia, non simpliciter; sed aliquo modo, videlicet quoad actum informandi, vt sæpe diximus. Non quòd forma huiusmodi actum à materia accipiat; sed quia ipsum non nisi in materia exercet.

Haud ignorabis etiam prædictum Aristotelis axioma in alio quoque sensu verum esse: nimirum si causæ sibi causæ esse dicantur, quatenus nexu quodam aliæ ab alijs modum, ac veluti mensuram accipiunt, vt D. Thomas 1. Post. cap. 7. & Aegidius Romanus eodem lib. cap. 4. explicant. Materia namque sumitur à forma, cùm materia sic affecta esse debeat, vt excipiendæ formæ idonea sit: forma ex efficiente, cùm efficiens producat formam similem suæ, vel secundum speciem, si efficiens vniuocum sit; vel secundum analogiam, si æquiuocum: efficiens ex fine, cùm illud ab hoc ad operandum excitetur.

Causæ ob officiorũ nexibus inter se coniunctę.

De hac re Alẽsis 1. p. q. 17. memb. 3.

At enim istiusmodi caussarum connexio non ita perpetua est, vt vbicunque reperitur finis, & efficiens; reperiatur etiam materia, & forma: siquidem hæc duo posteriora non dantur in substantijs corporea concretione liberis; esto duo priora dentur. Illud tamen ratum, firmũque est, vbicunque cernitur finis, cerni efficiens, & ecõuerso. Nam quidquid est propter finem, pendet à fine; alioqui finis non verè causa diceretur: quidquid verò pendet ab alio, ex se non habet esse, ac sibi relictum in nihilum abit: omne autem, quod tale est, requirit causam, à qua in esse educatur, & conseruetur; hæc autem causa, est efficiens. Ergo omne quod habet finem, habet etiam causam efficientem. Rursus quòd nulli rei causa efficiens conueniat, cui non etiam finis competat; probatur. Nam quidquid ab efficiente causa fit, per aliquam actionem fit; & omnis actio spectat bonum, & finem. Ergo quidquid à causa efficiente fit, propter finem aliquem fit; & quod inde consequens est, necessariò sibi finem vendicat. Item quod non habet causam efficientem, non habet esse ab alio, sed à se: quod habet esse à se, est propter se; & non propter aliud. Non igitur finem, cuius gratia sit, habet.

Nõ quicquid habet causã finalẽ, & efficientem; habet formalẽ & materialẽ. Quicquid habet causã finalem, habet efficientem.

Quicquid habet causã efficientem, habet finalem.

Quòd nõ habet causã efficientẽ, nec finalẽ habet.

Illud quoque certum est; quæcunque ex materia, & forma constant, eisdem causam finalem, & efficientem competere; cùm talia non possint habere esse ab se, atque adeò necesse sit ea ab alio, & alicuius gratia fieri. Ob eamque rem Physiologus per omnia caussarum genera demonstrare dicitur: quia videlicet ad quodlibet naturale compositum quadripartita causarum varietas concurrit.

Quibus conuenit materia & forma eisdem finis & efficiẽs necessariò competit.

ARTICVLVS III.
DILVTIO ARGVMENTORVM primi articuli.

Sol. primi.

NVnc argumēta initio quæstionis propoſita ſoluamus. Ad primum reſpondendū eſt cum Scoto in 4.d.49.q.2. & in theorematis concluſione 22. & alijs, tunc id, quod eſt cauſsa alicuius, cauſsam eſſe eius, quod ab eo cauſsatur; cùm eiusdem generis cauſsæ attexuntur; ita vt omnes, verbi gratia, formales ſint, cuiuſmodi cenſentur omnia prædicata ſuperiora collatione partium ſubiectarum in eadem categoria: vel omnes efficientes, vt ſe habet ſol ad lucem, lux ad calorem; itemque parentes ad filios, & ad natos natorum, & qui naſcuntur ab illis. At cùm materia, vt in argumēto ſumitur, formæ cauſsa dicitur vel ècontrario; variatur cauſsæ genus, vt planum eſt. Ad ſecundum. Non debere abſurdum iudicari ſi quid reſpectu eiusdem non eodem tamē modo ſumptum & prius, & poſterius dicatur; quo pacto ſe habent ea, inter quæ cauſsæ, & effectus reciprocatio intercedit, vt ex ijs, quæ paulò ante diximus, intelligi poteſt, annotauitque D. Thomas hoc in lib. cap. 3. text. 30. Ad tertium. Cauſſam finalem non dici ſimpliciter primam omnium cauſſarum, quòd omnimodis prior ſit, quaſi ipſam nulla cauſsa ſecundum aliquam conſiderationem antecedat: ſed quia finis intentio etiam ipſius efficientis exequutionem præit, dum illud translatitia motione ad agendum excitat, ſicque omnium cauſſalitatum primordia ſibi vendicat. Quod non impedit quominùs idem finis exequutione poſterior ſit, vt ſuo loco planiùs dicetur. Ad quartum, quid reſpondendum ſit conſtat ex dictis: non enim cauſsæ ſibi viciſsim cauſsæ eſſe dicuntur ſecundum relationes cauſsæ, & effectus; vt argumentum concludit: ſed in quibuſdam cauſsis res ipſæ, quæ cauſsæ denominantur, ſibi mutuò cauſsæ ſunt quoad eſſe, vt materia, & forma, ſeruato tamen diſcrimine illo, quod inter animā rationalem, cæterasque formas ſtatuimus: in alijs, cauſsa vna eſt cauſſa alterius quoad eſſe; nimirum efficiens reſpectu finis: altera, cauſsa eſt alterius quoad cauſſalitatem, nempe finis comparatione efficientis.

Quo ſenſu verum ſit id, quod eſt cauſsa cauſsę, eſſe cauſſam cauſsati.

Sol. 2.

Sol. 3.

Sol. 4. Cauſsę non ſunt ſibi mutuò cauſsæ quoad relationes.

QVÆSTIO X.
VTRVM DEVS RES OMNES IN ſuo eſſe conſeruet, an nòn?

ARTICVLVS I.
ARGVMENTA IN PARTEM negatiuam.

Conſer-

CONseruare rem in suo esse, vt hoc loco à nobis accipitur est continuare actionem, qua esse rei tribuitur: siue esse præhabitum, etiam nunc cõferre. Quod in 8. huius operis libro accuratius explicabitur. Quæritur igitur, an res creatæ ita à Deo pẽdeant, vt secluſa eius cõseruatrice actione nullatenus possint consistere. Nonnulli, quos refert, confutatque D. Augustinus lib. 5. de Genesi ad literam c. 20. arbitrati sunt Deum tantummodò fabricasse mundum, nihilq; iam circa ipsum moliri; sed effici à mundo omnia sicut ille ordinauit, & iussit. Nec desunt in eam sententiam argumenta. Primùm, quia si opera creati artificis, vt domus, aut pictura, post absolutionem sine artifice cohærent, nec illius opem deposcunt, multò magis poterit Deus, cuius est infinita virtus, efficere, vt creaturæ, quæ sunt opera quædam diuinæ artis, cessante ipsius cõseruatione, permaneant.

Conseruatiõ quo pacto sumatur hoc loc.

1. argumen.

Deinde. Quædam res sunt, quæ non possunt non esse: atqui saltem hæ nõ egent conseruatione. Non igitur creaturæ omnes à Deo conseruantur. Maior probatur, quia quod per se ineſt alicui, semper ei conuenit, nec oppositum conuenire potest; vt si binario cõpetat per se esse parem; impossibile est esse imparem: at quibusdam formis per se competit esse; nimirum ijs, quæ dicuntur per se subsistentes, vt angeli. Ergo hæ saltem ita necessario sunt, vt non possint non esse.

2. argumen.

Rursus. Ideò fortasse creaturæ videtur tali beneficio egere, quia ex se tendunt in non esse: sed non tendunt: ergo & cæt. Probatur assumptio. Tendere in non esse est contra rei naturam; cùm vnicuique insitum sit perpetuitatis desiderium: igitur nulla creatura ex se tendit in non esse; proindeque non interibit nisi aliunde in interitum compellatur: atqui multa sunt ita firma, & stabilia, vt neque ãt aliunde in interitum compelli, veluti materia prima, anima rationalis, aliæq; res corruptionis expertes. Ergo quæ huiusmodi sunt, conseruationis beneficium non requirunt.

3. argumẽta.

Vnicuiq; rei insitum perpetuitatis desiderium.

Præterea. Vel Deus cõseruat calorem in aqua eãdem met actione, qua ipsum vna cum igni produxit, vel diuersa. Non eãdẽ; cùm prior actio re ipsa vna eademque fuerit cum actione ignis, quæ iam euanuit; non diuersa; siquidem vtraque in eundem terminum fertur, videlicet in calorem. Non ergo eiusmodi actio datur, atq; adeò nec conseruatio; cùm Deus per se non nisi agendo conseruare res possit.

4. argumen.

Postremo. Deus cõtinet in suo esse materiam, & omnes formas, excepta rationali, interuentu mutuæ earum caussalitatis; & compositum per partes, è quibus coalescit; & omnia corpora corruptibilia ope suorum accidentium, & proprietatum; Ergo saltem non omnia immediatè conseruat.

5. argumen.

ARTI-

ARTICVLVS II.

ASTRVITVR AFFIRMA-tiua pars quæstionis.

Conclusio. SIt tamen conclusio omnino certa Deum creaturas omnes in suo esse continere, ita, vt citra ipsius opem nec momẽto possint consistere. Hæc conclusio est patrum omnium firmata consensu, elicituŕque è sacris literis, vt inferiùs patebit, eandeḿque tuentur scholasticæ Theologiæ professores partim in 1. sentent. d. 27. partim in 2. d. 1. & 37. & D. Thomas 1. p. q. 8. art. 1. & q. 104. art. 1. & 3. contra gent. à cap. 65. Alensis 1. par. summæ q. 10. mẽbro 2. & 3. Henricus Gand. quodlib. 7. q. 3. Vdalricus lib. 2. suæ summæ. Probatur verò in hunc modum. Deus dicitur esse vbiq́ue per potentiam, præsentiam, & essentiam; ob id potissimùm, quia sibi omnia subdit, quia vniuersa intuetur, quia per omnia commeat; & singulorũ essentijs intimè, beneficeq́ue illabitur; sed hic illapsus potissimum cõsistit in conseruando esse, quod rebus omnibus profundiùs inest, & est fundamentum aliarum affectionum, quæ rebus creatis adueniunt, semper igitur Deus sustentat res in suo esse.

Eius assertores. Heruæus quodl. 8. q. 7. & in tract. de æterni. mũdi q. 6.

1. ratio. Quibus modis sit Deus vbique.

De hac re Magister in 1. d. 37. & alij doct. ibidẽ.

2. ratio. Opus naturę supponit diuinam artẽ.

Secundò, Sicut opus artis humanæ supponit naturam; ita opus naturæ diuinam artem; materia namq́ue artefactorum est à natura; naturalium verò à Deo per creationem; sed artefacta sustulciuntur in suo esse beneficio naturalium; domus enim soliditate lapidum, firmitate lignorum, coagmentatione calcis, diuturnitatem obtinet: ergo & naturalia virtute Dei in suo conseruabuntur.

3. ratiõ. Annihilatio quo pacto ex se possit.

Lege Greg. in 2. d. 33. q. 1. art 3.

Tertiò, Si res creatæ absq́ue influxu Dei consisterent, sequeretur posse aliquid repugnante Dei voluntate manere; hoc autẽ concedere nefas est, cùm de diuina potentia, & dignitate palã detrahat. Ergo & cæt. Maior propositio ex eo ostenditur, quia nulla apparet ratio, qua Deus, si velit, possit angelum in nihilum redigere, quàm subtrahendo influxum, quo ei esse tribuit, ac sine quo nec punctũ temporis manere queat. Quare si angelus absq́ue eiusmodi influxu existat, etiam Deo nolente permanebit.

4 ratio. Prima causa plus influit in effecta, quàm causę secundę.

Quartò, Magis dependent creaturæ à Deo, quàm lumen à corpore luminoso; cùm prima causa, vt est in lib. de causis, propositione prima, plus inseparabiliúsq́ue influat in effecta, quàm causæ secundæ: sed lux nisi conseruetur à luminoso illico interit: ergo & creaturæ cessante Dei concursu in nihilum recident. Quare rectè D. Bonauentura in 1. d. 37. in primo principali quæst. 1. comparauit esse creaturarum in ordine ad primam causã cum figura impressa in aquam à sigillo, & cum pondere, quod in aere manu tenetur: vt enim sublato sigillo confestim figura in aqua euanescit, & amota manu pondus ruit; ita si vel momento conseruantis Dei concursus

cursus abesset à rebus creatis, confestim omnes ad nihilum abirent.

Iam diuina sacræ paginæ auctoritas eandem conclusionem multis locis planè confirmat. In epistola ad Roman. cap. 11. Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ad Hebræ. cap. 11. Portans omnia verbo virtutis suæ. Act. 17. Non longè est ab vnoquoque nostrũ; in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Sapientiæ 7. Omnibus mobilibus mobilior est sapientia; attingit autem vbique propter suam munditiã. Et cap. 11. Quomodo autẽ posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quomodo quod à te vocatũ nõ esset, conseruaretur? Sacræ Paginæ testimonia.

His concinunt patrum dicta. Ac primum D. Dionysij 10. de diuinis nominibus, vbi ait Deum esse omnipotentem sedẽ omnia tenentem, idest, conseruantem ne in nihilum ruant. Item D. Augustini, qui tùm alijs locis, tùm 4. super Genes. ad literam cap. 12. hac de re luculentè disserit. Creatoris inquit, potentia, & omnipotentis, atque omnitenentis virtus caussa subsistendi est omni creaturæ, quæ virtus ab eis, quæ creata sunt, regendis, si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Neq; enim sicuti cùm structuram ædium fabricauerit quis, abscedit, atq; illo cessante, atque abscedente stat opus eius; ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit. Eodem pertinet illud D. Gregorij homilia 17. in Exechielem. Sic est intus, vt extra sit; sic circundat, vt penetret; sic præsidet, vt portet; sic portat, vt præsideat. Et illud D. Anselmi in Monol. c. 12. necesse est, vt sicut nihil factum est nisi per creatricem præsentem essẽtiam, ita nihil vigeat nisi per eiusdem seruatricem potentiam. Idẽ asserit D. Damascenus in dialogo aduersus Manichæos. D. Gregorius Naz. oratione 2. de Theologia. Philo Iudæus in lib. de confusione linguarum, & in lib. de congressu quærendæ eruditionis gratia. Patrũ dicta. Dionys. Augustin. Greg. Mag. Anselm. Damasc. Greg. Naz.

Neque huius assertionis veritas Ethnicos Philosophos latuit, vt auctor libri de mundo ad Alexãdrum disertè docet. Vetus, inquit, sermo est, à maioribusque proditus inter omnes homines vniuersa tùm ex Deo, tùm per Deum constituta fuisse, atque coagmentata, nullamque naturam satis instructam ad salutem esse posse, quæ citra Dei præsidium suæ ipsa demum tutelæ permissa sit. Idẽ docuit Trismegistus tum alibi, tum in Asclepio, aiens mentem, idest, Deũ, se ipsa stare conseruatricem rerum omnium, in eaque vniuersa viuere, & subsistere. Item Scriptor operis de secretiori sapientia secũdum Aegyptios libro 12. cap. 19. hisce verbis, sicut cẽtrum circuli in se ipso est, lineæ autem ab eo ductæ ad ambitum, ipseque ambitus cum punctis in eodem centro existunt: sic quoque naturæ omnes in agente primo consistunt, & ab eo conseruantur, ab eoq; pendent, id appetunt, ad idque reuocantur. Denique idem sentit Plato in Timæo, eiusque sectatores, Plotinus, Iamblichus, Proclus, itẽ Seneca in libro de consolatione fratris, vbi definit Deũ rationẽ incor- Eandem veritatem agnouere Ethnici Philosophi. Auctor libri de mundo ad Alex. Trismegist9. Auctor operis de sapientia Aegypt. Plato. Plotinus. Iamblichus. Proclus. Seneca.

incorpoream, cauſſarum cauſſam cuſtodientem, & regentem omnia: & alij, quorum meminit Iuſtinus Philoſophus & martyr in ſua paræneſi ad gentes, & Eugubinus lib. 1. de perenni Philoſophia à cap. 28.

2. concl. Secunda concluſio. Licet Deus res omnes conſeruet immediatè, ideſt, ſuamet actione eas attingendo; quaſdam tamen per ſe dūtaxat; alias, concurrentibus etiam cauſsis ſecundis, in ſuo eſſe tuetur.

Explicatio concluſ. Pro explicatione huiuſce concluſionis ſciēdum eſt dupliciter cauſſas dici conſeruare effecta; nimirum vel immediatè, & per propriā actionem, quo pacto luminoſum conſeruat lumen, quod producit: vel mediatè, quia tantummodò per virtutem à ſe impreſſam, & in effectis relictam ea ſuſtentat, ſicque conſeruatur ignis ab ſuo progenitore, à quo calorem, ſiccitatem, aliaſque eiuſmodi affectiones, quibus conſiſtit, in ortu accepit.

Probatur prima pars cōcl. Hoc poſito aſſeruimus in prima concluſionis parte Deum creaturas omnes immediatè conſeruare; quia licet rebus à ſui ortus primordio ea contulerit, quæ ipſarum incolumitas requirebat, eaſdem nihilominùs per ſe, intimoque illapſu conſeruat in ſuo eſſe. Quod ex eo ſanè concluditur, quia, verbi gratia, ſuperſtite calore, cæteriſque eiuſmodi ignem conſeruantibus, & eorū concurſu non impedito, poteſt Deus ignem ipſum in nihilum deducere; quod non alia ratione præſtabit, quàm ſubſtrahendo propriam ſuam actionē, qua ei eſſe tribuit. Similiterque poteſt conſeruato igni calorem in nihilum redigere, continuando ſuæ actionis influxum erga ignem, denegando aduerſus calorem. Quare præter concurſum, quo Deus cum cauſsis ſecundis ad earum conſeruationem influit, alio etiam ſibi peculiari quālibet rem in ſuo eſſe detinet, & ſuſtentat, ſi res, ceſſante actione ſuæ cauſſæ ſecundæ, adhuc maneat.

Non inhibito concurſu cauſsarū ignē conſeruantiū poteſt Deus ignem annihilare.

Probatur 2. pars concluſionis. Secunda pars concluſionis inde patet, quia multa ſunt, quæ nullam in natura creata cauſſam habent, cuius ope fulciantur in ſuo eſſe; ſed à Deo tantùm pendent, vt angeli: alia verò habent, vt conſtat ex vltimo ſuperioris articuli argumento. Quæ igitur in priori cenſentur genere, ea tantummodò à Deo immediatè conſeruantur; quæ in poſteriori, tum à Deo, tum ab alijs etiam cauſsis.

Quę dā creaturę à Deo tā tùm immediatè conſeruātur.

ARTICVLVS III.

ARGVMENTIS, QVÆ PRO NEGATIua parte adducta ſunt, nihil confici.

Sol. 1. argu. ARgumenta initio quæſtionis propoſita nihil contra ea, quæ aſſeruimus, concludunt. Ad primum reſpondendū eſt creaturas, vt ex dictis patet, multò magis à Deo pēdere, quā artefacta à creato artifice. Quare nihil mirū ſi hæc vbi ſemel abſoluta fuerunt,

fuerunt, sine artifice consistant; creaturæ autem nec per Dei potentiam sine diuina ope vel momento esse valeant. Neque hoc diuinæ potentiæ, & dignitati derogat; quin eam potiùs cõmendat, à qua, vt à perenni fonte ipsius esse, tanta necessitate vniuersa pendeant; simulque ipsarum creaturarum imbecillitatem, & inopiam testatur, quæ nisi à prima causa perẽniter esse hauriant, in nihilũ decident.

Creaturę nec per Dei potentiam absque ope diuina esse valent.

Ad secundum, res quasdam vbi semel productæ fuere, non posse nõ esse, si creatæ naturæ vires spectentur; quia scilicet à nulla creatura destrui queunt: nullam tamen dari, quæ ad diuinam potẽtiam collata non possit desinere esse: siue enim formæ per se subsistentes sint, siue non sint, nullum esse obtinent, nisi diuini influxus beneficio, quo subtracto mox euanescent.

Sol. 2.

Ad tertium, tendere in non esse, ideſt, habere ingenitam propensionem vt non sint, esse contra naturam creaturarum; cùm omnes ad oppositum inclinentur, habeantque vt in argumento rectè assumitur, insitum desiderium sese, quoad fieri possit perpetuandi; tendere verò in non esse, id est, non sibi sufficere; sed egere auxilio Dei sustentantis, vt sint; id non esse contra earum naturam, sed eam potiùs consequi, & comitari; licet hoc peculiare habeant res corruptioni obnoxiæ, quod ab alijs etiam in interitum vocentur.

Sol. 3.

Quo sensu dicantur creaturę tendere in non esse.

Ad quartum respondemus eodẽ instanti, quo ignis desinit aquã calefacere, cessare totam illam actionem, quæ à Deo, & ab igni oriebatur. Nam cùm tota ab ijs causis coniunctim dependeat, cessante alterius influxu oportet eam euanescere. Itaque actio, qua Deus calorem in aqua conseruat, est alia noua actio, non successiua, vt antea; sed fixa, vtpote in qua nec generatio noui caloris, nec intercurrentium partium fluxus inueniatur. Vnde etiã constat hanc actionem non posse eandem esse cum priori. Non enim stabilis, & successiua actio in vnum conuenire queunt. Immò nec per diuinam potentiam ambæ inter se continuari poterunt; quia actio permanens totaque simul existens, & actio successiua sunt distinctæ specie, ac proinde in vnum continuum copulari non possunt. Poterit tamen Deus se solo concursum ignis calefacientis, maiorem concursum adhibendo, supplere; atque ita eandem calefactionem longiùs protendere, & continuare; quia dependentia huius singularis calefactionis ab hoc singulari igni, non essentialis est, sed physica duntaxat. Verùm hoc nihil ad propositam difficultatem; quæ tota erat de actione conseruatrici caloris iam producti. Igitur ad argumentum danda est posterior pars antecedentis, & ad eius impugnationem dicendum actionem, qua Deus calorem in aqua conseruat, diuersã esse ab ea, qua pariter cum igni eundem calorem produxit: posse tamen aliquo modo vocari eandem ratione termini, in quo conueniunt; sicut enim in eundem numero calorem feruntur, ita eandem realitatem, non tamen eandem formalem rationem obtinent. Porrò autem cur

Actio, qua Deo calorem in aqua conseruat, est alia actio ab ea, qua eundem cum igni produxit.

Sol. 4.

De hac motuũ & actionum cũ suis terminis idẽtitate lib. 3. huius op.

quædam qualitates ita se habeant, vt cessante actione agentis naturalis, eodē momento pereant, sicuti lux: aliæ etiam in alieno subiecto aliquandiu perseuerēt, tradit S. Thomas 1.p.q.104.art.1. edisseritque Caietanus ad eundem locum.

Ad quintum patet ex dictis quid respondendum sit: licet enim Deus quædam entia concurrentibus etiam causis secundis conseruet, nihilominùs vniuersa per suam actionē attingendo sustentat.

QVÆSTIO XI.
VTRVM CAVSÆ SECVNDÆ RE vera aliquid agant, an non?

ARTICVLVS I.
QVI AD NEGATIVAM PARTEM deflexerint, & quibus argumentis.

VErè illud à quopiam dictum fuit, nihil tam ridiculum & absurdū esse, quin aliquē Philosophorū auctorē & defensorē aliquādo habuerit. Ecce enim in proposita quæstione non defuerunt, qui asseuerarint res alias infra Deū nihil prorsus moliri, nullamuè actionem administrare; sed ad earū præsentiam effecta omnia, quæ ab eis oriri videntur, à Deo effici. Quod cōmemorat præter alios Albertus M. hoc in lib. tract.2.c.3. D. Thomas 1.p.q.105.art.5.& 3.cōtra gentes c.69. Auerroes lib.9. Metaph.com.7. & lib.12. com.18. Quin verò hanc sententiam iam pridem è scholis eiectam, & sepultam ab inferis reuocare ac tueri velle aut certè ad eam inclinare videntur Aliacensis in 4.sent. d.1. q.1. & Gabriel d.2.q.1.&3.

à Tullio 2.li. de diuinatione.

Opinio existimātium res creatas nihil agere.

Ac quòd istiusmodi assertio à veritate non abhorreat hūc in modum videtur ostendi. Deo conuenit perfectissimus agendi modus: sed perfectius est edere effectum se solo, quàm adminiculo alterius; illud enim testatur independentem virtutem causæ agentis; hoc verò inopiam & imbecillitatem. Igitur Deus nihil aliarum causarum interuentu efficit; proindeque causæ secundæ nihil re vera agunt.

Argumenta, quibus videtur comprobari.

Secūdò idē stabilitur sacrę paginę testimonijs, in primis illo ex c.12. epist. primæ ad Cor. Qui operatur omnia in omnibus; tum illo ex secunda ad Cor.3. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.

D. Paulus.

Alterā huic cognatā opinionē secutus est Auicebrō Maurorū princeps in tractatu de materia & forma, quē librū fōtis vitæ appellauit, quòd in eo quasi in aliquo fonte scientiæ vitam contineri existimaret. Hic, alijque ex Arabum disciplina Philosophi, arbitrati sunt nullam penitus à corporibus oriri actionem; sed à substantia

2.opinio.

quadam

quadam materiæ experte per omnia corpora commeante. Suspicatur autem D. Thomas 1.p.q.115.art.1. hoc placitum ex Academia fluxisse; quia Platonis decretum fuit materialium rerum formas à substantijs separatis, quas ideas vocabat, deriuari, & in materiæ sinum transfundi. Ex Academia orta, vt D. Thomas suspicatur.

Quòd verò corpora non agendi, sed patiendi tantùm vim habeant, nõ aliunde, quàm ex ipsa corporeæ molis, quam circũferunt, imperfectione, inertia, & crassitudine ostendere nitebantur. Cõstat enim in primis quantitatem rem esse infimæ notæ, nec magis actuosam, quàm materiam: præterea eius causa substantias corporeas situ ac loco distingui, nec sese permeare posse, vt intimo illapsu, qui ad agẽdum necessarius videtur; inter se iungantur. Quapropter statuebant necessariò quærendam esse aliam causam à materia & quantitate absolutam, quæ naturalium rerum actiones virtutis suæ præstantia exequatur. Eius fundamentum.

ARTICVLVS II.

ERRARE EOS, QVI CAVSIS SECUNDIS actiones adimunt.

Refellitur etiam hęc opinio Durãdo in 2.d.1.q.5. Vrin Topic. lib.1.c.9.

VTriusque tamen sententiæ dogma perabsurdum est, & Philosopho indignum; ac meritò stultitiæ nomine coarguitur à S. Thoma in 2.d.1.q.1.ar.4.& ab Auerroe 9.Metaph.com.7. eius auctores debile cerebrum habuisse dicũtur: at Aristoteles, more suo, eos sensu, vel pœna indigere pronuntiasset; aut enim ea, quæ sensibus obuia, & conspicua sunt, non perceperunt, atque ita egebant sensu: aut cùm perciperent, negabant; ideoque ad confitendã veritatem supplicio compellendi erant. Refutatio superorũ dogmatum.

Negat planè hæc positio, ea quæ sensui patent, cùm neget solem illuminare, ignem calefacere, cæteraque id genus. Nec satisfacient si respondeant non se huiusmodi actiones diffiteri; sed aliam earum causam assignare. Nam cùm sensuum iudicio, & æstimatione sol ipse lucem mittat, & ignis vrat; profecto sensum negare conuincuntur, qui absque verisimili argumẽto inficiantur eas functiones ipsarummet rerum esse, in quibus deprehenduntur. Negant sensibus conspicua.

Præterea, quia si sol non verè illuminat, & aqua refrigerat, sequitur contra cõmunem vsum loquendi, hominumque iudicium, non esse vera ea pronuntiata, quibus id efferimus. Nec enim vt illa vera sint sat est Deum sole præsente lucem fundere, vel ad aquæ præsentiam producere frigiditatem. Nam cùm Deus præsente aqua possit etiam calorem gignere, nõ minùs aqua, quàm ignis diceretur suopte ingenio calefacere. Immo & verè quis diceret procreatum angelum à lapide, si Deus ad illius præsentiam procreasset angelum. Negant communia pronuntiata.

Itẽ, vt D. Thom. 3.cõtra gẽt.c.69. disputat, cùm vnũquodq; teste

Adimunt rebus finē, cuiꝰ gratia existunt.

Aristotele 1.Eth.c.7.& 2.de cœlo c.3.tex.17. suæ operationis gratia sit; vtique si res aliæ infra Deum, aut infra illam immaterialem substantiam Auicebronis, nihil agerent, frustra essent in mundi vniuersitate; perperamque eis naturæ auctor tantam potentiarum varietatem, tot organorum apparatum, & distinctionem attribuisset; cùm tamen ad rationem sapiētiæ pertineat, vt nihil frustra sit in operibus Sapientis.

Tollūt è medio Naturalem scientiā.

Præterea, cùm rerum naturalium facultates & essentiæ nō nisi ex effectis, & actionibꝰ innotescāt, omnis earū facultas & quidditas occulto naturæ recessu nobis abscōderetur; nec esset ipsarū vlla sciētia.

Derogāt diuinæ bonitati.

Adde, quòd exuberantem naturæ diuinæ bonitatem decebat, vt rebus creatis sui similitudinem non quoad esse tantùm; sed quoad operationem etiam impertiret: eratque id ipsarum rerum dignitati maximè congruens; tum vt quæ interitui obnoxiæ sunt ad se tuendas & conseruandas pro se agerent, & quæ occasum nesciunt, cæteris proficerent: tum vt omnes partim agendo, partim patiēdo, quodam quasi vinculo colligatæ essent; atque ita vnitatis ordinem seruarent, in quo, teste Aristotele 12.Metaph.c.10.tex.52. vniuersi bonum & perfectio magna ex parte consistit.

Errāt in Morali Phil. & fidei disciplina.

Ad hæc. Istiusmodi positio non solùm in Naturali, sed in Morali Philosophia, atque etiam in disciplina fidei, pernicioſi erroris labem continet. Nam cùm id, quod tantùm recipit, non verò elicit actiones, haudquaquam liberè agat; fit proinde, vt omnis arbitrij nostri libertas, atque adeò omnis ratio virtutis, & vitij, meriti, & demeriti funditus tollatur; immo vt Deus auctor peccati sit, si ab eo solùm tum cæteræ, tum vitiosæ quoque actiones proficiscantur. Quo nihil absurdius, & à pietate, veritateque alienius.

Refellūtur sacrę pag. testimonijs.

Postremò, eundem errorem diuinarum literarū testimonia conuincunt. In primis illud ex cap. 1. Genes. Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructū; & illud apud Lucā 21. Videte ficulneā & omnes arbores cùm producunt iam ex se fructum; & apud Marcum capit.4. vltrò terra fructificat, primùm herbam, deinde spicam. Quæ verba ipsis rebus creatis perspicuè actiones attribuunt. Id, quod etiā patres multis in locis testantur & docent. Lege D. Augustinum 7.de Ciuitate dei c.30. D.Damascenum 3. Fidei ortho. c.15. D. Anselmum lib. de concordia præscientiæ, & liberi arbitrij. D. Basilium homil.9. Hexameron, vbi naturam comparat sphæræ, seu globo manu dimisso in decliuem locum; quòd, vt hic per se fluit, donec in planiciem euadat; sic natura diuino excita imperio generationum, & corruptionum circuitus proprio motu ad finem vsque mundi administrat.

Et patrum. August. Damasc. Ansel. Basil.

ARTICVLVS III.

SOLVTIO ARGVMENTORVM, QVÆ in aduersam partem adducta sunt.

Argumenta

ARgumẽta verò primi articuli facilè ſoluũtur. Ad primũ reſpõdetur cõuenire Deo pfectiſsimũ agẽdi modũ; ſed hũc nõ in eo cõſiſtere, vt Deus nõ admittat conſortium aliarũ cauſarũ efficiẽtium; cùm eas non admittat, quòd ab illis dependeat; vel quòd abſque earum ope ſe ſolo eadem effecta producere non poſsit; ſed vt ipſis eam dignitatem impertiat; quæ agendi ratio nullũ arguit potentiæ defectum, aut imbecillitatẽ. Itaque conceſſa maiori propoſitione, explicari debet minor: ſi enim contendat abſolutè, ac ſimpliciter maioris eſſe perfectionis edere effectum ſe ſolo, neganda eſt, ob cauſam proximè adductam; ſi autem velit maiorem perfectionem argui, quòd agens operetur ſe ſolo, quàm ſimul cũ alio, cuius ope, & adminiculo egeat; concedenda eſt, ſed hic agendi modus in Deum non cadit.

Agere cum alio; quando nullum arguat defectũ.

Quod ad ſacræ paginæ loca ſpectat, nõ inficiatur D. Paulus cauſas ſecundas ſuam habere efficientiam; ſed docet eas abſque diuino cõcurſu & auxilio nihil valere. Præterea loquitur inibi de ſolis gratiæ operibus, quæ peculiari ratione ad Deum, vt ad principem cauſam, referri debent.

Ratio autem pro Auicebronis ſententia nullam habet difficultatem. Vera ſunt ea, quæ de quantitate obijcit, imperfectam eſſe, incertem, nullius actiuitatis. At non à quãtitate; ſed aliũnde habent corpora agendi vim nimirum à ſuis formis, tã ſubſtãtialibus, quàm accidentarijs. Nec earum efficientiam inhibet quantitas, quin potius eam pro ſua portione adiuuat; ſiquidem ignis, quo maior, poſita æquali caloris intenſione, longiùs calefacit; & gleba terræ, quo vaſtior, pari ſingularum partium grauitatis intenſione, celerius deſcendit. Eſt etiam quantitas non mediocri adiumento; dum materiã ad formarum ſubſtantialium introductionem præparat; dum materialia accidentia ſubſtinet; dum eius interuentu fit mutuus agentis & patientis contactus, quæ vna eſt è conditionibus ad corporeã actionem requiſitis. Nam ille agentis illapſus, quo patientis ſubſtãtia penetretur, fictitius eſt, minimeque phyſicis cauſsis ad agendũ neceſſarius: ſat enim eſt corpus eſſe attiguum ei, in quod proximè & immediatè agit. Nec audiendi ſunt Democritici inanium & inſectilium partium inuentores, qui opinati ſunt non poſſe inter duo corpora actionem eſſe, niſi ab agente exiliant atomi, ideſt, minutiſsima corpuſcula ſectionis expertia, ſeque in rei patientis vacuitatem inſinuent. Quod placitum confutat Ariſtoteles primo de ortu, & interitu capite octauo textu 57. quia ſi ita res haberet, non poſſet corpus ſe toto pati: ſiquidem (eſto vacuum daretur, quod tamẽ non datur) totum corpus, etiam eorum confeſsione, haud quaquã inane eſt. Deinde quia oporteret vim & quantitatem corporis agẽtis ſemper langueſcere, & diminui, atomorum effluxu; quod experiẽtiæ aduerſatur. Lege cõtra hãc ſententiã differentẽ D. Tho. 1. p. q. 115. art. 1.

Videre D. Tho. 3. cõtra gen. cap. 69.

Quãtitas nullius eſt actiuitatis.

Confutatio Democritici dogmatis.

Ex Ariſtotele.

Et experientia.

QVAE-

QVÆSTIO XII.

VTRVM DEVS CVM CAVSIS secundis ad quamlibet earum actionem eliciendam actu concurrat?

ARTICVLVS I.

NEGATIVÆ PARTIS ASSERtores, eorumque argumenta.

DVRANDVS in 2. d. 1. q. 5. & d. 37. q. 1. alijque nonnulli (quos referunt Henricus Gand. quodl. 14. q. 1. M. Albertus in 1. d. 37. art. 1. Vdalricus in sua summa lib. 2.) in eam venere sententiam, vt dixerint solas causas secundas per se effecta sua producere, neque aliter cũ ipsis Deum ad ea concurrere, quàm illud esse & agendi vim, quam eis initio præstiterat, conseruando: videturque id hisce argumentis comprobari.

1. argum. Causa prima, vt est commune Philosophantium proloquiũ, operatur medijs causis secundis; ergo non quãlibet earum actionẽ vnà cum ipsis immediatè effert. Probatur consecutio; quia agere immediatè est agere sine medio: quare repugnat Deum agere medijs causis secundis, & earum actiones immediatè attingere.

2. argum. Secundò. Potuit Deus rebus à se creatis tribuere, vt sine ipsius concursu agerent, cùm id nullam inuoluat contradictionem; immo cùm supra naturæ facultatem non sit, vt vnaquæque res suum effectum se sola edat, sol aurum, leonem leo, cæteraque similiter; igitur credibile est Deum hanc eis facultatem, atque honorem impertijsse. Neque obstat quòd Deus in diuinis literis, vt Esaiæ 26. dicitur omnia opera nostra in nobis operari: solet enim interdum vni rei alterius actio attribui, vt causæ, quæ effectũ produxit, operatio ipsius effectus; propterea quòd illa huic formã rationẽq; agendi cõtulerit.

3. argum. Tertio. Si Deus ad quãlibet rei creatæ operationem simul etiam agendo cõcurreret; vel esset vna, eadẽque Dei & creaturæ actio, vel diuersa: horum neutrum dici potest: ergo neque illud. Probatur assumptio. Ac primùm quòd non sit eadem actio. Nam ordo agentium respondet ordini finium; quapropter vt eiusdẽ actionis nõ possunt esse duo fines proximi & perfecti; ita nec duæ effectrices causæ nisi cùm ambæ partiatim concurrunt, & vtraque alterius supplet defectum; veluti cùm duo homines idem pondus ferunt; vel cùm agen-

agentibus eadem numero virtus competit, vt tribus personis diuinis eadem singularis facultas ad creandum, à quibus proinde vna eadēq; creandi actio exoritur: quod tamen in re proposita locum nō habet, cùm in Deum neque indigentia, aut defectus vllus possit cadere; nec illi & rebus creatis eadem numero virtus conueniat.

A tribus personis diuinis eadem creandi actio proficiscitur.

At quòd operatio Dei, & creaturæ nō sint actiones diuersæ, probatur; tum quia actio capit distinctionem à termino, proindeq; vbi vnus & idem fuerit terminus, vna tantùm erit actio; tum quia vel actio diuina priùs attingit effectum, quàm actio causæ secundæ, vel simul: si priùs, aut ergo producit totum effectum priusquàm causa secunda, aut partem; si totum, ergo causa secunda nihil agit; si partem, igitur partem aliam producit causa secunda non concurrente Deo; quod esse non potest, si nihil fit à causa secūda, quod non etiā immediatè à Deo efficiatur. Si verò actio Dei cum actione causæ secundæ simul attingit effectum, vtique altera eiusmodi actionum superuacanea erit, cùm vna tantùm satis sit. Quare dum causa secunda operatur, præter simplicem eius operationem, nulla Dei actio admittenda est.

Vnam, eandemque esse Dei, & creaturę actionem.

Quarto. Si causæ secundæ non agerent nisi actu concurrente prima; sequeretur primam causam operari per secundas, vt per inferiores, sibiq́ue subiectas; atque ita causas secundas esse instrumēta primæ causæ: at re vera non esse, bifariam ostenditur. Primùm quia instrumenta non solent esse secūdum speciem similia effectis, vt asciæ statua, aut characteres calamo: secundarū verò causarum effecta frequenter causas suas specifica similitudine referunt, vt hominem homo, ignis ignem. Deinde quia instrumenta separata, vt actiones suas edant, priùs à causa principali accipiunt præuium quendam influxum ab ipsarum operatione distinctum, verbi gratia, arcus antequā sagittam vibret, impulsum à iaculatore recipit, qui ab actu ipso vibrandi sagittam realiter differt: at causæ secundæ, præsertim naturales, vt physicas actiones administrent, nullum eiusmodi influxum accipere tunc videntur; nec enim aut quidnam ille sit, aut quorsū detur, assignari potest.

4 argum.

ARTICVLVS II.

VERÆ SENTENTIÆ explicatio.

ASserendum tamen est Deum cum causis secundis ad quamlibet earum actionem eliciendam actu concurrere. Quæ assertio non solùm Philosophiæ principijs, sed diuinarū etiam literarū doctrinæ ita consentanea est, vt oppositū aut minimè tutū, aut erroneum sit. Eam igitur communi assensu tradunt scholasticæ theologes.

Conclusio.

Eius, assertores.

theologiæ professores D. Tho. 1. part. quæst. 105. art. 5. D. Bonauentura in 1. dist. 45. quæst. 2. & in 2. d. 37. quæst. 1. Gregorius Arim. in 2. dist. 35. quæst. 1. art. 3. Albertus Magnus in dist. 35. art. 7. Alensis 1. part. q. 9. memb. 2. Heruæus in tractatu de æternitate mundi quæst. 1. Capreolus in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 3. vbi etiam ait nostram hanc positionem non nisi ab homine Manichæo negari posse.

Anſel. Greg. Ma. Greg. Nyſ. Greg. Naz. Auguſt.

Necminori consensu nobis adstipulatur auctoritas Patrũ, vt Anselmi in libro de concordia prædestinationis & præscientiæ, Gregorij Magni lib. 6. Moralium cap. 8. Nysseni lib. 8. suę Philosophiæ, Naziãzeni oratione 2. de Theologia, Augustini libro 3. de Trinit. cap. 3. & lib. 5. de gen. ad lit. cap. 20. vbi ita scripsit. Mouet Deus occulta potentia vniuersam creaturam suam, eoque motu illa versata, dum angeli iussa perficiunt, dum circumeunt sidera, dum alternant venti, dum abyssus aquarum lapsibus agitatur, dum vireta pullulant, suaque semina euoluunt, dum animantia gignuntur, dũ iniqui iustos exercere permittuntur, explicat secula, quæ illi cùm primum condita sunt tamquam implicita indiderat, quæ tamen in suos cursus non explicarentur, si ea ille, qui condidit prouido motu administrare cessaret. Hæc D. Augustinus, quo progressu, vti vides, à cœlesti globo ad terrestrem descendens omnes omniũ mundi partium actiones concursui diuino subdidit, vt eorũ impietatem reiiceret, qui tantùm ei subijciebant, quæ supra huius crassi, concretique aeris regionem fiunt; non autem qui in inferiori mundo, cuius facies perpetuò variatur: aduersus quos eodem loco, ac proximis capitibus latè disputat.

Idem asserit Philo in lib de incorruptibilitate mũdi & Trismegistus in Crtere.

Impietasquorũdam, quos D. Augustinꝰ coarguit.

Porrò autẽ nostra conclusio eisdem ferme rationibus comprobatur, quibus supra ostẽdimus necessarium esse perennem Dei influxum ad res in suo esse tuendas, sed confirmari etiam ampliùs potest in hunc modum. In agentibus per se & essentialiter subordinatis, vt 2. Metaph. cap. 2. tex. 5. alijsque in locis affirmat Aristoteles, inferius non causat, nisi dependenter à superiori, ita vt superius simul concurrat ad ipsum causandi actum; imo sicuti idẽ in 8. huius operis c. 5. tex. 41. & auctor libri de causis propos. prima docent, causa prior plus & efficaciùs mouet, quàm posterior: sed Deus est suprema & prima causa, cui essentialiter, ac per se subordinari oportet omnia agentia creata. Igitur nullum agẽs infra Deum aliquam edere potest actionem, quin Deus in eam proximè influat.

Contextus causarum essẽtialiter sub ordinatarũ.

Prima causa efficaciꝰ mouet.

Secundò, Idem suadetur, quia nisi Deus hoc modo cõcurreret cũ causis secũdis, nequiret earũ naturales actiones impedire, nisi obijciendo contraria, quod tamen & diuinæ potentiæ derogat; & aliter factum esse innuitur Sapientiæ 11. vbi diuinæ literæ narrant Babylonicæ fornacis ignem suaui Dei dispositione propriæ virtutis oblitum fuisse ne combureret.

Tertiò, Quia non minus requiritur ad vnamquãq; rẽ producendã quàm

quàm ad eam tuendam & conseruandam. Quare si effecta causarum secundarum, vt fuit à nobis superius demonstratum, sine influxu Dei ea proximè tuentis nec momẽto consistere queunt, certè nec produci sine eodem influxu poterunt. Ad extremum idem nos sacra pagina docet, vt illud in lib. Iob. capit. 10. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu, & in psal. 146. Qui producit in montibus fœnum, & Ioan. 1. Omnia per ipsum facta sunt, & Act. 17. In ipso viuimus, mouemur, & sumus. Denique passim diuinæ literæ actiones causarum secundarum Deo ascribunt, vt nimirum intelligamus eas non solùm à Deo vnà cum causis secundis proficisci, sed ad ipsum, vt ad principem causam eas attingentem, esse referendas.

Non minùs requiritur ad rẽ producendam, quàm ad eam conseruandam.

Corroboratur conclusio testim. sacræ pag.

ARTICVLVS III.
OCCVRRITVR PRIMI articuli argumentis.

DIluamus nunc argumenta, quibus oppositum eius conclusionis, quam articulo proximo statuimus, probari videbatur.

Ad primum, concesso antecedente neganda est consecutio, & ad eius confirmationem respondendum, eatenus dici Deum agere medijs causis secũdis, quatenus vnà cũ illis operatur. Quod tamẽ non impedit quominùs ipse & omnibus agentibus intimè præsens sit, & eorum actiones, atque effecta immediatè attingat. Itaque inficiandum est agere immediatè esse agere absque medio istiusmodi, hoc est, non adhibendo ad operationis consortium aliud agens.

Sol. 1.

Quo sensu dicatur Deus agere medijs causis secundis.

Ad secundum respondendum est nulli creaturæ cõmunicari potuisse, vt sine concursu primæ caussæ ageret; quemadmodum nec concedi potuit, vt absque illo permaneret. Esset enim, ac non esset creatura: esset, quia ita ponitur; non esset, quia res creatæ ex natura sua, etiam quoad operationem, habent ordinem essentialis dependentiæ à primæua caussa totius esse, cuius participata similitudo sunt. Atque vt D. Thomas in quæst. de potent. quæst. 3. art. 7. ait, quemadmodum instrumento artis, vt securi, tribui nequit, vt absque fabri motione per se atque ex suamet forma artis opera moliatur; ita neque agenti creato, quod velut instrumentum diuinæ artis est, donari potuit, vt absque summi artificis influxu actionem ederet. Quod verò obijcitur, effecta causarum secũdarum non excedere earũ vim, fatendum id quidem est modò ponatur cõcursus primi agentis. Quod itẽ aiũt, interdũ rei, quæ causã produxit, effectum causæ attribui, ita sanè res habet; sed enim Deo non solùm ob

Sol. 2.

Cur creaturæ absq; Dei cõcursu agere non possint.

id aſcribenda ſunt effecta cauſſarum ſecundarum; ſed quia ipſe eorum productionem neceſſariò attingit ob rationes antè explicatas.

Sol.3. Dei & cauſę ſecundæ eadem actio.

Ad tertium dicendum vnam, eandemque eſſe actionem Dei, & cauſæ ſecundæ; & ad huius impugnationem reſpõdendum, quanuis vna actio nequeat habere plures fines internos perfectos; quia huiuſmodi finis eſt idem cum forma, quæ acquiritur; poſſe tamen habere plures externos totales, etiam non ſubordinatos. Idem nãque opus in gratiam duorum amicorum effici poteſt, ita vt non minùs ob alterum tantùm, quàm propter vtrunque ſimul fiat (in quo ſimilitudo inter finem, & efficiens locum non habet) multò autem notius eſt poſſe eandem actionem plures habere fines ſubordinatos, quorum ſcilicet vnus ad alterum referatur, vt cùm quis ob pecuniam, vt huius interuentu honores obtineat, literis nauat operam. Atque ita ex analogia finium neutiquam concluditur non poſſe vnam actionem elici à duplici cauſſa principali, & perfecta immediatè operante, ſi vna alteri ſubordinata ſit; quo pacto ſe habent cauſsa prima & ſecunda. Licet enim vtraque in ſuo genere perfectionem habeat; prima quidem ſecundum rationem vniuerſalis concurſus, ſecunda ſimiliter in ſuo gradu & ordine ſecundum rationem concurſus particularis; nihilominùs ſecũda primæ ſubijcitur, ac ſubordinatur. Quæ ſubiectio efficit, vt ambę quaſi vnius agentis vim obtineant. Nãque, vt Caietanus 1.p.q.52.art.2. rectè ait, eæ duntaxat cauſsæ partiales cenſentur, quæ in eodem cauſsæ genere, eodemque ordine ad vnam illius generis cauſsam integrandam confluunt, ita vt neutra pendeat ab altera in agendo; vt cùm duo homines lapidem vehunt; hoc autem modo non concurrunt Deus & cauſsæ ſecundæ, vt ex dictis patet.

Cauſsa prima, & ſecunda, in ſuo ordine-pfectæ.

Cauſsæ partiales quę.

Quo ſenſu Deus & cauſsę ſecũdę poſſint ſimul dici cauſsę integrę, & partiales.

Poterunt tamen Deus & ignis, verbi cauſſa, cùm ad producendum calorem concurrunt, dici ſimul in quodam ſenſu & integræ, & partiales cauſsæ. Integræ, tum ob rationem antè explicatam; tum quia quælibet totum calorem gignit. Non enim inter ſe caloris gradus partiuntur, vt illa hos, hæc illos producat: ſed vnaquæq; totum efficit calorem. Partiales, quatenus nec ſecunda ſine prima, nec prima ſine ſecunda, eo præcisè influxu, quem tunc adhibet, eiuſmodi calorem produceret. Licet enim Deus eundemmet calorem, quem ſimul cum igni profert, ſe ſolo poſsit efficere; non tamen eum efficere valet eo tantùm concurſu, quem dum cum igni operatur, exhibere ſolet; ſed alio efficaciori, qui ígnis influxũ ſuppleat, & compenſet; quicquid in contrariam partem ſcripſerint quidam è ſchola Nominalium; & Antonius Cordubenſis lib.1.quæſt. Theologicarum quæſt.55.dub.4.

Cõſule Greg. in 2.d.35.q.1. art.3.

Platonicis cauſsas ſecũdas, non tam eſſe cauſsas, quàm inſtrumenta cauſsę primę.

Pro explicatione quarti argumenti ſciendum eſt Platonicum dogma fuiſſe cauſsas ſecũdas, ppriè, ac ſimpliciter cauſsas nõ eſſe, ſed inſtrumẽta primę cauſsę dũtaxat, vt legere eſt apud D. Damaſcenũ

in ſua

in sua Philosophia cap.9. vbi hac in re veteri Academiæ suffragatur, item apud Simplicium hoc in lib.ad tex.29.Ficinum libro 2.de Immortalitate animorum,cap.11.& Bessarionem libro 6. contra Calũniatorem Platonis cap.2. At Peripatetici caussas sectũdas,vt par est, absolutè,& propriè caussas vocant: quia licet à caussa prima depẽdeant (quod Platonicis vt eis caussarum nomen non absolutè concederent, persuasit) in suo tamen genere perfectam caussalitatem obtinent. Oppositum videri Aristotelicis & meritò.

Si quis autem roget,nũ simul &caussæ simpliciter,& instrumenta Dei, non coniuncta, cuiusmodi est calor respectu ignis; sed separata,dici queant? Respondemus,quod iam alibi diximus,posse quidem eas appellari aliquo modo instrumenta,quatenus earum interuentu Deus agit: cæterùm si instrumentũ propriè sumatur,instrumenta non esse,vt rationes in argumẽto adductæ concludunt.Itaq; negandum est, vt caussæ secundæ instrumenta primæ dicantur, sat esse hanc per illas, vt per inferiores, sibique subiectas agere. Si cui tamen placuerit caussas secundas instrumenta primæ absolutè vocare; is argumento concedat, quod assumit, & ad eius impugnationem dicat eas conditiones,quæ inibi exprimũtur,non in omnibus,sed in vulgaribus artium instrumentis,& ijs,quæ partitularibus caussis obseruiunt,reperiri. Verùm quia secunda huiusce argumenti pars difficultatem quandam attingit de motu caussarũ secũdarum à primo agente, ea de re seperatim à nobis quæstio instituetur. Dubit. Resp. Sol.4. arg.

QVÆSTIO XIII.

VTRVM NE DEVS ALIQVA PRÆVIA motione caussas secundas ad agendum excitet?

ARTICVLVS I.

QVÆ ARGVMENTA AFFIRMATIVAM partem astruere videantur.

CIrca modum,quo Deus cum caussis secundis ad earum operationes & effecta concurrit, discutienda se offert celebris opinio D.Thomę 1.p.q.105.& in prima secundæ q.109.art.1.& quæst.3.de potentia art.7.eiusque sectatorum, Capreoli in 2. d. 1. q.2. Ferrariensis 3.contr.gent.c.70. & aliorũ existimãtiũ omnes caussas secundas antequam operentur accipere à Deo influxũ quendã,& motum; qui sit quasi esse intentionale virtutis diuinæ,quo ad promendas actiones excitentur; eo modo, quo artium Sententia d. Tho.& aliorum.

instrumenta,vt dolabra,& securis præuiam motionem à fabro accipiunt,cùm ad opus conficiendum applicantur.Namque esto dolabra præacuta sit, & ad expoliendũ lignum idonea, haudquaquam tamen id expoliet,nisi artificis impulsu, motuque cieatur.

Habet autem in primis hæc sententia pro se commune illud Peripateticæ scholæ effatum; quod etiam inculcat D. Augustinus 8. de Genes.ad lit.capit.20.& 5.de Ciuit.Dei cap.9.scilicet proprium esse primi,supremique motoris mouere non motum; sicuti & primi alterantis,idest,cœli,alterare, cùm ipsum non alteretur.Si enim ita sit,consequens erit, vt cæteræ causæ non moueant, nisi moueantur: quod etiam disertis verbis affirmat Aristoteles 7.huius operis libro cap.1.& lib.8.cap.5.At si causæ secundæ non mouent nisi motæ, sanè oportet eas antequam aliquid moliantur, præuio illo influxu concitari.

August.

Philosophicũ axioma.

Aristot.

Item Causa prima non solùm est prima in essendo, sed etiam in operando, atque ita priùs natura agit, quàm causæ secundæ: hæc autem naturæ antecessio non cernitur in cõcursu diuino circa ipsã actionem causarum secundarum,cùm eiusmodi actio tota sit à Deo & à causis secundis,nec vlla eius pars priùs à Deo, quàm à causis secundis attingatur. Oportet igitur aliam dari actionem à Deo, vt ab integra causa,priùs natura elicitam; nempe eam,qua agentia secundaria ab ipso excitentur,& moueantur.

Præterea Causa secunda cùm operatur, communi Philosophorum assensu dicitur maiorem acquirere perfectionem, quàm cùm in otio est: hæc autem perfectio non consistit in ipsa actione,quam edit,quia calefactio ignis,verbi gratia, cæteræque actiones transeũtes,non sunt in agente; sed in re, quæ patitur,vt suo loco planum fiet.Aliquid ergo in se recipit causa secunda dum agit, quod eam perficiat: hoc autem nõ videtur esse aliud, quàm influxus ille,quo in actu primo constituitur, expediturque ad eliciendam actionem. Quare non videtur negandum dari prædictum influxum.

Causa secũda dum operatur magis perficitur.

ARTICVLVS II.

CONFVTATIO SVPERIORIS SENtentiæ,& argumentorum, quibus nitebatur, dissolutio.

HAEC tamen sententia non videtur probanda. In primis quia absq; necessitate res multiplicat. Vt enim verbi causa,ignis calorem producat,supposita naturali eius vi,& idoneo subiecto ad recipiendum calorem, alijsque vulgatis circunstantijs, fictitium est, ac superfluum quicquid amplius de nouo ex parte Dei desideratur, præter concursum in actionem & calorem, qui produ-

Prima ratio.

producitur. Nec vlla probabilis ratio affertur, cur istiusmodi influxus vnà cum influxu ignis non satis sit ad producendum calorem: præsertim cùm illud, quod vocant esse intentionale diuinæ virtutis, & præuio illo motu induci inquiunt, necessariò sit quidpiam creatum, nec videatur posse esse aliud, quàm qualitas, quæ non minùs, quàm ignis, indigebit alio concursu ad operandũ, sicq; dabitur progressus in infinitum.

Secundò, quia si res creatæ nihil omnino absque præuia illa excitatione moliri queunt, sequitur excitari, inuitariq́ue à Deo voluntatem, etiã ad actus vitiosos; quod nemo dicat. Plura ad hanc opinionem refellendam argumenta habes apud Ludouicum Molinam in sua Concordia quæst. 14. art. 13. disput. 26. 2. ratio.

Iis, quæ in aduersam partem adducta sunt, non erit difficile respondere. Nam quod afferunt de artium instrumentis, vt de securi, quæ sine præuio impulsu haud quaquam artificiosam sectionẽ edit, ita est; sed non eodẽ modo se habent alia agentia, quæ vel sibi propriam, innatamq́ue virtutem ad operandum obtinent, vt ignis; vel sunt ipsa agẽdi virtus, vt calor. Hæc enim aduentitio illo motu, quo ad exequendam actionem applicentur, non indigent, vti superiùs declaratum fuit. Ocurritur aduersariorũ rationibus.

Illud autem Peripateticæ disciplinæ proloquium, quo Thomistæ maximè innituntur, sic interpretandum est, vt proprium sit supremi motoris mouere non motum, hoc est, agere independenter ab altiori causa. Quo item sensu causæ secundæ non mouent nisi motæ, hoc est, nisi dependenter à primo agente, quod vnà cum ipsis operatur. Quo sensu dicatur propriũ primi mouentis mouere nõ motũ.

Quod de prioritate diuini cõcursus obijciunt, parum habet momenti. Nullo pacto concedendum est Deum priùs natura agere ratione alicuius prioris concursus, quem directò immittat in causſam agentem, vt eam corroboret, & ad operandum excitet; cùm is nõ detur. Nec etiam ratione illius, quo actionem, & effectum causſæ secundæ immediatè attingit, quasi aut totum, aut aliquam eius partẽ per se priùs producat absque consortio causſæ secundæ. Fatendum tamen est Deum secundum istiusmodi influxum priùs agere, duplici consideratione. Vna est, qua priora natura dicuntur, quæ perfectiora sunt, quo pacto se habet diuinus concursus, qui causſarum secundarum concursu multò est excellentior. Altera est, qua priora vocamus ea, à quibus non retro commeat consecutio. Nec enim si detur concursus diuinus absolutè, sequitur dari cõcursum ignis; etsi contra ex eo, quod detur concursus ignis, rectè colligatur dari diuinum concursum. Ad harum verò prioritatum rationem nõ opus est totum causſarum secundarum effectum, aut aliquam eius partem, priùs à Deo, quàm à causis secundis produci, vt planum est. Bifariam posse dici Deum agere priꝰ natura, quã causſam secũdã.

Traditur hęc à Scot. in 1. d. 3. a Caiet. 1. p. q. 8 art. 1.

De hac excellẽtia D. Tho. in 1. d. 1. q. 1. art. 4. Auerroes super 1. & 4. propoſit. lib. de causis.

Quod vltimo loco obiectum fuit, ita dilues. Non dicuntur agentia naturalia dum agunt, nouam acquirere perfectionem, qua tunc consti

Quo pacto agentia naturalia dicātur denuò perfici dū agunt.

constituantur in actu primo: in hoc enim sunt per formas iam antè sibi inditas, quarum interuentu agunt. Dici tamē possunt denuò perfici merito actionum, quas edunt; idque dupliciter; vel perfectione intrinseca, idest, ipsis inhærente, cùm agunt per immanentē actionem; vel extrinseca, cùm per transeuntem. Nam quòd etiam actio transiens sit perfectio agentis creati, ex eo patet, quia maximum est creaturarum ornamentum primam caussam imitari, quod præstant dum agendo sese alijs communicant; adeò vt D. Dionysius 3. cœlestis hierarchiæ dicat omnium diuinissimum esse Dei cooperatorem fieri. In quam sententiam lege quæ tradit S. Thomas lib. 3. contra gent. cap. 19. & Auerroes 12. Metaph. comm. 36.

D. Dionys.

An actio trāsiēs sit perfectio agentis disputat Capr. in 4. dist. 49. q. 1. art. 3. Cai. 1. p. q. 44. a. 4. Fer. 2. contra gēt. cap. 9.

QVÆSTIO XIV.

VTRVM DEVS IMMEDIATIONE virtutis, & suppositi cū omni agente creato operetur.

ARTICVLVS I.

QVID SIT AGERE IMMEDIAtione virtutis, & suppositi.

In quolibet agēte duo insunt.

VT propositam dubitationem expediamus, sciendum est quemadmodum in quolibet agēte duo cernuntur, nimirum virtus, per quam operatur, vt in igni calor; & res ipsa, quæ principaliter denominatur agere, vt ignis; ita, quod ad præsentem attinet disputationem, bifariam dici agens immediatè agere: vno modo, immediatione virtutis; altero immediatione suppositi, id enim est quod principaliter, & vt quod, operari dicitur. Illud agit immediatè immediatione virtutis, quod agit per virtutem non aliunde sibi communicatam, siue patiens immediatum sit agenti, siue ab eo distet. Exemplum prioris immediationis secūdum virtutem cernere est in igni cùm per ingenitum, sibique proprium calorem aquam attiguam excalfacit: Posterioris in sole, cùm, lumine per intermedia corpora traiecto, terram illuminat.

Actio immediata immediatione virtutis.

Virtutis mediatio.

Agere mediatè mediatione virtutis, est per virtutem sibi commodatam operari, siue item patiens distet ab agente, vt cùm orbis lunæ lumen sibi à sole immissum in aerem iaculatur; siue non distet, vt cùm idem orbis prædictum iubar in sphæram ignis demittit.

Actio immediata immediatione suppositi.

Quod ad rationem suppositi attinet; id agit immediatè immediatione suppositi, inter quod & ipsum effectum, siue rem patientem, nullum

nullum aliud ſuppoſitum, hoc eſt, ſingulare per ſe ſubſiſtens, interiectum eſt, quo pacto aqua manum, quam abluit, refrigerat.

Id agit mediatè mediatione ſuppoſiti, inter quod & effectum, ſiue rem, quæ patitur, aliud cadit ſuppoſitum, vt inter fabrum, & ſtatuam, ſecuris. Mediata mediatione ſuppoſiti.

ARTICVLVS II.

DEVM VTROQVE MODO immediatè operari.

Lege D. Th. 1 ſent. d. 37. q. 1. art. 1. & 3. cõtra gent. cap. 68.

HIs animaduerſis, reſpõdemus Deum cum quouis agente creato operari immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti. Quæ aſſertio quoad priorem partem ex eo conſtat, quia virtus diuina nõ eſt aliunde communicata; quin potiùs omnis rei creatæ virtus à Deo effluxit, atque eo pacto eſt virtus creaturæ, vt Dei quoque virtus ſit. Vnde intelliges nullam rẽ creatam, ſi cum Deo comparetur, agere poſſe immediatione virtutis; quanuis ſi vna cum altera conferatur, poſsit. Poſterior pars concluſionis liquet ex eo, quia inter Deum, & effectum rei creatæ, ſiue rem, quæ patitur, nõ eſt intermedium aliquod ſuppoſitum, cùm tam Deus, quàm ignis, verbi cauſſa, dum calorem producunt, ſecundum ſuam ſubſtantiam immediata ſint manui, quę calefit, cũque ipſam caloris productionẽ immediatè attingant, vt ex ijs, quæ à nobis ſuperiùs diſputata ſunt, planum eſt. Concluſio.

Nonnulli tamen, è quorum numero eſt Ferrarienſis ad cap. 70. libri 3. contra gent. contendunt vt aliquid cenſeatur agere immediatione ſuppoſiti requiri præterea, vt per aliud ſuppoſitum non agat; nec ſufficere immediatè ſecundum ſubſtantiam attingere effectum, & rem, quæ patitur. Negant igitur Deum, dum vnà cum ſubſtantijs creatis operatur, agere immediatè immediatione ſuppoſiti. Verùm, etſi non multùm referat quo quiſque modo loquatur, ſi de re conſtet; nos tamẽ priorem explicandi rationem, quæ vſurpatior eſt, amplectimur. Nec quod obijciunt, momentum habet, videlicet ſi dicamus Deum omnia effecta cauſſarum ſecundarum operari immediatione ſuppoſiti, ſequi tolli ordinem cauſſandi inter Deum & ſuppoſita creata: eo quòd non videatur ſeruari ordo cauſſandi inter ea, quæ immediatè agunt. Non habet, inquam, momentũ: quia eiuſmodi ordo non conſiſtit in eo, quòd ſuppoſita creata attingant per ſe ſuos effectus; & cauſſa prima non niſi per ſecũdas: ſed in eo, quod omnia agentia creata, & ſuppoſita omnia dependeant à prima cauſſa, vt à fonte totius eſſe, ita vt citra illius opem, & influxum nec cõſiſtere valeãt, nec vllam operationem exequi, vti iam ſupra declaratum fuit. Quorũdam Opinio. Improbatio. Ordo agendi inter Deũ, & ſuppoſita creata in quo conſiſtat.

QVAE-

QVÆSTIO XV.

VTRVM CAVSSA PRIMA ACTIONEM secundæ, an secunda actionem primæ determinet?

ARTICVLVS I.

QVIBVS ARGVMENTIS VIDEATVR neutram ab altera determinari.

Duplex actionum determinatio.

DVPLEX est, quod ad propositam difficultatẽ spectat, actionum determinatio; vna secundum speciem, altera secundum gradum naturæ singularis. Tunc caussa vna actionem alterius secundum speciem determinat, cùm generalem illius rationem, & indifferentiam ad certam speciem vocat, & contrahit; ideſt, cùm ea causſa, quæ ex sese tam vnius, quàm alterius speciei actionem indiscriminatim edere potuisset, ab alia limitatur, vt huius certæ speciei, non alterius producat actionem. Similiter tunc causſa vna actionem alterius secundum gradum naturæ singularis determinat, cùm ea, quæ sub eadem specie ad hanc vel illam actionẽ indeterminata erat, ad hãc certam singularẽ trahitur & definitur.

Secundum speciem.

Secundũ gradum naturæ singularis.

Hoc posito inuestigandum in præsentia est, quonam pacto causſa prima & secunda in actionibus hunc in modum determinandis sese habeant. Non quærimus autem quid eiusmodi actiones formaliter specificet: id enim intrinsecè quidem præstat essentialis cuiusq; differentia; extrinsecè verò obiecta, à quibus actus in genere causſæ formalis extrinsecæ speciem sortiuntur. Sed nimirum in quæstionẽ vocamus vtra prædictarum causſarum alterius actiones efficienter determinet. Porro autem quòd alienum sit à veritate id, quod cõmunis Philosophantium schola asserit, nempe causſam secundam determinare actionem primæ secundum speciem, hunc in modum probatur. Id determinat secũdum speciem, à quo gradus specificus principaliter tribuitur: sed hic tribuitur principaliter à prima causſa, cuius influxus est præcellentior, quæque fons est totius esse, tam specifici, quàm singularis. Non igitur causſa secunda actionem primæ eo pacto determinat.

Sẽsus propositę quæstionis.

De Determinatione secũdum speciẽ.

Secundò. Vnus, idemque influxus diuinus secundum speciem sat est omnibus actionibus causſarum secundarum perficiendis, sicuti vna, eademque specie illuminatio sufficit ad producendam lucem,

& ca-

& calorem,& multarum ſpecierum animantes,quæ ex putri materia obueniunt. Non eſt igitur cur dicamus diuinum concurſum trahi ad diuerſas ſpecies.

Iam quòd cauſsa prima nõ determinet, vt multis visũ eſt,actionem ſecundæ quoad gradũ naturæ ſingularis, hiſce argumentis videtur concludi. Vel eiuſmodi gradus eſt à Deo,& à cauſsa ſecũda; vel à Deo tantùm: Si à Deo,& à cauſſa ſecunda; non eſt igitur cur ſoli Deo tribuatur. Quòd autem non tantùm à Deo ſit,apertè conuincitur. Primùm quia cùm gradus naturæ ſingularis idem re ſit cũ gradu ſpecifico; impoſsibile eſt produci hunc à cauſſa ſecũda, illũ verò à Deo tantùm absque ſecundæ cauſsæ conſortio: quæ enim re non diſsident, neque productione diſtingui poſsunt. Item, quia ſequeretur cauſsas ſecundas non tendere per ſe in ſuppoſita, id eſt, in ſingularia per ſe exiſtentia. Quo enim pacto in ea per ſe ferri poſſunt,ſi non eliciunt actiones,quibus illa per ſe efficiuntur? Tertiò, quia nulla ratio afferri poterit,cur non idem ſingularis effectus ab eadem cauſsa diuerſo tempore; vel à diſtinctis eodem,producatur, ſi ſingularitatem ipſam ordinaria lege Deus contribuit. Accedit teſtimonium Ariſtotelis hoc in lib. c.3.tex.38. & lib.5.Metaph. c. 2. tex.3.vbi docet particulares effectus ad particulares cauſsas eſse reducendos. Quare non eſt cur ſingularitas ad primam cauſsam,quæ maximè vniuerſalis eſt,referatur.

De determinatione quoad ſingularitatem.

Ariſtot.

ARTICVLVS II.

QVÆSTIONIS ENODATIO.

Conſule D. Tho 3. cõtra gent. c.66. & in 2.d. 1. q.1. art. 4.

PROpoſita difficultas duabus concluſionibus explicanda eſt. Prima ſit. Actio cauſsæ primæ determinatur quoad ſpeciem ab actione cauſsæ ſecundæ. Hæc concluſio videtur Philoſophorum omnium communis; patetque ex eo,quia cùm cauſsa prima in ſe ſpectata poſsit hominem, & aquilam, cæteraque eiuſmodi ſine diſcrimine producere; ratio cur cum homine non aquilam,ſed homi nem; cum aquila non hominẽ,ſed aquilã procreet; non alia ſanè eſt, niſi quia eius concurſus à concurſu hominis,vel aquilæ ad huius potius,quã alterius ſpeciei actionẽ,effectũque producendũ definitur, & contrahitur. Ac de eiuſmodi determinatione locutus eſt D. Dionyſius 4.de diuinis nominibus,vbi ſcripſit Deũ vniformiter operari omnia; diuerſitatem autem effectorum eſſe à cauſsis ſecundis: quẽadmodum ſol ex ſe vniformiter illuminat; ac quòd ãlijs aliter lucẽ impertiat,à diuerſitate ſubiectorum proficiſcitur. Hæc aſſertio intelligenda eſt de ijs tantùm actionibus,& effectis,quæ à cauſsa prima concurrentibus ſecundis adminiſtrãtur:quæ enim à prima duntaxat oriuntur,planum eſt non aliunde determinari.

1.concluſio.

Probatio.

Dionyſ.

De quibus actionibus & effectis ſit intelligẽda cõcluſio.

Secunda concluſio. Actio cauſsæ ſecũdæ determinatur per ſe primò

2.conclu.

mò à Deo quoad ſingularitatem. Hanc tuentur pleriq́ue de ſchola Nominalium,& è iunioribus Philoſophis, Theologisque nonnulli. Suadeturque in hunc modum. Hic ignis, verbi cauſsa, ex ſe non eſt determinatus ad certã numero calefactionem, tum quia poteſt multas elicere, vt patet; tum quia natura non intendit definitè hoc ſingulare, vt alibi ex Auicẽna docuimus. Igitur vt hanc calefactionem determinatè edat, oportet aliunde determinari. Sed in cauſsis ſecũdis nihil eſt, à quo determinari poſsit; recurrendũ eſt ergo ad cauſsã primã, quæ ipsũ virtutis ſuæ efficacitate determinet: cuius certè eſt ordinaria, ac ſtata lege hunc quaſi defectum naturæ ſupplere. Probatur minor; quia tam cœleſtis influxus, quàm cæteræ cauſsæ effectrices, quæ quoquo modo cum igne concurrere poſsunt, indifferenter ſe habent ad hanc, vel illam calefactionẽ edẽdam. Item materia, in quam ignis agit, ex ſe ad quamlibet recipiendam apta, idoneaque eſt. Similiter locus nihilo magis ad vnam calefactionem, quàm ad alteram facit. Nec putandum hanc determinationem, ſi non à ſingulis circunſtantijs, ſaltem ab earum omnium complexu, id eſt, ab hoc agente, hoc cœleſti influxu, hac materia, hoc loco, cęterisque huiuſmodi in vnũ collectis, tribui poſse. Hæc enim omnia, vt non ſingulatim ſolùm, ſed vniuerſim quoque ſumpta, multis cõmunia ſunt; ita non poſsunt reddere aliquid ita vni proprium, vt multis non conueniat. Nec deniq́ue ſat eſt confugere ad durationem, ſeu verã, ſeu imaginariã; quaſi propterea ignis hanc potius calefactionem edat, quàm aliam; quia agit dependenter ab hac duratione. Primùm, quia exiſtimare tantam ineſſe durationi vim, vt quod aliarum circunſtantiarum collectio præſtare non potuit, ipſa perficiat; fictitium eſt, & ridiculum. Deinde, quia duratio ſeu vera, ſeu imaginaria, vera rei cauſsa non eſt; ſed menſura potiùs, & affectio, quæ rem iam conſtitutam, & determinatam ſequitur.

Greg. in 1. d. 17. q. 4. art. 7. ad 7. & d. 31. q. 1. art. 1.

Determinatio actionis cauſæ ſecundę quoad ſingularitatẽ nõ eſt ab efficiẽte creato.

Nec à materia.

Nec à loco.

Nec à prędictis circunſtãtijs ſimul sũptis.

Nec à duratione.

Porrò ad clariorem notitiam eorũ, quæ diximus, nonnulla animaduertẽda erunt. Primũ eſt, ad eandẽ cauſsã pertinere determinationem actionis quoad gradũ naturæ ſingularis, & determinationẽ effectus quoad eundem gradum. Namque eadem indifferentia cernitur in hoc numero agente, in hoc ſubiecto, in hoc loco, in hoc tẽpore, vel momento, & in tota collectione harum circunſtantiarũ ad productionem caloris, verbi gratia, quæ cernitur ad calefactionem eliciendam, vt conſideranti planum eſt.

Determinatio actionis, & effectus ad eãdem cauſsam pertinẽt.

Secundò obſeruandum, cùm dicimus hunc ignem indifferentem eſse ad hanc, vel illam calefactionem, hunc vel illum calorem producendum, id non ita debere accipi, quaſi hic ignis ad omnem prorſus calefactionem, calorẽque producendũ indifferens ſit. Non enim ita res habet; cùm hic ignis, eſto indifferens ſit ad educendos ex hac materia infinitos calores; non tamen ſit indifferens ad educendos eos, qui ab alio igni educi poſsunt; ſiquidem omnis forma ſingularis naturalem habet dependentiam à definito agente particulari,

Quælibet forma ſingularis pendet à deſignato agẽte.

quod

quod 5. Metaphysicorum lib. ostendemus. Sed nimirum sic id accipiendum est, vt cùm quilibet ignis possit multas calefactiones, multosque calores edere, ex se tamen ad quemlibet horum, qui ad se pertinent, indifferens sit.

Tertiò, sciendum actionum, & effectorum singularitatem non ita à Deo præfiniri, quasi tantùm ab eo indiuidualis differentia effectiuè tribuatur. Nam cùm tota actio, & totus effectus causarum secundarũ simul à Deo, & à causis secundis procedat, impossibile est differentiam indiuidualem, quæ est idem re cum eo, quod cõstituit, non produci simul à causis secundis. Dicitur ergo à Deo singularitas præfiniri, quia Deus videns causam secũdam esse veluti in procinctu, vt exeat in actum certæ alicuius speciei, simulque esse prorsus indifferentem ad plures singulares actus sub tali specie, nec habere vnde se ad vnum potius, quàm ad aliũ determinet, huic perplexitati occurrit efficacitate suæ voluntatis præfiniendo qui nam actus singularis, hoc loco, & tempore, momentouè exercendus sit sub illa specie, ad quam causa secunda se determinat. Rationem autem, modumque eius præfinitionis sic licet mente concipere. Vidēs Deus positis illis circunstantijs concurrendum sibi esse ad eam speciem actus ex lege ordinaria, qua decreuit non destituere suo auxilio agens creatum, præfinit concursum indiuiduum, quo sibi placet influere. Quia verò non diuerso, sed eodem numero cõcursu, actioneuè Deus, & causæ secundæ influunt in ipsius causæ secundæ effectum, vt supra explicauimus, fit, vt concursus etiã agentis creati determinetur in gradu indiuiduo, vt videlicet potiùs sit hic, quam ille alius eiusdem speciei, qui in illis circunstantijs indiscriminatim exhiberi posset. Atque ita quòd actus, & effectus, hic potius sit, quàm alius numero solo diuersus, in ipsum Deum resoluitur.

Singularis differentia non producitur à Deo tantùm. Sed simul etiam à causis secundis.

Quo pacto singularitas à Deo præfinitur.

Quod si quis obijciat videri ex dictis sequi essentias habere causam efficientẽ, cùm dicamus differentiã indiuiduã, quę est pars essẽtiæ rerũ singulariũ, produci per se primò à Deo determinãte, & à causa secũda determinata. Occurrendũ erit proloquiũ Philosophorum affirmãtiũ essentias nõ habere causã efficiẽtẽ, intelligi de cõnexionibus essẽtialibus, qualis est inter hominẽ, & animal particeps rationis; quæ cùm nõ sint aliud formaliter, quàm relationes idẽtitatum, fundamẽtaliter verò negationes diuersitatis, vt doctè explicat Fonseca lib. 5. Metaphy. c. 5. q. 1. sect. 4. nequeũt ab vlla causa effici. Verùm id non impedit quo minus ipsi termini essẽtiales, cuiusmodi est differẽtia indiuidua cuiusq; actionis, & effectus, cùm in rerũ natura sub actu existentiæ ponũtur, effectrices causas sortiantur.

Obiectio.

Dilutio.

Quo sẽsu ponũtient Philosophi essentias non habere causam efficientem.

ARTICVLVS III.

SOLVTIO RATIONVM, QVÆ initio propositæ fuerant.

NVnc quo pacto primi articuli argumentis occurrendum sit videamus. Ad primum neganda est minor propositio. Non enim eius est determinare secundum speciem, ad quod pertinet gradum specificum principaliter tribuere; sed eius, quod definit, trahitque causam vniuersalem, vt huius potiùs, quàm alterius speciei operationem, effectumque producat; quo pacto se habet causa secunda ad primam; cùm tamen causa prima ipsum esse specificum, vt præstantior & principalior causa, rei genitæ conferat.

Ad secundū, dicendum est, cùm diuinus concursus nō sit aliud, quàm externa Dei actio, & hæc in eundem feratur terminū, in quē actio causæ secundæ, vt in calorem, dum concurrit cum igne calefaciēte; & in leonē, dum cōcurrit cum leone generāte; fieri nō posse vt vnus cōcursus diuinus secundū speciē satis sit omnibus secūdarū causarū actionibus perficiendis; esto eadē specie illuminatio sufficiat ad producendam lucem, deinde lucis interuentu calorem, tum caloris ministerio variarum specierū animantes ex putrescente materia. Ratio discriminis palam est, quia non repugnat vnam, eandemque rem singularē esse principiū siue instrumentariū, siue principale actionū, effectuūque specie differentium; cùm tamen repugnet eandē specie actionē ferri in terminos specie diuersos.

Cur diuinus cōcursus non sit vbiq; vnus specie.

Rationes verò, quæ probare nitebantur determinationem ad gradum naturæ singularis, non esse à causa prima, facilè soluet qui dixerit; ad primam quidē, eiusmodi gradū etiā à causis secundis tribui, vti expositum; sed ita, vt illæ ad eum conferendū à prima determinentur. Ad 2. agentia creata præfinita concursu primæ causæ determinantis tendere in singularia per se existentia; quia sic actiones edunt, quibus eiusmodi singularia per se efficiuntur. Ad 3. non posse eundem effectum singularem ab eadem causa secunda diuerso tempore, vel à distinctis eodem tempore produci: quia effectus singularis pendet ab hac numero actione, qua gignitur; & hæc actio ab hac numero duratione, in qua elicitur, etsi duratio non cōferat illi tanquā vera causa singularitatē, vt suprà ostēdimus; sed tantūmodò sit occasio, conditio, & indiciū singularitatis vt 2. de gener. planiùs, & enucleatius dicetur. Præterea hic singularis effectus habet necessariā cōnexionē cū sua causa; licet ab ea in actū deduci nō possit, nisi accedēte diuini cōcursus præfinitione. Neq; his repugnat quod Aristoteles ait de reuocatione particulariū effectuū ad particulares, nō ad vniuersales causas; loquitur enim de causis vniuersalib⁹ in prædicādo, vt de artifice cōparatione statuarij; Deus autē nō est causa vniuersalis in prædicādo, sed in operādo, vt ibidē exposuim⁹.

Gradus singularitatis etiā à causis secūdis tribuitur.

Effectus singularis pēdet per se ab hac singulari actione.

QVÆSTIO XVI.

VTRVM NE RECTE CONCEDATVR aliquid esse, quod diuina potentia fieri non possit?

ARTI-

ARTICVLVS I.

MVLTA EFFVGERE POTENTIAM Dei ordinariam; nihil absolutam; nisi quod contradictionis repugnantiam inuoluit.

EGIMVS hactenus de concursu Dei secundũ ordinariam eius potentiam, nunc de eodem secundũ extraordinariam, siue absolutam potentiam pauca differemus. In primisq; ad explicationẽ huiusce controuersiæ, quæ cæteris quæstionibus ad diuinam potentiam spectantibus, tanquam fundamentum supponenda est, scire oportet etsi potẽtia diuina in se vna, ac simplicissima sit; prout tamen rebus efficiendis cõparatur, in ordinariã, & absolutam diuidi, vt videre est apud D. Thomam 1. p. q. 25. art. 5. & in 3. dist. 1. q. 2. art. 3. Gregoriũ in 1. d. 42. q. 1. Scotũ in 1. d. 44. q. vnica. Capreolum d. 42. quæst. 1. art. 1. Alensem 1. part. quæst. 20. memb. 5. Potentia Dei ordinaria est, quæ respicit communem, & vsitatum cursum, ordinemq́ue rebus inditum. Absoluta, est eadem diuina potentia simpliciter, ac sine vlla limitatione spectata. Quę sit potẽtia Dei ordinaria; quę absoluta.

Hoc posito sit prima assertio. Multa nequeunt fieri à Deo secundum potentiam ordinariam, quæ secundum absolutã possunt. Hæc assertio probatur quoad priorem partẽ, quia exempli causa, si ignis idoneæ materiæ aptè, congruenterq́ue applicetur, nõ potest Deus cum eo non concurrere ad comburendum: quandoquidem id poscit communis, ordinariaq́ue lex, qua rebus creatis eiusmodi concursũ exhibet. Quoad posteriorẽ partem suadetur, quia potest Deus prẽter consuetum ordinem id commune beneficium denegare, vt olim cùm Hebræos pueros in Chaldæorũ fornace seruauit incolumes. Namq́ue vt D. Augustinus lib. 26. contra Faustum cap. 3. monet, edisseritq́ue sanctus Thomas prima parte quæst. 105. art. 6. virtus diuina nequaquam secundarum causarum ordini subiecta est; sed ei potiùs talis ordo subditur, vt qui à Deo procedat non necessitate naturæ, sed arbitrio voluntatis. Potuisset enim Deus aliũ præscribere rerum ordinem; vnde & præter hunc ab ipso constitutum agere potest, cùm voluerit; producendo videlicet se solo tam effecta secũdorũ agentiũ, quàm alia, ad quæ res creatæ pertingere nõ possũt. 1. assertio. D. August. Virtutem diuinã esse supra ordinem causarũ secundarum.

Secunda assertio. Absoluta Dei potẽtia fieri potest quidquid cõtradictionem non implicat. Hæc assertio communi Theologorum, Philosophorumq; assensu in scholis recepta est, & ab omnibus tanquam irrefragabile axioma inter disputandum cõceditur. Probatur 2. assertio.

autem

Probatio ex Richar.

autem à Richardo in 1. d. 42. quæstione septima; quia vbicunq; extrema nõn includunt repugnantiam contradictionis, apta sunt, quãtum ex parte ipsorum est, per aliquam potentiam coniungi, nisi ex parte potentiæ sit defectus, qui in diuina attributa minimè cadit.

Altera probatio ex D.Th.

Idem quoque ostenditur à D. Thoma 1. p. q. 25. art. 3. quia esse diuinum, in quo diuinæ potentiæ ratio fundatur, est infinitum, minimeque limitatum ad aliquod genus entis, sed in se continens perfectionem totius esse. Vnde quidquid potest habere rationem entis comprehenditur sub possibilibus respectu diuinæ potentiæ absolutæ. Nihil autẽ rationi entis opponitur nisi nõ ens, seu quod inuoluit esse, & nõ esse simul. Ex quo sequitur ea omnia, ac sola, in quibus inest contradictio, absolutam Dei potentiam effugere. Itaq; fieri à Deo non potest, vt sex nõ sint bis tria; quia alioqui essent & non essent sex: nec item vt homo non sit animal particeps rationis; quia esset simul, ac non esset homo: nec vt creatura conseruetur sine Deo, quia esset dependens, cùm sit creatura, & non esset dependens ex hypothesi: similiter neque mentiri Deus potest, quia cùm sit ipsa veritas, esset Deus, ac non esset. Atquè hanc rationem D. Dionysius 8. cap. de diuinis nominibus reddit Elymæ Mago quærenti quo pacto à nostro Theologo (intelligebat autem D. Paulum) dictum esset aliquid non posse Deum, si est omnipotẽs: dixerat enim 2. ad Timoth. 2. Deum se ipsum negare non posse. Nempe, inquit, negare se non potest Deus, quia se ipsum negare est à veritate cadere; est autem veritas Deus, atque ita à veritate cadere à Deo est cadere. Lege plura in hanc sententiam apud D Tho. 2. contra gentes cap. 25. Altisiodorensem lib. 1. suæ summæ, Magnum Albertum in 1. sent. dist. 42. art. 4. & 6. Durandum in 1. d. 42. q. 1. & 2. Heruæum quodl. 4. q. 9.

Repugnat cõ seruari creaturam sine Deo.

D.Dionys.

ARTICVLVS II.

ALIA QVÆDAM AD EANDEM sententiam spectantia.

Diuina potẽtia nõ est coarctanda ad angustias nostri intellectus.

D.Ansel.

Mysteria fidei non sunt contra; sed supra lumen rationis.

Augu.

EST autem non segniter obseruandum, cùm an aliquid diuina virtute fieri possit, inquirimus, negatiuam partem nõ temerè, aut ex intellectus nostri mẽsura definiendam esse. Namq; vt rectè ait D. Anselmus 2. lib. Cur Deus homo, Multa potest Deus facere, quæ hominis ratio nequit comprehendere, multaq; sunt fidei mysteria, vt incarnatio diuini Verbi, sustentatio accidentiũ extra subiectum, aliaque eiusmodi, quæ intellectus humanus, nisi cœlesti disciplina sit institutus, negabit posse esse, licet illa re vera non contra, sed supra lumen rationis sint. Vnde D. Augustinus in illa verba primæ ad Corint. primo stultam fecit Deus sapientiã huius mundi.

mundi. Sapientiam, inquit, huius mundi fecit Deus ſtultam, faciẽdo, ac declarando id eſſe poſsibile, quod ipſa iudicat impoſsibile.

Secundò aduertendum eſt, cùm decernimus non poſse aliquid à Deo fieri, id non diuinæ virtutis imbecillitati, ſed ipſius rei defectui, & quaſi impotentiæ aſcribi debere. Namque vt Hugo Victorius 1. lib. de ſacramentis parte 2. cap. 22. ſapienter, & acutè diſputat, nõ minùs potens eſt Deus, quòd impoſsibilia non poſsit; ſiquidem poſſe impoſsibilia nõ eſt poſſe; ſed non poſſe. Itaq; omnia poteſt Deus, quæ poſse potentia eſt. His ſimilia tradidit D. Ambroſius in cap. 23. Numerorum ad Chromatium, D. Auguſtinus lib. 26. contra Fauſtum cap. 5. D. Anſelmus in Proſologio cap. 7. & hos ſecutus D. Thomas 1. p. q. 25. art. 3. vbi admonet ea, quæ contradictionẽ inuoluunt, congruentiùs dici, ipſa ex ſe talia eſſe, vt non poſsint fieri, quàm non poſſe illa Deum facere. Sanè vt nemo imbecillum aſpectũ vocat, qui ſonos nõ videt, nec infirmum auditũ, qui colores nõ audit; cùm hæc non pertineant ad eiuſmodi facultatum obiecta; ita nec diuina potentia debilis cenſenda eſt, quòd ſimpliciter impoſsibilia præſtare nequeat; cùm hæc ſint extra terminos, atque obiecta executricis potentiæ.

Hugo.

Item D. Aug. 15. de Trinit. c. 15. & lib. 1. de Symb. c. 1. D. Anſelmus lib. 1. cur Deus homo c. 17.

Quicquid poſſe potẽtia eſt, poteſt à Deo fieri. Ambroſ. Auguſt. Anſel.

Tertiò nec illud omittendum eſt, quod iam ex dictis facilè quiuis intelliget, nimirum licet potẽtia diuina infinita ſit, non propterea admitti debere poſſe Deum ex ſe id, quod ſimpliciter impoſsibile eſt producere. Etenim cùm productiuum, & producibile (liceat enim ita loqui) ſeſe mutuò reſpiciant, nec aliquid dicatur productiuum, niſi eius, quod producibile eſt, ſi Deus ex ſe eſſet productiuus alicuius impoſsibilis; iam impoſsibile, poſsibile foret.

Non aſſerendũ poſſe Deũ ex ſe id, quod ſimpliciter impoſsibile eſt.

QVÆSTIO XVII.

VNDE PROVENIAT, VT ALIQVID diuina virtute poſsit, aut non poſsit fieri.

ARTICVLVS I.

ENODATIO PROPOSITÆ difficultatis.

LIBET adhuc plenioris doctrinæ gratia ſcrutari diligẽtiùs quo ex fonte oriatur, vt aliquid à Deo factibile ſit, aut non ſit. Quam dubitationem pertractat Henricus Gandauenſis quodl. 8. q. 3. Scotus in 1. d. 43. q. 1. Baſſolius d. 42. q. 2. Omiſsis cõtrouerſijs dicimus producibilitatem eſſe affectionẽ conſequentẽ natu-

Producibilitas paſsio entis veri.

naturam ēntis veri, eo modo, quo risibilitas consequitur hominis naturam. Quare vt essentia hominis caussa est, ratiouè interna, cur homo sit risibilis; ita & natura cuiusque rei est caussa, seu ratio interna, cur produci queat. Quia verò producibile importat ordinē ad productiuum (nihil enim dicitur producibile, nisi quia ab aliquo productricem vim habente effici potest) inde est, quòd nihil censetur producibile, nisi, primò quidē per ordinē ad Deū, qui est prima caussa efficiens rerum omnium, deinde per habitudinem ad agēs creatum, à quo, Deo pariter concurrente, produci potest. In idem recidet si quis dicat caussam, seu rationē, cur aliquid produci queat, esse negationem repugnātiæ terminorum; qualis negatio cernitur, verbi gratia, inter lapidem & candorem; non tamen inter lapidem, & particeps intellectus. Nam ratio cur inter hos terminos, non tamen inter illos prædicta repugnantia versetur, est; quia horum, non illorū natura eiusmodi est, vt eā sequatur producibilitas, siue aptitudo, vt inuicem coniuncti produci valeant.

Quæ sit ratio, cur aliquid produci possit.

Si quis autem petat num ipsa natura terminorū secundū se sumpta, sublata omni existentiæ consideratione, aliquam habeat vlteriorem caussam, ad quam referatur? Respondemus habere, nempe Deum, siue essentiam diuinam, quæ vt est fons & mensura totius esse, ita vnunquodque ens ab ea dependet tanquam adumbrata quędam illius similitudo. Ideoque creaturæ dicuntur à Philosophis relata transcendentia comparatione Dei; quod fieri non posset nisi secundum suam essentiam à Deo penderent. Ea est enim relatorū trāscendentium conditio, vt pendeant essentialiter ab eo, ad quod referuntur. Porro pendent creaturæ secundum se à Deo, vt à caussa exexplari, seu quoad diuinas ideas; non quidem practicas: Etenim vt hæ ad artem diuinam, & ad actionem spectant, ita creaturæ præcisè secundum suas essentias, absque vllo respectu ad existentiam, consideratæ, ab ipsis non pendent: sed secundū ideas speculatiuas, quæ artem, potentiamque diuinam executiuam nostro intelligendi modo antecedunt. Nec mirum, cùm diuina essentia in illo priori perfectissimam rationem totius esse obtineat, resque omnes vt absolutissimum speculum repræsentet, & secundum suos gradus partim formaliter, partim eminenter contineat: atque ideo in prioritate illa non inchoatè duntaxat, vt quidam volunt, sed absolutè, perfecteq; imitabilis iā sit à creaturis, in qua imitabilitate, prout obijcitur diuino intellectui, idearum ratio potissimùm consistit.

Dubitatio.

Responsio.

Creaturæ relata transcendētia ad Deū.

Creaturę præcisè secundū suas essentias non pendent ab ideis practicis.

De ideis speculatiuis cōsule Henricū quodl. 8. q. 1.

His adde non modo simplices terminos, sed eorum etiam sempiternas connexiones habere necessariam dependentiam ab essentia diuina, vt ab ipsarum caussa suo modo, quia quidquid terminorum caussa est, censetur etiam caussa earum affectionum, quæ terminis necessariò conueniunt, quo pacto se habent prædictæ connexiones, siue accipiantur fundamentaliter, & vt sunt negationes diuersitatis prædicatorum à subiectis (licet ita sumptæ, vt non habent entitatē,

Sempiternę cōnexiones pendent ab essentia diuina.

ita

ita nec cauſſam niſi admodùm impropriè, videlicet quatenus eorum conditio fert) ſiue formaliter, quo pacto ſunt reſpectus quidã identitatis vnius cũ altero, vt ſuprà docuimus, qui reſpectus etiam quoad eam entitatem rationis, quam ſortiuntur, ſuo modo adumbrationes quædam ſunt, quanquam obſcuriſsimæ, primi ac diuini eſſe.

Ex dictis habes, cauſſam, rationemuè internam, cur vnũquodq; ſit producibile, eſſe ipſam naturam terminorum: cauſſam externam actiuam, à qua poteſt effici, & in ordine ad quam producibile nuncupatur, eſſe poteſtatem diuinam rerum omnium effectricem; itēq; virtutem cauſsæ creatæ (niſi ſit res, quæ ſecundorum agentium facultatem omnino excedat) vltimam verò cauſſam, externam etiam, in quam, vt in fontem, & menſuram totius entitatis ſit reſolutio, eſſe diuinam eſſentiam eo, quo diximus modo, ſpectatam. Hinc nõ difficile erit à diſsimili intelligere cur aliquid à Deo effici nõ poſsit; eſt enim interna cauſſa ipſa natura terminorum, quam ſequitur repugnantia, ne inuicem coniungi poſsint, quæ repugnantia ex eo oritur, quòd tales termini à veri, & primi eſſe participatione omnino abſint. Reſpõſio ad quæſtionem.

ARTICVLVS II.

DVBITATIONES CIRCA ſuperiùs dicta.

CIrca ea, quæ ſuperiùs ſtatuimus, nonnullæ occurrunt dubitationes. Prima eſt, quòd ſecundum Peripateticam doctrinam aſſerendum videatur omnia, quantũlibet contradictionis repugnantiam inuoluant, poſſe à Deo fieri, vno tantùm excepto: quandoquidem Ariſtoteles 6. Ethic. cap. 2. laudat ſententiam Agathonis aientis vno tantùm carere Deum, videlicet, quòd non poſsit facere, vt id, quod præterijt, non præterierit. 1. dub. Agathonis dictum.

Secunda, Quonam pacto creaturæ ſint relata tranſcendentia cõparatione eſſentiæ diuinæ ſecundũ rationes ideales ſpectatæ; cùm omnia relata tranſcendentia definiantur per habitudinem ad ea, quę reſpiciunt, vt materia per habitudinem ad formam, potentiæ ad ſua obiecta; & tamen creaturæ non ſoleant à Philoſophis definiri per reſpectum ad eſſentiam diuinam, vt ex vulgatis earum definitionibus palam eſt. 2. dub.

3. Nũ creaturæ ſecũdũ ſuã eſſentiã pręciſè ſũptæ ſolũmodo pẽdeãt à Deo, vt ab archetypo ſpeculatiuo, & mẽſura totius eſſe, an etiã vt à cauſſa efficiẽte, finali, & exẽplari practica, ſicuti quidã noſtrę ętatis excellẽti ingenio, & doctrina Philoſophi arbitrantur. Nã qd etiã hoc poſteriori modo pendeãt, hiſce argumẽtis videtur cõcludi. Nõ magis pẽdet accidẽs à ſubſtantia in genere cauſſæ ſubiectiuæ, 3. dub.

& materialis; quàm creaturæ à Deo in genere cauſsæ efficiẽtis, (idẽ intellige de alijs duabus cauſsis) ſed dependentia illa eſt eſsentialis; ergo & hæc. Maior probatur, quia inde colligimus accidens pendere eſsentialiter à ſubſtantia, quòd ſine illa eſse nequeat: at multò minùs creatura ſine Deo cohærere poteſt. Secundò idem confirmatur, quia ens ſecundum ſuam eſsentiam definitur id, quod exiſtere in rerum natura poteſt: Quare cùm nihil dicatur poſse exiſtere, niſi cõparatum ad ſuum efficiens, ſequitur omne ens habere eſsentialẽ ordinem ad Deum vt ad cauſsam efficientem.

ARTICVLVS III.

SVPERIORVM DVBITATIONUM explicatio.

Reſpõſio ad 1 dub. Non agnouiſſe Ariſtotelem in Deo extraordinariam potentiam.

PRopoſitæ dubitationes ita diluendæ ſunt. Ad primam dicendum, in primis Ariſtotelem non cognouiſſe extraordinariam, ſiue abſolutam Dei potentiam, immo nec de ordinaria reẽtè ſenſiſse: cùm putarit Deum agere neceſsitate naturæ, vt alibi oſtendemus: deinde Agathonis dictum non in tota eius amplitudine approbaſse, vt re vera approbandum non eſt; ſed qua ex parte præteritum nullo modo infectum reddi poſse, aſserebat. Lib. 8. huius operis c. 24. §. ait. 2.

Reſpõ. ad 2.

Ad ſecundam creaturas, ſi quatenus entia ſunt ſpectentur, non niſi per habitudinem ad Deum, vt eſt cauſsa prototypa totius eſse, omnino diſtinctè, ac perfectè intelligi, & definiri poſse: nec mirum quòd in vulgatis definitionibus nulla Dei expreſsa mẽtio habeatur. Nam primùm generalis conceptus entis in commune ad ſolũ Metaphyſicum pertinet, vt in prooemio huius operis docuimus. Deinde ipſe Metaphyſicus licet eſsentias perſequatur vſque ad dependentiam à prima cauſsa; rarò tamen definitiones omnibus numeris abſoluit, ac perficit; vnde nec in ijs primam cauſsam ſolet exprimere.

Generalis cõceptus entis ptinet ad primum Philoſophum.

Reſpõ. ad 3.

Tertia plus habet difficultatis, neque inficiamur admodum probabilem eſſe illorum Philoſophorum opinionem, quam inibi retulimus. Verùm quia oppoſita & nobis, & pleriſque alijs veriſimilior videtur; dicimus creaturas, vt quidem producibiles ſunt, importare neceſsariam habitudinem ad productiuum, hoc eſt ad Deum, & alias cauſsas effectrices, in quibus virtute continentur, vt fuit à nobis ſuperiùs declaratum. Verùm quia producibilitas non eſt ipſa creaturarum eſsentia; ſed affectio eam conſequẽs: ſiquidem ante omnem conſiderationem potentiæ diuinæ exequutiuæ iam res habent quod ſint entia, quia iam ſunt imitationes primi, ac diuini eſſe: conſequens fit, vt res ſecundum ſuas naturas

præ-

præcisè ſpectatæ non habeant eſſentialem ordinem ad Deum, vt ad cauſſam efficientem, vel finalem, aut etiam exemplarem practicam. Namque harum omniũ cauſſalitates ſeſe mutuis officijs comitantur; quandoquidem finis allicit efficientem, efficiens agit propter finem, item efficiens, ſi intellectu præditum ſit, proponit ſibi exemplar, quod imitetur, ipſumque exemplar eius actionẽ dirigit. Mutui officiorum nexus inter cauſſas.

His poſitis ad primum argumentum pro contraria opinione neganda eſt maior propoſitio, & ad eius confirmationem dicendũ, non ex eo colligi accidens pendere eſſentialiter à ſubſtantia, quòd ſine illa eſſe nequeat: multa enim pendent eſſentialiter ab ijs, ſine quibus eſſe poſſunt; multa nequeunt eſſe ſine ijs, à quibus non eſſentialiter pendent. Pro prioribus exemplum ſit conceptus roſæ, qui cùm à roſa ſpeciem capit, ab ea ſecundum ſuam eſſentiam dependet vt à cauſſa formali extrinſeca; & tamen non exiſtente roſa exiſtit. Pro poſterioribus ſit lux, quæ niſi actu à luminoſo conſeruetur, euaneſcit; & tamen non pendet ab illo quoad eſſentiam, vt eſt communis Philoſophorum opinio. Cauſſa igitur cur accidens pẽdeat eſſentialiter à ſubſtantia in genere cauſſæ ſubiectiuæ, eſt, quia accidens ſecundum ſuam naturam eſt habitudo, ſiue reſpectus tranſcendens ad ſubſtantiam, quod non cõuenit rebus creatis comparatione Dei, vt triplicem illam cauſſalitatem ſubit. Ad ſecundum reſpondendum, cùm ens definitur id, quod poteſt exiſtere, non definiri per eſſentiam; ſed per affectionem, quæ eſſentiam cõſequitur: quemadmodum illa ſubſtantiæ definitio, ſubſtantia eſt ens per ſe exiſtens, non traditur per quidditatem ſubſtantiæ, ſed per proprietatem quandã, eius comitem; ac ſi diceretur, ſubſtantia eſt res habens quidditatem cui debetur, vt in alio non inſit, quod annotauit D. Thomas 4. ſentent. diſt. 12. quæſt. 1. art. 1. ex Auicenna in ſua Metaphyſica. Solu. 1. argu. circa 3. dubi. Solu. 2.

QVÆSTIO XVIII.

VTRVM ACCIDENS ATTINGAT productionem ſubſtantialis formæ, an non?

ARTICVLVS I.

DIVERSÆ PHILOSOphorum ſententiæ.

1.opinio.

IN hac controuersia duæ sunt extremæ sententiæ. Prior est quorundam recentium Philosophorum, & aliorum, quos in 7. lib. Metaphys. q. 7. Soncinas refert, asserentium formam substantialem rei generantis nullum actiuũ influxum generationi, alijsùe actionibus obeundis impendere; solaq́ue accidentia propria virtute, & vt principes caussas, generare substantiam. Id, quod hac potissimum ratione cõfirmant. Calor, verbi gratia, seposito omni concursu formę substantialis, habet ex se vim calefaciendi generandiq́; ignẽ; ergo forma substantialis nullo pacto ad id actiuè concurrit; alioqui efficeret natura pluribus, quod efficere paucioribus valet. Probatur assumptũ, quia aqua calida manum calefacit, & ferrum ignitum calefaciendo generat ignem; quæ actiones cùm à forma aquæ, & ferri alienæ sint, ac peregrinæ, necessum est, vt solius caloris vi administrentur. Huc pertinet, quòd si calor intensus extra materiam in quantitate diuinitùs seruetur, non modò stupam calefaciet, sed etiã igniet; nulla interim ad id forma, cùm nulla ibi esse ponatur, influxum adhibente.

Eius confirmatio.

2.opinio.

Posterior sententia huic aduersaria est Scoti in prima dist. 37. q. vnica, & in 4. dist. 12. quæst. 3. Durandi ibidem q. 2. & in 2. dist. 1. q. 4. Ochami in 2. q. 23. & aliorum; quam etiam pulchram, & subtilem vocat Iandunus primo de anima quæst. 8. Hi censent accidens neque vi propria, neq; vt substantiæ instrumentum, effectionem substantiæ attingere; sed materiam duntaxat aptam idoneamq́; reddere, vt in eam substantia rei generantis formam substantialem immediatè producat. Videtur autẽ posse id hisce argumentis ostẽdi. Nihil vltra suum gradum, aut speciem agit; sed substantia altiorem naturæ gradum obtinet, quàm accidens; non potest igitur substantia ab accidente effici. Quod si quis occurrat accidens non sua, sed substantiæ vi substantiam gignere, cuius oppositum ratio non probat; contrà obijcitur. Namq́ue aut vis illa, influxusùe substantiæ, accidens est; aut substantia. Non substantia, vt patet: si accidens: eadem existit difficultas, & in infinitum quæstio abibit. Ergo nec eo pacto dicendum est ab accidente substantiam effici.

Item Basiolij in 4. d 12. q. 2. Bargij in 1. d. 37. q. vnica. Baconij in 2. d 37. q. 1. ar. 1.

Primum argumen. pro secunda opinione.

Pręoccupatio.

2.argumen.

Secundò. In generatione vniuoca, qualis est, exempli caussa, ignis ab igni productio, oportet formam rei genitæ consimilem esse formæ generantis; atqui forma ignis non est accidenti consimilis, sed substantiæ. Non ergo ab accidente, sed à substantia generatur.

3.argumen.

Tertiò. Substantia potest esse immediatum suæ actionis principium: ergo nihil impedit quominùs substantia substantiam immediatè producat, atque adeo instrumentariam accidentium vim ad id neutiquam asciscet. Probatur antecedens; quia vel ita agere est infra, vel supra dignitatem substantiæ. Non infra; cùm conueniat

niat Deo: non ſupra; cùm competat accidentibus, vt calori, qui immediatè calefacit. Non eſt igitur, cur negari debeat ſubſtantiam immediatè operari.

Quarto. Vel actio, qua forma ignis producitur, immediatè egreditur à calore tantùm; vel à calore, & ſiccitate, cæterisque accidentibus, quibus materia diſpoſita fuit; vel proximè à ſola forma ſubſtantiali ignis generantis. Non à calore tantùm; cùm præparatio ad formam non in eo duntaxat conſiſtat. Non ab omnibus accidentibus, quæ materiam ad ſuſceptionem formæ exornarunt; cùm vna ſimplex actio à multis principijs immediatè elici non poſsit. Igitur à ſola forma ſubſtantiali generantis: atque adeò nullum accidens productionem ſubſtantiæ efficienter attingit. 4. argum.

ARTICVLVS II.

STABILIVNTVR DVÆ ASSERTIOnes, quibus proximi articuli ſententiæ confutantur.

NEutra earum opinionum, quas retulimus, nobis probatur; ſed alia inter vtramque media, quæ aliquot aſſertionibus explicanda eſt. Prima ſit. Non rectè ſentiunt, qui negant formam ſubſtantialem ad actiones ſuas obeundas actiuè influere. Quæ ita probatur. Agere, vna eſt è præcipuis rerum naturalium affectionibus; adeò vt communi Philoſophorum aſſenſu dixerit Ariſtoteles 2. de cœlo c. 3. tex. 17. vnumquodque ſuæ operationis cauſsã eſse. Par eſt igitur, ac naturæ ordini conſentaneum, vt actio in ipſa rerum ſubſtantia, cauſsam habeat, à qua dimanet: hæc autem ſubſtantia, non poteſt eſſe materia, quæ nullam effectricem vim poſsidet; Eſt igitur forma. 1. aſſertio. Axioma Peripateticum. Conſule D. Tho. 3. cõtr. gen. cap. 69.

Secundò. Actio ſequitur eſſe: ergo idem erit primarium eſſendi, & agendi principium: ſed forma ſubſtantialis eſt primariũ, ac principale principium eſſendi. Vnde ab Ariſtotele hoc in libro capit. 3. text. 28. dicitur ratio ipſa quidditatis. Erit igitur prima origo, & quaſi fons è quo rei naturalis actio proficiſcatur. Idem eſt primariũ eſſendi, & agendi principium.

Tertiò. Nulla cauſsa poteſt effectum nobilioris notæ vi ſua edere: atqui ſubſtantia eſt nobilior accidente: ergo nullum accidens vi propria ſubſtantiam gignet; ſed vt inſtrumentũ præſtantioris agẽtis, ideſt, formæ.

Poſtremò. Confirmatur eadem ſententia teſtimonijs Ariſtotelis, qui formæ ſubſtantiali diſertis verbis efficientiã attribuit. Nãq; 7. huius libri cap. tex. 71. docet cauſsam formalem, finalem, & efficientem nonnunquam in eandem rem incidere, vt in generatione equi, Eadẽ forma ad tria cauſsarum genera pertinere poteſt.

equi,& 2. de ortu & interitu cap.9.tex.52.asserit materiæ esse pati; formæ verò agere, & ibidem text. 53. eos reprehendit, qui omnem actionem è solis qualitatibus educebant. Et 2.de anima cap.4.text. 36. & 37. statuit animam esse effectricem caussam, vnde motionis principium emergit.

2. assertio. Secunda assertio. Nulla substantia creata sine instrumẽtaria accidentium ope substantialem formam inducit. Hæc est D. Thomę 1. p.q.77.art.1. Auerrois 12.Metaphy.commen.18. Henrici Gandau. quodlib. 14.q.1. Aegidij Romani quodlib. 3. q.1. Capreoli in 1. d. 3.q.3.art.2. aliorumque complurium. Suadetur autẽ primùm, quia quantumlibet aduersariæ partis auctores contrà dicant; nulla substantia creata est immediatum agendi principium; videlicet quia sicut agere sine dependentia ab alio priore, propriũ est primæ caussæ; ita eidem tantùm conuenit agere more principalis agentis sine dependentia ab alio posteriori, hoc est, absque interuentu alterius, per quod in effectum influat. Item quia forma agentis ita ordinatur immediatè ad esse, vt indiscriminatim se habeat ad hanc, & illam operationem, nisi ab accidentibus, quorum ministerio vti debet, determinetur. Vnde est, quòd natura tantam agentium qualitatum varietatem, & apparatũ substantijs attribuit. Deinde quia, vt Auerroes lib.7. Metaphys. comm.22. & 31. & lib.12. com.18. rectè ait, eiusdem est materiam præparare, & formam inducere. Quare cùm non sola rei generantis substantia, sed accidentia quoque materiam præparent, etiam accidentia suo modo formam inducent. Præterea quia cùm substantiæ effectrici accidentiũ ope ad alias actiones perficiendas vtatur, consentaneum videtur, vt eandem opem ad substantiæ generationem adhibeat. Huc pertinet illud Aristotelis 4.c. libri de sensu, & sensili; Nihil quatenus ignis, aut aqua, aut quidpiã aliud agere, aut pati, natũ est; sed quatenus contrarietatẽ subeunt, eatenus agunt, patiunturque, Hoc est, nulla res naturalis propriam elicit actionem immediatè ex sua forma substantiali, vt principio agendi; sed ex contrarijs qualitatibus, vt ignis, & aqua ex calore, & frigore. Vnde colligit Alexander ignem non qua calidus est, actionem edere, Stoicam esse, non Peripateticam sententiam.

Nulla substãtia creata est immediatũ agendi principium.

Cur natura substãtijs qualitates attribuit.

Ignem non agere interuentu caloris Stoicũ dogma.

„Pistiusmodi pronuntiato lege dissentem Capr. in 1.d.3. q.3.art. 2. & in 4.d.12. q.1.art.3.

ARTICVLVS III.

ALIÆ ASSERTIONES, QVIBVS tota quæstio profligatur.

3. assertio. TErtia assertio sit. Accidentia facultate propria, siue vt principes caussæ non attingunt substantialis formæ productionem; attingunt tamẽ virtute substantiæ. Hæc ex superioribus colligitur, asseriturque à D. Thoma 3.contra gent.cap.69. & 3.p.q.77. art.3.

Alij auctores.

art.3. Mag. Alberto in 2. dist. 12. ar. 12. Aegidio in theorematis, propos. 43. & lib. 2. Hexam. cap. 11. Paludano in 4. dist. 12. quæst. 4. Maiore. q. 1. Richardo in 3. principali quæst. 2. Argentinate quæst. 1. Hispalensi. quæst. 1. art. 3. Ferrariensi 4. contra gent. c. 66. aliisque compluribus. Probatur autem quoad priorem partem; quia si accidens vi propria, seu vt princeps caussa, substantialis formæ productionẽ attingeret; vel id præstaret vt agens vniuocum; vel vt æquiuocum. Non vt vniuocum; quia non est eiusdem rationis, ac speciei cum effectu. Non vt æquiuocum; quia alioqui esset excellentioris naturæ, quàm substantia. Non potest igitur accidens facultate propria substantialem formam gignere. Secundò, quia si accidens ea vi præditum esset: vel eandem haberet forma substantialis; quod superuacaneum foret, vel ea careret; quod suprà refutauimus.

Capr. in 4. d. 12 q. 2. Cai 1. p. q. 54. art. 3. Zumara in theor. prop. 12. Toletano 2. de ani. 41. art. 1.

Posterior pars hunc in modũ ostenditur. Corpora cælestia procreant in sublunari mundo ex putrescente materia imperfecta animalia, vt ranas, & mures, aliasque id generis bestiolas; non possunt autem eas producere nisi per instrumentariam operam qualitatum, quas ab se demittunt; alioqui agerent primò in remotum; quod fieri posse negat Aristoteles 7. huius operis lib. cap. 2. text. 10. Igitur cœlestes illæ qualitates productionem substantiæ efficienter attingunt. Idem comprobat aliorum animantium generatio; in qua semen quasi parentis vice fungens, per vim formatricem sibi inhærentem paulatim membra effingit, ac stato tempore animam vegetatricem, deinde sentientem profert; quam certè non proferret, nisi eiusmodi vis instrumentum esset generantis. Denique pro eodem facit, quòd radij solis in speculo concauo reflexi ignem edunt, non aliter, quàm virtute solis, in quo omnes elementorum formæ eminenter insunt.

Corpora cælestia vt imperfectas animantes procreent.

Ignis genitus refractione luminis.

Quarta assertio. Accidentia virtute substantiæ, productionẽ substantialis formæ attingere, non est aliud, quàm accidentia esse virtutem instrumentariam substantiæ principaliter operantis. Pro explicatione huiusce assertionis haud ignorandum est, multos è schola D. Thomæ in ea opinione esse, vt putent deriuari à substantijs ad accidentia, per quæ operantur, virtutem quandam, nõ stabilem, sed traiectitiam, adumbratum, ac velut intentionale esse substantiæ in se continentem: quæ virtus re quidem ipsa accidens, potentia verò, & efficacitate substãtia sit. Atque huiusmodi virtute perfusa quodammodo, & corroborata accidentia vltra vires suas ad substantiam generandam excitari inquiunt. Hæc sententia etsi patronum habere videatur D. Thomam 3. p. q. 13. art. 2. & in 4. d. 1. q. 1. art. 4. & q. 3. de potent. art. 7. acriter impugnatur ab Scoto in 4. d. 1. q. 5. & Durando ibidem q. 4. Ac nobis etiam parum verisimilis videtur, sicuti iam antea explicuimus, cùm de concursu caussæ primæ cum agente creato disputaremus. Auget enim res sine necessitate, cùm substantiæ per sola nuda accidentia, vt per sua naturalia instrumenta absque

4. assertio.

Opinio Thomistarum.

Parum probabilis.

absque illa aduentitia virtute, quam fingunt, generationem substātiæ exequi valeat. Præterea cùm ea virtus adhuc intra accidentium cancellos maneat, nihilo satisfit magis ijs, qui cōtendunt non posse accidens ad generandam substantiam promoueri.

Quid sit accidentia virtute substantię producere formam substātialem. Dub.

Itaque rectiùs Philosophari eos arbitramur, qui volunt cùm accidentia virtute substantiæ formam substantialem gignere perhibentur, accipiendum id esse intransitiuè, hoc est, idem valere, ac si dicerentur esse ipsa virtus substantiæ generantis: quandoquidem accidentia, vt sunt entia alterius, & non à se, sed à substantijs suum esse habent; ita eorum vis non tam ipsorum, quàm substantiæ vis est. Cur igitur rogabit aliquis calor ignis ignem, non carnem; animalis calor carnē, non ignem, generat, si neque hic ab animalis forma, neque ille à forma ignis virtutem aliquam aduentitiam, sibique superadditam ad hoc potiùs, quàm illud progignēdum mutuatur?

Respon.

Nimirum quia productio caloris ab igne, coniuncta est cum productione siccitatis, & aliarum qualitatum, quæ materiam ad ignis formam præparant, ac determinant; similiterque calefactionem ab animalis calore in materiam alimenti inductam comitantur alterationes aliæ, quibus materia ad formam carnis disponitur, definiturque. Quòd si fieri posset, vt, exempli gratia, alimentum calore duntaxat (etsi hic inter alias quatuor primas qualitates præcipuus nutritionis opifex sit) ab animali afficeretur, haud dubiè non gigneretur ex eo caro; cùm planum sit integram, perfectamque præparationem ad eam generandam, multorum accidentium coitu, & temperatione contineri. Quod similiter de aliarum generabilium substantiarum ortu, pro modo cuiusque, pronuntiandum erit.

Calor præcipuus opifex nutritionis.

5. assertio.

Quinta assertio. Accidens non potest virtute propria aliud accidens producere, sed tantùm virtute substantiæ. Ab hac propositione dissentit Scotus in 4. dist. 12. q. 3. Aegidius in theorematis propositione 43. & plerique alij, ea potissimum innixi ratione; quia ex eo quòd, verbi gratia, calor alium calorem vi sua gignat, non iccirco aget vltra propriam speciem. Quare non est cur hoc ei denegandum videatur. Cæterùm nostra sententia verisimilior est, magisque Philosophica, quam statuit D. Thomas in 1. distin. 3. q. 4. art. 3. Nam cùm vnumquodque vt se habet ad esse, ita ad operandum; sicut accidens non per se, nec virtute sua est, sed substantiæ; ita nec sua, sed substantiæ virtute operatur; non quia calorem efficiendo aliquid se nobilius produceret, sed quia vi propria agendo naturæ suæ modum excederet.

Contra Scotum, & alios.

Statuitur à D. Thoma.

ARTICVLVS IIII.

RESPONSIO AD ARGVMENTA, QVIb9 prima opinio initio quæstionis ppposita, nitebatur.

Quoniam

QVoniam ex ijs, quæ hactenus disseruimus, constat primi articuli sententias à veritate aberrasse; earum argumēta diluēda à nobis hoc loco sunt. Atque in primis illud, quod omnem concursum actiuum substantiali formæ adimebat, sic explicabitur. Cùm aqua calida manum calefacit, eiusmodi actio, vt probat argumentum, non oritur à forma substantiali aquæ; attribuenda tamen est tum ipsi aquæ calidæ, tum calori, tum substantiali formæ ignis, tum denique igni, alio & alio modo. Aquæ calidæ, vt supposito immediato, quod secundum formam caloris, quam sustentat, calefacit. Calori, tanquam proximo principio, & rationi formali calefactionis, quod tamen non propria, sed ignis virtute agit. Formæ substantiali ignis, vti principio principali actiuo, à quo in aquam calor defluxit, quodque in eodē calore, vt in sua virtute operatur. Denique igni, tanquam præcipuo agenti, quod mediatè mediatione suppositi, sed immediatione virtutis, eam calefactionem exhibet.

Actio aquæ calidę calefacientis vnde oriatur.

Actio ferri igniti.

Id quod de actione aquæ calidæ manum calefacientis diximus, pari ratione asserendum est de actione, qua ferrum ignitum stupam ignit; nisi velimus, quod quibusdam placet, non ferrum ipsum calore affectum, sed ignis scintillulas emicantes ex particulis ferri in ignem conuersi, stupam incendio corripere. At enim si ignis productio à ferro ipso vi cohibiti in eo caloris exerceatur, ascribenda erit ea productio ferro, vt supposito immediatè agenti per calorem, quem sustinet, calori tanquam rationi formali calefactionis, cæteraque similiter, vt de aqua calida dicebamus. Nisi quod discrimen illud, præter alia, cernitur inter generationem ignis ab igni, & eam, quæ à ferro candenti est; quod hæc non sit à forma ferri, nisi quatenus vnà cum materia calorem sustinet, atque adeò denominatiuè duntaxat; illa verò sit à forma ignis elicitiuè, non quidē per aliam actionem distinctam ab ea, qua calor operatur; sed per vnam, eandemque; alioqui haberet etiam suppositum ignis aliam actionem diuersam ab actione formæ; siquidem vt forma per calorem, ita suppositum per formam agit.

ARTICVLVS V.

ENODATIO DVBII CIRCA ACTIONEM caloris extra subiectum.

QVod attinet ad calorem si extra subiectum diuina virtute ponatur; quærat aliquis num is agere queat, ignemque producere. Nā quòd nequeat, hoc argumento videtur ostēdi. Nō plus repugnat agere ignē in materiā quātitate affectā, sed formę substātialis adminiculo destitutā, eiq; formæ actū inuehere, quā calorē per se cohærētē ex aere ignē generare: sed illud ita repugnat,

Suppositi & formę eadē actio.

vt neutiquam posſit fieri; ergo & hoc. Probatur assumptio, quia cùm calor, calefactioque sint actus secundus, & hic naturæ ordine actum primum supponat; vtique non videntur posse recipi in materiam exutam substantiali forma, quæ est actus primus eorundem.

Actio caloris summi extra subiectum.

Asserendum tamen est calorem intensum extra substantiam; sed tamen in quantitate existentem (sine quantitate enim non dabitur mutuus cōtactus, quem ad eiusmodi actiones natura requirit) posse ignem generare; cùm non sit negandū in diuina Eucharistia speciesvini consecrati, quæ extra substantiam cōsistunt, iectam aquā in vinum posse conuertere. Nec ratio in contrarium adducta quicquam negotij exhibet. Etenim sicut in prædicto mysterio speciesconsecratæ aduentitia accidentia per se recipiunt, quanuis nulla ibi substantialis forma præsit; ita materia prima interuētu solius quātitatis summum calorem recipiet. Nimirum illa actus secundi à primo dependentia neutiquam essentialis est; sed physica duntaxat, quam diuinitus compensari posse Eucharistiæ miraculo docemur.

De hac re D. Thom 3. par. q. 77. art. 3. & in 4. d. 12. alijque doct. ibidem.

Actus secundi à primo qualis depēdentia.

Proposita dubitatione hunc in modum explicata ad argumentum, quod illius occasio fuit, respondemus summum calorem extra subiectum cohærentem non propria facultate ignem generaturum; sed substantiæ, nempe ignis, cuius ille instrumentaria vis est. At cuiusnam ignis? nempe eius, in quo priùs extiterat, si iam antea in subiecto erat. Quòd si in nullo fuerit; sed denuò producatur; erit fortasse qui dicat referendam tunc eam generationē ad aliquem ignē indeterminatè, ac vagè sumptum. Verùm id facilè coarguetur; cùm determinatus effectus certas, ac præfinitas caussas habere debeat.

Altera dubitatio.

Responsio.

Spectabit igitur ea generatio tanquam ad principemcaussam secundam ad eum ignem, cui eiusmodi calor naturæ distributione debetur. Namque vt omnes ignes, quos creare Deus potest, certum sibi calorem singularem, quo conseruentur, & actiones suas administrent, physica necessitate deposcunt, (cùm istiusmodi singulares affectiones singularium naturarum appendices, & quasi corollaria quædam sint) ita quiuis calor summo gradu intensus aliquem certum ignem à Deo creabilem necessariò respicit; sicuti & quilibet alius effectus naturalis certam habet caussam effectiuam, singularem, à qua dependeat, vt lib. 5. Metaphys. patebit.

ARTICVLVS VI.

EXPLICATIO ARGVMENTORUM pro secunda opinione.

Eæ ve-

EAE verò rationes, quæ ſuadere nitebantur accidentia nullo pacto ſubſtantiam producere, ita diluẽtur. Ad primam dicendum erit cum D. Thoma 2. contra gentes cap. 21. & de veritate quæſt. 27. art. 4. nihil vltra ſuum gradum, aut ſpeciem quicquam moliri poſſe propria virtute; poſſe tamen virtute nobilioris agentis, quomodo accidentia nõ ſua, ſed ſubſtantiæ virtute, ſubſtantiam gignunt. Ad ſecundam, formam ſubſtantialem eius, quod vniuoca generatione producitur, non oportere ſimilem eſſe formæ proximæ, qua generans, vt inſtrumento vtitur; ſed primæ, ac ſubſtantiali formæ ipſius generantis. Ad tertiam negandum eſt, quod aſſumit; tametſi à nonnullis concedatur, & ad eius probationem dicendum cum Caietano ad art. 3. quæſtionis 54. primæ partis, tripliciter poſſe rem aliquam eſſe principium productiuũ actionis; videlicet proximum, & non principale; principale, & non proximum; proximum & principale ſimul. Porro eſſe principium primo modo, infimæ notæ eſt; ideoque accidentium naturæ congruit. Eſſe principium ſecundo modo, medium quid cenſetur, atque ita creatæ ſubſtantiæ accõmodatur, quæ inter primam formam, ſiue actum purũ, ideſt, Deum, & inter accidentia medium locum obtinet. Denique eſſe principium tertio modo ſupremam, infinitamque arguit perfectionem, vti ſuperiùs diximus, & iccirco primæ duntaxat cauſæ conuenit, quæ neque medio, neque aliena virtute, ad operandum eget. Ex quo patet cur nulla ſubſtantia creata ſine interuentu accidentium formam ſubſtantialem in materiam inducat.

Sol. primi.

Sol. 2. Quid requiratur ad generationem vniuocam.

Sol. 3. Tripartita varietas principiorum actiuorum.

Vt à Rich. 1. ſent. 2. part. diſtinct. 3. in 2. princip. q. 3. à Guilielmo Pariſienſi in li. de Trin.

Eſſe principium agendi proximu, & principale ſimul, arguit infinitam perfectionem.

Ad quartam, quæ non mediocriter fauet opinioni exiſtimantium generationem non veram eſſe actionem; ſed terminum duntaxat alterationis præeuntis, dicendum eſt ignis generationem non à calore tantùm elici, ſed cõmuniter à cæteris accidentibus, quæ ignis formam inducunt: nec eſſe abſurdum vnam, eandẽque actionẽ à multis inſtrumentarijs principijs, quatenus omnia materiam ad vnam formam præparant, atque ordinant, proficiſci. Intellige autem oriri ab ijs accidentibus generationem, non quaſi ea tunc exiſtant (omnia namque vt in primo de generatione ſtatuimus, pariter cum re corrupta ipſo generationis momento intereunt) ſed quia cùm non niſi per accidens, vtpote alterius occaſu occidant, perinde ſeſe ad generationem eliciendam habent, ac ſi etiam tunc in rerum natura permanerent. Qua de re ſuo loco pleniùs, ac planiùs.

Sol. 4.

Communis accidentium concurſus ad generationẽ.

QVÆSTIO XIX.

VTRVM EX OMNIBVS ACCIDENTIBVS ſolæ qualitates agendi vim habeant.

ARTICVLVS I.

QVÆ ARGVMENTA OSTENDERE videantur alijs quoque accidentibus eã vim ineſſe.

QVoniam proxima quæſtione ſtatuimus accidentia tanquam ſubſtantiarum inſtrumenta productionem formarum ſubtantialium attingere, proindeque agendi vim habere; proximum eſt, vt ſcrutemur num ea vis ſolis qualitatibus, vt eſt cõmunis philoſophantium vox, an alijs quoque accidentibus competat. Nam quòd alijs etiam conuenire aſſerendum ſit, hiſce argumentis videtur confici.

Primũarg. Quicquid ab intellectu noſtro percipitur concurrit actiuè per ſuam ſpeciem ad intellectionem, & verbum, tanquam parens per ſeminariam virtutem ad gignendam ſobolem; ſed accidentia aliarum categoriarum percipiuntur à noſtro intellectu, vt planum eſt. Igitur ea omnia aliquam agendi vim poſsident: cùm inſtrumẽti actio principali agenti aſcribatur, ab eoque deriuetur. Lege D. Aug. 15. de Trin. cap. 26.

2.argum. Deinde teſte Ariſtotele lib. 2. de cœlo cap. 3. text. 17. & 1. Ethic. cap. 7. Vnumquodque eſt propter ſuam operationem, alioqui fruſtra eſſet. Igitur nihil eſt in natura rerũ, quod omnis actionis expers ſit. Corroboraturque argumentum, quia ſicuti optimum, & induſtrium patremfamilias decet curare ne quid domi ſuæ otioſum ſit; ita congruere videtur, vt naturæ auctor in mundi vniuerſitate, & in hac ſua quaſi domo, nihil obtorpeſcere, nihil ſine opere, & actione, eſſe patiatur.

3.argum. Tertiò, idẽ priuatim oſtenditur in relationibus. Nulla enim idonea ratio afferri poteſt, cur relationes nihil agant, & nõ deſunt quæ oppoſitum ſuadeant. Primùm quia ſunt actus, & omnem actum ſua actiuitas, & actio comitantur. Item quia relationes induunt rationem cauſſarum finalium, vt patet cùm quis rei literariæ nauat operam gratia honoris, qui relatio quædam eſt. Quòd ſi relationes hãc cauſſalitatem, quæ inter omnes præcipua eſt, interdum obeunt; cur non etiam modum cauſſandi efficientis cauſsæ aliquando adminiſtrent?

4.argum. Quartò. Motus ad locum eſt quantitas, & tamen multis in rebus agendi facultatem obtinet. Ergò aliqua quantitas habet vim actiuam. Probatur aſſumptio, primùm quia ſphæræ cœleſtes miniſterio motus, quo circũuehuntur, agunt in orbem ſublunarẽ. Deinde quia attritus duorum corporum non calorem ſolùm, ſed interdum quoque ignem excitat.

5.argum. Poſtremò. Multæ actiones ſunt principia effectiua aliarum: ergò ſaltem actionibus conuenit eſse principium agendi. Probatur antecedens. Nam ex compluriũ philoſophorum iudicio contẽplatio cauſsat efficiẽter delectationẽ notitia intellectus, actũ deſiderij: finis

appeti-

appetitio, volitionem eorum, quæ ad finem sunt; & assensus principiorum, assensum conclusionis. Non caussant verò hæc vt productiones; (siquidem contemplatio, verbi caussa, non est ipsa delectationis productio; nec appetitio finis, volitio mediorum & cæt.) sed vt principia actiua, quibus anima ad consequentes illas actiones eliciendas vtitur.

ARTICVLVS II.

EXPLICATIO QVÆSTIONIS.

IN hac disceptatione communi philosophorum voce celebratur ex omnibus accidentibus solas qualitates agendi vim obtinere. Verùm cùm vltimum argumentum superioris articuli eorundem philosophorum consensu probet multas internas actiones esse principia actiua aliarum, videtur equidem cõmunis illa assertio ita accipienda, vt non simpliciter ex omnibus accidentibus, sed tantumodò è fixis, (cuiusmodi non sunt prædictæ actiones, quæ vt plurimùm confestim euanescunt) solæ qualitates agendi vim habeant. Estque admodum verisimile ideo pronuntiatum illud ab ijs auctoribus ad solas qualitates restrictum fuisse, quia pleriq; internas operationes qualitatibus annumerant, sed quia verior est sententia quæ illos ad actionis categoriam pertinere statuit; iccirco nõ videtur nobis absolutè pronuntiandum ex omnibus accidentibus solas qualitates esse principia actiua, sed adhibendam eam, quam diximus, moderationem.

Explicatur cõmune prõnuntiatũ Philosophorũ.

Quoniam autẽ magis ordinaria principia actiua formarum substantialium sunt qualitates, aduerte eius rei conuenientiam, & rationem inde esse; quòd cum omne compositum naturale constet materia, & forma, quarum illa patiendi munus obit; hæc agendi: his duobus principijs duo alia eorundem officiorum quasi administra, contributa fuere: materiæ quantitas; formæ verò qualitas. Etenim materia interuentu quantitatis accidentia recipit (intellige vt subiectum quo) forma verò ministerio qualitatum operatur. Nam cũ materia de suo extensa non sit, oportuit conferri illi à natura quãtitatem, cuius interuentu extenderetur, corporaliaque accidentia reciperet. Rursum cũ forma substantialis immediatum agendi principium esse nequeat, procurandum ei fuit à natura aliquod agendi instrumentum, quo vteretur. Hoc verò esse qualitatem ex eo cõstat, quia agentia naturalia per potentias, per calorem, frigus, humorem, siccitatem, aliaque eiusmodi ad qualitatum genus pertinẽtia, operari solent. Item quia, vti passim videmus, qualitates, alias sibi consimiles generant, calorem calor, humorem humor. Quod tamen cæteris ferè accidentibus denegatum est. Nec enim quantitas aliam quantitatem efficit, nec relatio relationem; similiterque res

Cur qualitates sit principia actiua formarum.

Materię priuatim subseruit quantitas: formę qualitas.

Quãtitas nõ est actiua, nec relatio.

res habet in alijs, præterquam in nonnullis actionibus, vt antea monuimus.

Qualitatum varietas quo ad vim agendi.

Illud tamen ignorandum non est agendi vim nõ ad omnes qualitates eodem pacto se habere. Quædam enim sunt actiuæ realiter simul & intentionaliter; vt lux, & calor; lux enim non aliam tantùm lucem producit, sed vnà cum ea sui imaginem mittit, quæ perlata ad oculum simul cum videndi facultate visionem efficit. Item calor non alium duntaxat calorem gignit; sed sui idolum ex se profert, quod sensiterio tactus inustum similiter ad sensionem caloris pariter concurrit. Aliæ verò sunt qualitates, quæ realiter tantùm agunt, vt potentiæ vegetatrices. Aliæ, quæ intentionaliter tantùm, vt colores: aliæ quæ neutro modo, vt character, & in corruptibilitas beatorum corporum.

Ex hoc etiam numero est figura, vt alibi diximus. Quanquam non desunt, qui eam faciant principium actiuum motus ad locum, vt Durandus in 1. d. 45. q. 2. & Magnus Albertus ad finem 4. libri de cœlo, vbi ait figuram acutam esse partem potentiæ actiuæ medium secantis, eamque potentiam ex tribus coalescere, & integrari, videlicet ex acuto, graui, & duro. Vnde est quòd acutiora, grauiora, & duriora facilius penetrant, & percurrunt medium.

Pro nostra tamen opinione sunt Scotus in 4. dist. 1. q. 5. D. Thomas secunda secundæ q. 96. art. 2. & 3. contra gent. cap. 105. Ferrariensis eodem loco, & alij. Idque optima ratione. Nam cùm figura nihil aliud sit, quàm modus quantitatis; & quantitas, vt sæpe diximus, omnis actiuitatis expers sit, vtpote quæ se habeat ex parte materiæ, consequens est, vt agendi vi careat. Nec obstat quod acuta corpora, cæteris paribus, per aquam velociùs descendunt. Nõ enim id ex eo provenit quòd acumen actiuè influat ad motũ: solùm nãq; dispositiuè ad illam maiorem celeritatem præstandam sese habet, quatenus videlicet figuræ acutę minor moles se opponit, atq; adeò minor resistentia ex parte corporis, quod perrumpitur: sicuti & figura plana, quia maiorem corporis portionem tangit, segniorẽ reddit motum, vt docet Aristoteles 4. lib. de cœlo cap. vlt. tex. 44. & Cõmen. ibidem. Lege etiam quæ in eandem sententiam scripsit Aristoteles in Mechanicis ad eam quæstionem, cuius initium est, cur ex figurarum genere quæcunque rotundæ sunt, & circinatæ.

Thienẽsis 4. de cœlo. cap. vlt.

Figura nõ est principium actium motus localis.

Corpora acuta cur velociùs descendãt.

Arist. Comm.

ARTICVLVS III.

RESPONDETVR AD PRIMI articuli argumenta.

Sol. 1 argum.

NVnc argumenta initio proposita soluamus. Ad 1. respondẽdum est, etsi species concurrant actiuè ad intellectionem, & verbum; non tamen omnia, quorum illæ species sunt, ritè dici

dici per eas actiuè concurrere, nisi talia sint, vt ad eiusmodi specierum generationem proximè, vel remotè aliquam vim actiuam cõtulerint; sic enim censebuntur species eorum instrumenta, vtpote ab eis aliquo modo deriuatæ. Quare cùm non omnia accidentia eã actiuitatem ad generationem specierum intelligibilium, etiã remotè præbeant, vt 3. libro de anima ostendimus; fit vt non omnia respectu intellectionum actiua principia censeri debeant. Adde quòd nostra quæstio erat de principijs proximè elicientibus actionem, de quibus propositum argumentum nullam ingerit dubitationem.

Lege Gregonium in 2.d. 3.q.1.

Quę res cõcurrãt actiuè per species ad intellectionẽ.

Ad 2. dic effatum illud Aristotelis, de substantijs potissimùm intelligi; nec de omnibus vniuersim; cùm materia nihil agat, etsi ad actiones formæ, pro rata sua portione, concurrat; non quidem eas efficiendo, sed recipiendo, item etiam componendo totum, cuius est agere. Illud verò de cura patrisfamilias, sic explicabitur. Optimum patremfamilias, licet non patiatur domi suæ quicquam prorsus inutile, & superuacaneũ esse; non ab omnibus tamen opus exigere. Quod & diuini artificis sapientia mirificè præstat in hoc mũdi opificio, in quo, etsi non omnibus agendi vim tribuerit; nihil tamen frustrà condidit, nihil frustra esse sinit; cùm tam ea, quæ agũt, quàm quæ non agunt, alijs pro naturæ suæ modo vtilia sint; vt erit consideranti perspicuum.

Solutio. 2.

Nihil à Deõ frustra conditum.

Ad 3. Relationes esse actus; sed non omni actui actiuitatẽ inesse, nec ab omni actionem proficisci; sed ab ijs, qui perfectiorem naturæ gradum obtinent; cuiusmodi sunt potissimùm qualitates, quæ peculiari modo formam sequuntur, vt alibi etiam diximus. Nec refert quod relationes interdum finis caussalitatem sortiuntur. Licet enim finis, consideratione quadam, vt progressu patebit, principalis caussa habeatur; modus tamen, quo efficiens mouet, maiorem perfectionem requirit; cùm moueat per influxum actiuum, veramque & germanam actionem. Quæ ratio causandi non potuit conuenire relationibus, quæ tantũmodò sunt habitudines ad aliud, minimumque de natura entis possident, vt Auerroes 12. Metaphys. comm. 19. docet. Vnde liquet non sine caussa agendi vim relationibus denegari. Quod ex eo etiam stabilitur, quia si relationes tum ob alias caussas, tum ob tenuitatem sui esse nequeunt motũ, vel actionem terminare, vt 5. libro patebit; certè multò minùs motum, vel actionem inchoare poterunt. Plus enim ad inchoandum, siue producẽdum, quàm ad terminandum exigitur. Accedit ratio Theologica. Nam siqua relatio esset operatiua, maximè essent diuinæ relationes, quæ cæteris infinitè eminentiores sunt: at quòd hæ operatiuæ non sint, constat ex eo, quia cùm, verbi gratia, relatio Patris alijs personis non conueniat, sequeretur posse Patrem aliquid per eam operari sine aliarum personarum consortio, sicque Trinitatis opera non essent indiuisa, cuius oppositum non solùm affirmant Patres

Sol. 3.

Lib. 1. huius operis cap. 4. quæst. 1. art. 1.

Relationes cur principiũ actuum non sint.

Relationes diuinę non sũt operatiuę.

Patres communi consensu, sed decreuit etiam sexta synodus generalis act. 11. in epistola Sophronij, & concilium Toletanum 6. can. 1. in symbolo fidei.

Sol. 4. Ad quartum. Paucis respondemus, si hoc respondere est, ac non potius responsionem in suum locum reseruare; videlicet neutrũ ex ijs duobus effectis, quæ retulimus, actiuè, ac per se caussari à motu locali, prout continuum, ac quantum quidpiam est, quod argumẽtum ostendere nitebatur: vtrum ab eodem sub alia consideratione causentur, in libris de cœlo patebit. Ad quintum argumentũ quid respondendum sit patet ex dictis.

QVÆSTIO XX.

VTRVM FINIS VERÈ, AC PRIÈ caussa sit, an non?

ARTICVLVS I.

VIDERI NON ESSE.

NON est à nobis sine disputatione prętereunda finalis caussa, cuius ignoratio veteres Philosophos multis erroribus implicuit, vt constat ex ijs, quę ab Aristotele c. 8. huius lib. & 1. de partibus animal. c. 1. & 1. Metaph. à cap. 3. in disputatione de caussis tradita sunt. Quod ergo ad pręsentẽ quæstionem spectat, erit qui probet non debere finẽ inter caussas numerari, in primis hoc modo. Celebre est pronuntiatum in Philosophia, caussam, & effectũ simul esse; quod vt interpretes explicant, sic accipiendum est, vt si caussa & effectus sumantur quoad relationes, quibus se mutuò respiciunt, dicantur simul natura esse; si verò quoad ipsam caussalitatem, rationẽue caussandi; perhibeantur esse simul duratione, siue temporaria, siue momentanea; cũ fieri non possit vt vlla res caussetactu, quin id, quod ab ea caussatur, pariter existat. Hoc constituto videtur facilè probari finem non esse caussam; siquidem existente eius effectu, non dum ipse existit, vt patet cũ quis obtinendi magistratus gratia literis nauat operam, cui futurus magistratus, finis est; præsens verò studium, eiusdẽ finis effectus.

Pronuntiatũ philosophicum.

1. argum.

2. argu. Secundò. Omnis caussa est principium, vt alibi diximus, nullum principium est finis; igitur nullus finis est caussa. Minor probatur, quia teste Aristotele lib. 3. Metaph. cap. 2. tex. 3. finis, & principiũ opponuntur inter se, cùm finis sit id, in quod desinitur, principiũ verò, id à quo incipitur.

Tertiò

Tertiò, quòd finis saltem propriè causſa non sit, ita ostenditur. Id quod impropriè causſat, non potest propriè causſa esse; atqui finis causſat impropriè; quandoquidem eius causſalitas, consistit in translatitia, & impropria motione, vt mox patebit. Non igitur finis propriè causſa est. 3. arg.

ARTICVLVS II.

ESSE VERÈ, AC PROPRIE causſam, omniumque primam.

IN hac dubitatione prænotandæ sunt variæ diuisiones finiũ. Quarum prima sumitur ex ijs, quæ docuit Aristoteles 2. de anima cap. 4. tex. 37. & hoc in libro cap. 2. tex. 23. & cap. 7. text. 71. vt etiam D. Thomas, Simplicius & Philoponus ibidem annotarunt, videlicet finem aut esse finem cuius; aut finem cui. Finis cuius est id, cuius obtinendi gratia aliquid fit, vt valetudo, quam vt assequamur medicamentum sumimus. Finis cui, est, in cuius gratiam fit aliquid; vt ægrotus, cui valetudo medicamentorum interuentu procuratur. 1. diuisio finis. Finis cuius. Finis cui.

Secunda est. Finium alter vocatur generationis; alter rei genitæ. Ille est forma, quæ per generationem inducitur, & à generante intenditur. Hic operatio, cuius gratia vnunquodque esse dicitur. Quã diuisionẽ inculcat Auerroes 4. libro de cælo cõm. 22. colligiturque ex Aristotele 1. de ortu, & interitu cap. 7. tex. 55. & hoc in libro cap. 7. tex. 70. itemque 2. de cœlo cap. 3. tex. 17. 2. diuisio.

Tertia. Quidam fines operationi præexistunt, nec agentia in eorum effectionem tendunt, sed ideò operantur, vt eis coniungi, aut assimilari possint. Sic Deus est finis non solùm creaturæ intellectualis, quæ ipso frui potest; sed etiam totius naturæ, quæ similitudinem diuini esse, pro suo modo, affectat. Alij sunt fines, qui agentis actioni non præexistunt; sed ab eo efficiuntur, vt forma, quæ per generationem acquiritur. Hos docuit Aristoteles hoc in libro cap. 2. tex. 23. esse terminos motuũ; quia formæ substãtiales præeũtibus disposition ibus, quæ motu inducuntur, materiam subeunt. 3. diuisio. Deus finis omnium.

Lege Arist. 2. lib. de cœl. c. 12. text. 64. & lib. 12. Metaph. cõm. tex. 36.

De his finib9 D. Thom. 3. cõt. gẽt. c. 18.

His animaduersis, conclusio sit, finẽ non solùm esse verè, ac propriè causſam; sed omnium primam. Huiusce conclusionis veritas, etsi quosdam ex antiquis Philosophis, vt initio præfati sumus, latuerit; communi tamen assensu recepta est. Priorem eius partem asseruit, probauitque Aristoteles cap. 3. huius libri tex. 29. Patet autem ex eo, quia finis est, cuius gratia fit aliquid, vnunquodque autẽ pendet per se ab illo, cuius gratia fit, & omne illud, à quo aliquid per se pendet, verè, ac propriè causſa illius est. Posterior pars eiusdẽ cõclusionis traditur ab Aristotele hoc in lib. c. 3. tex. 31. & 11. Metaphy. cap. 1. text. 36. Conel.

Suadeturq; ea ratione, quia cũ efficiẽs nõ nisi alicuius gratia operet,

necesse est antequam agat,& materiæ formam inducat,moueri à fine: sicque finis motio caussalitates omnium aliarum caussarum, saltem origine,antecedit. Itaque primum locum obtinet finis, secundum agens,tertium materia,quartum forma. Potest etiã ea ex parte caussalitas finis non origine tantùm,sed dignitate prior vocari; videlicet quia vt agere, quàm agi, præstantius est; ita in ordine mouentium id excellit,quod mouet non motum; quo pacto se habet finis cùm ipse moueat cęteras caussas,nec ab alia moueatur,vt docet Aristoteles loc. pximè cit.& 3.de anima cap.10.tex.54. Lege Magnum Albertum hoc loco tractatu 2.cap.5. vbi aliam prioritatis seriem inter caussas tradit. Denique aduerte quadam consideratione singulas caussas posse cæteris priores nuncupari. Nam si vetustas,& stabilitas spectetur,prima est materia: si quidditatis notio,forma: si ratio physicæ motionis,efficiens: si modus excitandi, ac pelliciẽdi, finis.

Lege d. Th. 1.p.q 6.art.4.

Caussalitas finis non origine tantùm, sed dignitate prior.

Argumenta autem,quæ ostendere videbantur finem non verè,ac propriè caussam esse,hunc in modum refutanda erunt. Ad 1. concessis quæ in eo assumuntur dicendum,etsi finis,cùm actu caussat, non existat secundum esse,quod habet in rebus; existere tamen secundum esse intentionale,quod in mente obtinet, dum apprehenditur; quæ apprehẽsio,vt paulò post dicemus,est conditio,sine qua finis suam caussalitatem exercere non potest.

Sol. primi argum.

Ita Sonc. 3. Metaph.44.

Secundum refellitur inficiatione minoris. Licet enim finis si pro extremo sumatur,principio repugnet,nõ tamẽ si accipiatur prout designat caussam finalem, quæ principium est, quatenus ab eo sua principiata dependent. Aristoteles tamen loc. cit. cùm finem principio opponi dixit, principum sumpsit pro eo vnde motus oritur, idest,pro efficiente,cui finis relatiuè opponitur,cùm non ad media tantùm,sed ad efficiens quoque referatur.

Sol.2.

Tertio satisfit concedendo motionem finis impropriam esse in genere motus,negando tamen esse impropriam in ratioue caussandi. Nam esto finis metaphoricè moueat,vt sequenti quæstione patebit, propriè tamen caussat; quia propriè ab eo pendet id, quod ab ipso caussatur.

Sol.3.

QVÆSTIO XXI.

VTRVM CAVSSALITAS FINIS IN metaphorica motione consistat, an non?

ARTICVLVS I.

VIDERI NON IN EA CONSISTERE.

VT quæ nam finis caussalitas sit scrutemur, animaduertendum est ex Diuo Thoma in 1.2.q.9.art.1. & Scoto in 1.d.1.q.4. duplicẽ esse motionem,vnam propriam, quæ fit per veram, & gere

& germanam actionem, vt cùm ignis aquam calefacit; aliam impropriam, & translatitiã, cuiusmodi est ea, qua mouere dicitur id, quod sui amorem inijciendo allicit, trahitque ad sese; ob quem tractum dicitur anima magis esse vbi amat, quam vbi animat, quia videlicet ad rem amatam quodammodo extra se affectu rapitur; vt præclarè docet D. Dionysius 4. cap. de diu. nom. Et D. Bern.

Dupler mõtio, vna propria, altera translatitia.

Hoc posito in quæstionem vocamus num caussalitas finis consistat in metaphorica illa motione, qua res, quæ finis nuncupatur, ex sui desiderio caussam agentem ad operandum allicit. Pars negatiua hisce argumentis videtur concludi. Aliquid allicit, & non est finis; aliquid est finis, & non allicit. Ergo caussalitas finis non consistit in alliciendo. Prior antecedentis pars suadetur, quia voluntas diuina allicitur à sua bonitate ad operandum; Quo spectat illud Boetij libro 3. de consolatione Philosophiæ metro. 3. 1. argum.

Quem non externæ pepulerunt fingere caussæ
Materiæ fluitantis opus; verùm insita summi
Forma boni liuore carens:

Et tamẽ diuinæ volũtatis in se sumptæ nec finis, nec alia vlla caussa esse potest; cùm Dei voluntas ab ipso Deo non distinguatur, quem aliunde caussari non posse luce clarius est. Secunda pars eiusdẽ antecedentis probatur; quia finis, & boni vna, eademque ratio est; at constat aurum, verbi gratia, in se actu bonum quidpiam esse; & tamen non semper allicere; cùm à multis contẽnatur.

Secundò, Motionem illam, qua finis caussam agentẽ allicit, præcedit actio intellectus obijcientis appetitui ipsum finem. Ergo finis caussalitas non debet in ea motione constitui. Assumptum liquet, cùm appetitus teste D. Augustino 8. de Trinit. capit. 53. non possit ferri in ignotum. Consequutio ostenditur, quia caussa finalis, vt paulò ante disseruimus, est omnium caussarum prima, cæterasque caussalitates præit, quod esse non potest, si eius motionẽ anteuertit prædicta intellectus operatio. 2. argum. Appetitus nõ fertur in ignotum.

Tertiò, Cum finis allicit, eo pacto mouet, quo is qui consulit; siquidem vterque inuitat, rem appetitui proponendo; at motio cõsulentis ad efficientem caussam spectat, vt Aristoteles hoc in libro capit. 3. text. 29. hisce verbis edisserit, Præterea id, vnde mutationis aut quietis primum est principium; qualis caussa est is, qui consulit, & pater filij, & vno nomine id, quod efficit eius, quod fit} ergo & illa finis motio tota erit efficientis caussæ. 3. argum. Motio eius, qui consulit ad effectricẽ caussam pertinet.

Quartò, Etiam ea, quæ cognitione carent, gratia finis operantur, vt in progressu huius libri patebit: & tamen non alliciuntur à fine; siquidem istiusmodi allectio non nisi præeunte notitia fit. Igitur allectio appetitus non requiritur ad caussalitatem finis. 4. argum.

Postremò finis confert medijs appetibilitatẽ. Sæpe enim media, quæ alioqui molesta, & ingrata sũt, propterea quod ad finẽ assequẽdũ conducũt, reddũtur amabilia, actuq; amãtur, vt patet in sectione 5. argum.

venæ,potione,abstinentia à cibo,alijsque id genus. Non igitur finis tantummodò respectu caussæ agentis,quam allicit; sed etiam respectu mediorum caussalitatem exercet.

ARTICVLVS II.

QVÆSTIONIS ENODATIO.

Communis sententia.

IN hac disceptatione communis Philosophorum opinio est caussalitatem finis consistere in metaphorica illa motione,quam dixi mus. Ita sentit D. Thomas 1. contra gent. cap. 75. Ferrariensis ibidem, Scotus in 1. d. 1. q. 4. Gandauensis 1. p. sūmæ art. 49. q. 6. Ochamus in 2. q. 3. art. 2. Alensis 1. p. q. 17. membro 3. Soncinas 5. Metaphys. q. 2. M. Albertus eodem lib. tract. 1. cap. 3. Auicēna libro 6. suæ Metaphys. tractatu 5. c. 5. & alij; quibus suffragatur Aristoteles 1. lib. de generatione cap. 7. text. 55. vbi docet caussam, vnde principium motus existit, idest, caussam efficientem, actiuam esse; non ita eam, cuius gratia cætera fiunt, idest, finalem, quæ non est actiua, nisi per translationem.

Alias tamen de hac sententias refert Herueus q. 1. quodl. 2. Soncinas loc. hic citato.

Quia tamen hac in re non parua est difficultas, aliquot assertiones ad eam illustrandam subijciemus. Prima sit. Metaphorica motio, qua res cognita appetitū allicit, est ratio caussandi finalis caussę; non tamē respectu cuiuslibet agētis, sed creati tantùm. Hanc assertionem vt intelligas paucis accipe ea, quæ in fine, quod ad præsentem locum spectat, cōsideranda occurrunt. Primùm igitur in sanitate, exempli gratia, cernitur peculiaris quædam entitas naturę animalis consentanea, & accommodata; quæ nihil aliud est, quàm primarum quatuor qualitatum permistio, & temperies. Hanc consequitur relatio cōuenientiæ, seu bonitatis formalis. Post hāc suboritur relatio appetibilis: ideò enim vnūquodque appetitur, quia bonum, seu conueniens est. Tandē accedit relatio finis, qua sanitas ad media & ad ea, quæ ipsius gratia fiūt, refertur. Quòd siquis obijciat Aristotelē hoc libro c. 3. tex. 31. & 1. Eth. c. 1. supponere bonū, & finem idem esse; quare nō rectè à nobis relationē finis à bonitatis relatione distingui. Occurrendū erit ex sententia Philosophi bonū & finem idem esse, non quoad relationes; sed quoad fundamētum, cui innituntur, quod vnum, idēque est, vt in sanitate videre licet, quæ per eandēmet entitatē, qua vitā animalis seruat, appetitur vt bona, mouetq; vt finis. Et verò non appetit Socrates relationē bonitatis, seu conuenientiæ, quā respectu illius sanitas habet; sed sanitatē ipsā, quæ tamen non nisi prout relationi conuenientis subiacet, appetitionem terminat. Nisi enim res voluntati proponatur vt conueniens, nequaquam in ea sui amorem, aut desiderium excitabit. Ratio autem cur finem omnem, bonum quidpiam, seu verum, seu adumbratum, esse oporteat, ea est; quia, teste D. Dionysio quarto cap.

1. assertio.

Explicatio.

Relatio bonitatis.

Relatio appetibilis.

Relatio finis.

Obiectio.

Responsio.

Bonum & finis vt conueniant, vt differant.

Dionys.

Lege Capr. in 2. d. 34. quæst. 1. Cai. 1. p. q. 5. art. 1. Ferr. 1. cōt. gēt. c. 37.

Lege initium primi Ethic. Damascenū 2. Fid. orth. cap. 22.

cap. de diuinis nominibus, nemo ad malum spectans operatur; & vt Seneca 4. de officijs, cap. 17. ait, nemo est à naturæ lege adeò alienus, vt malum, nisi sub aliqua specie boni, possit appetere. Seneca.

His ita explicatis, quòd motio, qua res sub ratione conuenientis appetitui obiecta ipsum allicit, ratio caussandi finalis caussæ sit, ex eo concluditur; quia talis motio non pertinet ad caussam efficientẽ, cuius est proprio, & non trãslatitio motu mouere; nec ad cæteras caussas, vt earum caussandi modos intuenti planum erit: superest ergo vt ad finalem caussam spectet.

Quòd autem finis non eam habeat caussalitatem respectu cuiuslibet agentis, sed creati duntaxat, (vt annotauit Heruęus quodlib. 2. q. 1.) ea ratio probat, quia licet Deus externis suis actionibus operetur propter finem, testãte sacra pagina prouerbiorum 16. illis verbis, vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus; tamẽ nullus finis diuinam voluntatem alliciendo, caussalitatem erga illã exercet; cùm internæ Dei actiones nullam caussam habere possint, vtpote quæ sint ipse Deus. Itaq; cùm ij auctores, quos antè retulimus, caussalitatẽ finis in metaphorica motione constituunt, non loquuntur (si modò rectè sentiant) de eiusmodi caussalitate nisi in ordine ad agentia creata. Etsi ex eorum numero Soncinas parum considerate, non qualẽcunque, sed verã caussalitatem finis, attribuerit bonitati diuinæ respectu suæ volitionis. Explicatio cõmunis sententię de caussalitate finis.

Secunda assertio. Caussalitas finalis caussæ, si vniuersè loquamur, consistit in eo, quòd res, quæ caussa denominatur, sit id, cuius gratia fit aliquid. Debet autem verbum fieri, (quod obseruat loco citato Heruæus) laxiore significato sumi; ita vt idem valeat, atque accipere esse actiuè ab alio. Qua vsurpatione non solùm res naturales, & artefactæ, aliæque eiusmodi; sed ipsæ quoque actiones fieri dicuntur. Probatur autẽ huiusce assertionis veritas ex ipsa finis notione. Nam cùm finis sit id, cuius gratia cætera fiunt, vt docuit Aristoteles hoc in libro cap. 3. tex. 31. & 2. de anima cap. 4. tex. 37. & 2. Metaphys. cap. 2. tex. 8. & 1. Ethic. c. 7. consequens est, vt vniuersalis modus caussandi finalis caussæ in eo cernatur, vt ab ipsa aliquid dependeat, quatenus eius gratia fit; quidquid illud sit: quod sequenti quæstione declarandum erit. 2. assertio. Explicatio.

ARTICVLVS III.

DILVTIO ARGVMENTO-rum primi articuli.

REspondeamus nunc ad argumenta, quibus ostendi videbatur metaphoricam motionem, qua finis appetitum allicit, nullo modo ad caussalitatem finis, etiam respectu agentis creati, perti- Sol. 1. arg.

pertinere posse. Ad priorem partē eius, quod initio obiectum fuit, dicendum est, quidquid allicit, trahitque voluntatem, ita vt in ea tractum illum verè causset, verè finalem causſam esſe; voluntatem autem diuinam non sic trahi à sua bonitate; sed per simplicem quādam allectionem ab omni dependentia, & causſalitate prorsus liberam, atque adeò longè diuersam ab ea, qua voluntas creata in bonū rapitur. Nam præterquam quòd in diuinā naturam causſalitas passiua nullo modo cadere potest; amor etiam, quo Deus in suā bonitatem fertur, & bonitas ipsa omnino idem sunt; ac proinde sortirī inuicem non possunt rationem causſæ, & causſati.

Diuina bonitas non allicit finaliter voluntatē diuinam.

Ad posteriorē argumenti partē respondendū, etsi quidquid est actu finis, bonum quidpiam, seu verum seu adumbratum sit, nō tamen retro cōmeare, vt quidquid est bonum, sit actu finis. Nō enim boni & finis, quoad reciprocationē, eadem ratio existit; licet cùm simul reperiuntur, eadem dici possit merito fundamenti, in quo cōueniunt, sicuti & quælibet duo accidentia vnum dicuntur ratione subiecti, in quo inhærēt. Non obstat autem his, quod quicquid appetitur vt bonum sit finis, saltem aliquo modo, respectu appetitionis creatæ; & è conuerso quicquid vt finis appetitur, bonum sit.

Sol. 2. Ad 2. Concedendum est prius pronuntiatum, negandum posterius, & ad eius cōfirmationem dicendum actioni intellectus obijcientis voluntati finē, præire aliam quandam finis causſalitatē. Quod ex eo patet, quia fieri nequit vt intellectus quicquā percipiat, quin eiusmodi perceptione contendat in obiectum sibi proprium & cōueniens, ac proinde in aliquē finem, ad quem impellatur, vel à voluntate, cùm ab ea mouetur; vel aliunde, vti accidit in subitis, & repentinis motibus, qui voluntatis cōcursum anteuertunt. In ijs enim etsi intellectui nullus præstituatur finis à voluntate creata; præstituitur tamen ex directione causſæ primæ, hoc est, à Deo naturarū propensionumq; omnium auctore. Quod similiter de finibus aliorum agentium, quæ naturæ necessitate operantur, progressu dicemus. Itaque adhuc ratum manet motionem finis simpliciter priorē esse motione efficientis causſæ: quia licet vna motio efficientis possit esse prior aliqua motione finis; omnis tamen efficientis motio in aliquam motionem finis, in qua tandem status sit, resoluitur.

Quę nam finis causſalitas sit prima.

Subitis motibus intellectꝰ à quo prę stituatur finis.

Sol. 3. Tertium argumentum falsum assumit. Qui enim consulit, ediſſerendo proponit ea, quibus rei, de quā agitur, prosequutionem, vel fugam suadeat: proindeque actiuè mouet: non ita verò finis, qui suæ bonitatis præsentiam obiectiuè tantùm exhibet appetitui.

Sol. 4. Ad 4. Fatendum est agentia naturalia, quæ cognoscendi, & appetendi vi carent, non allici per se à fine, sicuti nec in ipsum per se cōtendunt; sed quatenus diriguntur à prima causſa, in qua eorum finis cognitio, & amor præexistit. Vnde intelliges motionem illam metaphoricam, qua finis appetitum excitat, eiusque actionem causſat, ita conuenire soli agenti creato, vt non conueniat omni. Vltimi argumen-

Agentia cognitionis expertia nō alliciuntur per se a fine.

gumenti solutio ex ijs, quæ in sequenti quæstione asserenda sunt petenda erit.

QVÆSTIO XXII.

VTRVM OMNIS OPERATIO CAVSÆ agentis sit effectus finis, an non?

ARTICVLVS I.

SOLVTIO QVÆSTIONIS.

VT propositæ quæstioni satisfiat aduertendum est in eo, qui ex delectu, seu liberè operatur, & finem aliquem obtinere studet, varias operationes ordinem quendam inter se habentes spectari: quarum præcipuæ hæ sunt. Prima, simplex amor finis. Secunda, assequendi finis desiderium. Tertia, intentio, qua voluntas finem adipisci optat, non iam simplici appetitione, vt antea; sed per media idonea, non dum tamen particulatim explicita, sed confusè. Quarta, mediorum ad comparandum finem inuestigatio. Quinta, iudiciũ de medijs. Sexta, mediorum electio. Septima, eorundẽ mediorũ executio, applicatioue. Octaua, adeptio finis. Est ergo inter Philosophos disceptatio nũ hæ omnes actiones inter effecta causſæ finalis numerandæ sint. Quidam eas tantùm numerandas putant, quæ circa media versantur. Quod inde videtur cõcludi, quia eæ tantùm actiones effecta finis censeri debent, quæ finis gratia sunt; cùm finis definiatur id, cuius gratia fit aliquid; at illæ tãtùm videntur esse gratia finis, quæ ad ipsum consequendum ordinantur; cuiusmodi sunt quæ duntaxat circa media insistunt; præsertim cùm finis, qua finis, importet habitudinem ad media.

Controuersia de distinctione horũ actuum tractatur in prima secundæ quæst. 12.

Varię operationes ordinatim sese excipiẽtes in ijs, quę gratia finis operantur.

Status cõtrouersię.

Prima opin.

Alij etiam intentionem reponunt inter effecta finis, non tamen eius amorem; propterea quod fieri gratia alicuius nihil aliud esse videatur, quàm fieri propter aliquid amatum, quod conuenit intentioni, quæ amore finis elicitur, non autem ipsi amori, quem in eodẽ agente alius amor non antecedit.

Secũda opi.

Gregorius in 2. dist. 38. quæst. vnica art. 1. ibidemque Gabriel notabili 2. finem trifariam vsurpari volunt; communiter, propriè, & magis propriè. Communiter, cùm pro quolibet appetitus obiecto sumitur. Propriè, cùm accipitur pro illo, cuius gratia aliquid aliud est volitũ. Magis propriè, cùm dicitur de eo, ad quod ita quidpiam dirigitur, vt ipsum ad aliud non referatur; sicque prima duntaxat rerum omniũ causſa, hoc est, Deus finis appellatur: quia sicuti ab illo, vt à causſa vniuersali, ac fonte totius esse, manarũt omnia;

Tertia opin.

Triplex acceptio finis.

ita

ita ad eundem, vt ad vltimũ finem peracto circulo recurrunt. Cùm ergo de sententia horum auctorum tot modis finis dicatur, totidem etiam dicẽtur finis effecta, videlicet communia, propria, magis propria. Cõmunia, erunt actiones tendentes in quoduis obiectũ. Propria, quæ in id, cuiusgratia & cæt. Magis propria, quæ in Deum feruntur.

Resp̃ōsio ad quęst.

Hæc tamen controuersia ita nobis explicãda videtur, vt dicamus duplicia esse effecta finis; alia, quæ verè, & propriè; alia, quæ non solum verè, & propriè, sed perfectissimo modo effecta illius sunt: & in posteriori quidem genere eas tantùm actiones numerari, quæ in media explicitè feruntur; in priori cæteras contineri. Porro hæc assertio hunc in modum probari potest. Finis verè, ac propriè suam caussalitatẽ exercet respectu illius primi actus, videlicet amoris erga ipsum: igitur eiusmodi actus est verè, ac propriè effectus finis: quod similiter de reliquis actibus primi generis, per quos media nõ attingantur, probatum manebit. Antecedens (quod præter alios asserit Henricus Gandauensis 2. p. sum. art. 46. q. 6.) ostenditur. Nam res, quæ finis denominatur, mouet obiectiuè metaphorico motu allicicndo voluntatem ad prædictum amorem; siquidem inest ei bonitas, & cõuenientia, qua voluntatis affectũ eo modo ad se trahat, vt planum est: hæc autem motio verè, ac propriè spectat ad aliquod caussæ genus; cùm secundum illam amandi actus simpliciter à re ita mouente dependeat: item verò nulla datur caussa, ad quã ea motio pertineat, præter finalem, cui, vt ex superioribus liquet, proprium, ac peculiare est per translatitiam motionem caussare. Ergo talis amor verè, ac propriè est effectus finis, vt finis. Iã quòd illæ tantùm actiones, quæ præhabita intentione finis circa media insistunt, finis effecta perfectissimo modo existimari debeant; suadet tum insignis habitudo finis ad media; tum quòd eæ solùm actiones exercentur obtinendi finis gratia; in qua re præcipua vis & ratio caussandi finalis caussæ sita videtur.

Probatio assertionis.

Amor finis est verè, & propriè effectus finis.

Cõmunis ratio effectorũ caussę finalis.

Itaque generalis ratio effectorum caussæ finalis in eo consistit, quòd illius gratia, id est, propter illius bonitatem quomodocunque fiãt. Quod & Aristoteles non obscurè indicauit, cum in definitione finis generalibus illis verbis vsus est, cuius gratia fit aliquid. Nec sanè inusitatum est appellationem finis tribuere obiecto simplicis amoris, aliorumque actuum similium, in quibus nulla mediorum ratio interuenit; cum D. Thomas in prima secundæ. q. 1. art. 1. docuerit omne obiectum voluntatis esse finem, ac bonum.

Finis possessio quo pacto sit effectus caussę finalis

Circa ipsam tamen possessionem finis aduerte eam interdum esse operationẽ, vt patet in vltimo fine creaturæ intellectualis, qui per intuitiuam diuinæ naturæ contemplationem possidetur: nonnunquam esse quietem, cessationemvè ab opere, vt videre est in corporibus grauibus, & leuibus, quæ ad naturalem locum, vt ad finem, cõtendunt, & eo per quietem, omni motu inhibito, potiuntur. Prior

ergo

ergo possessio propriè est effectus finis: posteriot, sicuti non fit, ita non propriè dicitur illius effectus, etsi ad eum, vti complementum omnium antecedentium operationum, reuocari debeat; nisi quis ita latè verbum, fieri, vsurpare velit, vt eius vim ad ipsam quoque operis cessationem extendat: sic enim eiusmodi cessatio non reductitiè, sed propriè ad finis effecta pertinebit.

Iure hic etiam quæsierit aliquis num appetibilitas, quam finis, vt vltimo superioris controuersiæ argumento ostensum videtur, medijs confert, inter finis effecta recensenda sit. Quidam affirmantem partem sequuntur. Sed explicatione res indiget: si enim velint, finem conferre medijs appetibilitatem nihil aliud esse, quàm media appeti, quia conducũt ad finem; rectè sentiũt, nec huiusmodi effectus distinguitur ab ijs, quos hactenus fini attribuimus. Si autẽ significent media mutuari à fine aliquam bonitatẽ, ratione cuius amabilia reddantur, aduertendum erit, cùm bonitas conuenientia quædam sit, & exempli gratia, medicamentum ideo ægroto conueniat, quia ad sanitatem acquirendam idoneum est; negari non posse talem conuenientiam, &, quæ hanc consequitur, amabilitatem, aliquo modo à sanitate deriuari. Verùm quia sanitas non habet actu rationem finis, nisi cùm agentem caussam actu mouet; & nihil censetur actu medium, nisi cùm fit, vel adhibetur, alioue modo simili, re ipsa tractatur propter aliud: vtique non dicetur ea bonitas à sanitate vt à re causalitatem finis exercente, in medicamentum tanquam in medium deduci, nisi cùm medicamentum ab agẽte verbi caussa quæritur, conficitur, aut apponitur, ad recuperandam eius interuentu sanitatem. At enim quemadmodum ante operationes caussæ agẽtis, sanitas est finis potestate; ita prædicta bonitas, & appetibilitas ante eiusmodi operationes inter effecta finis, non actu; sed potestate, vtcunque numerari poterit. Itaque fatemur media à fine prædicto modo aliquam accipere bonitatem, quæ ad illius effecta, si non proprie, saltem reductitiè pertineat. Asserimus item omnes operationes agentis creati, tam externas, quàm internas, itemque omnes externas agentis increati esse effecta finium, quia vniuersæ feruntur in aliquod bonum, quod finis rationem habet.

Quæstiuncula.

Quorundam responsio.

Vera explicatio.

Bontias, & amabilitas deriuata à fine in media.

ARTICVLVS II.

OBIECTA CONTRA SVperius dicta.

ADuersus ea, quæ proximo articulo concluſa ſunt, opponet aliquis. Deus agit propter finẽ, vt ſuprà oſtendimus, ergo oẽs actiones ſimpliciter ꝓpter finẽ ſũt: atq; adeò nõ rectè excipim⁹ actiones internas agẽtis increati. Secũdò, Adepto fine ceſsat actio,

1. obiect.

2. obiect.

vt docet Aristoteles 1. de gener.cap.7.tex.55.ergo nulla efficientis caussæ operatio tendit in finem adeptum,seu possessum; cuius oppositum ante docuimus.

Dilutio.1. obi.

Horum tamen facilis explicatio est. Ad primum dicendum sicuti motio metaphorica nõ est ratio caussandi nisi respectu agẽtis creati; ita nec omnes actiones internas esse effecta finis; sed eas tantũmodò,quæ ab illo pendere,& caussari possunt,quales sunt omnes,quæ ab agente creato exercentur,& solæ externæ increati agentis.Hoc tamen non impedit quominùs Deus propter finem agere dicatur; non quidem propter finem operantis; quasi ipse fine perficiatur, aut ad aliquem finem ordinetur, vt res creatæ; nec quasi desiderio finis agat; cùm ei nihil desit,proindeque desiderare,nihil possit;sed quia externas suas actiones, & opera ad finem destinat amore suæ bonitatis cõmunicandæ. Vnde est illud D.Dionysij 4.cap. de diuinis nominibus, Diuinus amor non dimisit Deum esse sine germine. Consule D.Thomã in 2.dist.1.q.2.art.1.& 2.Alensem 1.p.q.36. membrò 3.Henricum quodlib.4.q.19.

Quomodo cõpetat Deo agere propter finem.

Pronuntiatũ D. Dionysij de diuino amore.

Lege Ferr.1. contr.gent c. 82. Dur. in 2. d.1.q.6.Driedonem.1.p. concor.ca.4. ad 4.

Dilut.2.obi.

Ad 2. dicito pronuntiatum illud Aristotelis intelligendum esse de actionibus,quibus finis quæritur,aut quoquo modo procuratur: eæ namque post adeptionem finis superuacaneæ forent. Addit etiã D.Thomas in 4.distin.48.q.2.art.2.& ex eo Ferrariensis lib.1.contra gent. cap.20. duo motuum, actionum uè genera reperiri: alios esse motus,quos sequitur finis, è quorum numero est deambulatio, quam bonaualetudo sequitur; alios, quos finis ipse comitatur, quo pacto cœlestium corporum motus comitatur imitatio diuinæ naturæ in caussando,tanquam eorum finis. Ait ergo D.Thomas motus prioris generis cessare præsente fine; posterioris nequaquam.

QVÆSTIO XXIII.

CAVSSET NE FINIS SECVNDVM esse intelligibile, an secundum existentiam, quam in rebus habet?

ARTICVLVS I.

QVIBVS ARGVMENTIS VIDEATVR caussare secundum esse intelligibile.

Duplex esse; vnum reale, alterũ intentionale.

RES, quæ finis denominatur,vti sanitas,duplex esse, seu existentiam obtinet; alteram intelligibilem, & obiectiuam in mente ægroti, aut medici: alteram realem in rebus ipsis,seu quomodolibet extra caussas. Solet igitur à Philosophis in cõtrouersiã vocari secundum quam existentiam finis caussetSoncinas

5.Meta-

5. Metaphyſ. q. 3. alijque nonnulli, putant cauſſare ſecundum exiſtentiam intelligibilem; quibus videtur ſuffragari Auicena 6. libro Metaphyſ. cap. 5. & vt quidam è recentioribus Theologis volunt, D. Thomas in prima ſecundæ q. 21. art. 1. Quorundam ſententia in Propoſita queſt.

Sunt verò pro hac parte huiuſmodi argumenta. Finis dicitur omnium cauſſarum prima, vt ſupra ex Ariſtotele docuimus; atqui non poteſt dici prima executione; ſic enim poſtrema eſt; quin & res, quæ denominatur finis eo modo ſpectata nõ obtinet rationem cauſſæ, ſed effectus, qui executione agentis cauſſæ in actu ponitur: eſt igitur prima ſecundum apprehenſionẽ; ſed eo modo, quo prima cauſſa eſt, eo cauſſalitatem exercet. Igitur finis exercet cauſſalitatem ſecundum apprehenſionem, ſeu, quod eòdem recidit, mouet ſecundum eſſe intelligibile. Secundò, finis mouet metaphoricè; ſed hęc motio nõ procedit ab eſse reali; ſed ab eſſe obiectiuo finis, quod appetitum allicit, ſuam ei præſentiam exhibendo. Ergo finis non cauſſat niſi ſecundum eſſe obiectiuum. Tertiò, Finis requirit ſui notitiam vt moueat, ſed non eam requirit tantummodo vt conditionem. Igitur vt rationem formalem mouendi. Probatur minor, quia id, quod variat ſpeciem, non ſe habet vt conditio, ſed vt ratio formalis; at apprehenſio obiecti variat ſpeciem appetituum, vt docet S. Thomas 1. p. q. 80. art. 2. Nam appetitus naturalis, ſenſitiuus, & intellectiuus eo inter ſe ſpecie differunt; quòd primus tendit in rem ignotam ipſi agenti; cognitam tamen ab intellectu ſeparato, à quo dirigitur. Secundus fertur in rem ſenſu cognitam. Tertius in rem cognitam intellectu ipſius agentis. Præterea, Nihil cauſſat ſecundum eſſe reale, niſi habeat realem exiſtentiam: ſed pleriq́ue fines non habent exiſtentiam realem: ergo & cæt. Probatur minor, quia fines dum intenduntur, maiori ex parte non dum exiſtunt: multi neque poſtea exiſtent, vt cùm quis nititur obtinere magiſtratum, quem non obtinebit: quidam natura ſua non habent in rebus exiſtentiam, vt cùm quis appetit ab alijs magni æſtimari: nonnulli priuationes, aut negationes ſunt, vt cùm quis vita priuari, aut alijs non ſubijci, deſiderat. Quare multi ſunt fines, quibus exiſtentia realis non conuenit. Poſtremò. Relatio cauſſæ ad effectum, eſt realis; cùm omnis cauſſa ſicuti realiter eſse confert, ita realiter effectũ reſpiciat: ſed relatio inter finem, & eius effectum, ſiue prout finis habet eſse in rebus; ſiue vt intellectui obijcitur, non eſt realis. Igitur finis neutro modo ſũptus eſt verè cauſſa. Minor ſuadetur; quia relatio realis poſcit extrema actu realiter exiſtẽtia: at nõ dũ fine in eſse reali cõſtituto, exiſtit operatio agẽtis, quæ eſt effect⁹ cauſſæ finalis.

1. argum.

2. argum.

3. argum.

Quomodõ tripartita varietas appetitum diſtinguatur.

4. atgum.

5. argum.

ARTICVLVS II.

SOLVTIO QVÆSTIONIS.

IN qualibet cauſſa, quod ad rẽ pſentẽ attinet, tria ſpectari poſſũt, nẽpe id, qđ p ſe, ac ſipliciter cauſſat, ratio formalis cauſſãdi, & cõditio,

ditio, sine qua caussare non potest; vt in ignis generationē, id quod per se, ac simpliciter ignem producit, vt quod, est ipse ignis, ratio formalis calefaciendi est calor; conditio, sine qua non calefaceret, est mutuus agentis, & patientis contactus.

1. Concl. Hoc posito sit prima conclusio. In caussa finali id, quod caussat simpliciter, & vt quod, est res, quæ de nominatur finis. De hac conclusione nulla videtur esse disceptatio aut dissensio inter Philosophos: cùm planū sit, id quod principaliter mouet appetitū, esse verbi gratia sanitatem, qnæ appellationē finis vendicat, seu potius sanū.

2. concl. Secunda conclusio. Ratio formalis secundū quam res, quæ denominatur finis, mouet caussatque, est esse reale ipsius, non autem esse obiectiuum, siue apprehensum ab intendente finem, vt tale est. Hæc est D. Thomæ 1. contr. gent. cap. 75. Auerrois 12. Metaph. cōm. 36. Ochami in 2. q. 3. ar. 2. Gabrielis in 2. q. 1. ar. 3. distinctionis 1. & aliorum complurium.

Esse reale duobus modis accipi. Sed aduertendum, esse reale bifariam accipi; vno modo pro eo, quod est verum, ac positiuum ens, & non dependens ab intellectus notione: Altero, ita fusè, vt complectatur omne esse, quod quoquo modo est possibile obtineri, vel saltem tanquam possibile, aut non impossibile offertur appetitui; siue positiuum aliquid sit, siue habeat esse in rebus, siue in sola mente, prout tamen prædictam possibilitatem, vel non impossibilitatem in ordine ad possessionem induit. Igitur in nostra conclusione accipiendum est, esse reale, secundum posteriorem hunc sensum. Nam quodlibet horum potest metaphorico motu appetitū mouere. Addimus verba illa, aut non impossibile, quia interdū ambigitur an res adipisci queat, vt valetudo in lethali morbo, & nihilominùs intēditur, medijsque adhibitis procuratur. Sciendum quoque rem, etiam apprehensam vt impossibilem, simplici nonnunquam amore, imperfecto tamen, & inefficacī appeti, vt sentit Aristoteles 3. Eth. cap. 2. nō verùm intendi, aut per media procurari, vt hīc intelligimus.

Baconi in 1. d. 1. q. 1. Iauelli. 5. Metaph. q. 6.

Dubitatio. Addubitari hoc loco solet vtrū, nō esse, re vera appetatur. Quā cō trouersiam perstringit D. Thomas 1. p. q. 5. ar. 2. ac latè persequitur Ferrariēsis ad c. 19. lib. 3. cōtra gent. Durandus in 4. d. 50. q. 2. Heruæus quodl. 8. q. 8. Sōcinas 9. Metap. q. 16. Paucis respōdemus, ipsū

Responsio. non esse haud appeti innato appetitu; hic enim in rei conseruationem necessariò fertur; sed actu elicito: non ita quidem, vt non esse per se, ac solitariè expetatur; sed sub ratione boni alicuius veri, aut

Æternis supplicijs damnati vellent non esse. fucati: sicque dānati vellent non esse, vt suppliciorum æternitatem effugerent, & qui de peccatis, vt par est, dolent, vellent potius non fuisse, quàm diuinum numen violasse. Itaque vt D. Thomas loc. cit. explicat, non esse, ex accidente duntaxat est appetibile; quatenus optatur remotio alicuius mali, quod aufertur per non esse: remotio verò mali nō desideratur, nisi quia per malū, quoddā esse adimitur. Quo tandem fit vt solūmodò ipsum esse per se appetatur.

Quæri-

Quæritur etiam,num relationes interdum rationem finis habeant. Heruæus quodl. 2. quæst. 1. ridiculum putat id affirmare; ppterea quòd relationes minimũ entitatis inter accidẽtia sortiãtur. Nobis contrarium videtur. Putamus relationes non reales tantùm, sed rationis etiam, nonnũquam fines esse humanarum actionum, vt cùm quis relationem alicuius dignitatis ab hominum conceptu pẽdentis, & ab alijs magni æstimari optat. Non enim ad finis caussalitatem obeundam plus entitatis requiritur. Pro qua re lege Fonsecã lib. 4. Metaph. cap. 2. quæst. 7. sect. 8. & lib. 5. c. 2. q. 11. sect. 14.

Dubium?

Responsio Heruei.

Legitima responsio.

His ita explicatis suadetur iam secunda conclusio ex eo, quia res, quę finis dicitur secundum id, tanquam secundum rationem formalem caussandi mouet, quod cùm obtinetur, desiderium satiat; cùm non obtinetur, frustrari agens dicitur: hoc autem non ei cõuenit secundum esse,quod habet in mente; sic enim appetitum non explet; sed acuit. Conueniet igitur secundum aliud esse, nempe reale,quo adepto quiescit agens,nõ adepto frustra laborasse perhibetur. Secundò, Esse obiectiuum finis non expetitur,nec procuratur ab agẽte. Nec enim ægrotus desiderat esse intentionale valetudinis, quod iam pridem eius animo obuersatur, nec illius gratia deambulat, & à cibo obstinet; sed propter esse reale valetudinis, quam, humoribus ad temperiem redactis,re ipsa assequi optat. Igitur finis non secundum esse obiectiuum; sed secundum esse reale per se, ac simpliciter caussam agentem mouet.

Comprobatio secundæ conl.

Tertia conclusio. Esse obiectiuum est conditio, sine qua finis nõ mouet. Hæc ex eo perspicuè patet, quia finis mouet alliciẽdo caussã agentem, quæ allectio sine ipsius finis præcognitione, ad modum superius explicatum, dari non potest.

3. concl.

ARTICVLVS III.

REFELLVNTVR PRIMI articuli argumenta.

RAtiones, quibus ostendi videbatur id,quo finis per se, ac simpliciter caussat,esse existentiam obiectiuam, sic diluito. Ad 1. dic caussam finalem dici primam, quia primò mouet efficientem, & primò intenditur. Ad quam intentionem,licet apprehensio requiratur, non proinde sequitur caussam finalem dici primam secundum apprehensionem,tanquam secundum rationem formalẽ mouendi, sed tantummodò vt secundum conditionem ad mouendũ necessariam. Neque his repugnat D. Thomas in prima secundæ q. 1. art. 1. vbi ait finem esse primum, & caussam, vt est in intentione agentis, non vt est executione postremus: tantùm enim significat finem esse caussam, quatenus primò intenditur, (etsi non intẽdatur nisi

Sol. 1.

Caussa finalis quo sensu dicitur prima.

Qua conside ratione finis sit tantum effectus, non caussa.

nisi ꝓpter esse reale) itemq́; si spectetur prout efficientis executione producitur ea præcisè consideratione non caussam; sed effectum esse. Quod annotauit etiam Heruæus quodl. 2. quæst. 1. Ad 2. concessa maiore prop. neganda est minor: procedit enim motio à fine secundum esse reale, cognitum tamen. Nam ipsa entitas valetudinis, verbi gratia, ab intellectu cognita obijcitur appetitui, eumque secundum suum esse reale futurum, aut possibile, modo superius explicato, allicit. Tertia ratio diluitur inficiatione minoris propositionis. Nam res, quæ appetitur, prout exercet caussalitatem finis respectu appetitus, requirit notitiam tanquam conditionem duntaxat; esto prout subit rationem caussæ formalis externæ, appetitum in varias species distinguentis, non se habeat ad notitiam, vt ad cōditionem sine qua non; sed vt ad quidpiam ingrediens per se rationē formalem obiecti appetitus. Quod enucleatius persequi non est huius loci. Ad 4. Explicanda est maior propositio. Si enim intelligatur deesse reali iuxta priorem vsurpationem, de qua proximo art. neganda est; si iuxta posteriorem, concedenda; sed neganda minor; cuius probatio momētum non habet: quia solùm concludit nō omnes fines habere existentiam realem priori modi. Ad 5. Dicendū ex eo, quòd caussæ realiter caussent, non colligi omnes relatione reali effecta sua respicere: deposcit enim relatio realis (vt nunc alias cōditiones omittamus) extrema vtrinque realiter existentia. Itaque realiter caussare non est habere relationem realem; sed præstare verum concursum, quem tamen nō semper relatio realis comitatur, ob defectum conditionum, quæ ad eam requiruntur.

Sol. 2.

Sol. 3.

So. 4.

Sol. 5.

Capitis octaui Explanatio.

Dicendum à autem est } Duplicem controuersiam discutiendam proponit, vtranque cum ijs, quę superius disseruerat, cohętentem. Vna est vtrum natura in ijs rebus quas molitur, propter finem agat, an non? Altera, quęnā in Physicis rebus necessitatis sit ratio? Veteres namque, vt constat ex ijs, quę ab Aristotele lib. 2. de ortu & interitu, & 1. de partibus animalium, itemque à Platone in Phędone scripta sunt, tantam vim in necessitate posuere, vt in eam caussas omnes contulerint. Ac licet eorū nonnulli alias caussas attigerint, nēpe Anaxagoras mentem; Empedocles litem, & amicitiā; eas tamen mox dimiserunt aiētes res necessariò sic esse cōstitutas, quòd calidum, & frigidum & quę sunt eius generis à quibus cętera oriuntur, ita affecta sint.

Necessitati quantum veteres tribuerint.

CAP. VIII.

Dicendum a autem est primùm quamobrē ex his caussis natura sit, quæ alicuius agunt gratia, tū quæ in rebus naturæ necessitatis sit ratio, quandoquidem omnes ad hanc caussam confugiunt: quod enim calidum tale est, atque etiam frigidum, & quæ sunt eiusmodi, hæc & necessariò esse & fieri, aptaq́ue esse. Nam Text. 57.

b Dubitatio autem est } Antequam naturam propter finem agere ostendat, subijcit rationē, qua antiqui Philosophi in contrariam sententiam adducti sunt, quę ratio in hunc fere modum conclusa erat. Nihil prohibet asserere naturā, nec quòd ita melius sit, nec alicuius gratia operari; cum ex sola necessitate materię reddi possit caussa cur naturę effecta ita se habeant.

Ratio negantium naturā agere ꝓpter finem.

beant. Non est ergo putandum naturam agere gratia alicuius. Assumptũ probabant. quia si quispiam pluuię causſam sciscitetur, aptè responderi potest non ideò pluere, vt fœcundentur agri & sata augescant; sed ex materię necessitate, quia scilicet tenuem vaporem è terra excitatum, & ad mediam aeris regionem deductum, necesse est in nubes cogi, & dissolui in pluuiam, quę cùm grauis sit, suopte pondere deorsum ferturi atque ita accidit vt frumenti vbertas consequatur, si imber opportunus sit; aut sterilitas, si importunus.

c Quid ergo impedit? } Id quod de pluuia dictum est, iudicabant partibus rerum naturalium, vt animantium, accommodari posse, verbi gratia, dentes non esse ad aliquem vsum comparatos à natura; nec priores ideò acutos gigni, vt diuidant, nec alios ideò molares effici, vt cibum molant; sed accidere id temere confluente materia & ad eum modũ fortuitò cadentibus partibus.

Nam vt aliquam aliam afferãt cauſam, vt hic quidẽ diſcordiam, & concordiam: ille mentem, cùm vix tamen attigerint, valere ſinut. Text. 76. b *Dubitatio autem eſt quid prohibeat naturam, nec alicuius gratia, nec quia ſic præſtet agere, ſed perinde ac Iupiter, qui non ideò pluit, vt frumentum augeat; ſed neceſſariò; quandoquidem quod ſublatum eſt refrigerari, & refrigeratum, in aquam mutatum deſcendat neceſſe eſt, quod quidem cùm factum eſt, frumentum augeſcere contingit. Nec ſecus ſi cuiquã frumentum in area pereat, nõ vt periret pluit, ſed ita res tulit* c *Quid ergo impedit in natura quoque partes ſic ſeſe habere, vt dentes neceſſariò oriri, anteriores quidem ad diuidendum, molares autem latos, & ad molendum alimentum vtiles, neque enim huius gratia genitos eſſe; ſed ita accidiſſe. Similis eſt ratio aliarum partium, quæ ita videntur comparatæ, vt alicuius ſint gratia.* d *In quibus igitur omnia euenere perinde atque alicuius gratia eſſent facta, hæc caſu aptè conſtituta, ſeruata ſunt. Quæ autem non ſic ſe habuerunt, ea perire, & pereunt, vt quæ Empedocles ait bouigena, & androprora. Ac ratio quidem, qua aliquis ductus dubitare poſſit, hæc eſt, & ſiqua alia ſimilis ſit.* Text. 77. e *At fieri non poteſt, vt hoc modo hæc ſeſe habeant. Hæc nãque, & quæcunque conſtant natura, aut ſemper ſic fiunt, aut plerunque, quæ autem fortuna, & caſu non item: neque enim hyeme crebrò pluere fortuitò, caſuque videtur, ſed ſi ſub cane: neque æſtus ſub cane, ſed ſi hyeme. Si igitur aut caſu, aut alicuius gratia videntur eſſe, caſuque aut ex accidẽti eſſe non poſſunt, alicuius gratia profectò erunt. At natura conſtant quæ eiuſmodi ſunt omnia, vt etiam ij, qui hæc dicunt, affirmarent. Alicuius itaque eſſe gratia in his ineſt, quæ & fiunt, & conſtant natura.* Text. 78. f *Præterea quoruncunque aliquis eſt finis, eius cauſſa id, quod prius eſt, & quod deinceps ſequitur, aguntur.* Ita

d In quibus igitur } Aiebant iidem auctores etiã in cęteris rebus casum dominari, licet quę alicuius gratia fieri videntur, cùm tamen non fiant, aptè cadunt, diuturna sint: alia verò nullã habentia cõmoditatem paulò post intereant, sicuti accidit bouigenis, & androproris, idest monstrosis animantibus, quę superioribus, & interioribus partibus hominẽ referebãt, cęteris bouem, vti finxit Empedocles. Monstrosa animalia Empedoclis.

e At fieri non potest } Veterum sententiam coarguit, multisque rationibus naturam finis gratia operari ostendit. Primum ita. Quęcunque fiunt, aut casu fiunt, aut alicuius gratia; sed quę fiunt à natura, non fiunt casu; ergo gratia alicuius. Assumptionem probat, quia quę fiunt à natura, aut semper, aut plerunq; ita fiũt; quę verò casu, nec semper, nec plerunq;. Quis enim dicat fortuitò accidere, vt hyberno tẽpore crebri effũdãtur imbres, & ęstate ęstus vigeat? Prima ratio quòd natura agat propter finem.

f Præterea quoruncunque } Hunc locum aliter Philoponus, aliter Simplicius, & Themistius, alijque interpretes explanant, sed omissis controuersijs, dicendum probari secundò ab Aristotele idem institutũ hoc modo. In Physicis rebus vt vnũquodq; agitur, sic agi aptum est, & è contrario, vt est aptũ agi, sic agitur: nisi aliquid obsit; sed quod à natura fit, ita sehabet, vt huic, aut illi rei deseruiat, acsi ad illam à natura ipsa comparatum esset: est igitur aptum eius gratia fieri, atque adeò re ipsa ita fit. Minorẽ propositionem inde ostendit, quia si domus ex ijs 2. ratio.

ex ijs esset rebus, quę natura fiunt, ex eisdem sanè partibus coaleſceret, ex quibus nunc per artem constat. Itemque si ea, quę natura facit, ars efficeret, eum in modum faceret.

g Atque ars omnino } Non est noua ratio, sed explicatio precedentis. Artium, inquit, alię efficiunt id, quod prestare natura non potest, vt nauem: alię naturam ęmulantes idem faciunt, quod illa, vt ars medendi, quę morbis contraria inducendo, sicuti & natura, sanitatem reddit. Atqui ea, quę fiunt ab arte sunt propter finem. Ergo & illa, quę à natura fiunt: maximè cùm in naturalibus, sicut & in artefactis, antecedentia quędam cernantur, quę ex se ad consequentia referuntur.

Quę fiunt ab arte, sunt propter finem.

3. ratio.

h Sed in alijs animalibus } Tertia ratio ita habet. Videmus araneos, formicas, cęteraſque eiusmodi animantes consilij, & rationis expertes, sine delectu solius naturę ductu sua opera moliri eo artificio, atque ordine, vt multi dubitarint mente nè, an alio quodam principio agerent: agunt igitor haud dubiè propter finem. Quin etiam id videre, & admirarij licet in plantis, quę omni sensu carent, & tamen folia efferunt appositè ad tegendos fructus, radicesque agunt, non sursum versus; sed deordum, vt alimentum, & succum è terra possint attrahere; atque adeò gratia alicuiꝰ finis.

Itaque vt quidque agitur, sic natura aptum est: & vt natura aptum est, nisi quid impedierit, agitur. Alicuius autem agitur gratia, quare & gratia illius natura est comparatum. Vt si domus ex ijs esset, quæ fiunt natura: sic profectò, vt nunc ab arte, fieret. Et quæ fiunt natura si non tantùm natura: sed arte etiam fierent, non secus conficerentur, atque natura sint apta. Alterum igitur alterius gratia. g *Atque ars omnino alia perficit, quæ natura perficere non potest, alia imitatur. Si igitur quæ arte fiunt alicuius sunt gratia, ea etiam, quæ natura manifestum est. Nam priora, & posteriora, & in artificiosis, & in naturalibus rebus eandem rationem inter se habent.* h *Sed in alijs animalibus, quæ nec arte, nec inquisitione, nec deliberatione agunt, maximè euidens est: quo fit vt quidam dubitent, vtrũ aranei, & formicæ, cæteraque eiusmodi mente, an alio quodam opera sua efficiant: qui verò paulatim progreditur, ei in plantis quoque ea, quæ conferunt ad finem fieri videtur, vt folia ad fructus tegendos. Quare si & natura, & gratia alicuius hirundo nidũ facit, & araneus araneam, plantæ item folia fructuum gratia, & radices alimenti causſa nõ ſurſum, ſed deorſum mittunt, patet talem causſam in hiſce eſſe, quæ natura fiunt, & conſtant.* i *Cùmque natura ſit duplex, altera quidem vt materia, altera verò vt forma, quæ eadem finis eſt, ob finem autem cætera: hæc profectò cauſſa erit, cuius gratia. Peccatũ verò ſit & in rebus artificioſis: ſcripſit enĩ nõ rectè grammaticus, & potionẽ non rectè medicus dedit: quapropter patet in his quoque poſſe eſſe quæ fiunt natura. Si igitur quædam, quæ rectè ab arte fiunt alicuius ſunt gratia, in quibus autem peccatur, alicuius quidẽ gratia illa aggreditur, ſed non aſſequitur, non ſecus ſeſe res in naturalibus habebit, atq; monſtra errores eius erunt, quod alicuius agit gratia. Proinde & in primis conſtitutionibus bouigena niſi ad aliquẽ terminũ ac finem poſſent venire, corrupto principio aliquo, perinde atque nunc ſemine, gignebantur.* K *Præ-*

Text. 79. Text. 80. Text. 81. Text. 82.

Finis naturæ in generatione.

i Cumque natura } Docet quinam finis sit, propter quem natura in generatione rerum operatur, aitque esse formam rei genitę: intelligi finem proximũ, & specificantem formaliter actionem. Nam prętęr hunc alij quoque naturę fines existunt, vt progressu patebit. Quia verò obijcere quis posset naturam sine instituto, ac fine agere quod interdum in Physicis rebus prodigiosi partus, monstraque existant, quę à natura non intenduntur. Occurrit obiectioni, simulque nouam aliam rationem instruit ad propositum confirmandum, hoc modo. In rebus, quę arte elaborantur, peccata contingunt; & tamen id non impedit quo minus artifex gratia finis agere dicatur: quin potiùs inde eum propter finem operari intelligimus, quia ab scopo peccando aberrauit. Igitur licet interdũ in rebus naturalibus eiusmodi offensiones & peccata incidant, nõ ideò putandum erit naturam nullum finem spectare; sed

Obiec.

Dilutio.

Peccata in artefactis.

sed ad ipsum aliquo defectu non potuisse pertingere. Quo pacto dicendum foret generatos fuisse prodigiosos illos semiboues Empedoclis, si quando essent geniti.

k Præterea necesse est} Ostendit monstra Empedoclis, de quibus proximè dictum fuit, non potuisse, vt ille tradidit, procreari. Primũ quia non nisi ex semine paulatim gigni, & cõformari poterant. Secundò quia etiam in stirpibus, vbi naturam finis gratia operari minùs quàm in animantibus conspicuum est, idem accidisset; atque ita gignerentur, exempli gratia, oliuę semiuites, aut vites semioliuę: tum ptęterea quia nunc quoque similia animalia mẽbris fortuitò in vnum corpus confluentibus prouenirent. Ita verò Empedoclis figmento cõfutato, cõcludit Aristoteles generationem aliquem habere finem. Etenim quæ ordine quodam progrediuntur, in finem aliquem tendunt; at rerum Physicarum generatio ordine quodam progreditur. Nec enim natura mox animalia in lucem effert, sed deciso prius semine, eoque paulatim sese ad sensificuã formam componẽte.

Quæ ordinẽ pgrediũtur, finẽ spectãt.

Text. 83. k *Præterea necesse est semen primum non continuò animalia generari, indigestusque exortus principio semen fuit. Quin etiam in plantis illud inest alicuius gratia esse, sed minus distinctum est. Vtrum igitur fiebant, vt bouigena androprora, sic vitigina oleoprora, nec ne? quandoquidem absurdum hoc esset: atqui necesse erat, siquidem & in animalibus.* Text. 84. *Rursus ex seminibus prout casus ferret, generationem fieri oportebat.* l *Omnino autem qui sic ait & ea tollit quæ constant natura, & naturam. Natura enim ea cõstant, quæ ab interno aliquo principio continenter mota, ad finem aliquem perueniunt, à singulis autem non ad eundem, neque ad queuis, sed tamen semper ad eundem, nisi quid impediat.* Text. 85. *Id verò, cuius gratia, & id quod eius gratia, fortuitò quoque possunt fieri, vt hospitem fortuitò venisse, & cùm latuisset abisse dicimus, cùm perinde egerit, quasi eius gratia venisset, qui tamen rei eius gratia non venerit: atque id ex accidenti, cùm in causis ex accidenti fortuna sit, vt antea docuimus. At cùm semper aut plerunque hoc fit, non est ex accidenti, neque fortuitum. In rebus autem* Text. 86. *naturæ semper hoc modo, nisi quidpiam obstiterit.* m *Absurdum autem etiam illud est, nisi mouentem causam deliberare viderint, alicuius gratia fieri non putare. Atqui ars minimè deliberat. Nam si in ligno extruendarum nauium ars inesset, eodem planè modo, quo natura, ageret. Si igitur alicuius gratia fieri, in arte inest, in natura quoque profectò inerit. Perspicuum autem maximè hoc fit, cùm sibi quispiam medetur: huic nanque natura similis est. Naturam itaque causam esse, & eam quidem eo modo, vt alicuius agat gratia, manifestum est.*

l Omnino autẽ qui sic ait} Ostẽdit eos, qui naturã finis gratia operari negant, & res naturales, & naturam funditus tollere. Natura enim cõstant quę principium internum in se habent, quo non promiscuè, ac sine discrimine ad quẽlibet finem; neque omnia ad eundem sed vnũquodque ad suum, nisi aliquo impedimento tenentur, peruenire solent. Quare sublato fine neque vllum ens naturale, neque natura vlla erit.

Qui negant naturam agere propter finem, tollunt naturam.

m Absurdum autem etiam illud} Diceret fortasse quispiam naturam non agere propter finem, quia consilio, & deliberatione non vtatur, quod tamen in ijs, quę alicuius gratia operantur, requiri videtur. Huic occurrit, cùm ars, quę haud dubiè finis gratia opus molitur, neque consulter, neque deliberet, vt videre est in eo, qui strenuè cytharam pulsat, non rectè eos sentire, qui quòd natura neque deliberationem, neque consilium adhibeat, temerè illam, ac nullius finis gratia operari autumant. Nam si ars, inquit, ipsis lignis, ex quibus nauis coagmentatur, inesset, non aliter tunc nauis fieret, ac modò ab externo fit principio; quemadmodum rei medicę peritus non aliter ęgrotum alium sanat, ac se per artem sibi inhęrentem. Quare vt natura non deliberat, ita neque ars, & vt nihilominùs ars alicuius gratia operatur, ita & natura. Porro quo pacto accipiendum sit quod Aristoteles ait, artes non vti consilio, & deliberatione suprà exposuimus.

Cap. 1. huius libri q. 5. ar. 2.

Capitis noni Explanatio.

Duplex neceſſitas.

VTrum a autem] Accedit ad alteram quęſtionem pertractandam; quę videlicet in Phyſicis rebus neceſſitatis ratio ſit. Pro cuius explicatione ſciendũ eſt duplicem, quod ad propoſitum ſpectat, neceſſitatem inueniri; vnam abſolutam, ex hypotheſi alteram. Abſoluta eſt, quę proficiſcitur à materia, quomodo neceſſarium eſt ferram eſſe durã, quia conſtat ex ferro. Ex hypotheſi vocatur ea, qua neceſſarium quidpiã dicimus, quia v. g. ſine illo obtineri aliquis finis non poteſt, quo pacto cibus neceſſarius eſt animali ad ſeruandam vitam. Veteres igitur Phyſiologi ad neceſſitatem prior modo ſumptã omnia referebant, ita vt poſteriorẽ abſegarent; ac ſi quis aſſereret ideò ędificandã domũ, quia fundamẽta propter lapidum grauitatẽ infimum locum tenent, parietes verò, & tectum ob lignorum leuitatem ſuperiora occupant, nõ ad arcendas cœli iniurias. Hoc erratũ corrigit Ariſtoteles ſtatuens vtrãque neceſſitatẽ rebus Phyſicis ineſſe: quo pacto ſerra duplicem ob cauſsã dura eſt, nimirũ ratione materię, quia ferrea; & ratione finis, quia ad ſecandum eſt cõparata. Addit tamẽ neceſſitatẽ materię ſumi à ratione, ideſt à forma, quę finis eſt generationis.

Ad quam neceſſitatem veteres omnia retulerint.

CAP. IX.

VTrum [a] autem neceſſitas ex hypotheſi inſit, an etiã omnino, & abſolutè. Nunc enim neceſſitatem in generatione perinde ineſſe arbitrantur, ac ſi quis domum neceſſariò extructam exiſtimet, quòd grauia deorſum, leuia ad partem ſummam ferri ſint apta. Itaque lapides, & fundamentum ſubſidere, terram verò ob leuitatẽ ſupernè incumbere, in ſummo autem in primis loco ligna eminere, vt quæ ſint leuiſſima. Sed quanquam non ſine his extructa eſt, non tamen eorum cauſſa, niſi vt ob materiam, at cælandi quædam, conſeruandiq́ue gratia. Nec ſecus in cæteris omnibus, in quibus illud eſt, alicuius eſſe gratia. Nam ſine his quidem non ſunt, quæ neceſſariam habent naturam, non tamen ſunt propter illa niſi vt ob materiam, ſed alieuius ſunt gratia, vt quamobrem ſerra talis eſt? vt hoc ſit, huiusq́ue gratia Hoc quidem cuius gratia eſt, niſi eſſet ferrea, effici non poſſet. Quapropter ſi ſerra erit, opusq́ue ipſius adeſſe ferrum neceſſe eſt. Ex hypotheſi igitur neceſſitas eſt, non vt finis; ſiquidem in materia eſt neceſſitas; id autem cuius gratia, in ratione. b Neceſſitas autem, quæ eſt in diſciplinis, & in his, quæ fiunt natura, aliquo modo eſt ſimilis. Nam cùm rectum hoc ſit, neceſſe eſt triangulum tres angulos, qui duob[9] rectis æquales ſint, habere; ſed nõ ſi hoc ſit idcirco illud eſſe eſt neceſſe, verùm ſi hoc nõ eſt, neque rectũ hoc eſt. In his autem, quæ alicuius fiunt gratia, contrario modo ſi finis erit, aut eſt, id quoque quod antecedit, aut eſt, aut erit: quod ſi non erit, neque eſt, vt illic niſi ſit concluſio, principium non erit, ita hic finis, & id cuius gratia, quando hoc quoque principium ſit, non actionis, ſed cogitationis, ibi autem eſt cogitationis, quippe cùm actiones nullæ ſint.

Text. 87.

Text. 88.

Text. 89.

Quare

b Neceſſitas autem] Vt neceſſitatem rerum Phyſicarum, quę ex fine prouenit magis declaret, ſimilitudine quadam vtitur deſumpta à diſciplinis: eſt enim vtrobique non abſimilis neceſſitas, quatenus vt ſe habent in diſciplinis principia: ſic in operationibus finis; quod repetit 7. Ethic. capite octauo. Quia tamen hęc non omnino ſimilia ſunt, ſed ex parte, ſimul eorum diſcrimen explicat in hunc fere modum. Si pręmiſſę ſunt verę, concluſio vera eſt, quia ex vero nõ niſi verũ colligitur; nõ tamẽ è cõtrario ſi cõcluſio eſt vera, pręmiſsę ſemper verę ſunt, quia poteſt ex falſo verũ colligi, ſi tñ concluſio falſa eſt, pręmiſſę falſę erũt, quia falſum non ſequitur ex vero. Sic res habet in diſciplina ſyllogiſtica. At in actionibus, cęterisq́ue

Philoſophicũ axioma.

risq; id genus, quę gratia finis sunt, aliter euenit. Nã si ponitur finis, necessariò ponũtur media, vt posita forma, quę est finis generationis, necessariò ponitur materia, quę est, ppter formã; si autẽ est materia, nõ necessariò est hęc forma; si verò materia non sit, nec forma esse potest. Itaq; quod in disciplinis principio cõpetit, id in naturalibus accõmodatur fini. Vnde patet horũ inter se discrimẽ. Conueniunt tamen, quòd finis in naturalibus sortitur principij rationẽ, & eius principij, quod simile est principio disciplinarũ; nimirũ quod cogitationis, nõ actionis principiũ dicitur. Aduerte non parũ esse difficultatis, & dissensionis in explicando exẽplo Mathematico quod hîc Aristoteles adhibuit. Sed ad rei propositę intelligentiam sat est accepisse rectum, pro pręmissis vnius demonstrationis: habere autem tres angulos ęquales duobus rectis, pro cõclusione.

Vt se habet in disciplinis principium, ita in naturalibus finis.

Text. 90. *Quare si domus futura est, hæc necesse est facta esse, aut esse, aut omnino materiam, quæ alicuius est gratia, vt lateres, & lapides, si domus. Et quãquam finis non propter hæc est, neque erit nisi vt ob materiam; omnino tamen nisi sint,*
87. *nec domus erit, nec serra; illa quidem nisi lapides suppetant, hæc verò, nisi ferrum. Nã nec illic principia sunt nisi duobus rectis triangulum. Itaque necessitatem, quæ vt materia dicitur, atque eius motiones in rebus physicis esse manifestũ*
Text. 91. *est.* c *Et ambæ quidem caussæ à Physico tradendæ sunt, sed magis ea, cuius gratia, quandoquidem materiæ hæc caussa est, non illa, finis. Atque id cuius gratia, & principium*
88. *à definitione, & ratione est finis. Vt in rebus artefactis, quoniam domus est talis hæc facta esse, & suppetere necessariò oportet, cùmque sanitas hoc sit, hæc esse facta, & esse necesse est. Nam secus si homo, hoc est, hæc: etsi hæc, illa-*
Text. 92. d *Fortasse autem & in ratione id inest, quod necessarium est. Nam secandi opus cùm definierimus, talem esse diuisionem, hæc non erit, nisi tales dentes habeat, qui non erunt nisi*
89. *sint ferrei. Nonnullæ enim in definitione sunt partes, vt definitionis materia.*

c Et ambę quidẽ) Admonet Physici esse caussas necessitatis in naturę rebꝰ disquirere, idque tã ex parte materię, in qua sola veteres Physiologi occupabantur, quã ex parte finis. Docet etiam Physicum magis circa finis & formę, quàm circa materię considerationẽ versari; quia illa est caussa huius, non contrà. Deinde quia in ratione, & definitione potius vtimur forma tanquam principio, quàm materia, idque tam in naturalibus, quam in artefactis.

Physicus magis circa formam, quàm circa materiã occupatur.

d Fortasse autem) Ne quis putaret solum finem in definitione adhibendum esse, ostendit non ita rem habere; sed id etiam, quod necessarium est, hoc est, materiam, in definitionem venire. Si quis enim sectionem, quę ministerio serrę peragitur, definire voluerit, dicet esse diuisionem, quę nisi serra ferreis dentibus constet, effici non potest; qua in definitione ponitur ferrum, quę serrę materia est.

Etiam materia in definitione adhibetur.

QVÆSTIO I.

VTRVM NATVRA, ALICVIVS gratia quod facit, efficiat.

ARTICVLVS I.

AFFIRMATIVÆ PARTIS assertio, & illustratio.

Naturam nō operari ꝓpter finem error Anaxagoræ, Empedoclis, Democriti, Epicuri.

 ATVRAM nullo proposito fine agerē, arbitrati sunt qui solius materiæ necessitati addixere omnia, vt Anaxagoras & Empedocles; & qui rerum generationē ex partium inter se temerè coentiū permixtione constitisse disputarunt Democritus, & Epicurus. Sed hanc tam absurdam, & à communi Philosophorum iudicio ab horrētem opinionem incusat Plato in Timæo, Phædone, Philebo, & Politico; Aristoteles in extremis huius libri capitibus, & lib. 2. de ortu, & interitu, & 1. de partibus animalium cap. 1. Eandem quoque, tacente Philosophia, coarguit sese omnium oculis vltro ingerens naturæ pulchritudo, decorque mirabilis, quem rerum dissimilium inter se congruens varietas sic conciliat, vt eundem absque alicuius finis præscripto conciliare non posset. Neque enim varietas sine cōuenientia, & consensione aliqua venustatem parit; neque in tanta naturarum diuersitate stabilis esset, aut diuturna consensio, ni res physicæ in aliquod commune bonum, quod finis rationem obtinere oportet, vniuersæ conspirassent. Est autem hoc bonum, naturæ cōseruatio, ordòque. Cuius appetitio, & studium insolentiam potētiorum partium in mundo cohibet, infirmiorū imbecillitatē acuit, contrariorum impetum refrenat; ac denique sic vniuersa ad temperiem & moderationem vocat, vt non tam inter se dissidio dissidere, quàm in cōmune fœdus, & amicitiam coijsse videantur.

Coarguitur à naturæ pulchritudine.

Totius naturę finis rerū ordo & conseruatio.

Ratio ꝓbans naturam nō temerè, sed gratia finis operari.

Præterea idem ex eo conuinci potest; quia, aut res naturales casu in opus incidunt, aut certa naturæ intentione. Non casu; primùm quia iā quodlibet sine discrimine in quodlibet opus incurreret, atq; ita promiscuè omnia ex omnibus fierent, neque certo res semine indigerent, illudque Lucretij primo sui poematis, quod iam alibi retulimus, eueniret, è mari homines, è terra posset oriri squamigerum genus, & volucres erumpere cœlo. Deinde quia quod casu fit, raro accidit nec vno duntaxat, sed varijs effici modis consueuit: at videmus propria quædam effecta à peculiaribus causis certo semine, rato ordine, eâdem vel semper, vel plurimùm, ratione euenire. Feruntur igitur res naturales certo quodam naturæ impulsu, & intentione in suum opus, quo absoluto conquiescunt. Hoc autē quid est aliud, quàm propter finem agere?

Lib. 1. huius ope. c. 9. q. 3. art. 1.

Animantiū membra.

Rursus hoc ipsum palam indicant in animalibus tot membra, tam ordinatè, tam prouidenter effecta, tot partium descriptiò, non ad speciem solùm, & elegantiam, sed etiam ad vsum apta: tot organorū apparatus, tot vires, & potentiæ; tot multiformi contextu instrumenta. Quæ omnia ad agendum, atque adeò alicuius finis gratia tributa esse, qui negat, amens est. Quid enim magis à ratione alienum esse potest, quàm existimare ea, quæ humana arte fiunt, ad aliquem finem effici, vt nauem ad nauigandum, domum ad arcendas cœli iniurias; quæ verò tam admirabili solertia, tam excel-

Lege D. Aug. lib. 22.

cellenti diuinaque ratione perfecta sunt, vt ea nulla humana ars assequi imitando possit, vago, & incerto fluitantis naturæ motu in eam formam, ac speciem coaluisse, neque ad scopum vllum fuisse destinata?

Idem testatur brutorum animantium in fœtibus educandis ingenij plenus amor; in operibus conficiendis artificium; in quærendo cibo industria; in se, suaque specie tuenda & conseruanda solicitudo; arma, ęstus, stratagemata, quibus hostem aut aggrediuntur, aut repellunt, aut declinant. Quæ omnia cùm tanto naturæ impetu, & alacritate ab eis fiant, liquidum est effici alicuius commodi, & boni gratia, ac proinde ob aliquem finem.

Brutorum in fœtibus procreãdis amor ingeniosus.

Idem commostrat quatuor elementorũ totidem regionibus globosè incubantium discors amicitia; & alterni, per occasum atque obitum partium, recursus. Nam ex terra aqua, ex aqua oritur aer, ex aere ignis: deinde retrorsum vicissim ex igni aer, ex aere aqua, ex aqua terra generatur: atque ita sese ad moderationẽ, ac velut æquilibrium, quoad fieri potest, exæquant leuibus grauia, calidis frigida, superis infima: videlicet eo fine, vt permaneant; docente nos interim natura in maioribus, æquabilitatem altricem concordiæ, concordiam rerum omnium conseruatricem esse.

Elementorũ discors concordia.

Vt vires suas vicissim frangunt.

Aequabilitas altrix cõcordię.

Quid terræ moles? non nè sua magnitudine, constantia, pulchritudine, vtilitate, propositum satis confirmat? Hæret in mundi medio stabiliter suspensa, ac veluti paribus examinata ponderibus; eadem rotunda, & forma dispar, vallibus humilis, collibus supina, mõtibus ardua; fluuiorum decursu, fontium scatebris irrigua; semper eadem, semper alia; nunc quasi brumæ senectute effœta, & emortua, nunc nouo vernantis anni flore reuirescens, & herbarũ, seu picturæ artificio, nunc his, nunc illis tincta coloribus; nulla sui parte inutilis, nulla propemodum infructuosa; interiùs gẽmarum, auri, argenti, & aliorum metallorum opulentia diues; exteriùs vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. At enim vt in hoc tãto naturæ apparatu diuina prouidentia mirificè elucet, ita finis alicuius intenti ratio facilè apparet.

Terra in mũdi sita medio.

Terrę benignitas & opulentia.

Idem rursus probat Oceani immẽsitas tam pulchra ad aspectum, tam fœcunda ad procreandam sobolem; tot piscium, & innatantium belluarum copijs abundans; & in eo non minùs admiranda, quod dum eius fluctus siue quotidianis reciprocationibus, siue tẽpestatum vi ad arenam feruntur, intra præfixos limites, sese continent quasi scriptam sibi legem in littore pertimescant; atque instar indomiti equi, qui à sessore habenis retractus collũ flectit, refugiunt. Certè qui hoc ascribit temeritati, quid temeritas sit nescit; cum id, qđ temerè fit, certa lege, & tenore minimè constet; sed modo in hanc, modo in illam partem cadat.

Magnitudo Oceani pulchra & fœcunda.

Postremò idem multo euidentiùs confirmat cœlestis mundi machina

Cęlestis mũdi amplitudo, beneficẽtia, decor.

china inferiorem mundum suo amplexu non solùm continens, sed fouens: illi stellarum suda nocte collucentes oculi, illa tot sphærarum inerrabili celeritate conuersio, ille planetarum ad eadem loca redeuntium cursus, illud solis iubar suo accessu, & recessu annuas varietates inducēs, idemque quotidiano ortu, & occasu diem, & noctem conficiens. Quare si ij, qui sphæram ab Archimede extructam videbant, non dubitabant opus illud excellenti ingenio esse perfectum, quis ita mente cæcutiat, vt neget tam mirabile opificium diuina ratione, & arte, atque adeò alicuius finis gratia fuisse compositum? Denique vt paucis concludamus, quod si libeat persequi infinita materia est; hæc mundi vniuersitas non modò sese à Deo conditam, sed ad aliquem finem destinatam esse clamat. Etenim indignum foret tanti artificis sapientia tam præclarum opus, etsi affabrè, & concinnè, frustra tamen elaborasse; elaborasset autem frustra, si nullum ei scopum, nullum finem constituisset; frustra enim, & incassum censetur id effectum, quod nullius gratia effectum est.

Sphæra Archimedis.

In hanc sententiam multa satis luculenter scripsere Patres, D. Gregorius Nazianzenus secunda oratione de Theologia, D. Augustinus 1. de ordine, D. Chrysostomus in opuscu. de prouidentia, D. Athanasius in oratione aduersus idola, D. Basilius, & D. Ambrosius in lib. Hexameron; Theodoretus sermone 1. de prouidentia. Lactantius in libro de opificio Dei, & alij.

Lactantius in lib. de ira Dei c. 1. Trismegistus in lib. de potestate, & sapientia. Cicero 2. de nat deorum. Plutarc. 1. de de plac. c. 6. Seneca lib. de prouidentia.

ARTICVLVS II.

RATIONES, QVIBVS OSTENDI VIdetur naturam nullius gratia operari.

SVbijciamus nunc argumenta, quibus temeritatis assertores probare niterentur naturam non ob aliquem finem agere, sed temerè, ac fortuitò moliri omnia. Primum est. Si natura propter finem ageret, magis beneficam sese in hominem exhibuisset, quàm in belluas; sed non exhibuit; quin potiùs in has quasi matrem, in illum se quasi nouercam præbuit. Non ergo agit propter finem. Maior suadetur, quia ratio agentis propter finem, præsertim si à prima caussa dirigatur, postulat, vt ea, quæ excellunt, beneficētiùs tractet, ac potiori loco habeat. Minor ostēditur, quia natura belluis vestitum attribuit, hominē nudū, quasi è naufragio, in littus eiecit. Item belluis, quæ fortes, & pugnaces sunt, arma dedit; timidis astu, pernicitate, & fuga consuluit: at hominem ad pugnam in arena inermem statuit, pernicibus tardiorem, armatis imbecilliorem.

Natura belluis pugnacibus arma dedit, timidis alia ratione consuluit.

Lege Plin. li. 7. cap. 1.

Deniq;

Deniqúe, vt cætera omittamus, hominem toto vitæ decurſu longè grauioribus miſerijs,& calamitatibus expoſuit. E quibus Ariſtoteles hanc hominis definitionem collegiſſe fertur. Homo imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ luſus, inconſtantiæ imago, inuidiæ, & calamitatis trutina, reliquum verò pituita, & bilis. Quibus cõcinit illud Apulei in libro de Deo Socratis, homines moribundis membris, leuibus,& anxijs mentibus, brutis,& obnoxijs corporibus, diſsimillimis moribus,& ſimilibus erroribus, peruicaci audacia, pertinaci ſpe, caſſo labore, fortuna caduca, ſigillatim mortales, ſufficienda prole mutabiles, volucri tempore, tarda ſapientia, cita morte, querula vita terras incolunt.

Hominis deſcriptio ab Ariſtotele collecta.

lege Stobęũ ſerm. 96. de vita breui.

Alia ex Apulęo.

Secundum eſt. Ea, quæ fiunt propter finem, ordinatè fiunt; ſed in natura multa ſunt præpoſtera, & incõpoſita; ergo etc. Probatur minor, quia nonnunquam vices temporum mutantur, calente hyeme, frigente ęſtate: interdum elementa, aliæque partes vniuerſi ab officijs exorbitant, vt teſtãtur eluuiones Oceani, eruptiones igniũ, immodici ventorum flatus, terræ motus, cæteraque huius generis. Quin & in cæleſti orbe, Solis, & Lunæ deliquia, deflexiones quædam eſſe videntur ab ordine, cùm minimè deceat clariſsima illa mũdi lumina mortalibus obſcurari.

2. argum.

Vices temporũ mutatę.

Tertium. Ea, quæ gratia finis ſunt, habent aliquem vſum,& vtilitatẽ; ſed multa exiſtunt in natura prorſus inutilia; vt minuta quædam animalia: multa, quæ non modò nullam commoditatem exhibent; ſed incõmodum, perniciemque afferunt, vt herbæ noxiæ, & venenatæ beſtiæ. Non igitur natura omnia, quæ facit, alicuius boni ac finis gratia efficit.

3. argum.

ARTICVLVS III.

RESPONSIO AD ARGVMENTA proximi articuli.

NON eſt tamen quòd ſuperiora argumenta quenquam turbent; cùm nequaquam difficilis ſit eorum explicatio. Ad primum conceſſa maiori propoſitione, neganda eſt minor. Nam multò meliùs cum homine, quàm cum cæteris animantibus actum eſt; cùm illum Deus multis,& præclaris donis, ac muneribus tam naturæ, quàm gratiæ exornarit: cumque illi vberrimam copiam rerum omnium tanquam in communi conuiuio propoſuerit, totamq; naturam creatam ei quaſi tributariam fecerit, vt diſertè oſtendit D. Damaſcenus lib. 2. fidei orthodoxæ cap. 10. & Theodoretus ſermone 2. de prouidentia.

Reſpõſio ad 1. argum.

Hominis excellentia.

Ad id, quod de veſtitu,& armis obiectum fuit, reſpondet Lactantius in libro de opificio Dei cap. 2. ideo hominem nudum, & inermem

mem à natura fuisse constitutum, quia ingenio poterat armari, & ratione vestiri; atque eadem ferè est aliorum auctorum communis responsio, nimirum pro indumento, & armis hausisse hominem mētis excellentiam, & ingenium sagax, ac varium, quo illa excogitare, & parare sibi posset; accepisse item manum tanquam commune organum, & instrumentorum omnium instrumentum, quo ad ea conficienda vteretur. Cuius ad id munus obeundum commoditates late explicat Aristoteles libro 4. de partibus animaliū cap. 10. & Galenus initio libri primi de vsu partium. Accedit quòd homo seruata sui corporis dignitate, & pulchritudine, ab ipsa natura per se indutus, & armatus esse non poterat, vt ostendit D. Gregorius Nyssenus in libro de hominis opificio, cap. 7.

Vt Galenus de vsu partiū

Pro vestitu et armis data homini ratio.

Manus omnium instrumentorū organum.

Arist.

Galeni.

Greg. Nyss.

Quod item opponitur de humanæ vitæ ærumnis facilè soluetur ab eo, qui dixerit in primis in eas sua culpa decidisse hominem è felici statu, in quo à Deo collocatus fuerat. Deinde ijs præberi illi occasionem ad exercendam, perficiendamque virtutem. Præterea, etiam ita deiectum brutis longè præstare, vt ex dictis planum est.

Respons. ad 2. arg.

Ad secundum, concessa maiori propositione, neganda est minor, dicendumque eiusmodi naturæ excursiones, vt non absque Dei voluntate, & administratione fiunt; ita nec sine ordine contingere, etsi is interdum non appareat, vt docet D. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 2. & libro 5. de Genesi ad literam cap. 21. Nimirum ipse ordo postulat, vt illa interdum accidant, siue ita ferente concursu naturalium causarum, quas sic diuina sapientia disposuit, & actus suos exequi sinit; siue Deo aliter, quàm tunc per naturam euenturum esset, fieri imperante.

August.

Quod verò ad planetarum eclypses attinet, nullus in ea re ordinis defectus notari potest; cùm ex illorum in cœlestibus globis situ, & rata motuum æquabilitate, (quæ tam ad mundi ornatum, quàm ad commoditates sublunarium rerum optimè constituta sunt) ita euenire oporteat definitis temporum interuallis. Addit quoque D. Damascenus libro 2. fidei orthod. capit. 7. iccirco id diuini artificis prouidentiam sanxisse, vt eorum confutaretur amentia, qui soli, & lunæ diuinos honores exhibent: cùm palam sit non inesse numen ijs, quæ mutationi obnoxia sunt, & interdum lucis penuria laborant, aut pulchritudinem suam conspicuam reddere non valent.

Ob quem finem planetarū deliquia, ex D. Dam.

Respōsio ad 3. arg.

Ad tertium respondendum est, nihil à Deo superuacaneum, aut alicuius finis expers effectum fuisse, licet ignorantibus primo aspectu secus videatur; vt si quis in fabri alicuius officina instrumenta præter necessitatē multiplicata existimet; quia ipsorum vsus ignorat. Priuatim verò, quòd minutæ bestiolæ non debeant superfluæ existimari, inde patet; quia cùm eæ quoque in suo genere pulchræ sint, aliquid decoris vniuersitati rerum, tanquam in communem Rempub. pro sua portione conferunt: vt, præter alios, animaduertit Aristoteles 1. de partibus animalium cap. 5. Quippe diuinus artifex

Minutę bestiolæ nequaquam superfluę.

ita

ita magnus est in magnis rebus, vt minor non sit in paruis; rectèque à Plinio lib. 11. Natural. hist. capit. 2. scriptum est, rerum naturam nusquam magis, quàm in minimis totam esse. Quo spectat illud D. Augustini libro 22. de ciuitate Dei cap. 24. ea plus habent admirationis, quæ molis minimum: plus enim formicularum, & apicularum opera stupemus, quàm immensa corpora balenarum.

Natura nusquam magis, quàm in minimis tota.

Nec animalia venenata superflua sunt, aut sine carentia; tum ob id, quod paulò antè diximus; tum quia, vt D. Augustinus 1. de Genesi contra Manich. capit. 16. ait, saltem eo nomine cõmendari debent, quòd nos commonefaciunt, vt vitam aliam meliorem, in qua securitas summa est, diligamus. Item quia ea, quæ alioqui nocent, si eis congruenter, ac scienter vtamur, plurimum afferre solent cõmoditatis, vt luculentè ostendit D. Ambrosius lib. 3. Hexam. cap. 9. & lib. 6. cap. 6. D. Hieronymus libro 2. contra Iouenianum, D. Damascenus lib. 2. fidei orthod. cap. 10. & alij. Deinde quia, vt scribit Lactantius lib. 6. cap. 4. vtile fuit offerre sese homini alia salutaria, alia noxia, vt in his declinandis & illis appetendis rationis suæ vim exerceret.

Venenata animalia nõ sint in mũdo superuacanea.

Ambros. Hieron. Damasc. Lactant.

QVÆSTIO II.

VTRVM NATVRA AD VNVM TANtum finem, & vno duntaxat modo feratur, an non?

ARTICVLVS I.

VARII FINES, IN QVOS NATVRA contendit.

PRopositæ quæstioni respondendum est non vnum tantũmodò; sed varios fines esse, ad quos natura, tanquã ad scopũ collimat. Etenim vnunquodque, pro naturæ suæ modo, captuque hunc, aut illũ finem proximè respicit; particularia agentia priuatum; vniuersalia, et quæ vberiori vi prædita sunt, communem. Exempli gratia, leo cùm leonem gignit, ad formam leonis geniti, vt ad propinquũ finem tendit, docente Aristotele cap. 8. huius lib. tex. 81. at simul etiam ad propriæ speciei conseruationem, vt ad alterum huic innexum, & cohærentem finem, aspirat. Prouidit nimirum salutis suæ appetens, atque immortalitatis æmula natura, vt singularia dissolubilia, quia per se ab interitu vindicari nõ poterãt, generationũ beneficio, & nascẽdi fœcũditate seruarentur, atque ita quodãmodo sẽpiterna essent, nõ numero, sed specie. Id quod 1. de generatione animaliũ c. 1. & 2. de anima c. 4. tex. 34. Aristoteles docet. Corpora verò cœlestia; quia vniuersales causæ sunt, non vnius tãtùm, sed omniũ sublunariũ specierũ perẽnitatem, & commune bonum peculiariter pro fine habent. Iccirco enim totum sublunarem mundum complexu suo coercent, ac perpetuo

Vnunquodque pro gradu suæ naturæ propositę finem habet.

Natura immortalitatis æmula.

motu circumeunt, & influxu quasi irrorant, vt species omnes, quoad possint, tueantur.

Homo, naturę corporeę finis.

Est etiam totius corporeæ naturæ vniuersalis finis, homo, vt post Platonem asseruit Aristoteles 1. Polit. cap. 5. docentque patres communi consensu: tum quia Deus spectabilem hunc mundum hominis gratia procreauit, eique singulari beneficio subiecit omnia; tum quia homo iure insitæ nobilitatis, & eminentioris formæ prærogatiua, totam corpoream naturam ad se conuocat, sibique arrogat. Est enim naturæ lege comparatum, vt quæ inferioris notæ sunt, ad præstantiora, si eis præsertim aliquomodo vsui esse possint, referantur. Quo pacto forma elementi, quæ omnium despicatissima est, ad formam corporis mixti ordinatur; forma corporis mixti ad vegetatricem; vegetatrix ad sensus compotem; hæc tandem ad animam rationalem, quæ omnium formarum numeros, & perfectionem in se cohibet.

Inferiora ad pręstantiora ordinantur.

Ordo, naturę finis.

Deus vltimꝰ finis rerum omnium.

Dionys.

Trismegist.

Plat.

Auctor lib. de mũdo ad Alex.

Arist. Apocal.

Est præterea finis alius homine vlterior, videlicet totius naturæ ordo, & pulchritudo, vt tradit Aristoteles 12. Metaphy. cap. 10. tex. 52. Demique vltra hunc est alius communissimus, omniumque postremus, ob quem tota natura agit, nempe ipsius naturæ auctor, & parẽs Deus. Quod D. Dionysius cap. 4. de diuinis nominibus, Trismegistus in Pimandro, Plato in Timæo, & 4. legũ, & in epistola ad Dionysium, auctor libri de mundo ad Alexandrum, Aristoteles loco Metaphys. proximè citato, alijque cõplures differunt; idemque testantur sacræ paginæ oracula, cùm Deum absolutè principium, & finem vocant. Apocalyp. vltimo. Ego sum α, & ω, principium & finis. Porrò dicitur natura, dum agit, in Deum, vt in finem contendere; quia diuinam perfectionem imitando adumbrat, quatenus agendo fit alterius rei caussa, sicuti & Deus omnium caussa est. Deinde quia operando respicit in aliquod bonum, quod necessariò participatio quædam summi boni est. Item quia appetitus semper quærit aliquid extremum, in quo quiescat, quod non est aliud, quàm finis vltimus, id est, Deus. Postremò quia ordo in finibus sequitur ordinem agentium. Quare sicuti agentia secundaria nihil absque influxu primæ caussæ efficiunt, ita ad eum nituntur finem, quem primum agens sibi propositum habet; sicque vt agens primum semetipsum tanquam vltimum suorum operum finem intendit; quia vniuersa propter se operatur; ita eundem finem secundaria agentia spectant.

Hæc de re D. Aug in Ench. & 1. 1. de doctr. Christ. c. 23. D. Th. 3 cõtra gẽt. à cap. 17. & 1 par. q. 103 ar. 2. Themist. 1. huius op. com. 81.

Ordo in finibus sequitur ordinem agentium.

ARTICVLVS II.

DIVERSI MODI, QVIBVS RES in fines suos feruntur.

Tres gradus tendentiũ in finem.

VT autem intelligas quo pacto natura ad finem consequẽdum progrediatur, aduerte triplicem esse gradũ tendentium in finem.

nem. Primus, ac ſupremus eſt eorum, quæ non ſolùm apprehendunt finem ſub ratione boni, & conuenientis; ſed cognoſcunt etiam habitudinem, proportionemque mediorum ad illum obtinendum. Atque hæc ſola dicuntur ſeſe in finem agere; quia videlicet hæc duntaxat ex delectu, & propria intentione operantur, ſeque in finem ordinant; & in hoc gradu continentur ſolæ ſubſtantiæ intellectus participes. Secundus eſt eorum, quæ, ad ſummum, percipiunt finem materialiter, ideſt, ſub ratione boni, & conuenientis, vt cùm equus ex ſiti ad aquam mouetur, qui nec ſui curſus ad obtinendam aquam, nec aquæ ad ſedandam ſitim, habitudinem ordinemvè dignoſcit. Huiuſmodi ſunt brutæ animantes, quæ inſtinctu, motuque phantaſiæ potiùs aguntur in finem, quàm ſe ipſæ agunt. Tertius, atque infimus eſt eorum, quæ nullo modo cognoſcunt finem. Quo pacto ſe habent ea, quæ & intellectu, & ſenſu carent. Ideo verò ſolis agentibus primi generis perfecta cognitio finis, vt finis, attributa eſt; quia ea tantùm ad plura, de quorum delectu cõſultare queant, indeterminata ſunt; cùm cætera in actiones definitas naturæ impetu ferantur, nec deliberatione egeãt. Quemadmodum (vt Auicennæ vtamur exemplo) nec citharædum de quolibet ictu fidium deliberare oportet; quia apud ipſum omnes fidium percuſsiones ex artis regula determinatæ ſunt.

Supremus.

Medius.

Infimus.

De hoc 2. grad. D. Tho. 1. p. q. 19. art. 1. Ser. li. 3. cõtr. gent. c. 16. & 21.

Non debet autem mirum videri, quòd etiam illa, quæ omni finis notitia prorſus carent, propter finẽ agere dicantur: diriguntur enim in finem ab alia ſuperiori, & excellentiori cauſſa, hoc eſt, ab ipſo naturæ opifice, qui rerum omnium fines cognitione comprehendit, & ad eos obtinendos propenſionem ac vires dedit. Quomodo, (vt M. Albertus hoc loco & D. Thomas. 1. p. q. 103. art. 1. explicant) ſagitta licet motus ſui ignara ſit, impetu, & directione iaculantis in ſcopum tendit. Eoque ſpectat illud Philoſophorum ſermone tritum, quod ſcripſit Themiſtius 1. de anim. com. 23. & 1. huius oper. text. 81. & Auerroes 12. Metaph. com. 18. opus naturæ eſt opus intelligentiæ, ideſt dum natura in opus incumbit, à prima intelligentia, hoc eſt, à Deo, quaſi diuinæ artis inſtrumentum mouetur, & artifici ratione dirigitur. Hinc eſt, quòd Hippocrates naturam modò indoctam vocat, vt in libro de alimento; modò doctam, & eruditam, vt in libro de arte. Quod imitatus eſt Galenus lib. 1. de vſu partium, & lib. 6. de loc. affectis: videlicet indoctam vocant; quia in ſe conſilij, & deliberationis expers eſt: doctam, quatenus eius operibus intelligentia inſtat, ipſamque regit.

Cognitionis expertia diriguntur in finem ab auctore naturæ.

Item idẽ D. Tho. 3. contr. gent. c. 24.

Opus naturæ, opus intelligentiæ.

ARTICVLVS III.

CONFVTATVR QVORVNDAM SENtentia iis, quæ proximè concluſa ſunt, aduerſaria.

PLetho, siue Gemistus auctor Græcus in opere, quod inscripsit de ijs, quibus Aristoteles à Platone dissentit, in Aristotelem inuehitur, quòd docuerit naturam nullo proposito fine agere, dum ei deliberationem subtrahit. Sed prorsus sine causa, cùm non omnia, quæ propter finem operantur, consilio, aut delectu egeant.

Opinio quorundã recẽt.

Omisso tamen Plethone, sunt è recentioribus Philosophis, quibus nec Aristotelicè, nec Philosophicè dictum videtur, naturam ideò agere propter finem, quia etsi finem non per se ipsa cognoscat, vt in lapide, & plerisque alijs liquet; regitur tamen ab ipso rerum omnium auctore, qui & fines intelligit, & agentibus naturalibus ad eos consectandos propensionem, virtutemque indidit. Venêre autem in hanc sententiam hisce potissimum argumentis. Primùm, quia superuacanea videtur illa motio, & directio. Nam si fingamus sine intelligentijs mundum esse; adhuc grauia in infimum, leuia in superum locum, vt in fines suos, peruenient. Deinde, quia ridiculum fuerit si interrogatus quispiam cur lapis descendit, respondeat quia mouetur ab intelligentia; cùm re vera moueatur à grauitate, cuius impetu deorsum vergit. Tertiò, quia intelligentiæ apud Aristotelem aut prorsus ignorant sublunaris mundi species, aut eas non nisi generali, & confusa notitia dignoscunt. Ex quo sequitur in Peripatetica doctrina subcœlestem naturam non dirigi ab intelligentijs; cùm nihil nisi à cognoscente dirigatur.

primũ arg.

2. argu.

3. argum.

Lege Auerroẽ in Apologia aduersus Algazellum, & in Epitome 12. libri Metaphy. Mirandulanum lib. 27. de euers. singul. cert. sectione. 1. Iidunũ 12. Metaph. q 22. Lege d. Tho. in 2. d. 41. q. 1. art. 1.

Impugnatio superioris sententię.

Hæc tamen opinio nec vera, nec Aristotelica est, Nam id, quod gratia finis operatur, aliquò rectà contendit, ac velut in scopum collimat: id verò, quod ita se habet, non temerè, sed ordinatè progreditur: item quod progreditur ordinatè, necesse est vt actiones suas per se ordinet, vel ab alio circa eas ordinetur. Cùm igitur ordinare, intellectus, rationisvè opus esse constet, & res naturales, excepto homine, intellectus, rationisque expertes sint, ac nihilominùs vniuersæ propter finem agant, vti superiùs demonstratum fuit; planè sequitur recurrendum esse in ijs ad aliud principium supra ipsam naturam, à quo moueantur, ordinenturque in suos fines: at hoc non aliud esse potest, quàm ipse totius naturæ auctor, qui certis numeris, & mensuris, certaque serie singulis rebus suos fines præscribit, & ad eos quærendos propensionem, & idonea media concedit. Solet autem hoc illustrari non solùm exemplo sagittæ, quod supra retulimus; sed etiam imperatoris, qui ita belli summam administrat, vt ipse eius finem nouerit, quem gregarij milites nesciant; sed cùm imperatoris ductu regantur, sat illis est mandata ab eo accepta exequi.

Ordinare, opꝰ ntellectꝰ.

Quod verò hæc ratio explicandi modum, quo natura in finem tendit, Aristotelicæ doctrinæ consentanea sit, testantur nobiles interpretes, Simplicius hoc in libro ad text. 78. Themistius lib. superiori

periori ad tex. 81. & 1. de anima ad tex. 23. Auerroes 12. Metaphyſ. com. 18. D. Thomas 1. p. q. 103. art. 1. Magnus Albertus cap. 2. huius libri. Idemque ſignificauit multis in locis Ariſtoteles, vt lib. 4. de generat. animalium c. 2. Vbi ſcripſit naturam non abſque ratione eſſe; quia videlicet ratione dirigitur. Et 1. de cœlo, cap. 4. tex. 32. vbi Deum cum natura iungit, aiēs Deum, & naturam nihil fruſtra moliri; quaſi natura ideo nihil incaſſum agat, quia diuinæ ſapientiæ ductu impellitur. Et 12. Metaphyſ. cap. 10. tex. 52. vbi duplicem ſtatuit ordinem, vnum in natura; alterum in Deo; nimirum quia ordo naturæ à diuino ordine, hoc eſt, à Deo ordinãte deriuatur, ac pendet.

Lege etiam Ariſt. 1. Polit. cap. 2. & 2. de part. anima. cap. 13.

Deum, & naturam nihil fruſtra agere.

Argumenta in aduerſam partē adducta facilè diluentur. Sed enim ſupponendum illud eſt, quod ſuperiùs non ſemel à nobis explicatũ fuit; cùm natura à ſuperiori, & diuiniori principio regi dicitur, huiuſce principij nomine Deum intelligi, qui vt naturæ ipſius, inclinationum, & facultatũ auctor eſt, finiumque præcognitor; ita prædictam directionem ſibi, vt propriam, vendicat. Quo fit vt non rectè quidam ad cæteras etiam intelligentias eam referendam putent. Ad primum igitur negari debet ſuperuacaneam eſſe hanc directionē, cùm nihil poſsit in finē tendere, quin ad eum ordinetur, & omnis ordinatio ab intellectu ſit. Quod verò additur, ſublatis intelligentijs non tolli motionem rerum in finem; dicendum ſublata prima intelligentia, hoc eſt, prima, ac ſuprema ſubſtantia intellectrici, tolli omnia. Ad ſecundum dicito, roganti cur lapis in centrum, vt in finem proprium, feratur, non ridiculè, ſed appoſitè, & philoſophicè, reſponderi, quia eò deſtinatur ab auctore naturæ, tum per ſuam formã, tum per grauitatem, vti per vim executricem motus. Ad tertium, quicquid de cæteris intelligentijs putarit Ariſtoteles, veriſimilius eſſe Deum, ſecundum eius placita, ſublunaris mundi ſpecies, eorũq; ſingularia pernoſcere, vt alibi oſtendemus.

Soluuntur rationes aduerſariorum.

Solutio primi arg. impugnatę opinionis.

So. 2.

Sol. 3.

QVÆSTIO III.

AN BRVTÆ ANIMANTES SOLO naturæ inſtinctu in fines ſuos ferantur.

ARTICVLVS I.

EORVM DOGMA, QVI BRVTIS vim rationis tribuerunt, & quibus argumentis.

SVPE-

SVPERIORI quæstione explicatum à nobis fuit, quo pacto bruta in suos fines tendant; breuiùs tamẽ, quàm res postulabat; nunc id accuratiùs edisseremus. Quærimus ergo num bruta discursu aliquo rationis, an solo naturæ instinctu opera sua moliantur, & finem quærant. Porphyrius lib. 3. de abstinentia statuit naturam omnibus animantibus, quibus sensum, & memoriam dedit, rationem quoque, immo & orationem, tam internam, quam externam tribuisse: additq; Apollonium Tyanæum, Melampum, Tiresiam, & Thaletem brutorum sermones dijudicasse, atque intellexisse: quos nihil mirum si non intelligamus ipsi, qui plurimarum etiam nationum linguam minimè callemus. Asserit itaque bruta rationem participare; neque per eã ab illis hominem simpliciter distingui: sed quòd homini perfectum rationis acumen insit, illis imperfectum.

Sentẽtia Porphyrij cõuenire brutis rationẽ, & orationem.

Confirmat istiusmodi dogma in primis ex mutua significatione, qua inter se bruta vtuntur, quod in auibus potissimũ apparet, quæ sibi occinunt, vicissimque respondent. Deinde ex admirabili solertia, curaque in futurum prospiciendi, vtilia consectandi, declinandi aduersa. Præterea testimonio Empedoclis, & Platonis, atque etiam Aristotelis, quos idẽ censuisse ex eorum dictis, scriptisq; haberi ait.

Eius argum.

Plutarchus etiam lib. 5. de placitis cap. 20. scribit dogma fuisse Anaxagoræ omnia bruta ratione pollere; itemque Pythagoræ, quĩ eorum animantium, quæ rationis expertia dicuntur, rationales esse animas pronuntiabat; licet in eis propter humorum assymetriam, & intemperiem, rationis lumen obscurum, ac sopitum esset. Denique huic sententiæ suffragari videtur Plutarchus ipse in dialogo, qui inscribitur. Quod brutis ratio insit, vbi Gryllum Sophistam à Circe deformatum in belluam, cum Vlysse differentem facit, & luculenta oratione eos coarguentem, qui omnes animantes præter hominem rationis inopes esse aiunt.

Anaxagorę, & Pythagorę dogma.

Sed vt Philosophorum testimonia omittamus, non desunt etiam argumenta, quibus probari videatur brutas animantes ratione valere. Primùm, quia in eis multa elucent virtutum insignia, vt in leonibus magnanimitatis; in canibus amoris; in elephantis prudentiæ; in ciconijs pietatis; in turturibus coniugalis fidei; in columbis simplicitatis; in apibus, formicis, & gruibus, alijsque huiusmodi, ciuilis societatis.

1. Argumẽtũ à virtutũ insignibus, quę in brutis apparent.

Deinde, quia earum nõnullæ tanto ingenio, & artificio opera sua moliuntur, vt non nisi ex artis regula, atque adeò ratione efficere illa videãtur. Quin & hominibus varias artes indicarunt, vt araneus artẽ texẽdi; hirundo, & vespæ ædificandi; grues instruendi exercitum; milui gubernandi nauem. Multa etiam ad tuendam vitam, & sanitatem remedia, quibus nunc medicinæ scientia diues splendet, ostenderunt. Atque, vt cætera omittamus, inuentæ phlebotomiæ bene-

2. argum. Ab ingenio.

Bruta hominibus varias artes indicarũt.

Lege Plin. lib. 8. nat. hist. c. 26. & 27. Plutarch. in lib. de industria ani. D. Greg. Naze. oratione 2. de Theologia.

Lege Plin. lib. 8. cap. 26. & 7.

beneficium debemus Hippopotamo fluminis Nili equo incolæ: gulosus enim natura, cùm se sanguinis copia opprimi sentit, ad acutiores ripæ arundines affricto femore sibi venam pertundit, qua superflui sanguinis onus à se exigit, sistitque, cùm par est, volutato per crassum, & obstruentem limum, corpore.

Hippopotamus magister secandæ venę.

De hac re Plin. lib. 8. c. 26. D. Ambr. lib. 5. Hex c. 9. D. Basili. hom. 7. Hex.

Item quia sæpenumero bruta res futuras præsagiunt. Compertũ est enim ea mutationẽ aeris indicare, & pluuias, ac tempestates dubio prædicere cœlo; atque alia huiusmodi, quæ multo, quàm Physiologi, & Astrologi, certiùs denuntiant.

3. argum. à pręsagijs futurorum.

De elephantis Plin. lib. 8. à cap. 1. Aelianus lib. 6. cap. 10.

Rursus quia constat multas esse belluas, quę disciplinam capiant. Nam vt sturnos, galeritas, cornices, psittacos, & coruos prætereamus, qui edocti humanam vocem reddunt; Elephanti panegyrica spectacula exhibere, varias in gestu figuras effingere, genuflectere, coronas astãtibus offerre, atque alia similia ludicra ediscunt. Ac, nẽ quid in hoc genere admirationi deesset, legim⁹ elephãtũ literas perscribere doctrina assueuisse. Nec verò bruta tunc solùm, cùm ab hominibus instituuntur, disciplinæ specimen dant, sed ipsa sese mutuò instituere consueuerunt, quod maius est rationis argumentũ; siquidem in vniuersum, docere, quàm discere rationi vicinius, ac præstãtius habetur. Omissis ergo alijs, quæ de hac re à Plutarcho in libro de animalium industria scripta sunt; lusciniæ teste Aristotele lib. 4. de hist. anim. cap. 9. & Plinio lib. 10. hist. Nat. cap. 29. pullos suos vocem ad numeros modulari, & ad omnem concentus varietatem, atque artifices argutias flectere prædocent. Meditantur, inquit Plinius, iuniores, versusque, quos imitentur, accipiunt. Audit discipula intentione magna, & reddit, vicibusque reticent. Intelligitur emendatæ correctio, & in docente quædã reprehẽsio, vnde qui pulli adhuc rudes capti sunt, & in caueis nutriti, minùs suauiter canũt, videlicet ante legitimũ tẽpus à doctore, & à schola musicę subtracti.

4. argum. à docilitate.

Aues sermonem imitantes.

Mira de elephantis.

Docere, quã discere rationi vicinius.

Lusciniarum magisteriũ. & disciplina.

Præterea, quod ad astruendam belluis rationem, magnum videtur argumentum; egregius Dialecticæ auctor, & institutor Chrysippus, canem Dialectica quodammodo præditum esse ostendebat eo potissimùm argumento, quòd canis feram persequens, cùm ad triuium peruenit, vbi duas vestigauit olfactu vias, & per eas transijsse feram non deprehendit; tertiam, nihil iam olfaciens, mox arripit, quasi ita secum disputet; Aut fera, quam persequor, in hanc partem deflexit, aut in illam; aut certè in hunc se anfractum intulit: sed nec in istam, nec in illam partẽ diuertit: hac igitur abierit necesse est. Quæ colligendi sagacitas, vtpote quasi diuisorio vtens syllogismo, quàm sapiat artem Dialecticæ, nemo Dialecticus ignorat. Quid plus, inquit D. Basilius homil. 9. Hexam; quid plus faciunt, qui linearum descriptionibus designandis tanta cum grauitate sedent, lineisque pulueri insculptis; è tribus, vbi duas propositiones sustulerint vt falsas; in ea demum, quæ trium reliqua est, verum comperiunt? Hæc D. Basilius. Quæ etiam leges apud D. Aambrosiũ lib. 6. Hexã, cap.

5. argum. Ab exemplo canis, Dialecticorũ more disserẽtis.

D. Basilius de cane venatico.

D. Ambrosi.

cap. 4. Non igitur inficiandum videtur habere bruta vim rationis. Ex quo sequitur ea nõ solo naturę instinctu in finem agi: quod propositæ controuersiæ caput erat.

ARTICVLVS II.

LONGE ABESSE A RATIONE EAM sententiam, quæ brutis rationem dat, cùm illa solo naturæ instinctu operentur.

EA sententia, quæ brutis vim rationis attribuit adeò absurdã est, vt absurdum videatur in ea coarguenda immorari, quam non modò Philosophorum gymnasia, sed communis hominum sensus explodit, & irridet. Quia tamen non defuere è recentioribus, qui eius patrocinium susceperint, eam paucis refellemus.

1.ratio. Errat ergo in primis quòd receptã hominis definitionẽ demolitur, neque hominẽ à bellua essentiæ nota distinguit: cùm vtrũque faciat animal ratione præditum. Non enim refert quòd homini perfectam rationis vim concedat, belluæ imperfectam: quandoquidem maior eiusdem rei perfectio, non inducit naturæ discrimen.

Lege si placet Vallã i ll. bello de Dialectica c. 3.

2.ratio. Deinde quia si belluæ essent participes rationis, liberè & ex delectu agerent, quod non ita esse tum per se liquet, alioqui caderet in

D. Nemes. cas meritum & culpa: tum verò probatur à D. Nemesio in libro de Natura hominis cap. 2. à D. Thoma 2. contra gentes cap. 82. à M. Alberto hoc in libro tract. 3. cap. 2. alijsque philosophis; quia videmus singulis belluarum speciebus peculiarem inesse inclinationem, quam sequuntur. Omnes enim vulpes subdolæ sunt; omnes araneæ ingeniosæ & insidiatrices; omnes grues circunspectæ; omnes lepores pauidi; omnes lupi prædatores; omnes apes industriæ; omnes formicæ quidę. Itemq; singulæ species ex innata propensione certũ habent modũ operandi, à quo non deflectunt; ad certa opera, & non alia, sese applicant. At in homine multò secus euenit: nimirum quia ex liberi arbitrij facultate suo quisque studio ducitur. Hi ad hanc rẽ, illi ad aliam assuescunt; hi hanc, alij artem illam amplectuntur. Vnde rectè quidam.

De hac re D. Basil. hom. 9. Hexm. D. Greg. Nazi. orati. 2. de Theol.

[a] Millia quot capitum viuunt, totidem studiorum.
[b] Mille hominum species, & rerum discolor vsus.
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.

a Horatius 2. sermonum, Satyra 1.
b Persius Satyr. 5.

3.ratio. Potest quoq; idem demonstrari ex præstãtia rationis, cuius actio tam circa particularia, quàm vniuersalia versatur, proindeque formam à materia independentem, & immortalem requirit.

ARTI-

ARTICVLVS III.

RESPONSIO AD ARGVMENta primi articuli.

ADuersariæ partis rationes nullum habent momentum. Prima tantùm concludit inesse belluis vmbram quandam virtutis. Nam virtus ijs solùm conuenit, quæ delectu, & arbitratu suo agunt. Similiter secunda tantùm probat competere eis imitationē rationis, & artis, vt docet Aristoteles lib. 8. de hist. anim. c. 1. Sol. 1. arg. Sol. 2.

Sanè verò si ex eo, quod bruta concinnè, & eleganter opera sua elaborant, rectè colligeretur inesse illis artem, vsumque rationis, idē arguere liceret in arboribus, in quibus functiones altricis potentiæ non minùs admirationi sunt; quæ ita radices terræ infigunt, ita surgunt, ita ramos explicant; quarum flosculi sic erumpūt, sic viuunt, sic adolescunt, vt nihil ad gratiam pulchrius, nihil ad pulchritudinē gratius aspectui occurrat. Itaque vt arbores naturalium facultatum vi absque sensu; ita brutæ animātes sensuum ope, solo instinctu, qui est veluti quædam imago artis, opera sua exequuntur, & peragūt. Brutis imitatio rationis, & artis, non ratio, aut ars conuenit. Instinctus brutorum imago artis.

Ad tertiam dicendum, quod belluæ tempestatū dent præsagia, & quædam interdum futura prænuntient; id non ad mētis præsensionem esse referēdum, alioqui acutior illis, quàm nobis, qui ea minùs præsentimus, ratio inesset; sed nimirum, (vt præter alios aduertit D. Thomas 1. par. q. 86. art. 4. & Vdalricus lib. 4. suæ summæ) quia mentis exortes cùm sint, neque sensum intellectus ministerio occupent, sed temporū conditionibus omnino vacent, faciliùs cœli & elementorum influxum, atque aduentitias qualitates persentiscunt. Ac cùm libertate careant, eis necessariò obtemperant, lætanturque aut contrahuntur pro humorū nunc se diffundentium, nnuc colligentium varietate; & affectus, effectusque alios secundum diuersam phantasiæ apprehensionem; hos, verbi gratia, ante serenitatem, illos ante pluuiam exhibent. Quos quia in eis persæpe homines obseruarunt: inde iam futuras temporum præsagiunt mutationes, quas tamen bruta ipsa non præuident. Nec enim, verbi gratia, cùm delphini tranquillo mari vltra solitum lasciuiunt, impendentē ex qua veniunt parte flatū præsentiūt (cùm nulla futurorū cognitio brutis cōpetat) sed eorū phātasia naturaliū caussarū impressione mota talem eis ludum, aut fugam dictat: similiterq; res habet in cæteris. Sol. 3. Cur brutā mutationes temporū cœlique impressiones faciliùs sentiant. Delphini vt flatum denūtient.

Lege D. Th. 2. q. 172. art. 1. ad 3. & in disput. q. de prophetia ar. 3. ad 19. & in 3. d. 26. q. 1 ar. 1. in sol. 4.

Ad quartam dicendum quasdam esse animantes, quæ licet ratione careant, nobiliorem tamen inter alias phantasiam sortitæ sunt, & humanam rationem, atque interdum prudentiam imitantur, & suo modo docentur, ac docent, non aliquo discursu, sed internorū dūtaxat sensuum opera, ductuque. Sol. 4.

Quod verò ad Chrysippi canē attinet, D. Ambro. in lib. Hexam. loco citato ait canē in eo euētu ingenita sagacitate vim sibi rationis asciscere, idest, humanæ mentis ratiocinationem imitari, vt superiùs Sol. 5.

retulímus, quod D. Tho. Secunda Secundæ. q. 13. art. 2. planiùs ediſſerens, hæc aliaque id genus referenda cenſet ad inclinationem à diuina arte deriuatam, hoc eſt, ad naturalē induſtriā, & inſtinctū.

Reſpõſio ad arg Porphyrij.

Quod autem aſſerebat Porphyrius ex Ariſtotelis doctrina colligi exiſtimaſſe illum bruta ratione pollere, falſum eſt; niſi rationē ſumat pro rationis imitatione, quam ſolam brutis quibuſdam Ariſtoteles attribuit tum loco citato de hiſtoria animalium, tum 1. Metaph. cap. 1. Quod item addebat Porphyrius, bruta inter ſe colloqui, & à quibuſdam intelligi, non ita eſt; etſi ita eſſe crediderit quidam ex Hebræis doctoribus teſte Abulenſi ad cap. 3. libri tertij regum q. 11. aſſerens eorum voces percalluiſſe Salomonem; non inquam ita res habet, ſi loquamur de ſignis ex inſtituto, quæ ad rationem ſpectant. Etſi non eamus inficias bruta ſignis vti naturalibus, ad quæ tamen percipienda intelligentiæ vis non requiritur, ſed naturæ inſtinctus. Vnde Ariſtoteles 1. Politicorū cap. 2. ſermonem, inquit, homo habet ſolus omnium animalium; bruta autem vocē. Huc vſque enim natura in ijs proceſsit, vt ſenſum habeant iucundi & moleſti, at ſermo tributus nobis eſt, vt damnum, vtilitatem, iuſtum, & iniuſtum oſtendamus.

Brutę animãtes vtũtur ſignis naturalibus.

Epilogꝰ quęſtionis.

Ex ſuperiori diſputatione conſtat bruta non ratione, aut diſcurſu prædita eſſe, & quod inde conſequens eſt, ſolo inſtinctu in fines ſuos agi, qui erat huiuſce controuerſiæ ſcopus.

QVÆSTIO IIII.

QVID NAM SIT BRVTORVM animantium inſtinctus.

ARTICVLVS I.

DIVERSÆ PHILOSOPHORUM ſententiæ.

Prima opin.

QVONIAM diximus bruta naturę inſtinctu in fines ſuos contendere, ſequitur vt quid nã eiuſmodi inſtinctus ſit, videamus. Occurrunt ergo in primis ij, qui putant inſtinctum brutorum eſſe naturalem quãdam impreſsionē à Deo iniectam, non tanquam habitum; ſed per modum actionis, & auxilij cuiuſdã naturalis, quo Deus cũ brutis ad neceſſarias eorum functiones adminiſtrãdas peculiari modo concurrit, non multò ſecus, ac cũ hominibꝰ cœleſti afflatu, ſupernaturaliq; ope ad actiones, quæ naturę vim excedũt. Huic ſimilē in diſsimili re ſententiã ſecuti ſunt Arabes Philoſophi, qui corporis animantiũ fabricã, membrorũ apparatũ, & delineamẽta admirati, fœtus conformationē nõ naturę, ſed altioris, ac diuinioris principij manũ eſſe voluerunt. Fauet autē præ-

Lege Vigerium Granatenſem in ſuis inſtitutionibus Theol. cap. 1

prædictæ opinioni effatū illud Peripateticū, Opus naturæ est opus intelligentiæ. Deinde ipsum nomen, instinctus, quod ex eo dicitur, quia aliquid aliunde instigetur: tum verò maximè brutorum opera, quæ ita ordinatè procedunt, vt artis, non naturæ opera videātur. Eius confirmatio.

Alij censent huiusmodi instinctum esse qualitatem quandam ab auctore naturæ phantasiæ superadditam, quæ sit veluti ars naturalis brutorum; immo & typos quosdam, siue imagines eis infundi, quæ sint quasi ideæ efficiendorum operum. His fauere creditur D. Thomas in quæst. de verit. q. 13. art. 7. ad 7. vbi inquit bruta accipere à principio naturalem æstimationem ad noxia, salutariaque dignoscenda, quoniam id propria vestigatione assequi non poterant. Cācellarius etiam Parisiensis Gersonius p. 4. in tractatu de definitionibus terminorum ad Theologiam pertinentium arbitratur instinctū esse inclinationem quandam adiectam naturæ à primæua sua origine ad finem obtinendum. 2. opinio. Opinio Gersonij.

Quod verò qualitas illa, & inclinatio brutis insideat, videtur probare eorum in operibus moliendis artificium, alacritas, promptitudo. Esse autem consignatas eorum phantasiæ ab ortu rerum species, ex eo ostenditur, quia multa ab eis fiunt, quæ absque innatis speciebus haud quaquā fieri posse videntur. Quærimus enim qua notitia, verbi gratia, picus cùm primò clauum, cuneumue cauernulæ, in qua nidum habet, adactum videt, herbam mox quærit, qua allata admotaque statim exilit ferrum cum crepitu arboris? Qua item cognitione ducitur mustela cùm aduersus serpentem primò depugnatura rutam conquirit & deuorat? Certè nisi picus ignotæ illius herbę, & mustela rutæ imaginem habeat; nullo modo eam vestigarit, aut inuentam prehenderit. Quo argumento videatur ingenitas esse brutis species.

Depico Aelianus lib. 1. c. 45. Plin. lib. 10. c. 18. de mustela Ari. lib. 9. de hist. anim. c. 6.

CAPVT II.

QVID IN PROPOSITA CONtrouersia sentiendum sit.

PRoposita quæstio aliquot assertionibus explicanda est. Prima sit. Brutis animantibus nequaquam ab ipso ortu species consignatæ sunt. Hæc probatur ex eo, quia minimè decet belluas hoc tam præclaro naturæ dono antecellere homini, cuius anima à principio nullius rei imaginem impressam habet, sed est veluti tabula omnis picturæ adhuc expers, vt docet Aristoteles lib. 3. de anima cap. 4. tex. 14. Item quia, vt D. Thomas in 2. d. 20. q. 2. art. 2. aduertit, etiam infantibus naturalis instinctus conuenit; vnde mamillas, inquit, capiunt, aliaque ipsis conuenientia solo naturæ ductu operantur. Cùm igitur eorum phantasia nullis rerum imaginibus ab auctore naturæ consignata sit, sicuti nec intellectus; plane sequitur nullā esse necessitatē attribuendi congenitas species phantasijs brutorum animantium. Pri. assertio. Probatur. Infantiū instinctus.

2. assertio. Secunda assertio. Instinctus brutorum nihil est aliud, quàm operatio phãtasiæ determinata ad iudiciũ conuenientis, aut incõmodi, determinansque appetitum ad fugam, vel prosecutionẽ. Hæc assertio est Philosophorum cõmunis, Ac primùm qua ex parte decernit instinctũ pertinere ad phantasiam traditur ab Aristotele 3. de anima cap. 3. tex. 162. vbi docet id, cuius ductu bruta operantur esse imaginationem, seu phantasiam. Accipimus enim hoc loco phantasiam pro quolibet sensu interno: sicuti & iudicium, fuso vocabulo, pro imitatione quadã iudicij, quod bruta rudi, simpliciq; actu, citra omnem cõpositionem & diuisionẽ exercent. Deinde probatur tota cõclusio, quia instinctus brutorũ dicitur, quod eo instigẽtur, diriganturq; ad aliquid operandũ: hoc autẽ præstat phãtasia obijciẽdo appetitui, quid cõueniens aut contrariũ sit. Habere autẽ sese in proponẽdo eo pacto, quo dixim⁹, quoad determinationẽ; planũ est: cũ brutorũ natura libertatis expers sit, & absq; vllo delectu in actionẽ ruat.

Brutorũ instinctus vnde dicatur.

Phantasia instinctus quasi habitualis. Porrò oritur prędicta operatio, in qua instinctus actualis cõsistit, ab ipsa potentia phantasiæ, quæ est instinctus quasi habitualis; & cum ea cõcurrit prima causa, nõ peculiari aliquo attactu; sed cõmuni, generaliq; influxu, vt sequenti articulo ostendemus.

Dubium. Quærat tamen aliquis si omnium brutorum phantasia in vnam speciem conuenit, vt videtur esse cõmunior Philosophorũ sententia, vnde nam existat in brutis tanta operum varietas, vt apis fauos, araneus telam, bombyx lanam, formica myrmecias, auis nidum, aliasvè eiusmodi ædificatiunculas constructat? Respondemus quemadmodũ hominis cogitatiua, propter coniunctionem cum gradu discursiuo, eam prærogatiuam obtinet, vt discurrat circa singularia, sicuti multi magni nominis auctores opinantur; ita phantasias brutorum specie differrentium, quia oriuntur à formis diuersarum specierum, sortiri vim tradendi tam varias, & tam discrepantes regulas operum faciendorum. Ad quod etiam non parum confert temperamentorum diuersitas, quæ mgna ex parte in hominibus ingeniorum, propensionumq; dissimilitudinem parit.

Solutio.

Cogitatiua hominis discurrit circa singularia.

Cæterùm illud est animaduertendũ, sicuti homines nullũ intelligendi actum eliciunt, quin priùs species è sensu hauriant; ita neque bruta quicquã apprehendere, aut instinctu iudicare, quin priùs species à rebus mutuentur; siquidem omnis cognitio ab specie oritur. Ita verò hirundo, exẽpli gratia, hunc in modũ ad opus conficiendũ procedit. Intuetur lutũ; deinde ex intuitu imaginẽ illius admittit in phantasiam; tum æstimat cõueniens id prehendere, & deferre versus hunc, aut illum locum; subinde, præhabito etiam qualicunque iudicio, lutũ certo modo componit; rursumque aliud similiter ad eũdẽ locũ cõfert, sicque paulatim nidũ fingit. Atq; ex hoc progressu intelligi potest hirũdinẽ nec innatã speciẽ requirere, nec sine specie in opere versari. Adde etiã nec illi necessariũ esse aliquod futuri operis exẽplar ab initio impressũ. Nec enim oportet, vt prius quam nidum con-

Bruta nec innatas species requirũt, nec sine speciebꝰ operantur.

conficiat, quo pacto totus nidus efformandus sit, apud se statuat, sed vt dum singulas luti particulas applicat, phantasia ei sigillatim dictet, vt vnam alteri sic annectat.

ARTICVLVS III.

REFVTANTVR ADVERSARIORVM opiniones, eorumque argumenta.

EX dictis etiam non erit difficile eos coarguere, qui, vt initio quæstionis retulimus, putauere brutorum instinctū esse specialem motionem, qua cum ijs Deus ad opera conficienda cōcurrit. Sufficit enim illis generalis concursus, quem omnibus rebus ad obeundas actiones naturæ suæ congruentes prima causa exhibet. Qui etiam sat est, vt virtus formatrix semini indita animalium membra delineet & componat: quidquid Arabes Philosophi opinētur. Neque his officit quòd opus naturæ, intelligentiæ opus nuncupatur. Id enim nihil aliud significat, quàm res naturales ex præ-notione, & directione primæ causæ per virtutem & inclinationem ab ea datam in actiones & fines suos tendere, vt suprà exposuimus. Nec item bruta instinctu moueri dicūtur, quòd speciali actione instigentur ab auctore naturæ; sed quia cùm citra libertatem, & delectum agant, non tam se ipsa agere, quàm agi censentur, vt ait D. Damascenus lib. 2. Fid. orth. cap. 27. Quod verò tam gnauiter, & prōptè opera sua moliuntur, non probat superadditam eorum phantasiæ operatricem aliquam facultatem: id enim præstare per se queūt phantasia, & appetitus, cum naturali primarum qualitatum temperamento, cæterisque eiusmodi accidentibus, quibus singulæ rerum species à natura exornantur.

Opus naturę, opus intelligentię, quid sensus.

Cùm autem quæritur qua notitia Picus, verbi gratia, quærat primò herbam ad ferrum excutiendum: occurrendum est non moueri illum ab imagine herbæ, quam antea nullo sensu perceperat; sed à iudicio phantasiæ volatū præcipientis; licet ipse nec volatus sui habitudinem ad reperiendam herbam, aut herbam ipsam locumvè, in quo sit præcognoscat. Tunc verò vbi herbam offendit natura ipsa determinari ad iudicandum esse eam sibi conuenientem, sicque ipsā decerpere & in nidum comportare, præcurrente semper ad eiusmodi actiones naturali phantasiæ dictamine.

De pico auē.

Dubitarit postremò quispiam si brutæ animantes tam admirabilia opera naturæ instinctu perficiunt, cur non eodem quoque proportionem mediorum ad finem cognoscant? Cui respondemus ad cognoscendam proportionem vnius ad alterum requiri vim collatiuam, quæ vnum cum altero conferat; quod cùm altioris negotij sit, quàm vt à brutis præstari queat (illa enim vt neque cōponunt, neq; diui-

Lege D. Th. 1. p. q. 78. art. 4. Scot. in 4. d. 43. q. 2.

Cur bruta dicantur nō cognoscere proportionē mediorum ad finem.

diuidunt, ita neque vnum alteri comparant) consequens est, vt bruta habitudinem mediorum ad finem non percipiant.

QVÆSTIO V.

QVID SIT MONSTRVM, ET quibus modis accidat.

ARTICVLVS I.

EXPLICATVR MONSTRI definitio.

Definitio monstri.

ANTEQVAM disquiramus vtrum natura monstrum intendat, explicandum occurrit quid nã sit monstrum, & quo pacto generetur. Quid igitur monstrum sit, variè solet à Philosophis explicari. Nobis placet vulgata illa definitio. Monstrũ est naturalis effectus à recta, & solita secundum speciẽ dispositione degenerãs. Dicitur, naturalis effectus, quia licet, teste Aristotele hoc in libro cap. 8. tex. 82. etiam in rebus artefactis, cùm ab artis regula deciscunt, monstra interdum visantur; ea tamen non propriè, sed secundũ analogiã ad res Physicas, monstra appellari consueuerunt. Dicitur, à recta dispositione degenerans, quia nemo ritè monstrum nuncuparit, nisi id, in quo error intercidit, idest, deflexio aliqua ab ordine, ac lege, quam naturæ operibus præscribit finis, propter quem natura ipsa operatur.

Additur, Solita, quia, vt quibusdam videtur, quod iam in vsu frequenti versatur, monstrum non est: videlicet natura cum inueterata iam inolitaque consuetudine conspirante. Qua de causa Pygmæi, quorum tota cohors pede non est altior vno, non simpliciter monstra dicendi erunt, quia spectata eorum hominum, (si tamen homines sunt) formatrice virtute, & illius soli, cœlique ingenio, non iã ex accidente eiusmodi partus eueniunt. Quod item censendum erit de quibusdam gigantum familijs, quarum faciunt mentionem diuinæ literæ; Item de ijs hominibus, qui referente D. Augustino 16. de ciuitate Dei capite octauo, singula crura in pedibus habent, nec poplitem flectunt, quos sciopodas, idest, vmbripedes vocant, quòd per æstũ in terra iacentes resupini vmbra pedum se protegant. Itẽq; de alijs, qui tam insigniter auriti sunt, vt eis ad pedes aures defluant, atque in alterutrã decubent, vt refert Boemus lib. 2. de moribus gẽtium, c. 8. Magis tamen Philosophicum videtur, etiam quæ huiusmodi sunt, in monstris numerare. Quare particulam illam, Solita, sic

Pygmæi.

Gigantes.

Sciopodes.

De sciop. etiam plin. lib. 7. c. 2.

sic interpretandam credimus, vt monstrum dicatur effectus degenerans à dispositione solita, idest, ordinaria secundum speciem, siue respectu huius causſæ proximæ per accidens ita eueniat, siue non.

Adijcitur postremò, secundum speciem, quia quælibet species certam vendicat dispositionem, vt quælibet species animalium certam membrorum structuram, & partium lineamenta. Ab hac ergo dispositione cùm fœtus degenerat, idest, insigni aliquo vitio, aut errore deflectit, monstrum est. Siue deerret ex parte, vt puer, qui capite arietino, aut bubulo; vitulus, qui capite humano; ouis, quæ bubulo nati dicuntur, referente Aristotele libro 4. de generat. animalium cap. 3. vt etiam Arimaspi, qui vnum oculum in fronte gerunt; & qui sine ceruicibus oculos habent in humeris; & qui caninis capitibus pro voce latratum edunt. De quibus Plinius lib. 7. Naturalis hist. c. 4. Siue deerret ex toto, cùm videlicet fœtus in alterius animantis effigiẽ, & formã prorsus declinat, vt si bos agnum pariat; quod paulò ante Hierosolymæ euersionem prodigij loco accidisse scribit Nycephorus histor. Eccles. lib. 3. cap. 4. & Iosephus lib. 7. de bello Iudaico cap. 12.

Puer capite arietino.

Vitulus capite humano.

Ouis bubulo.

Homines canino capite.

Bos agnum partu edidit.

ARTICVLVS II.

DIVERSI MODI, ET RATIONES, quibus monstra accidunt.

PORro autem quot modis contingant monstra, & quæ eorum causſę sint explicat, præter alios, Aristoteles lib. 4. de gener. animalium cap. 4. & 8. Plutarchus lib. 5. deplacitis Philosophorum cap. 8. Galenus de historia Philosophica cap. 113. Magnus Albertus hoc in libro tract. 3. cap. 3. Sciendum est igitur cùm animal vnum ab alio gignitur, quinque potissimùm, quod ad rem præsentem attinet, in generatione concurrere. Primum est virtus formatrix semini inhærens, quæ more opificis totum corpus membratim delineat, & effingit. Secundum est materia ipsa, ex qua fœtus coalescit. Tertium, fœtus receptaculum. Quartum, primarum qualitatum, quæ sensu percipiuntur, caloris inquam, frigoris, siccitatis, humoris complexio, è quarum temperatura animantium salus, integritasque dependet. Quintum, id quod extrinsecùs rem attingit; vt regionis salubritas, vel inclementia, syderum influxus, aliaque eiusmodi.

Pic Mir. 1. de Exam. c. 6 Boem9 lib. 2 de mor. gẽ. Ambrosius Pareus de monstris & prodigijs lib. 1

His ita positis, solet in primis monstrum accidere ob formatricis, seu seminariæ virtutis ruditatem, & hebetudinem, quæ dum fingẽdo insistit fœtui, totum opificium exactè elaborare, & articulatim, ac distinctè exprimere nequit. Quo fit vt interdum partes corporis confusæ, & indiscretæ, atque ad munia ob eunda inutiles prodeant:

Prima monstri causſa.

tion

nonnunquam etiam deterioris ſpeciei formam induant; eóque pacto homines arietini capitis effigie aliquando enati dicuntur, referente, vt ſupra citauimus, Ariſtotele lib. 4. de generatione animal. c. 3. Natura enim cùm perfectam expolitionem aſſequi non poteſt, inferiori gradu contenta ſubſiſtit. Nonnunquam etiam ob defectum formatricis, membra non ſuo loco ponuntur. Quomodo iecur latere ſiniſtro, lien dextro contineri viſus eſt. Aliquādo Hermaphroditi, ſeu Androgyni naſcuntur, ſi nimirum formatrix facultas paribus ad vtrunque ſexum effingendum viribus in materiam incumbat. De quibus Ariſtoteles 4. cap. libri proximè citati. Quod portentum non ſolùm hominibus, ſed & quadrupedum generi accidit, vt narrat Plinius lib. 11. cap. 49. etſi id Neronis principatu primū euenisſe arbitretur. Obſeruat autem Magnus Albertus monſtrifer as figuras rariùs apparere in partib⁹ cordi & iecori vicinis, eo quod virtus mēbrorum delineatrix vegetior ibi ſit, circa remotiora vero ſegniùs operetur.

Habentes iecur latere ſiniſtro, lienē dextro.
Androgyni.

Deinde vitio materiæ trifariam obueniunt monſtra. Primùm ob multiplicem & promiſcuam ſeminum diuerſæ ſpeciei confuſionē: vbi etiam variæ virtutes formatrices ſeinuicem obturbant. Eoque modo, externis lineamentis ſemihomines, & ſemibeſtiæ aliquando nati ſunt. Vnde in mari pleraque monſtrifera reperiuntur, vt ait Plinius lib. 9. hiſtor. naturalis cap. 2. videlicet perplexis, & in ſemet aliter, atq; aliter nunc flatu, nunc fluctu conuolutis ſeminibus atque principijs; ſicque noui aliquid ſemper pariente natura. Idēq; in Africa euenit aggregātibus ſe feris ad paucos amnes inopia aquarum. Secundò, propter materiæ penuriam producuntur hōmines membris defecti, vt monoculi, vnipedes, quaternis tantùm digitis, & interdum nani, coactæque breuitatis homūculi; qualem affirmat Nycephorus 12. Eccleſiaſt. hiſtoriæ c. 37. fuiſſe in AEgypto quendam, qui ad perdicis duntaxat magnitudinem creuit. Item ob exuperantiam materiæ euadunt interdum homines ad gigantęam vaſtitatem. Talis ille erat, cuius ſe molarem dentem vidiſſe narrat D. Auguſtinus cap. 9. libri 15. de ciuitate Dei, qui, inquit, dens ſi in noſtrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuiſſe.

Secunda monſtri cauſſa, quę tripartita eſt.
Monōculi.
Vnipedes.
Quaternis digitis.
Pumiliones
Homo magnitudine perdicis.
Gigantes.

Tertiò, ex parte receptaculi, quo fœtus continetur, datur monſtroſo partui occaſio⁹: cùm, verbi gratia, vna materia, quæ ab altera loci diuerſitate abiungi & ad geminum fœtum cōformari cœperat, poſtea ob anguſtias, aliudvè loci incommodum, maiori, ſiue minori ex parte confunditur. Atque hoc modo ſortiuntur interdum fœtus plura membra, quam naturæ curſus poſtulet. Sic teſtatur D. Auguſtinus cap. 8. lib. 16. proximè citati operis natum ſua memoria fuiſſe quendam ſuperioribus membris duplicem, inferioribus ſimplicē: ideſt, cui erant duo capita, duo pectora, quatuor manus, vēter vnus, & pedes duo ſicut vni homini.

Tertia cauſa.
Monſtrū ſuperioribus membris duplex, inferioribus ſimplex.

Quar-

Quartò, primarum qualitatũ aſsymetria interdum naturæ obliquitates inducit, quatenus in cauſa eſt, vt facultates munia ſua incõgruè adminiſtrent; ſicque cordis calor intempeſtiuè, atque vltra modum æſtuans, & terreſtrium partium quaſi fumum excrementitium eleuans infantibus in vtero barbam effundit, quod ætate noſtra in Luſitania accidiſſe conſtat. Alij quoque deficiente calore, & abundante humido, in pueritia caneſcunt. Quorum meminit Plinius, lib. 7. cap. 2.

Quarta cauſa.

Infans barbatus.

Pueri canescentes.

Quintò, Inuehit monſtroſas, & deformes ſpecies regionis circunfuſique aeris affectio, & cõſtitutio: vnicuique enim patria quaſi parẽs eſt, non minimã ſibi in educendo, & efformando fætu partem vendicans, cùm ei ſuas etiam qualitates impertiat, nunc quidẽ propitias, nũc aduerſarias, & deformitatis effectrices. Vnde in Aegypto ob regionis naturã, frequentius, quàm apud nos moſtroſi homines oriuntur. Idem aſſerendũ eſt de cœleſtium corporum influxu, ſyderũque afflatu, quì, ſicut animalium generationi plurimùm obſeruit, ita & partus multi formiter afficit, ac vitiat. Quo ſpectat illud Ptolemæi in cẽtiloquio, terreſtres vultus vultibus cœleſtibus ſubijciuntur. Quia verò interdum ea dominantur ſydera, quæ hominũ generationi maximè fauent, contingit aliquando (ſi credimus Magno Alberto in ſuis Mineralibus, & Ianduno hoc in libro quæſt. 24.) vt brutę animantes per id tempus genitæ, imo & lapides, qui tunc concreſcunt, hominis effigiem ex parte imitentur, videlicet cœli aſpectu humanæ figuræ expreſsionem, quantum poteſt, affectante.

Quinta cauſa.

In Aegypto cur frequenter moſtroſi partus.

Superioribus monſtri cauſsis addenda eſt etiam vis imaginandi parentum, quæ nonnunquam facultatem formatricem ab ſcopo ſuo aberrare facit, & abſurdas, ac peregrinas formas, quas concipit, fætui imprimit. Sic narrat Auicẽna 5. de animalibus libro, gallinam, quæ, dum ouis incubaret, milui aſpectu perterrita fuit, pullos excluſiſſe miluino capite. Eſtque celebre exemplum in diuinis literis Geneſeos 30. qua ratione Iacob prouenerunt fœtus gregum maculoſi. Lege Galenum libro de Theriaca ad Piſonem cap. 14. Ferneliũ. 7. Phyſiologiæ cap. 12. Leuinum lib. 4. de occultis naturæ miraculis cap. 7. & cap. 19. libri primi. Eſt autem quæſtio perobſcura, quonam pacto imagnatio hos, aliosque his ſimiles effectus edat, quam perſequi non eſt huius loci.

Parentũ imaginatio.

Nec verò quis putet omnes nos monſtrorum cauſas recenſuiſſe. Non enim omnes, ſed præcipuas, & frequentiores collegimus. Eſſe autẽ multò plures ex eo cõiectari licet, quòd mõſtra peccata ſunt, ſeu vitia à naturæ lege deflectẽtia: infinitis autẽ modis à recto aberrare contingit. Vbi illud etiã aduertendũ eſt, nonnunquã in vnum, idemque monſtrũ multas cauſas ex ijs, quas retulimus, pariter conuenire. Poteſt enim v.g. homo duplicatis mẽbris generari & ꝓpter abundantiã materiæ, & ob peruerſitatẽ matricis, quæ, natura gemellos parante, tunicas fœtum obuoluentes diſtraxit, & diſrupit.

Multò plures eſſe monſtrorum cauſas.

ARTICVLVS III.

ALIQVOT DVBIORVM enodatio.

1 dub. PLenioris doctrinæ gratia dubia quædã explicanda sunt. Primum est, vtrũ fieri possit, vt ex humana, & belluina specie homines nascantur. Respondendum primò videtur, non posse: quia istiusmodi effecta sequuntur deteriorem partem suæ causæ. Hanc tamen doctrinam experientia non omnino comprobat; si verum est, quod iam contigisse, fuisseque obseruatum, nonnulli referunt, nimirum ex congressu hominis, & belluæ veros omnino homines aliquando natos. Quod si ita habet, ad rationem adductã dicendum est, fieri posse vt causa partialis nobilior ita efficacitate sua præualeat supra minùs nobilem, vt trahat effectum ad suam speciẽ; nec in eo euentu oportere effectum sequi deteriorem partem causæ; sed quando par est vtriusque vis, & concursus, aut deterior etiam vincit. Ordinariè tamen, & vt plurimùm existimandum non est, ea monstra, quæ semihomines, & semibestiæ dicuntur, aut homines esse, cùm non constet prodijsse ex permistione humani seminis; nec videatur, saltem vt plurimùm, ea permistio ad id sufficere; aut partim belluas esse, partim homines, (cùm impossibile sit duas naturas completas in vnam speciem coalescere:) sed re vera esse bruta alicuius certæ speciei; licet effigie vtrãque naturam imitentur. Vnde intelliges Faunos & Satyros ab Ethnicis pro dijs habitos, qui humanam edebant vocem, & humani, capriniq; corporis lineamenta præ se ferebant, dœmonas fuisse fictitijs corporibus indutos: cùm effigies probaret eos non esse homines; sermo non esse belluas. Quanquam de illo, qui D. Antonio in eremo apparuit, nihil simile decernat D. Hieronymus in eiusdem Antonij vita, nec sententiam suam satis aperiat.

Faunos & Satyros fuisse dœmones assumptis corporibus.

2.dub. Respons. Secundum est, vtrum animal, quod simplicia membra, geminata habet, vt duo capita, vnum animal sit, an plura. Respondet Aristoteles quarto capite lib. 4. de generatione animalium iudicandum id esse, ac discernendum ex vitæ principio, idest, ex corde; è quo animalia vitæ principium auspicantur: ita nimirum, vt quod vnum cor habuerit, vnum animal censendum sit: quod duo, id pro duobus haberi debeat. Necesse est enim posito ab initio generationis duplici vitæ fonte, duplicem quoq; animã dari. Qua de re lege etiam Henricum Gandauensem quodlibeto sexto quæstione decima quarta.

De hac Capreol. in 2.d.15.q.1.a.3.

Tertium

Tertium est. Vtrũ Gigantes absolutè monstra habendi sint. Oritur verò ratio dubitandi ex eo, quia nequaquã putandum est Adamũ fuisse monstrum; vt qui à Deo ornatus fuerit omnibus naturæ donis, quorum vnum est decens, & neque contracta, neque nimiũ profusa magnitudo corporis: & tamen eum Gigantem fuisse testari videtur sacræ paginæ auctoritas Iosue 14. illis verbis, Adam maximus ibi inter Eneacim (idest Gigantes) situs est. Respõdemus Adamum non fuisse Gigantem, vt probat, cæteris omissis, ratio à nobis proposita: quãquam secus arbitrentur Ioannes Lucidus lib. 1. de emendatione temporum cap. 4. & Moses Barcephas in libro de paradiso. Loco autem citato ex lib. Iosue vocabulum illud, Adam, vt pleriq́ue interpretes annotarunt, non designat primum humani generis parentem; sed est commune nomen idem valens, atque apud Latinos vox, homo, vt sit sensus collocatum illic fuisse quẽdam nomine Arbã, hominẽ inter Eneacinos maximum. Alij etiam eũ locũ de primo parente intelligentes, superlatiuum, maximus, non ad molem corporeã referunt; sed ad maximam, singularemq́ue dignitatem, qua primus parens inter omnes homines excelluit tãquam caput, & origo totius generis humani.

3. dub.

Respons. Adamum nõ fuisse gigantem.

Quartum est. Vtrum re vera monstra nõnũquam ex corporum cœlestium influxu proueniant. Nam quòd minimè ita res habeat, & quod oriantur duntaxat motibus in ordinatis inferioris materiæ dum cœlestis disciplinæ legibus non obsequitur, cõtendit singularis ingenij Philosophus Picus Mirandula libro tertio contra Astrologos cap. 21. Cùm enim, inquit ille, cœli opus ex omnium luminũ conspiratione dissultet, ita tota illa superior semper tẽperatur harmonia, vt sicut in ipsa omnia consonant; ita per eam nihil dissonet vnquam in inferiori mundo; in quo quoties incõcinnum, asperum, discors auditur, ad tactum cœli ne referatur; sed ad quatuor istas chordas citharæ sublunaris, quæ de inordinata materia, impuraq́; contactæ cœlesti plectro ad numerum illas semper, concordiamq́ue mouendo contumaces interdum inueniuntur. Hæc ille concinnè magis, quàm efficaciter. Enim verò quantumlibet cœlestium corporum motus ordinati sint: id tamen non impedit quominùs astra secundum diuersos intuitus, interdum ad hæc, aut illa monstra generanda sublunares caussas promoueant: quemadmodum & quorundam syderum congressus, exortusvè tempestates maximas, & interdum inundationes excitare experientia demonstrat.

4. dub.

Responsio Mirandulę.

Vera explicatio.

QVÆSTIO VI.

VTRVM NATVRA INTENdat monstrum.

ARTICVLVS I.

CONTROVERSIÆ EXPLICATIO.

VT propositam quæstionem expediamus duo prænotanda sunt. Primum est, Cùm mõstrum sit vitium naturæ ob aliquod impedimentũ à fine suo deficientis; quoties mõstrosum aliquid prodit, vt equus biceps, ad hunc effectũ confluit tum caussa impedita, tum impediens. Impedita, vt Bucephalus, qui alium equum sibi similem, atque adeò vno capite præditum generare nititur. Impediens, vt exuberantia materiæ, quæ in caussa est, vt equus genitus præter naturæ ordinem duplex caput sortiatur.

Ad monstrũ cõcurrit causa impedita, & impediẽs.

Secundum sit, In bicipiti equo (quod de cæteris mõstris pari modo intellige) tria spectari possunt: videlicet ipsa natura equina; caput alterum redundans, quod proximum deformitatis fundamentum est; itemque obliquitas ipsa, seu deformitas, quæ monstri nomine formaliter significatur.

1. conclu. His positis sit prima conclusio. Caussa impedita per se sumpta non tendit in monstrum, neque quoad deformitatem, neque quoad proximũ deformitatis fundamẽtum.

Probatio. Hæc probatur, quia caussa impedita, si per se spectetur, nititur producere effectum sibi similem sine errore, ac vitio; sicuti & artifex ex se quidẽ conatur effingere artefactũ, quale ipse interiùs efformat, & proponit, quodq; à regula suæ artis non deficiat: at monstrum dissimile quiddã est, & obliquum, ac læsum, vt docet Aristoteles 4. de generatione animal. cap. 3. Præterea quia cùm monstrum generatur dicitur caussa impedita à suo fine deflectere, ipsumque monstrum respectu eiusdem caussæ fortuitò euenire censetur; quod non ita esset, si caussa impedita monstrum intenderet.

2. concl. Secunda conclusio. Si caussa impedita vnà cum impediente accipiatur, dici potest in monstrum, quoad deformitatis fundamentũ, & ex consequenti quoad deformitatem ipsam tendere. Hæc suadetur, quia licet parentes equi, verbi caussa, monstrosi ex se intendãt tantam duntaxat materiam futuro fœtui impendere, quantam congrua illius generatio deposcat, proindeque nõ nisi perfectum equũ gignere instituant; ex hypothesi tamen quod vberiorem materiam ita suppeditarint, vt ex illa equum gemino capite oriri oporteat; inficiandum non est hoc in euentu intẽdi ab ijs caussis in vnũ coeũtibus bicipitem equum. Id quod etiam hunc in modum confirmare licet. Naturam intendere aliquem effectum non est aliud, quàm in illius effectionem inclinare, & propendere; sed natura impedita, put videlicet vtrãque caussam tam impeditã, quàm impedientẽ cõprehendit, inclinatur, & propendet ad effectionem monstri: ergo intendit illud. Probatur assumptio, quia vnaquæque caussa ad illũ effe-

Quid sit naturam intendere aliquẽ effectum.

effectum inclinatur, cuius per se vim effectricem habet; at natura impedita, seu caussa impediens simul cũ ea, quæ impeditur, & omnibus circunstantijs concurrentibus habent per se vim effectricem monstri, cùm illud ex ipsarum coniunctione necessariò sequatur. Ergo & cæt. Rursus idem ex eo corroboratur; quia Deus, vti mox dicemus, intendit monstra; non intendit autem illa per se immediatè, sed per caussas secundas, quæ ad id concurrunt; hæ autem sunt caussa impediens, & impedita.

Iccirco autem non diximus monstrum à sola impediente caussa intendi; sed ab vtraque simul, quia plerũque caussa impediens, mõstrum non edit, nisi caussa etiam impedita ad ipsum proximum deformitatis fundamentum efficienter concurrente. Atque ita nõ rite, ac simpliciter sola caussa impediens dicetur in monstrum ferri, cùm illud producere per se sola non possit. Quod in exemplo adducto videre est. Namque materiæ redundantia ita geminum caput equo affingit, vt eam parentes ipsi efficienter suppeditẽt. Iidemque proinde ad generationem superflui capitis effectiuè concurrãt. Hoc autem philosophorum complures significant dum aiunt caussam impeditam non quidem primaria; sed secundaria intentione in monstrum ferri; quia videlicet caussa impedita ex se à monstro abhorret, ac refugit: prout tamen cum impediente iungitur primario instituto cedens ad generationem monstri succumbit. Vnde Aristoteles 4. libro de generat. animal. c. 4. monstra appellat παρεκβάσεις. ideſt, naturæ excursus, & quasi digressiones: propterea quod natura prædicto modo ad gignenda monstra digrediatur, sicque in ea tendat. Neque hæc eleuant peruulgatum illud naturæ encomium, quo natura dicitur nihil temerè, aut in ordinatè agere. Id enim verum est, cùm nullo impedimẽto à primario suo instituto auertitur, nec aliunde eius actio interpellatur.

Cur mõstrũ dicatur intẽdi simul à caussa impediente & impedita.

Quõ pacto natura nihil temerè, aut in compositè agit.

ARTICVLVS II.

MONSTRA NON EVENIRE PRÆter intentionem primæ caussæ.

CAEterùm quidquid de particularibus caussis dicatur, constat neque monstrum, neque aliud quippiam fortuitò, aut casu euenire respectu Dei, qui rerum omnium euentus & prouidentia sua præuenit, & sapiẽtia disponit. Intendit igitur Deus mõstrum, si spectetur prout cum caussa impedita, & impediente simul concurrit; atque ita voluntate absoluta, & efficaci: intendit verò nõ monstrum; sed animal perfectum, qua ex parte ad caussam impeditam præcisè sumptam concursum dirigit, proindeque volũtate cõditionata, vt vocant. Vnde putandũ non est suo fine frustrari Deũ, cùm

Lege D. August lib. 83. quæst. q. 24. D. Th. 3. cõ tragent. cap. 3. & 1. p. q. 103 art. 7. D. Bon. in 2. d. 37. q. 2. n. 32. Kich. ibidẽ q. 2. circa 4. principale.

Quo pacto Deus monstrũ intendat.

Non frustratur Deus suo fine.

cùm non omnium particularium cauſſarum fines abſolutè velit; ſed ad earum ſeſe naturas, & captum, modumque accommodans, alias ad finem, vti decreuit, promoueat; alias pro ipſarum imbecillitate à fine aberrare ſinat. A fine, inquam particulari, nõ à communi; nec ab vniuerſalis prouidentiæ ordine, quo omnia comprehenduntur, eo pacto, quo lineæ à centro ductæ, circunferentiæ ambitu continentur. Quo fit vt (quod Boetius libro 4. de conſolatione proſa 6. admonet) ſi quidpiam à præſcripto ſibi ordine diſceſſerit, in alium relabatur; ſicuti linea ſi in hoc peripheriæ punctum non incidit, in aliud neceſſariò incurrit.

Hac dete D. Tho. 1. p. q. 22. art. 4. & deuerit. q. 5. art. 5.

Cur Deus monſtra in mundo eſſe velit.

Vult autem Deus monſtra in mundo eſſe, tum ob alias cauſſas, de quibus D. Bonauentura in 1. d. 45. & Dionyſius Carth. in libro de venuſtate mundi cap. 9. tum vt D. Auguſtinus lib. 16. de ciuitate Dei cap. 8. inquit, propter vniuerſi pulchritudinem: vt nimirum hoc ſpectabilis mundi theatrum, non elegantium duntaxat; ſed deformium quoq; velut imaginum varietate exornetur. Etenim ea etiam, quæ fœda ſunt, ad vniuerſitatis decorem, & elegantiam faciunt, eo modo, quo gratiam lucis cõmendat obſcuritas noctis; & vmbræ, atriq; colores picturæ augent venuſtatem; dum eminentiora quæq; diſtinguunt; & differẽtia colorũ, alterna vice ſeſe excitante, oppoſita iuxta ſe poſita clariùs eluceſcunt.

In expoſitione literæ Magiſtri.

(†)

FINIS SECVNDI LIBRI.

IN TERTIVM LIB.

PHYSICORVM

ARISTOTELIS.

PROOEMIVM.



POSTQVAM ARISTOTELES duobus libris superioribus de principijs, causisq; rerum naturalium vniuersè disseruit; accedit nunc ad earum affectiones perscrutandas. Atque in primis de motu agere instituit, cuius consideratio præcipui momenti in philosophia est. Primùm, quia partes contemplatricis philosophiæ per diuersã abstractionem à motu inter se distinguuntur, vt in proœmio huiusce operis diximꝰ. Secundò quia rebus omnibus naturalibus, vt vita quædam motus ineſt. Sicut enim docente Platone 10. de legibus, ea viuunt, quæ motionis principium intra se continent, seque ipsa mouere dicuntur: ita quæ motum vtcũque subeunt, vitam quodammodo participant. Tertiò, quia forma, & materia, de quibus Aristoteles partim in 1. partim in 2. libro egit, motu inuestigatæ, ac deprehensæ sunt, adeòque motus notitia cum naturæ cognitione copulata est, vt hæc citra illius opem obtineri nequeat. Quartò, quia cõtemplatio motus ad latentes, abditasque naturalium effectorum causas, & ipsarũ causarum vim, speciem, gradum, & perfectionem videndam magna ex parte viã demonstrat. Quintò, quia ex motu progressa est Philosophia ad inuestigationẽ tum earũ mentium, quæ cœlestes sphæras circunuoluunt, tum etiam supremæ causæ, idest, Dei, in quem, vt in omnium rerum fontem, ac principium motum omnem desinere necesse est. Ob has ergo rationes præcipuo studio incumbit Aristoteles in tractationem motus. Cæterùm quia is cõtinuum quiddam est, quod in partes diuiduas infinitè secari potest, nec sine infiniti notione perfectè intelligitur; iccirco post explicationẽ motus acturum se de infinito pollicetur. Quod & accuratè præstat, & cum aliarũ artium emolumẽto: siquidem Geometria, Astronomia, Cosmographia, Geographia, & quæcunque circa mundi machinam occupantur, à Physiologia postulant, vt infinitam molem reijciat; quia pingunt, describuntque vniuersum permensum, & finitũ. Est itaq; bipartita huius libri distributio. In priori parte quid sit motus, & in quo insideat, explicatur: in posteriori de infinito differitur.

Motus cõsideratio quãti sit momẽti in Philosophia.

Libri distributio.

Capitis

Capitis primi Explanatio.

Methodus & ordo rerum tractanda rũ.

Cùm autem } Sũmatim proponit, de quibus in progressu actu-rus sit, eorumque methodum & ordinem. Statuit autem differere in primis de motu, quòd absque illius notione definitio naturę intelligi nequeat: postea verò de infinito, quia motus est de numero continuorum, quę in infinitũ diuidi possunt. Atque in hisce duobus explicandis vt paulò ante prędfati sumus, huius libri tractatio versatur. Deindè pollicetur disputaturum se de loco, vacuo, & tempore; quia sine loco, & tempore motus Physicus non datur; nec sine vacuo, vt opinabantur veteres Philosophi. Ac de his tribus differit in 4. huius operis.

b *Tũ quia õniũ* } Aliam subijcit rationem, ob quam de ijs, quę proposuit, disceptare instituat, videlicet quòd eę sint communes rerum naturaliu.m affectiones, quarum tractatio minus communium explicationi anteire debet; cùm doctrinę ordo efflagitet vt ab vniuersis ad singula progrediamur. Quod alibi quoq; admonuit, vt initio huiꝰ operis, & in 1. de an malium partibus cap. 4.

c *Est igitur* } Ad inuestigãdam, tradendamque motus definitionem diuisiones quasdã & hypotheses sumit. Prima diuisio hęc est. Rerũ quędam sunt actu tantùm: quędam potestate et actu. Est autem in hac diuisione declaranda magna interpretum dissensio. Psellus, Alexander, Themistius, Simplicius, & Philoponus per ea, quę sunt actu tantùm, substantias á materia abiunctas intelligunt. Per ea, quę actu & potestate, decem genera: siquidem omnia per actũ, & potestatem diuidi queunt, vt constat ex ijs, quę docet Aristot. lib. 5. Metaph. cap. 7. Alij ad absoluendam diuisionem, tertium adijciunt membrum, faciuntque sectionem tripartitam, ita vt quędam sint actu tantùm, quędam potestate tantùm; alia & actu & potestate simul. Et hi quidẽ per ea, quę sunt actu tantùm, formas omnes tam á materię concretione liberas, quàm quę materiam informant, sive substantiales, sive accidentarię sint, designari putant. Denique in tertio membro ea intelligunt, quę cum actu innexam potentiam gerũt, qualia

Prima diuisio ad inuenięndam motus definitionem.

ARISTOTELIS
Physicorum
LIBER TERTIVS.
CAPVT. I.

Cm autem natura motionis, mutationisque principiũ sit, & doctrinã de natura tradere instituerimus, ignorandum haud quaquã est quid nam sit motus: eo enim ignorato, naturam quoque necesse est ignorari. Cùm verò de motu definiuerimus, enitendum erit, vtea, quæ deinceps sequuntur, eodem modo pertractemus. De nmmero autem cõtinuorum motus videtur esse, atque in continuo infinitum primùm spectatur. Quo fit vt continuũ definientibus infiniti ratione vti sæpenumero accidat: siquidem continuum id est, quod infinitè potest diuidi. Ad hæc sine loco, inani, & tempore, motus esse non potest. Tum igitur ob hæc ipsa: b tum quia omnium sunt communia, omnibusque vniuersim conueniunt, manifestum est vnũquodque horum ante oculos positum considerandum esse. Nam contemplatio, quæ est de proprijs, eam consequitur, quæ ad communia attinet. Primum verò, vt diximus, motum. c Est igitur aliquid, quod actu solum est, aliud quod potestate d & actu, aliud quidem hoc aliquid, aliud tantum, aliud tale, & in cæteris similiter eius, quod est, categorijs. Text. 1. Text. 2. Text. 3. c Eo-

qualia

qualia ſunt compoſita phyſica, quę ex materia, & forma cõſtant. Porphyrius vult appellatione actus notari quamlibet formam ad categorias pertinentem; nomine verò, poteſtatis, materiam primam, quę potentiam aptitudinemque habet ad excipiendas formas. Tandē alij hunc locum ita interpretantur, vt ſenſus ſit, rerum quaſdam eſſe actu tantùm ſecundum aliquam formam, hoc eſt, habere formam ſummè perfectam, vt ſummè frigidum, quod omnem frigoris gradum poſſidet. Hę namque in poteſtate nõ ſunt ad vlteriorē eiuſdē formę gradū. Quaſdā eſſe ſolùm poteſtate ſecundū aliquā formam, quę videlicet ad illā acquirendam aptę ſunt, nõ dū tamē aliquā eius partē obtinuere: quomodo aqua, quę nihil adhuc caloris admiſit, affecta eſt ad caloré. Alias deniq; pariter in actu & poteſtate eſſe reſpectu alicuiꝰ formę, vt aquā partim calidā, partim frigidā. Harū interpretationū nulla nobis videtur aſpernāda.

d *Aliud quidē* } Quidam putant diuidi hoc loco id, quod actu & poteſtate eſt, in decem genera iuxta primam explicationē ſuperioris diuiſionis. Alij diuidi in ea ens abſolutē ſūptum. Vtrumlibet dicatur, parū omninò refert. 2. diuiſio.

e *Eorum verò, quæ ad aliquid referuntur, alia quidē per exuperantiā defectionemvè dicuntur, alia quia efficiendi, & perpetiendi, & omnino vt moueāt, & moueantur, poteſtatē habent. Nā quod mouendi facultatē obtinet rē mobilem poteſt mouere, & quod mobile eſt, ab eo eſt mobile, quod poteſt mouere.* Text. 4. f *Motꝰ autē abſq; rebus nō eſt, ſiquidē quod mutatur, aut ſubſtantiæ, aut quantitatis, aut loci mutationem patitur. Quibus quidē rebus cōmune nihil, vt dicimus, quod neq; ſubſtantia, neq; quantitas, neq; aliarum Categoriarum vlla ſit, accipere cùm liceat, ſit, vt neq; motus, neq; mutatio vllius eſſe, niſi eorum, quæ dicta ſunt, cùm præterea nihil ſit, queat.* Text. 5. g *Vnūquodque autem bifariam cunctis ineſt, vt ſubſtantia, cuius aliud eſt forma, aliud priuatio: & in qualitate aliud eſt album, aliud nigrum: & in quantitate aliud perfectum, aliud imperfectum. Similiter & in latione aliud quidem ſupra, aliud infra: aut aliud quidem leue, aliud graue. Quare quot entis ſunt ſpecies, totidem ſunt motus, atque mutationis.* Caput

e *Eorū verò, quæ ad aliquid* } Tertia diuiſio ita habet. Eorum, quę ad aliud referūtur, duo ſunt genera. Quędam dicuntur per exuperantiā & defectionē, vt duplum & dimidium. 3. diuiſio.

Alia quia actiua ſunt & paſſiua, hoc eſt, vendicant relationes, quę actione, paſſionevè ſeu fundamentis innituntur, vt relatio patris ad filium, filij ad patrem. Porrò ex hiſce diuiſionibus prima vtilis eſt ad dignoſcendum ſit ne motus poteſtas, an actus. Secunda ad deſignandam illi propriam categoriam. Tertia ad refellendos eos, qui motum à relatione neutiquam diſsidere opinantur: cùm tamen motus non ſit relatio, ſed relationis fundamentum ſit. Aduerte autem Ariſtotelem hoc loco ea tantùm relatorum genera, quę ad præſens inſtitutum pertinebant, fuiſſe complexum. Sunt enim præter hęc alia, quæ ab eodem in 5. lib. Metaphyſ. cap. 15. tradita ſunt. Vtilitas ſuperiorum diuiſionum.

f *Motus autem* } Themiſtius, Simplicius & Philoponus aiunt docere hoc loco Ariſtotelem motum aut in rebus mobilibus eſſe, aut in mouentibus. àqua interpretatione non videtur Pſellus diſſentire, inquiens refelli ab Ariſtotele Platonis de motu opinionem, qui in Sophiſta, Parmenide, & Timęo conſtituit ideam quādam motus a rebus anulſam, cuius vi vnà cum alijs generibus res procrearentur. Veriſimilius eſt oſtendi hiſce verbis motum verſari in rebus ſpectantibus ad categorias, quarum diuiſio paulò ante fuerat tradita: nec dari aliquid vnum commune, & vnius rationis, cui propriè, ac primò motus conueniat. Quod planum eſt, cùm ſubſtantia, & quantitas, cęteraque, in quibus motus verſatur, eſſentiam vnam communem, & vniuocam nequaquam vendicent.

g *Vnunquodque autem* } Decet eodem pacto motū diuidi, quo res, in quibus verſatur. Quare cùm genera ſingularum categoriarum, vt 10. lib. Metaphy. capite decimo fuſiùs explicandum erit, contrarijs differentijs, altera perfectiori, altera minùs perfecta, quaſi forma, & priuatione diſpertiantur, vt animal in rationis particeps, & rationis inops, ſit: vt motuum etiam ſpecies, notionesve ſecūdum rationem perfecti, atque imperfecti diſtribuēdę ſint. Eodē pacto ſecari motū & res, ad quas fertur.

Capitis secundi Explanatio.

Definio motus.

[a] *Vm autem in*} Ad explicandam motus naturam vtitur prima earum partitionum, quas proximo capite tradiderat. Tum ita motum definit. Motus est actus eius, quod potestate est, siue actu sentis in potentia, vt tale est. Quã definitionẽ membratim declarat. Atque in primis motum ἐντελέχειαν, siue actum esse, hac ratione ostendit. Id, quo quidpiam in potestate existens ad actum ducitur, actus est, atqui res subiecta, vt aqua, quę potestate calida erat, motu ad actum caloris ducitur. Igitur motus est actus. Huius rationis assumptionem tantummodò exprimit, exemplisque confirmat.

CAPVT. II.

Motum esse actum eorũ, quę sunt in potentia.

[b] *Quoniã autẽ*} Vt remoueat id, quod quispiam fortasse existimaret, videlicet motum esse eorũ duntaxat, quę in potestate, non quæ in actu sunt, admonet quædam esse in potestate, & actu, non tamen respectu eiusdẽ, aut certè non simul. Nam actu frigidũ, potestate calidũ est, idemque alio tempore est actu calidum, cùm agendi, & patiẽdi facultas eidem rei sępe insit, idemque & moueat & moueatur in rebus naturalibus. Quod sanè quidem nonnulli ad omnia mouentia extenderunt, rati nullã dari in corpoream substãtiam, quę videlicet ita motum efficiat, vt motum non subeat. Cuius dogmatis falsitas 8. lib. patebit. Ex dictis ratum esse vult Aristoteles nihil obstare quominùs motus rectè dicatur actus eius, quod est in potestate.

CVm autẽ in vnoquoq; genere aliud quidem actu, aliud potestate esse diuiserimus, eius quod potestate est, quatenus tale est, actũ motũ est: vt rei quæ alterari potest, qua ex parte alterari potest, alteratio: eius, quæ augeri potest, & oppositæ, id est, eius quæ potest imminui (nullum enim vtriusq; nomen cõmune est) accretio, & imminutio: eius, quæ generari, & interire potest, generatio, & interitus: eius, quæ ferri, latio. Text. 6.

Et motũ quidẽ hoc esse perspici hinc potest. Nã cùm id, quod ædificari potest, quatenus ipsũ tale esse dicimus, actu fuerit, ædificatur, idq; est ædificatio: similiter & disciplina, & sanatio, & volutatio, & saltatio, & incremẽtũ, & ad senectutẽ progressio. Text. 7.

[b] *Quoniã autẽ quædã & potestate, & actu sunt, non tamen simul, aut nõ eiusdẽ habita ratione, sed vt calidũ quidẽ potestate, frigidũ autẽ actu, complura vicissim iam agent, & patiẽtur. Nam res quæcunque agendi & patiendi simul habebit facultatẽ. Quare & id, quod naturaliter mouet, mobile erit, quod quidquid eius generis est, motum cieat, cum interim idem motu cieatur. Nonnullis autem quidquid mouet, videtur moueri: quod quemadmodum sese habeat, ex alijs perspicuũ euadet: aliquid enim est, quod mouet, idque immobile.* Text. 8.

Actus autem eius, quod potestate est, cum actu est, & non quatenus actu, sed quatenus mobile est, agit, motus est. Atq; illud quatenus hoc pacto dico. Æs enim potestate statua est: æris tamen quatenus æs est, actus, motus non est. Neque enim idem est æs esse, & potestate aliqua præditum esse vt moueatur. Quod si omnino, & ratione idem essent, æris profectò quatenus æs est, actus, esset motus, sed idẽ non sunt, vt diximus. Text. 9.

[c] *Quod quidem in contrarijs*} Argumento à contrarijs probat non esse idem secundum rationem subiectum esse talis naturę, & potestate esse hoc, aut illud. Nam alioqui cõtraria idem ratione essent; quod ita concludit. Sumatur aliquod subiectum siue sit phlegma, siue sanguis, siue aliquid aliud, quod potestate ęgrum sit. Si ratione idem sunt hoc subiectũ, & potestate ęgrũ esse, similiter idẽ ratione erit tale subiectũ, & potestate sanũ esse. Quare, cum ea, quę sunt idẽ atq; aliquod tertiũ, inter se quoq; eadẽ sint, idẽ ratione erit esse potestate sanũ, & potestate ęgrũ: atq; adeò sanũ & ęgrũ idẽ erunt secundũ rationẽ, cùm actus ratione & essentia ijdem sint, quorũ eędem omnino sunt potestates. At quod sanum & ęgrum eadem esse eo pacto

eo pacto non possint, liquidò constat. Sicuti nec color, inquit, & spectabile idem sunt. Color. n. est perspicui, quatenus perspicuũ est, terminus; spectabile autem formaliter significat aptitudinem, vt res videatur. Quę aptitudo non eandem essentiam, & formalem rationem sortitur, quam color.

Habetur ex hoc loco effatum illud Philosophicum, Quęcunque sunt eadem in vno tertio, inter se quoque eadem sunt. Cuius veritas examinatur à Theologis disputantibus de mysterio Trinitatis: videtur enim id falsum esse, cùm tres diuinę personę sint idem in essentia, & tamen inter se re ipsa differant. Facilè tamen respondent, videlicet huiusmodi pronuntiatum intelligẽdum esse, cùm illud tertiũ ad ęquatè distribuitur; hoc est cũ accipitur pro omni re, pro qua accipi potest, quod nõ seruatur, cũ ita argumẽtamur: essẽtia diuina est Pater; essentia diuina est Filius; ergo Pater est Filius. Non enim essentia diuina sumitur pro omni re quæ est essentia diuina. Atque hęc explicatio, quã afferunt Durãdus in 1. d. 33. q. 1. Argentina. d 2. q. 2. art. 1. & alij, congruit cũ regulis syllogisticę artis, de quibus Fõseca lib. 6. instit. c. 24. Ochamus 3. p. Logicę cap. 26. Secũda explicatio est. Quęcũque sunt eadem in vno tertio singulari prsus in cõmunicabili, esse eadẽ inter se. At essentiam diuinam cõmunicari tribus personis diuinis. Tertia est D. Th. 1. p. q. 28. art. 3. qui putat prędictum axioma intelligendũ, cùm accipiuntur illa, quę in vno tertio sunt eadem & re, & ratione, vt tunica & indumentũ. Quomodo tres diuinę personę non sunt idem in essentia: atque in hoc sensu locutum fuisse ait hoc loco Aristotelem.

Quęcunque sunt eadem in vno tertio inter se quoque eadẽ sunt, quo pacto intelligẽdum.

Text. 10. *Quod quidem in contrarijs perspicuum est: valere enim posse, & ægrotare posse, diuersa sunt: ægrotare namque idem quod valere esse; at subiectum, idque quod valet, & ægrotat, seu sit humor, seu sanguis, vnum est, & idem. Cũ igitur eadem non sint, quemadmodum nec color, & spectabile eadem sunt, manifestum est, motum actum eius quod*

Text. 11. *potestate est, quatenus potestate est, esse. Illud igitur perspicuum est, & actum hunc esse, & tum, cùm actus hic est, nec prius nec posterius fieri, vt quid moueatur. Fit enim vt vnũquodque interdum quidem agat, interdum non agat, vt quod ædificari potest, quatenus potest ædificari, actus, ædificatio est. Aut enim ædificatio hoc est, nẽpe actus eius, quod potest ædificari, aut domꝰ: sed cũ domꝰ fuerit, nõ vltra id erit, quod possit ædificari. Ædificatur autem id, quod potest ædificari. Quare necesse est ædificationẽ actũ esse. Ædificatio verò motus est quidam. Atque eadem definitio, alijs quoque moti-*

Text. 12. *bus conueniet.* d *Rectè autem dictum esse perspicuum est, tũ ex his, quæ alij de ipso tradunt, tum quod facile non sit aliter eum definire. Neq; enim motum, mutationemq; in alio genere collocare aliquis potest, nec qui aliter de eo dixerunt, rectè dixere. Quod quidem ijs constat, qui quemadmodum eũ nonnulli posuerint, cõsiderabũt, cùm dixernit diuersitatẽ, inæqualitatẽ, & nõ ens, motũ esse, quorũ quidẽ nihil necesse*

Text. 13. *est moueri, nec quæ diuersa sunt, nec quæ inæqualia, nec quæ nõ entia. At neq; ad hæc, aut ex his magis progreditur mutatio, quã ex oppositis.* e *Causa autem cur in his motum posuerint, est, quod videtur quiddam esse nõ definitum: alterius verò seriei principia, cum sint priuantia, definita non sunt: neque enim vllũ eorum hoc aliquid est, aut tale, aut in vlla aliarum categoriarum.* Cau-

d *Rectè autem dictum*} Ex aliarum improbatione traditam à se motus definitionem cõmendat. Si quis enim ad ea, quę ab alijs in explicãda natura motus dicta sunt, animũ aduertat, abscopo eos aberrasse inueniet. Nã quidã motũ esse aiebãt diuersitatẽ; quia id, quod mouetur, sẽper aliter, atq; aliter se habet. Alij inęqualitatẽ; quia dũ res mouetur nõ potest formã, quã acquirit in eodẽ gradu obtinere. Alij esse nõ ens; quia sẽper in motu supereſt aliquid formę acquirendũ, quod nõ dũ est. Porrò huiusce modi definitiones ex eo refellit, quia si motus eo pacto rectè definiretur, quidquid diuersitatẽ, vel inęqualitatem haberet, esset vẽ non ens, id omne moueri diceretur, quod tamen longè à vero abest; siquidem aqua quiescens diuersa est ab igne, & Socrates dum sedet inęqualis est formicę & homo

Veterũ placita de motu.

Impugnantur qui motũ diuersitatẽ, vel inęqualitatẽ definiebant.

& homò nòn dum genitus, est non ens, hoc est, non existens, quę tamen moueri nòn dicuntur. Deinde quia motus non magis ad hęc, quàm ad oppositа tendit: per motum nãq; interdum res euadit alteri similis, interdum etiam æqualis, semperque fit aliquod ens. Quo circa non est cur potius motus per diuersitatem, inæqualitatem, & non ens, quàm per similitudinem, æqualitatem, & ens definiri debeat.

e *Causa verò* } Almeo Crotoniates, vel Pythagoręi, è quorum dogmatis prędictę motus definitiones manarunt, duos constituebant rerum ordines, vt in 1. libro diximus, in quorum singulis decem principia reponebant. In secundo autem ordine ea collocabãt, quę ipsi indefinita dicebant, quòd priuantia, siue imperfecta essẽt. Explicat igitur hoc in loco Aristote. quid causę fuerit, cur Pythagoręi motum inter secundi generis principia numerarint, nempe quod persuasum haberẽt eum indefinitum quiddam esse, nec in potestate, aut in actu absolutè collocari posse. Non quidem in potestate; quia quod quãtum, aut quale potestate est, non dũ mouetur; quod actu, iam non mouetur.

Quid Pythagorei de motu senserint.

e Causa verò cur motus quiddam non definitum esse videtur, est quod neque in rerum potestate, neque omnino in actu potest collocari: nam neque id, quod quantum esse potest, neq; id quod actu quantum est, necessario mouetur. Text. 14.

f *Atque motus* } Statuit nihilominꝰ debere motum appellari actum, quãuis imperfectum, quia est rei imperfectę, tendentisque ad vltériorem gradum; siquidem dum motus rei, quę mouetur, inest, semper aliquid deest comparandum. Vnde est, quod motus difficilè cognosci potest, quia omnis nostra cognitio ab actu oritur. Concludit proinde cùm motus nec priuatio sit, nec pura potentia, nec verò actus absolutè perfectus, aptè definiri actum eius, quod est in potestate, quatenus in potestate est.

f Atque motus actus quidem aliquis videtur esse, sed imperfectus est. Causa autem est, quoniam id, quod potest esse, cuius actus motus est, imperfectum est: atque hanc ob causam quid sit, difficilè est sumere: necesse est enim aut in priuatione ipsum reponere, aut in potestate, aut in eo, quod omnino, & plane est actus, quorũ nullum videtur posse esse. Is igitur, qui dictus est modus restat, nempe actum quidem aliquem esse, sed talẽ actũ, qualem diximus, qui difficile sane perspiciatur, sed tamen qui esse possit. Text. 15.

Cur natura motus sit cognitu difficilis.

g *Mouetur verò* } Ostẽdit cui nam motus conueniat, mouenti nè, an mobili. Etsi, inquit, mouentia, quę per contactum agunt, & quę cùm non mouentur, quiescere dicuntur (cuiusmodi sunt mouentia naturalia) simul moueant & mouentur; motus tamen non est actus mobilis, vt mouens est; sed vt mobile est, tum quia ex accidente fit, vt id quod mouet, simul moueatur; tum quia semper id, quod motionem efficit, formam aliquam substantialem, accidentariamvè, per quam mouet, actu possidet: id autẽ, quod mouetur, in continua formę acquisitione versatur. Quare cùm motus nihil aliud sit, quàm huiusmodi formę acquisito, haud dubiè motus erit actus mobilis, vt mobile est, nõ mouentis, vt mouens.

g Mouetur verò vt dictum est, mouens omne, quod potest moueri, & cuius vacuitas à motu est quies. Cui enim motus inest, huius vacuitas à motu quies est. Nam in id agere quatenus est tale, id demum mouere est: hoc verò tactu facit: quare simul & patitur. Quamobrem motus actus est rei, quæ vi habet vt moueatur, quatenus eã vim habet. Hoc autem rei, quæ mouendi vim habet, tactu efficitur, ex quo fit, vt simul etiam patiatur. Porro id, quod mouet, formam aliquam semper afferet, aut substantiæ, aut qualitatis, aut quantitatis, quæ tum cùm mouet, principiũ & causa est motus, vt homo, qui actu est, ex eo, quod potestate est homo, hominem facit. Text. 16. Text. 17.

Caput

QVAESTIO

QVÆSTIO I.

RECTE NE ARISTOTELES MOtum definierit.

ARTICVLVS I.
EXPLICATVR DEFInitio motus.



Rætermissis varijs motus definitionibus, quas Plutarchus lib. 1. de placitis Philosophorũ cap. 23. Simplicius com. suo 8. tex. 7. huius libri, & Albertus hoc loco tractatu 1. cap. 6. afferunt, Peripateticas duntaxat expendemus. Tres verò ab Aristotele assignatæ sunt. Prima cap. 2. huius lib. tex. 6. nempe, Motus est actus eius, quod in potestate est, quatenus tale est. Seu, Motus est actus entis in potentia, vt in potentia est. Prima definitio motus.

Secunda eodem cap. tex. 16. Motus est actus eius rei, quæ vim habet, vt moueatur, quatenus eam vim habet. Seu, Motus est actus mobilis, prout mobile est. 2.

Tertia cap. 3. tex. 23. Motus est actus eius, quod agere, & pati potest, quatenus tale est. 3.

Licet verò quælibet harum suo modo ad rem apposita sit; prima tamẽ, quæ cæteris præstat, &, vt Simplicius ait, admiranda quadam ratione motus naturam explicat, enodanda à nobis est.

Sciendum igitur primum ex Auerroe lib. 5. huius operis com. 9. in calefactione v. g. quæ motus est ad calorem, duo, quod ad rem præsentem attinet, spectari posse; nimirũ calorem, qui actu acquiritur, & ipsam caloris acquisitionem, fluxum ue. Est autem valde controuersum, in quo nam horum formalis ratio motus consistat. Auerroes arbitratur motum formaliter nihil esse aliud, quàm formam ipsam prout successiuè acquiritur: opinionem verò asserentem rationem motus cõsistere in ipsa via, ait celebrem esse, sed minùs veritati consentaneam. Cum Auerroe sentiunt M. Albertus, Simplicius, & alij. Videri autem potest D. Thomas eius opinionis hoc in libro lect. 2. cùm dicat motum esse ipsam formam fluentem. Quia tamen fluxus, seu viæ ad formã distincte non meminit, haud satis liquet vtrũ eiusmodi fluxũ intellexerit nomine formæ fluentis, an illum à ratione formali motus secreuerit. Prima opinio de formali ratione motus.

Nihilo-

2.opinio. Nihilominùs verior, cõmuniorque est contraria opinio, quam Auerroes improbauit, motũ scilicet formaliter ac propriè esse ipsã acquisitionem continuam, fluxum ue formæ. Ita Alexander Alensis lib.5. Metaphy.ad tex.18. Auicenna, & de recentioribus Philosophis complures. Sit igitur nostra assertio. Motus secundum suam propriam rationem non est forma per se; nec forma pariter cum fluxu, seu acquisitione; sed est acquisitio ipsa, tendentia ve ad formam. Probatur, quia forma per se non est mutatio, atque adeò nec motus. Item forma pariter cum fluxu (ita vt sumatur vtrumque tãquam ex æquo significatum) est quid compositum per accidens ex fluxu & forma. Huiusmodi autem composita per accidens non cadunt in definitiones philosophicas, & proprias; qualis habetur hæc, de qua agimus. Cùm igitur aliud non superfit, in quo consistat ratio motus, vtique cõsistet in fluxu siue tẽdentia. Quod ex eo etiam confirmatur, quia moueri quidpiam nihil aliud est, quàm successiuè tendere, & accedere ad formam, seu quasi formam; qui accessus, seu via ad formam est prior natura, quam forma, sicuti aliàs via præintelligitur termino, ad quem tendit.

Assertio.

Motus nõ est formaliter ipsa forma.

Ratio motus consistit in fluxu.

Ita verò cùm nihil aliud sit motus, quàm successiua, & continua alicuius formæ acquisitio; necessario dum eiusmodi acquisitio durat, id quod mouetur, potentiam habet assequendi vlteriorem aliquam partem formæ, quam comparat, alioqui iam acquisitio cessasset. Dicitur ergo motus actus, idest, perfectio entis in potentia, hoc est, eius rei, quæ adhuc est in potentia ad aliquam partem formæ, quæ acquiritur; vt est in potentia, idest, vt procedit vlteriùs, & continuè ad eiusmodi formam tendit. Exempli gratia, acquisitio caloris est motus; quia est actus, seu perfectio aquæ, quæ calefit, quæque est in potentia ad nouam aliquam partem caloris, quatenus continuè ad eam pergit. Vnde non omnino à vero recessit dogma Pythagoreorum aientium motum esse non ens, videlicet quod res, quæ motu acquiritur, non dum eam entitatem seu perfectionem obtineat, ad quam progreditur. Ob quam etiam causam Plato in dialogo de ente motum potiùs ad genera non entium, quam entium reuocauit.

Motus cur Pythagoricis nõ ens.

Porro in hac definitione locum generis obtinet, actus, quæ particula excludit quidquid nullo modo actus est, vt materia prima; reliqua vicem gerunt differentiæ. Ac verba illa, entis in potentia, remouent omnes mutationes momẽtaneas, quibus tota formæ perfectio simul obtinetur, cuiusmodi est generatio hominis, qua tota forma humana sine vlla successione vno tẽporis puncto in materiã inducitur. Remouent etiã omnes actus perfectos, vt summũ frigus, sũmũ calorẽ, quæ nullã rei subiectæ potestatẽ relinquunt ad aliquam sui partem præterea assequendam. Denique particula, vt in potentia est, excludit actus imperfectos, qui licet sint ex parte acquisiti, proindeque actus entis in potentia; non tamen sunt entis in po-

Generatio nõ comprehendi tur in definitione motus.

potentia, vt in potentia, hoc est rei tendentis in formam perfectiorem. Talis est calor remissus in aqua, quæ iam calefieri desijt. Eàdem etiam reijciuntur momentaneæ mutationes, quibus forma non dum perfecta acquiritur: hæ namque actus quidem sunt rei potentiam habentis ad perfectiorem formam, non tamen ad eam paulatim progredientis.

ARTICVLVS II.

OBIECTORVM QVORVNdam dilutio.

VErùm contra superiùs dicta sic aliquis obijciet. Propositum Aristoteli fuit motum Physicum duntaxat in præsentiarum definire, vtpote qui proprietas sit entis naturalis; sed definitio ab eo tradita cõuenit etiam spiritalibus motionibus intellectus, & voluntatis, quæ nequaquam Physici motus sunt; igitur definitio non reciprocatur cum definito. Minor suadetur. Nam quod in voluntate, & intellectu dentur motus ostendit Gregorius in 1. d. 7. q. 5. art. 2. quia habitus iustitiæ (quod etiam de cæteris habitibus tam voluntatis, quam intellectus eadem ratione concluditur) potest immediatè post aliquod momentum temporis augescere, intendíque, adhibente successiuè voluntate maiorem ac maiorem conatum, eumque aliquandiu sine intermissione continuante; quo pacto incrementum habitus iustitiæ per continuum fluxum, atque adeò per motum comparabitur. Quod autem hisce motibus conueniat Aristotelica definitio videtur perspicuum; cùm sint actus entis in potentia, vt in potentia.

1. argu.

Lege pro eõdem Aliacensem in 1. d. 14. q.

Dari etiã mõtus spiritales in intellectu, & voluntate

Secundò, Mutationes, quibus continua abiectione quædam formæ deperduntur, vt imminutio quantitatis, remissio qualitatum, sunt veri motus; vnde & decretio numeratur hîc ab Aristotele inter motus: & tamen non sunt acquisitiones, sed abiectiones formarum. Igitur definitio motus non conuenit toti definito.

2. argum.

Tertiò, Generatio & corruptio, quæ sunt momentaneæ quędam mutationes, referuntur hoc loco ab Aristotele inter motus exempla. Non igitur à definitione motus hasce mutationes excludere debuimus.

3. argum.

Quartò, Aristoteles appellauit motum ἐντελέχειαν ficto à se vocabulo, vt Porphyrius initio suarum quæstionum in prædicamenta, alijque interpretes, præsertim Græci annotarunt (& si nõ desint, qui hoc nomen vetustius esse dicant, sed à populari cõsuetudine ad philosophicum vsum ab Aristotele primum fuisse accõmodatum) atqui ἐντελέχεια perfectionem significat, ijsque accõmodatur, quæ omni ex parte absoluta sunt, vt animæ, quæ 2. libro

4. argum.

de

de anima cap. 1. definitur ἐντελέχεια, siue actus corporis organici. Non igitur motus rectè dicitur actus entis in potentia, vt in potentia; quod inchoationem quandam imperfectionemque designat.

Solutio primi argumẽti. Ad primum horum dicendum est dari eiusmodi translatitios, & spiritales motus, sed eos hoc loco non definiri; quod non sint motus physici, nec eis competere definitionem. Non enim sunt actus entis, vt ea particula intelligitur, idest, entis naturalis.

Sol. 2. Ad secundum bifariam respondetur. In primis mutationes illas abiectiuas comprehendi etiam in ea definitione; quia licet non sint reales & positiuæ acquisitiones; sunt tamen acquisitiones negatiuę; & suo modo perfectiones, quo pacto vocamus perfectiorem imminutionem, aut remissionem, qua plus quantitatis, aut qualitatis abijcitur. Vel dicendum tales mutationes sicuti nõ sunt veri & positiui actus, sed corruptiui duntaxat, ita non definiri hoc loco, reijciquę per illam particulam, actus, nec inter veros motus censeri ab Arist. esto gratia exemplorum, in quibus veritas non requiritur, afferantur.

De mutationib⁹ abiectiuis.

Sol. 3. Ad tertium. variè interpretes respondent. D. Thomas hoc loco, & Simplicius 8. libro in digress. ad tex. 9. aiunt motum hic explicatum generationem etiam comprehendere. Verùm hæc responsio nõ satisfacit; quia generatio non est actus entis in potentia, vt in potentia, ad modum superiùs declaratum. Alij cum maiori probabilitate inquiunt generationem, & corruptionem, vt Auerroes 6. huius operis animaduertit, duobus modis accipi. Vno, pro sola formæ substantialis inuectione, aut expulsione, quæ momento peragitur. Altero, vt etiam comprehendit alterationem antecedentem, quæ quoniam via, & progressio quædam est ad generationem, & corruptionem, non immerito illarum nomen vindicauit. Sed obijciet aliquis. Generatio ita sumpta non differt à præeunte alteratione; ergo, cùm Aristoteles paulò ante inter species motus, alterationem posuisset, superuacaneè eandem iterum sub nomine generationis inter easdẽ species cõnumerasset. Occurrendum tamen eam alterationem bifariam spectari posse; & vt immediatè terminatur ad disponendã materiam, & vt etiam vlteriùs ad ipsam formæ substantialis inductionem, expulsionem ve procedit. Quæ sunt rationes inter se diuersæ. Quare licet Aristoteles iam motum secundum priorem notionem, ipso alterationis nomine expressisset; non proinde fuisse superfluũ, immo ad perfectionem doctrinæ conueniens, eundem rursus nomine generationis & corruptionis indicare.

Generatio, & corruptio bifariã sumuntur.

Obiectio.

Refutatiõ.

Sol. 4. Ad 4. vt quid respondendum sit constet, haud ignorandum est, controuersiã esse nõ paruã de interpretatione nominis ἐντελέχεια, quod tum hoc loco, tum alibi apud Aristotelem sæpe legimus. Cicero in Tusculanis quæst. latinè vertit continuatam motionem, vel quia legit ἐνδελέχειαν cum litera δ. non autem ἐντελέχειαν cum τ. vel potius quia existimauit Aristotelem Atticorum more δ. in τ. mutasse;

ἐντελέχεια.

Lege de hac re Damas. in Phys. capite 5. Lucianum in dialogo pro contra T. Politianũ lib. 12. epist. epist. Scalig. exer. 37. cõtra Car. Budęum de asse lib. 1. Celii lib. 2. lect. antiq. c. 22.

mutasse; atq; ita opinatus est dici ἐντελέχειαν ἀπὸ τοῦ ἐνδελεχοῦς, quod perenne, seu continuatum significat. Verùm hæc Ciceronis interpretatio multis viris doctis displicuit. Nam præterquamquod nullus Græcorum interpretum eam nominis ἐντελέχεια etymologiam dedit: si entelechia esset continuata motio, perperam Atistoteles definijsset motum per, entelechiã. Quæ enim definiendi ratio esset qua motus definiretur per motionem, idem per idem? Potiùs ergo dicendum ἐντελεχειαν perfectionem significare. Nam Græcis ἐντελὲς idem valet, quod latinis perfectum, quasi ἐν τῷ τέλει, hoc est, in fine, qui cuiusvis perfectio est, existens. Cæterùm & si hæc sit huius nominis proprietas & vis; sumitur tamen aliquando vt annotarunt interpretes, prout comprehendit tam perfectionem absolutam, quo pacto anima dicitur entelechia; quam inchoatam, qua ratione competit motui, qui inchoata quædam perfectio est, vt pote via, & progressio ad ipsam perfectionem absolutam.

Non placet interpretatio Tull.

QVÆSTIO II.

VTRVM SVCCESSIO, ET CONTINUITAS ad essentiam motus pertineant.

ARTICVLVS I.

OMNEM MOTVM SVCCESSIVVM, & continuum esse.

IN hac quæstione pro certo haberi debet secundùm doctrinam Peripateticam, veritatemque ipsam omnem motum & successiuum, & continuum esse. Nam quod successiuus sit, constat ex ipsa motus definitione: siquidem successio in eo cõsistit quòd forma nõ integra simul acquiratur; sed per partes; ideſt, vna pars post aliam. Hoc autẽ indicant verba illa, actus entis in potentia, vt in potentia. Accedit ad id comprobandum quòd si motus esset quid permanens, motus non esset: nihil enim quod manet, qua tale, mouetur; nihil, quod mouetur, manet. Non minùs quoque apud Aristotelem cõstat omnem motum continuum esse. Id enim conceptis verbis asseruit. 5. Metaphys. cap. 13. tex. 18. aiens motum & tempus quanta, & continua quædam esse. & 1. cap. huius libri tex. 1. vbi docuit motum vidèri de numero continuorum, & lib. 4. cap. 11. tex. 99. cùm ostendit magnitudinem, motum, & tempus cõtinua esse. Idem quoque ex eo probatur; quia motus est tendentia, vt constat ex illius definitione: tendentia verò continuitatem importat. Item quia si motus non fieret continuato progressu, fieret per instantia certi, & definiti temporis; quo modo arbitrantur nonnulli viuentia accrescere;

Successiõ motus vnde probetur.

Continuitas motus vnde concludatur.

ita nimirum, vt singulis momentis partes minimæ quantitatis acquirantur. At quod non ita res habeat, breuiter nunc ex eo ostenditur; quia oporteret inter duo illa instantia mobile quiescere, cùm tamen nulla idonea ratio afferatur, cur post inchoatũ motũ, eiusmodi quies necessariò detur. Deinde quia nullus motus esset vna mutatio; sed quid conflatum ex multis mutationibus instantaneis. Quod falsum esse patebit ex doctrina Aristotelis lib. quinto huius operis cùm de motus vnitate agit.

Quare non rectè Aristotelici quidam solis lationibus continuitatem dant rati nec qualitatem, nec quantitatem, nec substantiam, cùm aggeneratur, continuè acquiri; sed interruptè & discretè; aduersus quos alibi erit ex professo disputandi locus. Fatemur tamen continuitatem non ex æquo in omnibus motibus elucere, vt annotauit hoc loco Auerroes com. 6. Etenim in motu accretionis latet; in alteratione patet, in motu locali multo euidentiùs cernitur.

Continuitas non ex æquo in omnibus motibus cõspicua est.

ARTICVLVS II.

SVCCESSIONEM PERTINERE AD essentiam motus.

LIcet constet omnem motũ successiuum esse, dubium tamẽ est, vtrum successio sit essentialis motui, an solummodo passio ab eo manãs. Nam quòd hæc posterior pars vera sit ex eo suadetur, quia successio motus nihil aliud esse videtur, quàm negatio existentiæ simultaneæ partium ipsius. Nulla verò negatio pertinet ad essentiam entis positiui, cuiusmodi est motus. Item quia si successio foret de essentia motus, cùm successio sit alicuius rei successio, nec alterius, quàm motus, certè motus esset successio sui ipsius.

Argumenta partis negat.

Contraria tamen pars, quæ asserit successionẽ pertinere ad quidditatem motus, verisimilior est; præsertim in sententia, quam sequimur, aientium motum non esse formam partim acquisitam, partim acquirendam; sed viam tendentiamque ad eiusmodi formam. Non enim possumus tendentiam absque successione concipere: nec est aliud, mobile paulatim accedere ad perfectionẽ formæ; quàm fluido quodam progressu vnam eius partem post aliam acquirere; quæ est propria & formalis ratio successionis. Est & illud argumentũ. Nam quo vnunquodque ab alio intrinsecè distinguitur, eodem intrinsecè constituitur. Motus autem ab instantanea mutatione eundem terminum habente eo differt, quòd hæc simul efficiatur, illa per successionem.

Cõfirmatio partis affir.

Quæ autem pro aduersaria parte adducta sunt, ita diluenda erũt. Ad primũ negabitur assũptũ: Licet enim successio per negationẽ illã explicari soleat; re tamen vera eius ratio non consistit in negatione,

Sol. 1. argu. pro par. neg.

ne; sed in entitate positiua, quod videlicet vna pars post aliam fluxu quodam sequatur. Ad secundum dicendum sicuti motus est fluxus formæ, ita esse successionẽ eiusdem formæ, cuius vna pars post aliam acquiritur; sed hanc ipsam successionem, quæ accidentariò conuenit formæ, essentialiter includi in motu, esseque successionẽ motus, quatenus vna eius pars alteram subsequitur. Ex quo tamen non rectè infertur motum esse successionem sui ipsius, sed duntaxat continere successionem in sua quidditate. Itaque falsum est illud, quod in argumento assumitur; nimirum successio non est successio alterius rei, quàm motus. Sol 2.

ARTICVLVS III.

CONTINVITATEM NON PERTINERE ad essentiam motus.

QVod ad continuitatem spectat, sunt qui illam de essentia motus esse arbitrentur. Quod ita esse ex eo in primis ostendi potest, quia motus iuxta eam sententiam, quam vt probabiliorem statuimus, est fluxus formæ, quę paulatim acquiritur: hic autem fluxus nihil est aliud, quàm cõtinuata quædã successio. Deinde quia si continuitas non pertineret ad essentiam motus, secluſa per intellectum cõtinuitate, adhuc integra relinqueretur motus essentia: quod non videtur posse fieri. Nam vel tunc motus constaret mutatis esse, quæ sunt indiuisibilia partes illius copulantia, vel non: si non constaret, iam igitur motus secundum suam essentiam non esset mutatio vna, sed plures; quia eius partes nullo inter se vinculo essent coniunctæ; immo diuisæ, & discretæ. Si cõstaret, ergo motus essentia neutiquã cohæreret in intellectu sine mutatis esse, ac proinde nec sine continuitate. Ex quo sequitur motũ in sua natura, & ratione formali continuitatem includere. Huc pertinet locus ille superius à nobis citatus ex 1. cap. huius lib. tex. 1. vbi Aristoteles ait videri motum de numero continuorum. Opinio existimantium continuitatem includi in essentia motus.

Nihilominùs probabilior est aliorum sententia, qui putant continuitatem, esto indissolubili nexu motum comitetur, non pertinere tamen ad illius essentiam; sed esse proprietatem ab ea oriundam. Ita M. Albertus tract. de quantitate cap. 4. & 8. Auerroes 4. libro huius operis com. 119. vbi ait tẽpus mẽsurare quantitatẽ accidentem motui. Fonseca 5. Metaphy. ad cap. 13. q. 8. sect. 3. Pererius lib. 14. suæ Philosophiæ cap. 8. Iandunus hoc loc. q. 2. alijque non pauci. Quod hisce argumentis probatur. Motus, qua motus, est acquisitio formæ; sed acquisitio nõ est formaliter cõtinuitas; ergo motus, qua motꝰ, nõ est formaliter, siue essẽtialiter cõtinuitas. Secũdò. Motꝰ ex sua ratione est ẽs incõpletũ; cùm sit pgressio, seu via formæ imperfectæ ad pfectionẽ: at cõtinuitas ipsiꝰ est quid cõpletũ: siquidẽ Asseritur pars negatiua. 1. ratio. 2. ratio.

Continuitas motꝰ eſt quid completum.

natura continuitatis, quæ in motu inuenitur, ſolum cõſiſtit in extẽdendo continue ſucceſsiuam acquiſitionem formæ, quæ ratio non deſignat incompletum quid, ſicuti nec continuitas temporis, aliarũ ue ſpecierum quantitatis continuæ. Igitur motus in ſua eſſentia non includit continuitatem; alioqui idem eſſet ens incompletum, & cõpletum; aut ſaltem incompletum ex completo conſtaret; quod fieri nequit.

3. ratio.

Tertiò, Motus eſt analogum, vt aiunt Græci interpretes, & M. Albertus hoc loco ad tex. 4. Itemque D. Thomas, Aegidius Romanus, Auerroes, cæterique philoſophi cõmuni aſſenſu: patetque ex eo, quia ſequitur varietatem formæ, cuius eſt acquiſitio, atque ita funditur per diuerſas categorias, vt lib. 5. explicabitur: at continuitatis ratio ſimplex, & vniuoca eſt, vt pote, quæ ſecundum vnum eundemque cõmunem modum, ſucceſsiuam acquiſitionem formæ extendit, ſiue forma ſit quantitas, ſiue qualitas, ſiue res alterius prædicamenti. Fatendum eſt ergo continuitatem eſſe extra eſſentiam motus. Et verò cùm motus omnis, vt ſupra oſtendimus, continuus ſit, reliquum eſt, vt continuitas perpetua eius affectio cenſeatur. Ad ea autem, quæ contrariam opinionem aſtruere nitebantur, hunc in modum reſpondetur. Ad primum quidem nihil eſſe aliud motum, quam fluxũ, & huiuſmodi fluxum non includere in ſua eſſentia cõtinuitatem, ſed ſucceſsionem duntaxat; licet ea motus ſucceſsio ſine continuitate non ſit. Ad ſecundum, ſi continuitas à motu cogitatione abiungatur, remanſuram integram motus eſſentiam; neque eius partes concipiendas tunc fore vti copulatas per mutata eſſe; neque vt diuulſas, aut diſcretas; ſed vt fluentes ſine interruptione, continuitate quadam negatiua; ita vt eiuſmodi partes nec dicantur diuiſæ, nec continuatæ. Non quidem diuiſæ, quia perenniter fluunt nulla interpoſita quiete; nec tamen continuatæ; quia non cohærent ſibi per mutata eſſe, quæ ſunt nexus, ac termini poſitiui motus. Quo etiam pacto manſura eſſet ſubſtantia lapidis, ſi ab eo diuina virtute quantitas re ipſa ſepararetur, & in eodem ſitu relinqueretur, conſeruareturque; nempe continua negatiuè, quia videlicet eius partes non eſſent diuulſæ; nec tamẽ cõtinuatæ per ſuperficies; ſed cõpactæ in eodẽ ſitu, vel quaſi ſitu, in quo antea erãt. Ad locũ ex 1. huiuſce libri capite dicito non eſſe mentem Ariſtotelis motum ſecundum ſuam eſſentiam eſse de numero continuorum; ſed duntaxat vendicare ſibi continuitatem, vt quidpiam ab ipſius eſſentia fluẽs: in quem etiam ſenſum accipi debent verba Ariſtotelis ſicubi motui cõtinuitatem per ſe attribuit.

Cõmunis sẽtentia, motũ eſſe analogũ.

eõtinuitas eſt perpetua motus affectio.

Motus conſideratus abſq; mutatis eſſe quo pacto ſe haberet.

Obiectio.

Sed obijciat quiſpiã Ariſtotelẽ interdũ appellare motũ cõtinuũ per accidẽs, vt in categoria quãtitatis, vbi ait motũ eſſe quãtũ ratione tẽporis, & in 4. huius operis cap. 11. tex. 99. vbi docet motum eſſe continuum propter id, quod mouetur: quare nõ videri cõtinuitatẽ comitari per ſe motum, vt paſsionem ab eius natura manantem. Occurrendum, motum triplicẽ ſortiri continuitatem, vnã ratione du-

Dilatio.

ratio-

rationis, quam consumit; siquidem omnis motus tempore fit; alteram merito subiecti, in quo insidet. Nam quemadmodum candor, cæteraque accidentia materialia diffunduntur in subiecto, extenduntur que illius extensione, ita & motus, vt in 6. huius operis cap. 4. tex. 33. demonstrabit Aristoteles: tertiam sibi peculiarem & intrinsecam, quæ consequitur ipsam formæ acquisitionem, vt necessaria eius affectio. Igitur de prima cõtinuitate intelligendus est Aristoteles in categoria quantitatis: de secunda quarto huius operis loco citato: de tertia locuti sumus in hac disceptatione, de qua etiam agit Aristòteles 5. Metaphy. cap. 13. tex. 18. vbi affirmat motum nõ esse continuum ratione subiecti sicuti candidum, aliaque id genus accidentia; sed ratione formæ, ad quam tendit, seu quatenus est formæ acquisito.

Trifariã motus continuitatẽ obtinet.

Quæri etiam solet num omnes motuum continuitates eiusdẽ infimæ speciei sint, an non. Cui dubitationi respondemus, si continuitas sumatur vt comprehendit continuitates tam materiales, quæ physicis motibus cõueniunt; quàm immateriales, quæ motibus spiritualibus competunt, non esse vnam specie. Quod suadet ipsa intercapedo, & distantia naturarũ, quæ cernitur inter res ordinis adeò diuersi, idest spiritalis, & materialis. Si autem continuitas spectetur, prout tantùm motibus Physicis accommodatur, dicendum omnium motuum continuitatem censendam vnius infimæ speciei; quia nulla in ea inuenitur ratio, quæ maiorem probet distinctionem; præsertim cùm nihil obstet quo minùs rebus specie differẽtibus aliqua eiusdem infimæ speciei proprietas insit. Vt videre est tum in alijs, tum in corpore quantitatiuo, quod vnũ specie in cœlestibus, & sublunaribus corporibus visitur.

Dubitatio.

Responsio.

Continuitas motuum in tota sua amplitudine nõ est vnũ quid specie.

Ex dictis facilè quiuis intelliget sex modis posse spectari motũ. Primò, vt progreditur ab agente. Secundo, vt recipitur in patiente. Tertio, vt est forma imperfecta, quæ tendit ad perfectionem. Quarto, vt est acquisitio huius formæ. Quinto, vt est successiuus. Sexto, vt est continuus. Si autem petas quo nã pacto motus hisce modis consideratus sese habeat quo ad vendicandum, aut non vendicãdum in prædicamentis locum; sic habeto. Motus primo modo pertinet ad prædicamentum actionis. Secundo, ad prædicamentũ passionis. Tertio, cùm sit ens incompletum, vt patet, nõ ponitur simpliciter in aliquo prædicamento, sed reuocatur ad illud, in quo eadẽ forma, sub modo completo, per se constituitur. Quarto, similiter in nullo prædicamento absolutè collocatur, quia est etiam ens incõpletum, videlicet acquisitio formæ imperfectæ tendentis ad perfectionem: reducitur tamen ad prædicamentum sui termini. Quinto, eandem rationem sortitur, quam tertio, & quarto modo sumptus; quia sub hac quoque notione est ens incompletum, vtpote rei incompletæ essentiam componens: nullum enim completum, vt superius monuimus, rem incompletam constituit. Sexto, ponitur in

Multiplex cõsideratio motus.

Sub qua cõsideratione ad quod prædicamẽtum motus pertineat.

prædi-

Continuitas motus distinguitur specie à continuitate temporis.

prædicamento quantitatis inter species quantitatis continuæ successiuæ, quemadmodum & tempus, à quo distinctam specie continuitatem sortitur; cùm huius partes, instantibus; illius verò, mutatis esse copulentur. Etsi contra existimarit Aureolus apud Capreolum in 2. d. 2. q. 2. art. 2. asserens tẽpus formaliter nihil aliud esse, quàm successionem motus. Qua de re alibi fusiùs.

QVÆSTIO III.

AN MOTVS A TERMINO, IN QVEM tendit, & à mobili re ipsa distinguatur nec ne.

ARTICVLVS I.

VIDERI DISTINGVI A TERMINO; videri à mobili non distingui.

Pro priori parte controuersię.



IN hac disceptatione, de duplici distinctione agẽdum nobis est. Primò de distinctione motus à termino, in quẽ fertur. Secundò de distinctione eiusdem à subiecto, cui inhæret. Quod ad priorẽ attinet, Aureolus apud Capr. in 2. d. 1. q. 2. art. 2. Argentinas in 2. d. 19. q. 1. Venetus ad cap. 3. huius libri, multiq́ue alij opinati sunt motum distingui re à termino, qui per ipsum acquiritur; videturq́ue hæc sententia hisce rationibus ostendi. Si calefactio non distingueretur re ipsa à calore; cùm calefactio, caloris per ipsam producti causa sit; sequeretur aliquid sui ipsius causam esse; quod tamen fieri posse negat D. Augustinus 1. de Trinitate cap. 1. constatq́ue ex eo, quia causa est id, à quo aliquid pendet: nihil verò pendet à se ipso.

Baconus in 2. d. 1. q. 2. a. 2.

1. argum.

2. argum.

Secundò. Motus est via & progressio ad terminum; est velox, aut tardus; est quid successiuum, & compositum ex partibus, quæ per mutata esse copulantur: hæc autem non competunt in terminũ motus; nec enim calorem, verbi causa, velocem, aut tardum dicimꝰ & cæt. Igitur motus distinguitur re à suo termino.

3. argum.

Tertio. Quæcunque ita sunt affecta, vt alterum sine altero cohærere possit, distinguuntur re ipsa inter se; alioqui eadem res simul esset, ac non esset: atqui terminus motus, verbi gratia calor, in quẽ calefactio fertur, cessante calefactione manet, Ergo & cæt.

4. argum.

Quarto. Motus est idem re cum termino: ergo corruptum potest naturæ viribus redire, quod Philosophi constanter negãt. Probatur consecutio, quia fieri potest vt aliquod corpus, idem nunc con-

conficiat ſpatium, quod heri, atque ita vt idem, vbi, quod heſterna die acquiſierat, hodierna acquirat. Quare ſi motus eſt idem re cum ſuo termino, cum poſito hoc euẽtu, idem ſit terminus vtriuſq; motus, ſequitur hodiernum motum eſſe idem re cum heſterno; & ex conſequenti præteritum motum redijſſe.

Quinto. Motus eius, qui Romam contendit, non eſt idem cum exiſtẽtia, quam illic habebit; cùm motus ſine termino eſſe nequeat; & tamen fieri poſsit, vt is Romam non perueniat. Non eſt igitur aſſerendum lationem idem eſſe cum ſuo termino. 5. argum.

Quod ſpectat ad collationem motus cum ſubiecto, in quo inſidet; non diſtingui re ipſa ab eo motum probatur, quia motus localis angeli non videtur eſſe aliud, quàm ipſa angeli ſubſtantia, prout alijs, atque alijs partibus ſpatij ſucceſsiuè reſpondet; & tamen hic motus recipitur in eadem ſubſtantia angeli, vt in ſubiecto: idemq; videtur dicendum de lationibus Phyſicis reſpectu ſuorum mobilium. Non igitur inter motũ & ſubiectum realis diſtinctio intercedit. Prõ altera parte quæſtionis arg.

ARTICVLVS II.

TOTIVS CONTROVERSIÆ enodatio.

SIt tamen concluſio, Motum à termino, quem petit, nõ re, ſed formaliter tantùm diſtingui. Hæc concluſio eſt D. Thomæ 5. huius operis ad tex. 9. Alexandri, Auerrois, & Themiſtij. Itẽ Ochami in 2. q. 9. ac cæterorum Nominalium. Pro eius verò explicatione aduertendum eſt, non eũdem eſſe terminum totius motus, & partis. Etenim ſi per totam calefactionem octo gradus caloris acquirantur, totius calefactionis terminus erunt ijdem octo gradus; ſingulis autẽ calefactionis partibus reſpondebunt ſingulæ partes caloris, quæ nimirum per ſingulas partes motus acquiſitæ fuerunt. Pari modo ſi per totam accretionem quantitas vnius palmi comparata ſit, terminus toti accretioni reſpondens erit quantitas vnius palmi; at ſingulis partibus accretionis reſpondebunt ſingulæ portiones quantitatis per eam acquiſitæ. Idem de latione ſuo modo dicendum eſt. Nam ſi quis vnius leucæ ſpatium decurrat; toti lationi reſpõdebit exiſtẽtia in integra leuca; ſingulis autem lationis partibus exiſtentiæ in ſingulis partibus ipſius leucæ. 1. concl. Item Sonci. 3. Metaph. q. 36. Explicatio cõcluſionis.

Hoc poſito ſuadetur quoad priorem partem concluſio. Primùm, quia ſi motus re ipſa differret à termino, poſſet ſine illo diuinitus conſeruari; at quòd nõ poſsit, inde conſtat, quia cùm motus non ſit aliud, quàm termini acquiſitio, repugnantiam inuoluit dati motũ ſine termino. Cõfirmatio prioris partis cõcluſionis.

Secundò. Motus non habet diuerſam exiſtentiã à termino; ergo nec

nec diuersam realitatem. Consecutio probatur, quia existentia nihil est aliud, quam res ipsa sub certo modo, secundum quem vnumquodq; extra suas causas poni dicitur. Antecedens ostenditur, quia si motus haberet existentiam diuersam ab existentia termini; cum vti res se habet quoad existentiam, ita & quoad productionem; sequeretur motum produci alia actione distincta ab ea, qua eius terminus; deinde rursus illam actionem effici per aliam; sicque in infinitum. Quod nemo dicet. Denique confirmatur eadem conclusio vulgata illa Philosophorum ratione, quod res non nisi cogente necessitate multiplicandæ sint; nulla autem necessitas cogit inter motum & terminum, realem distinctionem inducere.

Res nõ multiplicãdę absque necessitate.

Posterior pars conclusionis, quæ asserebat motum formaliter distingui à suo termino, ostenditur ijs rationibus, quas initio superioris articuli ad distinctionem inter motum & terminum comprobãdã adduximus. Apertè enim conuincunt dari inter hæc distinctionem aliquam: verum non maiorem, quàm formalem. Porro autem cùm formalis distinctio duplex sit, (loquimur autem de distinctione formali ex natura rei) vna, qua quidpiam sub eadem realitate diuersas habet essentias: alia, qua sub eadem essentia diuersos modos; quærat aliquis vtra harum distinctionum inter motum & terminũ statuenda sit. Respondemus in eorum sententia, qui motum nihil aliud esse, quàm ipsam formam fluentem opinantur, non distinguĩ motum à termino, nisi penes diuersum modum eiusdem essentiæ; est enim motus eadem met forma, quæ acquiritur, eademque essentia, nihilo à seipsa plus differens, quàm quod aliter ac aliter se habeat, prout ab esse imperfecto ad perfectũ progreditur, seu, vt Philosophi loquuntur, prout eadem forma nunc sumitur vt in produci, nunc vt in producto esse. At iuxta aliorum opinionem, quã statuimus, arbitrantium motum propriè, ac formaliter esse ipsum fluxum, seu progressionem ad formam, dicendum erit motum distingui essentia à termino. Enim verò motus secundum suam naturam est quidpiam successiuum; vt superiùs ostendimus; forma autem, quæ acquiritur, vt calor, verbi gratia, nõ ita se habet, etiam interim dum acquisitionem subit; quia si tunc secundum suam essentiã foret successiuus, vtique etiam post acquisitionem, finito motu eius natura in successione consisteret, quod longe aberrat à veritate.

Cõfir. post. part. concl.

Duplex distinctio formalis.

Motus distinguitur essentia à termino.

Veniamus nunc ad alteram controuersiæ partem de distinctione inter motum, eiusque subiectum, seu mobile. Prænotandũ est bifariam, quod ad rem præsentem attinet, quoduis mobile sumi posse; nimirum vel prout est affectum quantitate; vel absolutè secundũ suam essentiam, substantiamvè. Hoc posito, sit secunda conclusio. Omnes motus distingui re à mobili secundum substantiam spectato. Hæc ità probatur. Motus, vt ostensum fuit, sunt idem re cum formis, quæ per ipsos acquirũtur; eę verò formæ differunt re à substantia mobilis; ergo & motus. Probatur assumptio, nã quantitas,

Altera pars quęst.

2. concl.

vt

vt est communior Philosophorum sententia, itemque vbi, & qualitas, quæ sunt termini accretionis, lationis, & alterationis, distinguuntur re à subsstantia, quæ subiectum est horum motuum. Quod item de ea subsstantia, quæ nutritione acquiritur, dicendū est. Quod si quis obijciat, non videri ita rem habere in nutritione, in qua eadem rei viuentis subsstantia est subiectum, & est terminus ad quem nutritio proficiscitur, qui est idem re cum nutritione; occurrendū licet hodierna nutritio idem re sit cum subsstantia partiali, quæ per eam acquiritur; non tamen esse idem cum tota subsstantia rei nutritæ; de qua nostra conclusio intelligi debet. Quantitas distinguitur re à subsstantia.

Sit tertia conclusio. Motus omnes excepta latione distingui re ipsa à mobili secundum quantitatem considerato. Hæc eâdem fere ratione nititur, qua superior. Nam motus sunt idem re cum terminis, ad quos tendunt; hi verò à quantitate mobilis re ipsa differunt; vt consideranti perspicuum erit. Excipimus tamen lationis terminum, quia hic nihil aliud est, quàm vbi; quod, vt in progressu patebit, à quantitate mobilis, prout modo huic, modo illi parti spatij respondet, non distinguitur. Id, quod diximus de termino nutritionis comparato cum subsstantia rei, quæ nutritur, intelligi etiam debet de termino accretionis collato cum quantitate rei, quæ augescit; differt enim eiusmodi terminus à quantitate mobilis, nō quidem ab ea, quæ tunc acquiritur; sed à quātitate integra subiecti, quæ ex quantitate denuò accedente, & ex ea, quæ in subiecto præerat, coalescit. 3. conclusio. Cōfirmatio.

ARTICVLVS III.

EXPLICATIO ARGVMENTORUM primi articuli.

NVnc primi articuli argumēta, qua ex parte superioribus cōclusionibus aduersari videntur, diluamus. Ad primū, quod variè diluitur à Capr. in 2. dist. prima quæstione secunda art. tertio, negandum est calefactionem causam esse caloris. Neque enim rei productio causa rei dici debet: siquidem causa est id, quod esse confert; actio vero non propriè confert esse; sed est id, quo cōfertur. Sol. 1. arg.

Ad secundum negandae est consecutio; sola enim formalis distinctio motus à termino abundè sufficit, vt aliqua de motu enuntientur, quæ de termino negari debeant, si terminus spectetur quoad formalem suam rationem, qua à motu disidet. Sol. 2.

Ad tertium respondendum, etsi ea, quæ inter se neutiquam distinguuntur, mutuò abiungi non possint; ea tamen, quæ cùm sint idem re, inter se formaliter differunt, interdum ita esse af- Sol. 3.

fecta, vt saltem vnum absque altero, idest, absque ratione formali alterius cohærere possit, vt videre est in fundamento respectu relationis, cum qua re idem est, & tamen potest absque illa consistere, vti candor absque similitudine. Idem verò accidit in motu & termino: illo namque intereunte hic permanet; licet neque relatio sine fundamento, neque motus sine termino esse queant.

Sol. 4. Ad quartum respondetur in eo euentu non simpliciter, idest, quoad suam realitatē, & formalitatem hesternum motum, qui iam euanuit, redire; sed quoad suam realitatem solùm quatenus exercetur motus, qui est idem re cum illo, ratione termini, in quo ambo conueniunt.

Sol. 5. Ad quintum quid respondendum sit, ex ijs, quæ superiùs diximus, patet. Neque enim totus motus est idem re cum, vbi, seu cum existentia mobilis, vt alicui parti spatij, sed vt toti spatio adæquatur: pars autem motus idem est cum eadem existentia, vt alicui portioni eiusdem spatij respondet.

Solutio argumenti p idē titate motus cum mobili. Ad id verò, quod identitatem motus cū re mota astruere videbatur, dicendum est motum localem Angeli non distingui re ab eius substantia ad hanc vel illam partem spatij applicata. Nec id repugnat nostræ conclusioni, quæ dephysicis duntaxat lationibus, cuiusmodi non est motus angeli, intelligitur. Sed de hac re in progressu plura.

Capitis tertij Explanatio.

De subiecto motus. P [a] *Erspicuum* } Ex ijs, quę proximè disseruit, perspicuum esse ait, quod multi in controuersiam adducunt, in quo videlicet motus insit. Constat enim inesse in re, quę mouetur, non in mouente: propterea quod motus actus quidem est á mouente profectus, à quo actu, qui re ipsa vnus est, tam mouens quàm mobile nominantur. Neque enim putandum est duos esse actus re diuersos, quorum alter ad motorem, alter ad rem, quę mouetur, pertineat.

Dari aliquē actum mouētis. [b] *Mouēdi quidē* } Priusquam demōstret eundem mouentis, & rei, quę mouetur actu esse, ostendit aliquē esse actum mouētis, in hunc fere modū. Quēadmodū mobile prius est in potestate ad motum; deinde actu mouetur; ita agens prius est potestate mouens, deinde actu mouet: ergo sicuti datur actus, per quem id, quod prius potestate mobile erat, fit actu tale; ita oportet actum aliquem esse, per quem, id quod antea erat potestate mouens, efficiatur mouens actu.

CAP. III.

P *Erspicuum* [a] *verò etiam illud est, de quo dubitatur, motum in eo esse, quod mouetur: est enim actus eius, & ab eo, quod vim mouendi habet. Et eius quidem quod mouendi vim habet, actus diuersus non est, quippe cùm vtriusque actus esse debeat:* [b] *mouendi quidem enim vim habet, quia possit: mouet autem eo quod agat: sed in id quod cieri motu potest actiuum est.* Text. 18.

[c] *Vnus*

c *Vnus igitur* } Re ipsa vnum, eundemque esse actum mouentis, & rei motę, ex eo suadet, quia actus mouentis est actus rei, quatenus agit, rei verò motę quatenùs patitur, idē autē est. quod mouens agēdo efficit, & quod res, quę mouetur, patiendo recipit, vt idē est interuallū, quod inter vnū & duo iacet, siue ab vno exorsi ad duo progrediamur, siue contra á duobus ad vnum: eademque via accliuis, & decliuis est, licet hinc iter capessentibus ascensus sit, illinc descensus; quanquam item accliuitatis, & decliuitatis diuersa sit ratio. Mouētis, & mobilis eundē esse actū.

d *Existit autem* } Pertractat controuersiam de actionis, & passionis conuenientia, quam logicam dubitationem appellat, quòd logicis, seu probabilibus argumētis more dialecticorū in vtrāq; partē agitari queat. Ac primum quòd actio, & passio diuersi actus sint, ex eo probat; quia actio est actus agentis, passio actus patientis. Quare cùm agens, & patiēs diuersę res sint; actio, & passio actus erūt inter se diuersi, maximè cū id, quod actione producitur, patientis affectio sit; agentis verò effectus, & finis, atque opus. De conuenientia actionis, & passionis.

c *Vnus igitur amborum æque est actus. Vt enim, inter vnum & duo, & duo & vnum idem est interuallum, vtiq; vnum idemq; sunt accliue, & decliue (hæc enim vnū quidem sunt, ratio tamen vna non est) ita & in mouente,*
Text. 19. *& eo quod mouetur, res habet.* d *Existit autem dubitatio logica: necesse enim est fortasse alium quendam eius, quod efficit, alium eius, quod patitur, actum esse. Illius nanque effectio est huius passio: opus vero & finis illius quidē effectus, huius autē affectiò.* e *Cùm igitur ambo sint motus, si diuersi sint, in quo nam erunt? aut enim vterq; in eo quod patitur, & mouetur, aut effectio in efficiente, & passio in patiēte: quòd si & hæc nominari ποίησις, idest, effectio debeat, æquiuoce id fiet. Atqui si ita est, in eo quod mouet, motus inerit. Eadē enim ratio est de eo quod mouet, & de eo, quod mouetur: quare vt omne quod mouet, mouebitur aut id, in quo motus inest, nō mouebitur.* f *Quod si vtraq; & effectio, & passio in eo, quod mouetur, & patitur, & docendi, discēdiq; actus, cū duo sint in eo, qui discit, primū quidē suus cuiusq; actus in eo non inerit, deinde illud absurdum est duobus motibus simul moueri. Aliquæ enim duæ vnius rei, atq; ad vnā formā alterationes erunt, quod fieri non potest. Sed vnus erit actus.* g *At à ratione alienum est duorum speciei diuersæ vnū & eundē actum esse. Atq; si docendi, & discēdi actus sit idem, effectio item & passio, docere quoq; idem erit, quod addiscere, & efficere idem quod pati, quare neces-*
Text. 20. *se erit eū omnē, qui docet, discere, & qui agit, pati.* h *An neq; alterius actum in alio esse absurdum est? Docendi enim actus, eius qui docet, actus est, in aliquo tamen, & non abscissus, sed huius in hoc.* i Nec

e *Cùm igitur ambo sint* } Argumentatur pro altera parte quęstionis probās actionē & passionē nō esse distinctos actus. Si enim, inquit, inter se distinguerentur, aut vterq; esset in patiente, aut actio in agēte, & passio in patiente: quorū neutrū dici potest. Aduertit autē hoc loco Simplicius tacuisse Aristotelem duo partitionis membra: nempe, aut actio esset in patiente, & passio in agente, aut vtrunque in agente, quia primum nimis absurdum & à ratione alienū videatur, secundum eisdem, aut multò etiam maioribus confutetur incōmodis, quibus alterū, quo in patiente vtrunque esse dicitur. Quòd ergo actio non sit in re, quę agit, & passio in re, quę patitur, suadet, quia si actio esset in agente, aut omne agens moueretur, siquidem motus est actus rei motę; aut aliquid non moueretur, in quo motus inesset, quorū neutrū dici potest. Actionē non esse in re, quę agit.

f *Quod si vtraq;* } Iterum in priorem controuersię partem disputat ostendens actionē, & passionē vnum, eundemq; actū non esse. Primùm, quia sequeretur actum non consistere in eo, cuius actus est, siquidē actio, quę est actus agentis, esset in patiente. Secundò, quia idē duobus motibus ad vnā formā tēdētibus cieretur, videlicet motu actionis, & motu passionis.

g *At à ratione alienū* } Pergit ostendere actionē & passionē nō posse eundē actū esse. Primùm, quia rebus specie, immo & genere discrepantibus, agenti, inquā, & patienti idē actus cōpeteret. Itē, quia docere, & discere, agere, & pati idē forent. Vnde vlteriùs sequeretur, eū qui docet, necessariò addiscere; & qui agit, necessariò pati; quę omnia à vero maximè abhorrēt.

Actio, & passio vnus idéq; motus.

h *Annec alterius*} Propositam quæstionem hac assertione diluit. Actio, & passio vnus idéq; sunt re ipsa, & subiecto vnus, idemque motus in patiente existens. Monet verò nullum esse incommodum eundem actum alia, atque alia ratione pertinere ad duo, videlicet ad rem agentem & patientem; ad illam, tanquam ad id, à quo fluit; ad hanc, tanquam ad id, in quo recipitur.

i *Nec quicquam*} Ostendit, non sequi ea incommoda, quę sequi videbãtur, si actio, & passio vnus actus dicerentur. Ac primùm ad illud, quod colligebatur, nimirum fore, vt qui docet, disceret, & qui agit pateretur, respondet non posse id rectè colligi, nisi actio & passio idem omnino sint; quod tamen falsum est, cùm ratione inter se distinguantur eo modo, quo via, qua Athenis Thebas itur, & qua Thebis Athenę petuntur, re ipsa eadem est, ratione autem diuersa. Ex quo etiam intelligi poterit, quomo alia his similia incõmoda refellenda sint.

K *Quid igitur motus est*} Colligit ex positũ à se fuisse quid nam sit motus, tum vniuersè, tum particulatim, illud nimirum apertè, hoc implicitè; cùm sit facile communem motus definitionẽ ad singulas accommodare species. Nam si quis alterationẽ definiẽdo explicare velit, dicet alterationẽ esse actũ eius, quod alteratur, qua tale est; quod itẽ in cæteris facere licebit. Postremò tradit aliã motus definitionem, scilicet, motus est actus eius, quod agere, & pati potest, quatenus tale est. Quę definitio naturam motus, vt actionis, & passionis rationem habet, declarat. Actio enim est actus eius, quod agit, vt tale est. Similiter passio actus eius, quod patitur, vt tale est.

i *Nec quicquam prohibet vnum & eundem non essentia, vt vestimentum, & tunica, sed vt quod potestate est, ad id se habet, quod agit, duorũ esse. Neq; necesse est eum, qui doceat, discere etiam, si facere, & pati sint idẽ; non ita tamẽ vt ratio essentiæ vna sit, qualis est vestimenti, & tunicæ, sed vt via, quæ Thebis Athenas ducit, & Athenis Thebas, quemadmodum etiam antea diximus. Non enim eadem omnia his congruunt, quæ quouis modo eadem sunt, sed hisce tantùm, quorum essentia est eadem. At neque, si docendi, discendique actus idem sit, docere, & discere idem erunt, quemadmodum neque si inter ea quæ disiuncta sunt, vnum idemque sit interuallum, propterea etiam hoc ab illo, & illud ab hoc distare idem sunt. Vt autem omnino dicam ne docendi quidem & discendi actus, aut actio, & passio idem sunt propriè, sed motus, cui hæc insunt. Nam huius in hoc, & huius ab hoc actũ esse ratione diuersa sunt. K Quid igitur motus est, & vniuersè, & per partes dictum est: non enim obscurum est quonam pacto vnaquæque eius species definietur. Etenim alteratio rei, quæ potest alterari, quatenus potest alterari, actus est. Præterea modo notiori eius, quod agere, & pati potest, quatenus tale est, actus, tum vniuersè, tum in vno quoque, vt ædificatio, aut sanatio. Eodem autem modo de alijs singulis motibus dicetur.* Caput.

Text. 11.

Text. 12.

Text. 13.

QVÆSTIO I.

VTRVM ACTIO TRANSIENS IN agente an in patiente insit.

ARTICVLVS I.

OPINIO EXISTIMANTIVM in agente inesse.

Con-



Onstat ex cõmuni philosophorum doctrina præsertim Aristotelis in nono lib. Metaphy. cap.9.tex.16.duo esse actionum genera: alterum immanentium; alterũ transeuntiũ. Quod immanentes in agente recipiantur, ipsa ratio, nomenque immanentium planè indicat; & si has plerique auctores, e quorum numero est D. Thomas opusc.48. Ferrariensis 2. lib. de anima q.22.& 2. cõtra gent.cap.82. Aegidius de mẽsura angelorũ.q.10. Scotus in quodlib.q.13. Heruęus quodl. 9.q.8.affirment non esse actiones veras de categoria actionum, sed qualitates potiùs ad prædicamentum qualitatis pertinentes. Quorum sententia alibi confutanda erit.

Actiones immanentes qui putarint non esse veras actiones.

Quòd ad transeuntes attinet, vtrum in agente insint, an non, controuersia est. Scotus in 4.d.13.q.1. Caietanus in cõmentarijs 1.part. ad q.25.art.1. Raymundus Lullius 2. libro suorum prouerbiorum, alijque nonnulli arbitrantur actionem transeuntem formaliter spectatam, hoc est, ipsam emanationem formæ ab agente, vt caloris ab igni, non in patiente, sed in agente recipi. Id verò multis stabilire nituntur argumentis, in hunc fere modũ. Ratio formalis, qua actio à passione differt, non videtur esse aliud, quàm relatio agẽtis ad patiens: hæc autẽ relatio, est in agente: ergo & ipsa actio. Minor probatur, quia in quo subiecto est relationis fundamentum, in eodem est relatio; siquidem relatio, & fundamentum re idem sunt; fundamentum autem relationis est potentia agentis, quæ nullibi præterquam in re agente insidet. Huc pertinet, quod teste Aristote cap.1. libri de Somno & vigilia, eiusdem est actus, cuius est potentia. Quare cùm potentia ad agendum in agente sit, in eodem quoque erit actio.

1.arg. pro sententia ponentium actionẽ transeuntẽ in agente.

Secundò. Aristoteles 8.huius operis cap.1. text.9. ex eo probare contendit Deum abæterno mundum procreasse; quia alioqui sequeretur Deum aliquam subijsse mutationem; hæc autem ratio non videtur aliunde apud Aristotelem vim habere; nisi quia existimabat actionem creandi in Deo inesse, quæ proinde si nouiter Deo accessisset, oporteret Deum mutari; censuit ergo Aristoteles actionem in re, quæ agit, inesse. 2.argum.

Tertiò. Formalis effectus nullibi absque sua forma esse potest; ergo agere, quod est effectus formalis actionis, nulli conueniet, nisi ei, quod in se ipso actionem habuerit: atqui agere conuenit igni, v.c. siquidem ignis dicitur calefacere; ergo ignis est qui actionem recipit. Adde, quod si actio esset in re, quæ patitur, eam vtique appellaret, atque adeo patiens agere diceretur, quod longe à vero abest. 3. argum.

Quartò. Cum vnus idemque ignis duo ligna calefacit: vel est vna actio, vel duæ; non duæ; tum quia ignis eodem actu ad vtrũque lignum 4 argum.

num calefaciendum incumbit; tum quia non diceretur eiusmodi ignis vnum agens secundum vnum principium agendi; sed duo. Est igitur vna actio. Quare cùm vnum accidens nequeat pariter in duobus subiectis inesse, erit in vno duntaxat, hoc est in igne.

ARTICVLVS II.

CONCLVDITVR ACTIONEM INESSE in patiente; simulque inter actionem, passionem, & motum discrimen constituitur.

Cõclusio quæstionis.

COntraria tamen sententia existimantium non solùm formam, quæ motu gignitur; sed ipsam quoque formæ productionem, siue emanationem inhærere in patiẽti, Peripatetica & vera est, eamque amplectuntur præter alios Themistius, Alexander, Philoponus, Simplicius, Auerroes, Magnus Albertus, vt cõstat ex ijs, quæ annotant ad tex. 20. & 23. huius libri, & ad text. 139. libri tertij de anima. Item Ferrariensis hoc loc. q. 4. & c. 1. lib. 2. contr. gent. Sonc. 5. Metaph. q. 37. Iauellus lib. 9. Metaph. q. 15. Heruæus quodl. 4. q. 4. Capr. in 2. d. 1. q. 2. art. 3. Secuti cõmunem Magistrum D. Thomã, huiusce opinionis, quicquid alij velint, assertorẽ, tum alijs in locis, tum lib. 2. contr. gent. c. 1. Ac quòd ita senserit Aristoteles liquet ex c. 3. huius libri, vbi docet actionem & passionem esse vnum, eundemque motum, hunc verò in re, quæ mouetur, esse; & actionem esse actum huius in hoc, idest, in patiente; passionem verò, huius ab hoc. Quod non minùs luculente confirmat libro 9. Metaph. cap. 9. text. 16. cùm ait actionem esse in eo quod efficitur, vt ædificationem in eo, quod ædificatur, & omnino motum in re, quæ mouetur.

Confirmatio.

Vbi plane vides Aristotelem non solùm formam, quæ fit, sed eius etiam effectionem in patiente constituere. Præterea actio, vt superius ostẽsum fuit, est idem cum termino producto, veluti calefactio cum calore: sed cùm ignis aquã excalfacit, calor recipitur in aquã. Ergo in eandem calefactio ipsa recipietur; alioqui idẽ accidens duobus subiectis simul inhæreret. Item si actio transiens inhæreret in agente, non esset transiens, sed immanens, vt ex ipsa ratione immanentis actionis patet ergo & cæt. Nec satisfaciet qui dixerit actionẽ transeuntem differre ab immanente quia per transeuntem semper efficitur aliquid operis, quod illa paracta adhuc maneat. Non, inquam, satisfaciet; cùm manifestum sit actionem qua cithara pulsatur, esse transeuntem; qua tamen paracta nihil per eam confectum supereſt.

Vt tamen apertiora reddantur, & vt primi argumenti, quod pro contraria parte adduximus, explicatio luculentior sit, declarandum

hoc

hoc loco erit quonam pacto actio & passio inter se, & à motu dissideant. Scotus in quodlib. q. 11. & in 4. sent. d. 13. q. 1. sentit totam rationem actionis consistere in relatione ad agens; passionis verò in relatione ad patiens. Capr. in 2. d. 1. q. 2. art. 1. conclusione 2. putat formalem rationem actionis & passionis non esse aliud, quàm ipsum motum, differreque inter se, quòd actio importet in obliquo relationem causæ ad effectum, idest, habitudinem originis ipsius motus quæ est in mouente; passio autem respectum, siue ordinem effectus ad causam, videlicet ad rem agentem, à qua motus emanat. Heruæus quodlibeto. 7. q. 14. arbitratur actionem esse motum prout includit agens, extrinsecè tamen; passionem esse eundem motum, quatenus rem patientem, etiam extrinsecè complectitur.

Sed omissa longiori disputatione, duplici pronuntiato hæc dubitatio enodanda est. Primum sit. Actio & passio neque relationem, neque motum per se, neque motum vna cum agente & patiente extrinsecùs adiunctis, formaliter significant. Prima pars huius ponuntiati ostenditur, quia si actio & passio relationem significarent, pertinerent ad categoriam relationis. Secunda suadetur, quia cum motus sit quidpiam tum analogum, tum incompletum, si actio & passio formaliter essent motus, neutrum eorum spectaret per se ad vllum prædicamentum. Tertia probatur ex eodē absurdo, quia hæc tria, motus, agens, & patiens, si vniuersa, tanquam ex æquo significata sumantur, præterquam quod ex parte motus analogiam habent, sunt quidpiam complexum, quod locum per se in prædicamentis non habet. Quare actio & passio non constituerent per se duplicem categoriam, quod à communi Philosophorum sensu abhorret.

1. pronuntiatum.

De significatu actionis.

Secundum pronuntiatum sit. Actio, passio, & motus sunt vna eademque res; differunt tamen inter se formaliter penes diuersos modos absolutos, quos vendicant. Huiusce pronuntiati veritas declaratur, astruiturque simul ex eo, quia vna & eadem calefactio, quæ motus est, re ipsa est actio & passio; vt enim manat ab agente, rationem actionis sortitur; vt excipitur in patiente, rationem passionis. Quod Aristoteles 3. huius libri capite hisce verbis explicauit, Omnino autem actio & passio, non idem sunt propriè, (idest, formaliter) sed motus, cui hæc insunt. Nam huius in hoc, & huius ab hoc actum esse ratione diuersa sunt. At non dari inter hos terminos maiorem distinctionem ex eo concluditur, quia quæuis alia maior distinctio superuacanea est. Esse verò prædictos modos non respectiuos; sed absolutos, constat ex confirmatione secundæ partis primi pronuntiati. Porro in hac differentia subeunda habet se motus, quasi materiale quid, in quo tenuissimæ illæ entitates, quas modos dicimus, resultant; Quo fit, vt non eadem prorsus ratione & motus ab actione & passione, & actio passioque inter se differant.

2. pronunt.

ARTI-

ARTICVLVS III.

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONtendentium actionem in agente recipi.

Sol.1.arg. Actio & passio non differunt solis respectibus.

HIs ita constitutis ad primum superioris articuli argumentum, negandum est actionem & passionem differre tantùm respectibus, si de intrinseca differentia loquamur, vt ex dictis patet; quanuis non eamus inficias relationem agentis comitari semper actionem; relationem verò patientis, passionem. Sed enim hi respectus non faciunt inter hæc essentiale discrimen. Ad reliquam argumenti partem dices eiusdem esse actum, cuius est potentia, ideſt, ab eo, cui conuenit potentia, proficisci actum. Cæterùm non semper in eodem, in quo inhæret potentia, inesse actum, tanquam in subiecto. Capreolus in 2.d.12.

Sol.2.arg.

Error Aristotelis.

Ad 2. dicendum, non iccirco existimasse Aristotelem, si initio temporis procreatus fuisset mundus, mutatum iri Deum, quòd putarit actionem creandi debuisse in Deo, vt in subiecto recipi; sed quia cælestis disciplinæ luce destitutus, non intellexit, qua ratione posset Deus sine voluntatis mutatione nouam rerum creationem moliri. Quem errorem confutat D. Augustinus 12. lib. de Ciuit. Dei c. 17. de eodemque 8. huius operis libro pluribus agemus.

Sol.3.

Ad 3. negatur debere semper causam formalem in eo esse, quod ab illa appellationē sumit, & cui effectus formalis cōuenit. Nāque tametsi fatendum sit effectum formalem sine forma dari non posse; potest nihilominùs forma ipsa rem, in qua nō inest, extrinsecus denominare, vt in re proposita accidit. Ad argumenti confirmationem dicito, rem ipsam, quæ est actio, denominare id, in quo recipitur, idque à quo egreditur; alio tamen & alio modo; nempe illud passiuè, hoc actiuè: hoc tanquam edens, illud tanquam recipiens actionem. Quod videre est etiam in loco, qui & aerem circumfusum in quo inhæret, & Socratem denominat; sed aerem vt locātem, Socratem vt locatum.

Res, quę est actio denominat id, à quo est, & id, in quo est.

Sol.4.

Ad 4. in oppositō exēplo re vera duas actiones dari, duosque actus ab eodem igni prodeuntes, sicuti & duo calores. Non dici tamē duo agentia; quia vt concreta multiplicentur non sat est formarum multitudo; sed requiritur præterea suppositorum diuersitas. Vnde si Verbum diuinum duas humanitates ad suæ hypostasis vnitatem copulasset, non duo, sed vnus duntaxat homo diceretur, vt rectè asseruit D. Tho. 3. p. q. 3. art. 7. Aduerte tamen posse duas illas calefactiones aliquo modo vnam dici ratione vnius principij, à quo manant: quemadmodum & duæ lineæ, esto in se, & vt ad aliam, atque aliam circunferentiæ partem terminantur, plures sint; vt tamen in centro coeunt, vnum quidpiam censentur.

Si Verbū diuinū duas humanitates assumpsisset, diceretur vnus homo.

QVAES-

QVÆSTIO II.

VTRVM LATIO IN MOBILI AN in corpore circuniacente inhæreat.

ARTICVLVS I.

OPINIO EXISTIMANTIVM non inhærere in mobili.

PROPOSITA quæstio non parùm controuersa est. Sût enim, qui existiment lationem non in mobili, sed in corpore circumfuso, vt in subiecto inesse, ac rē ipsam, quæ mouetur extrinsecùs tantùm denominare. Quam sententiam tueri debent quicunque per motum localem nō alium terminum, quàm ambiētis corporis superficiem acquiri putant. Nam cùm terminus cuiusque motus idem re fit cum motu, fieri non potest, vt motus in alio subiecto hæreat, quàm in eo, in quo est eius terminus. Huius ergo opinionis fuit D. Thomas in 4. d. 44. quæst. 2. art. 2. & 3. contra gentes cap. 82. Gregorius in 2. dist. 1. quæst. 4. art. 1. Sonc. 5. Metaph. q. 40. Heruæus quodl. 1. q. 9.

Ac primùm quod per motum localem sola externa superficies acquiratur, vnde tota fere controuersiæ explicatio pendet, ita suadetur. Aristoteles 8. huius operis cap. 7. tex. 59. probat motū localem cæteris motibus perfectiorem esse, quod mobile secundum eum non sit in potestate ad aliquid intrinsecum, sicuti est id, quod alteratur & augescit; aliamve subit mutationem; putat igitur mobile per lationem nihil intrinsecum acquirere, atque adeo solam externā superficiem. 1. ratio.

Secundò idem confirmatur, quia Aristoteles tā in hoc opere, quàm alibi, quoties de locali motu philosophatur, nullius rei, quæ per eum rei motæ obueniat, mentionem facit, præterquam loci, hoc est, superficiei ambientis corporis. 2. ratio.

Tertiò quia si per motum localem aliquid mobili inhærens acquireretur, vel id esset absolutū, vel relatū: non absolutum, quia non videtur quid nā id esse queat: nō relatū, quia ad relationē non est per se motus; ergo & cæt. 3. ratio.

Quartò, Idem hunc in modum comprobatur. Loci acquisitio est vere ac proprie motus; ergo per motum localem nulla forma inhærens mobili, sed locus duntaxat per se acquiritur. Antecedens ostēditur. Primùm quia acquisitio loci est actus entis in potentia, vt in potentia; siquidē dū res mouetur, aliqua pars loci acquiritur, alia acquirēda supereſt. Itē quia locus habet ōnes cōditiones, quas Philosophi in eo, quod, ppriè, ac per se motū terminat, depoſcūt, vt cōside- 4. ratio.

ranti planum erit. Consecutio autem probatur, quia si forma illa, quam aduersæ partis auctores in ipso mobili constituunt, motu cõpararetur, cùm locus (vt proximè ostensum est) per se etiam latione acquiratur; vel nullus motus localis esset vnus per se, vtpote qui duplicem terminum natura differentem obtineret; vel danda essent plura genera lationum à vulgatis distincta; vnum ad formam illam rei motæ inhærentem; aliud ad locum; quod alienum tamen est à cõmuni doctrina philosophorum, apud quos ea motuum distinctio nõ legitur.

ARTICVLVS II.

LATIONEM INESSE IN MOBILI, nec aduersariorum argumenta concludere.

Concluditur pars affirmatiua.

COntraria sententia existimantium lationem inhærere in ipso mobili verisimilior, ac Philosophorũ communior est. Eã defendit Sotus hoc in lib. quæst. 2. Toletus q. 3. Iandunus 4. Metaph. q. 4. Durandus in 2. d. 15. q. 3. Ioannes Maior d. 2. q. 2. Ochamus in q. 9. ac omnis fere schola Nominalium; in eademque videtur fuisse auctor sex principiorum in explicatione categoriæ, vbi, cùm doceat vbi esse in re ipsa, quæ mouetur, quod item asserit Scotus in 4. d. 49. q. 16. Probatur verò hæc opinio hunc in modum.

Ex Aristotele. Aristoteles definijt superiùs motum actum mobilis, atque ex professo docuit motum esse in mobili vt in subiecto, quod etiam repetit 9. Metaph. cap. 9. tex. 16. Igitur motus non in corpore circumiacente, sed in re, quæ mouetur, inest.

Ex motu angelorum. Secundò, latio angeli est quid spiritale, quod proinde recipi non potest in corpore. Necesse est ergo vt recipiatur in ipso angelo. Quare non omnis latio in corpore ambiente inhæret.

Ex motu in vacuo. Tertio, dato per diuinam potentiam inani spatio à terra vsque ad cauum lunæ, ascendat ignis in suam regionem. Eiusmodi ascensus est verè motus, & non inhæret in corpore circũstante, cùm ibi nullum corpus sit, inhæret igitur in ipso igni.

Refutatur aduersariorum responsio. Respondent aduersarij hoc euentu debere ignem moueri, non vero & positiuo motu, sed negatiuo. At nihil respondent. Nec enim inficiari queunt dari in eo ascensu agitationem quandam veram & realem, ortam à leuitate & impulsu, cuius vi ignis in sublime feratur; alioqui non vlteriùs pergeret; quæ agitatio non aliud esse potest, quam latio, cùm rem ab vna parte spatij ad aliam transferat. Quod verò hæc agitato sit vera motio positiua ex eo suadetur, quia alioqui posset ignis (quod admittendum non est) ad cauum lunæ peruenire, Deo ad eiusmodi itionem nullum concursum præstãte. Nec enim pura negatio diuino concursu eget.

Ex motu supremę sphęræ. Adde quod motus primi mobilis est verus, ac realis, cùm is omnium lationum norma sit, docente Aristotele lib. 8. huius operis c. 7. tex. 62. Et tamen primum mobile ex parte superiori (secundum Aristotelem) nullo obtegitur cor-

corpore, in quo eiusmodi motus insit. Fatendum igitur erit in ipso primo mobili, non extra, cum motum recipi.

Est tamen inter eos, qui nostram hanc sententiã tuentur non parum dissidij in explicando lationis termino, quẽ mobili inhęrere dicimus. Sunt, qui putent esse relationẽ distantiæ ad polos, vel contenti ad superficiẽ continentẽ. Sed non rectè sentiunt. Nulla enim relatio motu per se acquiritur, vt Aristoteles c. 2. lib. 5. huius operis docebit. Alij dicunt esse quid resultans in mobili ex circumiacentis corporis superficie. Sed hoc refellit superius argumentũ, quo ostendimus dari posse verũ, ac positiuũ motũ in vacuo, vbi nulla erit superficies, à qua in rẽ motã quicquam deriuetur. Statuendum igitur est, terminũ motus esse ipsum vbi, siue existẽtiã in spatio; hanc autẽ non esse aliud, quã mobilis quantitatẽ, prout in hac vel illa parte spatij existit, seu modũ quendã, quem sortitur quãtitas prout nunc huic, nunc illi parti spatij, siue veri, siue fictitij respondet. Suadetur autẽ hæc sententia tũ ex impugnatione aliarum, tũm quia superuacaneum est aliud quid constituere, quod per motum localẽ acquiratur: tũ verò, quia hic terminus, quẽ ponimus omni lationi, siue in vacuo, siue in pleno fiat, perpetuò obseruit, ac per se acquiritur. Nõ diximus autẽ prædictũ terminũ esse ipsã substantiã rei mobilis; sed eius quantitatẽ, quia sicuti substantia corporea, de cuius motu agimus, per quantitatẽ certo vbi circunscribitur: ita eius vbi à quantitate peti debet, prout tamen partibus spatij cõmensuratur. Secus res habet in angelis, qui cùm sint corporeæ molis expertes, & nõ secundũ quantitatẽ, sed secundũ substantiã in suo vbi constituantur: consentaneũ est, vt vbi, quod motu acquirunt sit idem re cum ipsorum substantia, prout alijs, atque alijs partibus spatij respondet.

Discrepantia inter asserto res huius sẽtẽtię.

Quis sit terminus motꝰ.

Quod nã sit vbi ãgelorũ.

Argumẽta verò contrariæ partis ita diluẽda sunt. Ad primũ dicẽdũ Aristotelẽ tantũ negare per lationẽ acquiri, aut amitti formã aliquã distinctã re à mobili, sicuti in cæteris motibus accidit. Ad secundũ, propterea cùm de latione differit, non expressam facere mẽtionem vbi, sed loci; quia locus notior est, quàm vbi; & quia per loci differentias indicare vult differentias vbi, quæ per ordinem ad spatium, quod ordinariè, ac secundum naturæ cursum, loco circũfunditur, sumi debent. Ad tertiũ ex ijs, quæ dicta sunt, patet responsio. Nẽpe motum localẽ terminari ad aliquid absolutũ; nec tamen ad locũ, sed ab vbi, vt explicatũ est. Ad quartũ dicendũ etsi corpus, dũ fertur, ambiẽtem superficiem simul acquirat, eam tamen acquisitionem ex accidenti sese habere ad lationem, quæ per se, vt diximus, ad vbi duntaxat terminatur. Itaq; acquisito superficiei collata ad rem motã non est actus entis in potentia, vt in definitione motus intelligitur, idest, entis, quod per se eiusmodi formam acquirat. Nec item prædicta superficies habet conditiones necessarias, vt aliquid motũ terminet; siquidẽ nõ per se, sed per accidẽs tantũ obuenit. Cuius rei indiciũ est, quod in vacuo dabitur verus motus, per quẽ tamẽ nulla externa superficies cõparetur.

Responsio ad 1. arg. aduersariorum.

Ad. 2.

Ad. 3.

Ad. 4.

Capitis quarti Explanatio.

Physici esse de infinito disputare.

QVoniam a autem } Postquã Aristoteles in priori huius libri parte de motu vniuersè disseruit, nunc de infinito disputare aggreditur. Ac primùm ostendit disputationem hanc ad institutum Physici pertinere. Nam cùm Physicus circa magnitudines, motum, & tempus, qua ratione quedam entium naturarum affectiones sunt, versetur, & horum vnumquodque finitum, aut infinitum sit, consentaneum profectò est, vt eidem incumbat detur ne infinitum & quid nam id sit, rimari. Admonet tamen nõ omnia, etiam quę in Physicam contemplationem cadunt, finita, aut infinita esse: vt punctum quod nec infinitatem vendicat, vt patet, nec finitatem, cùm non habeat terminum, sed sit ipse terminus. Item vt affectiones, quę neutrũ horũ per se, ac suopte ingenio sortiũtur. Porro nomine affectionũ vel intelligit vniuersa accidentia præter quantitatem, vt ait Psellus; vel omnes, ac solas qualitates, vt placet Themistio, & Philopono, vel qualitates solas, non tamẽ omnes, sed sensiles duntaxat, vt D. Thomas, & Simplicius interpretantur.

CAP. IIII.

QVoniam a autem scientia, quæ de natura est, in magnitudinibus, motu, & tempore versatur, quorum vnũquodque aut infinitum, aut finitum esse necesse est, quanquam non omnia infinita sint, aut finita, veluti affectio, aut punctum (huius enim generis nullum in horum altero collocari fortassis necesse est) eum sanè, qui naturam pertractat, decet contemplari, infinitum sit, nec ne: & si sit, quid sit. Text. 24.

b *Contemplationem autem de eo huius scientiæ esse propriam eo indicatur, quod quicunque hanc Philosophiam cum dignitate attigerunt, de infinito disseruerunt, idque vt quoddam rerum principium omnes ponunt: alij quidem,* c *vt Pythagorici, & Plato per se non vt aliquid, quod alij accidat, sed vt substantiam. Verùm Pythagorici in rebus, quæ sub sensum cadunt, cùm separatum numerum non statuant, idque etiam quod extra cœlum est, esse infinitum: Plato verò extra quidem nullum corpus esse, neque ideas, propterea quod eas nullibi esse: in finitum tamen & in his, quæ cadunt sub sensum, & in illis esse.* d *Et illi quidem numerum parem infinitum esse: eum enim comprehẽsum, terminatumque ab impare his quæ sunt, infinitatem præbere, eiusque rei argumentum id esse, quod in numeris euenit.* e *Cùm enim normæ circa vnum & seorsim ponuntur, aliam interdum semper speciem, interdum vnam exoriri.* f *Plato autẽ duo infinita: magnum, & paruũ.* g *Physici autem omnes aliam quandam naturam eorum quæ elementa nominantur, vt aquam, aut aerem, aut medium inter hæc infinito subijciunt.* Text. 25. Text. 26. Text. 27.

Eorum

b *Contemplationem autẽ* } Naturalis esse Philosophi de infinito disceptare eo rursus probat, quòd præstantissimi quiq; Philosophi, qui hanc de rebus physicis doctrinam pro dignitate tradiderunt, de infinito disputarunt. Nec verò vt de re ad naturam parum attinente, sed vt de ea, quam statuebant rerum principium, etsi alij alio modo.

Dissensio inter Platonẽ, & Pythagoreos.

c *Vt Pythagorici & Plato* } Dissidium fuit inter Platonem & Pythagoricos circa infiniti positionẽ. Nã Pythagorici ita infinitudinẽ numerorũ, rerũ principia esse arbitrabãtur, vt numeros à rebus singularibus, etsi cogitatione, nõ tamẽ re seiungerent; sed eos partim in rebus sensilibus, partim in ijs, quę sensus effugiũt, extra mundũ collocarent. Plato verò extra complexũ vniuersi, nec vllũ corpus, neq; ideas cõstituit: posuit tamẽ infinitũ tũ in rebus sensui obnoxijs, videlicet magnũ, & paruũ quibus infinitatem inesse pronũtiabat, tũ etiã in idẽis.

Pythagorici

d *Et illi quidem* } Pythagorici numerum parem infinitum esse aiebant, imparem finitũ, atq; illũ ab hoc cõprehẽdi, & ad finitatẽ vocari; quia videlicet impar pari additus, sectionẽ in

partes

partes æquales, phibet. Vel quia vnitas, quę impari numero peculiariter attribuitur, quod eius additione parem superet, numerorum diuisionem terminat, si quidem vbi primum ad vnitatem ventum est, cessat diuisio.

c *Cum enim normæ.* } Quod infinitas pari numero conueniat, finitas impari ex eo Pythagorici ostendebant, quia normis, quas Græci γνώμονας vocant, positis circa vnum ideſt, additis vnitati, alia interdum & alia numeri species semper nascatur, interdum eadem semper. Alia quidem, & alia, si normę, quę pares sint numeri, eadem, si normę, quę impares sint, circumponantur. Quod vt intelligas aduerte Pythagoricos eos numeros gnomones appellasse, qui quadratis numeris (ad imitationē geometricarū magnitudinum, & figurarum) circū positi numerū instar gnomonis augerē, sed speciem eius nō mutarēt. Huiusmodi sunt omnes numeri impares, ordine sibi succedentes. Vbi diligenter aduertendum est, in numeris, quemadmodū & in geometricis figuris quosdā esse triangulares, alios quadratos, alios ab alijs figuris nō mē habētes, vt Boetius disertè exposuit. Sunt verò quadrati v. g. numeri, quorū latera sunt æqualia; siquidē ex numero semel in se ducto efficiuntur. Talis est quaternarius, qui ex binario semel repetito nascitur. Si ergo omnes numeri impares ordine collocentur: & eorū primus, nempe ternarius circa vnitatem, quę potestate primo est quadratus, constituatur; gignetur quaternarius, qui est primus quadratus actu. At si quaternario secundum numerum imparem nimirum quinarium, adijciamus, efficietur secundus quadratus, videlicet nouenarius: huic rursus si tertium imparem, qui est septenarius, addamus, sexdenarius emerget, qui est alius quadratus: idemque perpetuò eueniet, nulla speciei numeri facta mutatione. Quòd si pares numeri addantur, alia atq; alia species numeri secundum rationem figurę orietur. Nāque in primis vnitati adiectus binarius ternarium efficit, qui est numerus triangulus; huic si adijciatur alter numerus par, videlicet quaternarius, septenarius emergit alterius speciei. Itaque adiectione parium semper noua quadrati species excitatur: Ideoq; impari finitudinem, pari infinitudinē Pythagorici ascribebāt.

Cur infinitas pari, finitas impari numero cōueniat.

Numeri à figuris nomen habentes.

Quaternarius primus quadratus actu.

Eorum autem, qui finita faciūt elementa, nullus facit infinita: sed qui elementa infinita statuunt, vt Anaxagoras & Democritus, ij omnes infinitum tactu continuum esse aiunt; ille quidem è partibus similibus, hic verò ex omnium figurarum seminario. Atque etiam ille quanuis partem non secus, ac vniuersum admistionem esse, propterea quod rem quanuis è quauis fieri conspiceret. Nā & hinc videtur dixisse res omnes aliquando simul fuisse, vt hanc carnem, & hoc os, & ita rem quanuis; quam ob rem & omnia: igitur & simul. Principium enim secretionis non solùm est in vnoquoque, sed etiam omnium. Cùm enim id quod gignitur, ex huiusmodi gignatur corpore, omnia autem gignantur, quanquam non simul, aliquod quoque generationis principium esse necesse est. Illud verò vnum est, quod ille mentem nominat, quæ quidem à principio aliquo intelligendo agit. Quamobrem necesse est aliquādo simul fuisse, mouerique olim cœpisse. Democritus autem nullum primorum corporum aliud ex alio fieri ait; sed commune tamen corpus partium magnitudine, & figura differēs omnium principium est. Hanc igitur contemplationem Physicos decere ex his est perspicuum. h *Porro principium ipsum esse probabiliter omnes ponunt: nec enim frustra esse, nec vlla alia vis præterquam principij in eo inesse potest. Etenim omnia aut sunt principium, aut ex principio. Infiniti autem principium non est, quod finis quoque eius esset.* i *Præterea ingenitum & interitus expers, veluti principiū sit quoddam. Quod enim genitum est, finem id habeat necesse est: omnis autem interitus est finis. Quare vt dicimus, huius principium non est, sed aliorum esse ipsum videtur, atque etiam omnia continere, regereq; omnia, vt ij inquiunt quicunque alias causas, vt mentem, aut amicitiam, præter infinitum non faciunt: hocque diuinū esse; immortale enim, & quod perire nequeat, vt Anaximander ait, plurimique eorum, qui de natura disserunt.*

Text. 28.

24.

25.

Text. 29.

Text. 30.

26.

7.

k *Quinque*

ſ Plato

Plato duo posuit infinita.

f *Plato autem*} Plato duo constituit infinita, videlicet magnum & paruum, vtrunque ex diuisione magnitudinis. Nam magnitudo in infinitum secari, minuique potest, & cumulus, qui ex ea sectione consurgit, in infinitum etiam crescet.

g *Physici autē*} Docet Physicos, hoc est, eos, q i motum, & generationem, interitumque rerum naturalium admisere, principio infinitatem non per se, sed quasi quidpiam aduentitium attribuisse. Ponebant enim aliam quandam naturam, vt aquam, vel aerem, cui infinitudo conueniret, non tamen vti ratio substantię, sicuti Pythagorici, & Plato existimarunt. Horum autē dogmata particulatim recesset, de quibus in libro primo huius operis luculentè egimus.

Veteres infinitum, principium esse statuerunt.

h *Porro principium*} Laudat veteres Philosophos nō quòd infinitum inuexerint; sed quia cùm illud posuissēt, verisimili ratione principium esse dixerunt. Enim verò infinitum si est, frustra esse non potest, esset autem frustra si principij vim nō haberet. Nam quidquid in rerum natura existit aut principiū est, aut ex principio, infinitum autē ex principio esse nō potest, quia omne id quod habet principium, etiam finem habet; ratio autem finis infiniti essentiam demolitur.

Hęc tamen ratio cùm non seruet idē principij significatum, sed à principio temporis ad principium magnitudinis transeat, eodem vitio laborat; quo ratio Melissi, quam Aristoteles primo huius operis cap. 2. vt captiosam, & ineptam improbauit. Itaque eam Aristoteles non vt propriam, aut ex suo sensu, sed ex veterum, qui infinitum ponebant, disputatione adduxit, vt, prēter alios, annotauit hoc loco D. Thomas; etsi Grēci interpretes eiusmodi probationem tanquam Aristotelicam communire, tuerique adnitantur.

Text. 31.

k *Quinque autem sunt, quæ infinitum quiddam esse his, qui animaduertunt, fidem faciant. Tempus: hoc enim est infinitum: diuisio, quæ est in magnitudine, quandoquidē & Mathematici infinito vtuntur. Prætereà quod hoc tantummodo generatio & interitus nunquam deficiant, si infinitum sit, ex quo id, quod fit, auferatur. l Eo etiam quòd finitum ad aliquid semper terminetur, vt necesse sit nullum esse terminum, sed aliud ad aliud terminari semper necesse est. m In primis verò, & maximè propriè illud est, quod communem omnibus dubitationem ingerit. Quod enim cogitationis nullus sit finis, & numerus infinitus esse videtur, & mathematicæ magnitudines, & id quod est extra cœlum. Id verò, quod extra est, si infinitum sit, corpus quoque infinitum videtur esse, atque etiam mundi. Cur enim potiùs in hac inanis parte, quàm in illa? quare si vno in loco, vbique etiam necesse est molem esse. Iam verò si inane sit, locum quoque & corpus infinitum necesse est esse. Nanque in sempiternis posse & esse idem valent. n Habet autem dubitationem contemplatio, quæ est de infinito. Multa enim, quæ esse non possunt his qui ipsum ponunt esse, & iis qui ponunt non esse, eueniunt. Prætereà vtro sit modo, vtrum vt substantia, an vt accidens per se alicui naturæ, an neutro modo, sed nihilominus sit infinitum, aut infinita numero. Ma-*

Text. 32.

Text. 33.

Infinitum ingenitum qui posuerint.

i *Prætereà ingenitū*} Aiebant prēterea infinitatis auctores infinitum esse ingenitum, & indissolubile, quod in Platonis Phędone legitur. Id autem ex eo suadebant, quia quidquid gignitur finem habet, omnisque interitus, finis quidam est. Denique aiebant infinitum esse diuinum quid, & omnia continere, ac regere. Et huius quidem dogmatis assertores fuere qui alias causas prēter infinitum non assignabant, vt Anaximander.

Rationes antiquorum ad ponendū infinitum.

k *Quinque autē*} Multas hoc loco rationes congerit, quibus antiqui Philosophi ad ponendum infinitum adduci poterant. Prima ratio est, quia tempus cùm principio & fine careat, necessariò infinitem obtinet. Secunda, quia quęlibet magnitudo potest infinitè diuidi, vt constat ex placitis Mathematicorum, qui data qualibet linea partem aliquam ab ea auferri iubent, deinde aliam, atque aliam infinitè minorem sine termino: item quia prędicunt quamlibet datam lineam in duas ęquales partes secare, & quolibet assignato triangulo, alium minorem describere. Tertia, quia rerum dissolubilium ortus & interitus perennis est, nec vllum vnquam habebit finem. Quod esse nequit nisi rebus gignēdis infinita materia subministretur. Si enim finita esset, iam diu fuisset exhausta, cū necesse sit omne finitum ablatione finiri tandē absolui.

l Eo

l *Eo etiam quod* } Quarta ratio est, quia omne finitum corpus ab alio superiori coerceatur, & terminetur oportet. Quare aut in magnitudinibus dandus erit infinitus progressus, aut deuenietur ad aliquod corpus, quod non iam ab alio contineatur. Ex quorum primo sequitur dari infinitam multitudinem: ex posteriori, dari magnitudinem infinitam.

m *In primis verò* } Quinta ratio est à nostrę mentis cogitatione, quę nullis tenetur limitibus. Nam quouis numero & magnitudine data, maiorem concipit, & quemcunque terminum extra cœlum figit, vlterius subinde progreditur. Quod esse non potest nisi hęc infinita re ipsa dentur; siquidem vt quęque res ad esse, ita ad sui cognitionem se habet. Adde quòd aut extra cœli ambitum corpus aliquod est, aut infinitum spatium inane. Si detur primum, cùm nulla maior sit ratio, cur corpus in hac, quàm in illa parte spatij consistat, vtique erit infinitum corpus, à quo totum id spatium occupetur. Si autem posterius admittatur: cùm vacuum nihil aliud sit, quàm locus potestatem, aptitudinemue habens ad cohibenda in se corpora; cuique in perpetuis esse & posse nõ differant, confitendũ erit extare actu infinitum corpus eo loci cõtentum. Hac fere ratione vsũ fuit Epicurus ad mũdorum infinitatem inducendam; quã Lucretius 2. Poematis sui libro decantauit. Obserua hîc Peripateticum illud axioma, In ęternis esse & posse idem valent; cuius veritatem 8. huius operis expendemus.

Vt quęq; res se habet ad esse, ita & ad sui cognitionem.

In ęternis nõ differũt esse, & posse.

Text. 34. *Maximè autem Physici est considerare sit ne magnitudo infinita, quæ sensu comprehendatur.* o *Primum itaque definiendum est quot modis infinitum dicatur. Primo quidem modo id, cuius transitus esse non potest, propterea quod habile non sit vt transeatur: quemadmodum vox inuisibilis dicitur: alio id, quod transitum habet, sed ad eius finem nunquam venitur: aut quod vix.* p *Aut quod aptum quidem est habere, non tamen habet transitum, aut finem. Præterea infinitum omne, aut additione, aut diuisione, aut vtroque modo.* CAP.

n *Habet autem dubitationem.* } Quæstionem de infinito ancipitem esse ait; quòd, siue id ponatur, siuè negetur; in vtramque partem incommoda occurrant, & dubia, quę non facilem habeant explicatum: atque inter alia, vtrum infinitum substantia, an accidens sit, aut neutrum horum. Maximè verò ad Physicum pertinere aut disquirere, vtrum aliqua magnitudo subiecta sensibus infinita sit. Infinitudo enim rerum sensus effugientium ad alias spectat disciplinas.

Quæstio de infinito in vtrãque partem anceps.

o *Pirmum itaque* } exponit varias infiniti significationes, vt ambiguitate deposita, controuersia aptiùs dijudicetur. Inprimis ergo infinitum id dicitur, per quod transitus esse non potest, vt punctum, & anima, quo etiam modo vox inuisibilis appellatur, quòd apta non sit, vt sub audiendi sensum recidat. Secundò dicitur infinitum, quod habet quidem transitũ, sed absque fine, ideſt, quod aptum est, vt per illud transiri queat, nunquam tamen ad eius metam peruenitur, vt linea in infinitum porrecta, si daretur. Tertio id, quod etsi terminum vendicet, vix tamen, aut cum magno labore perfici potest; vt labyrinthus, qui vias in se identidem recurrentes, & inexplicabilem exitum habebit.

Diuersa infiniti significata.

p *Aut quod aptum quidem est.* } Quartò, dicitur id, quod aptum est habere transitum, aut terminum; non tamen habet; quo pacto, vt Philoponus, & Alexander explicant, circulus infinitus vocatur, quia cùm possit in eo designari punctum, quod initium transitus sit; nullum tamen ex se actu designatum continet. Quintò, id, quod infinitam adiectionem capit, vt numerus; aut infinitam dissectionem, vt magnitudo; aut vtrunque vt eadem magnitudo. Enim verò quocunque numero dato, potest dari alius maior, addita vnitate, ita vt in infinitum nouo semper incremento augescat; & quęuis magnitudo potest in duas partes diduci, atque vna earum rursus in duas alias diuidi, quarum vna priori addatur; ita vt illi fiat perpetua in cumulum adiectio; alteri perpetua detractio.

Quocunque numero dato potest dari maior.

Capitis

Capitis quinti Explanatio.

Non dari infinitum.

Subſtantia in ſe ſpectata eſt inſectilis.

Præoccupatio.

Plato cùius infiniti aſſertor fuerit.

a *Eparatum igitur* } Eorum dogma, qui infinitam ſubſtantiam à rebus ſenſibilibus abiunctam ponebant, coarguit; diſputatque in hunc modum. Nullum inſectile eſt infinitum: ſed omnis ſubſtantia in ſe præcisè conſiderata eſt inſectilis: ergo nulla eſt infinita: niſi forte eo modo, quo vox inuiſilis appellatur. De qua tamen infinitudine, non loquuntur aduerſarij, neque nos: qui tantùm diſquirimus vtrum ne aliqua magnitudo in infinitum protenſa exiſtat. Aſſumptio probatur, quia omne diuiduum, aut eſt multitudo aut magnitudo.

b *Quod ſi ex accidente* } Reſponderet fortaſſe quiſpiam illam ſubſtantiam, non per ſe; ſed ex accidente diuiduam eſſe videlicet ratione quantitatis, ſicque peraccidens infinitam eſſe poſſe. Hoc refellit; quia iam talis ſubſtantia, quà infinita, non foret rerum elementum, vti Plato eius infiniti aſſertor volebat: ſicuti nec inuiſile eſt elemẽtum linguę, ſermonisue; licet vox, quę ſermonis materia elemẽtũq; dicitur, inuiſilis ſit, propterea quod inuiſile, accidentariò ei competat; cùm tamen elemẽtum, rei, cuius elementũ eſt, per ſe, atq; intrinſecè conueniat.

c *Quonã itẽ* } Alia ratione confirmat non dari infinitam ſubſtãtiam. Minùs, inquit, poteſt à quantitate infinitum, quàm ab infinito quantitas ſeparari; quandoquidem plus à ſubiecto affectio, quã ab affectione ſubiectum pendet: atqui nõ poteſt dari quãtitas, quę finita, vel infinita non ſit: ergo nec dabitur finitudo, vel infinitudo extra quantitatem: & ex conſequenti nulla ſubſtãtia per ſe, acvi ſua infinita eſſe poterit.

Omnis quantitas aut finita, aut infinita eſt.

Nõ dari ſubſtantiam infinitam contra Pythagoricos.

d *Perſpicuum verò eſt* } Non dari ſubſtantiam actu infinitam, & quę rerum principium ſit, vti Pythagorici aiebant, ex eo ſuadet: quia oporteret eam eſſe quid ſimplex, quale eſt omne principium, & eiuſdem rationis partibus conſtare. Vnde ſequeretur quamlibet eius portionem infinitam eſſe. Quòd ſi velint eam ſubſtantiam carere partibus, in quas poſſit diuidi; id ex eo confutat, quia infinitum omne quantũ eſſe oportet, atque adeò ſectile in partes.

CAP. V.

Text. 35. a *Eparatum igitur à rebus ſenſilibus infinitum eſſe, quod ipſum per ſe ſit infinitum, non poteſt. Ipſum enim infinitum ſi nec magnitudo ſit, nec multitudo, ſed ſubſtantia & non accidens, diuidi non poterit: nam quod diuiduum eſt, aut magnitudo eſt, aut multitudo. Si verò diuidi non poteſt infinitum non eſt, niſi vt vox inuiſilis. Sed hoc modo infinitum neque illi ponunt, qui aiunt ipſum eſſe, neque nos ſcrutamur; ſed vt id, quod non poteſt tranſiri.* Text. 36. b *Quod ſi ex accidente ſit infinitum, eorum quæ ſunt elementum non erit, quatenus infinitum, vt nec linguæ inuiſile, quanquam inuiſilis ſit vox.* c *Quonam item pacto aliquid per ſe infinitum eſſe poteſt, ſi neque numerus eſt, neque magnitudo, quorum per ſe eſt affectio quædam infinitum: minus enim eſſe neceſſe eſt, quam magnitudinem aut numerum.* Text. 37. d *Perſpicuum verò etiam eſt infinitum ita eſſe non poſſe vt id, quod actu eſt, & vt ſubſtantiam, & principium. Si enim conſtet partibus, quidquid eius accipias, erit infinitum. Nam infiniti eſſentia, & infinitum ſunt idem, ſi infinitum ſubſtantia eſt, & de ſubiecto non dicitur. Aut igitur diuidi non poteſt, aut infinitè diuiduum eſt. Vt autem res eadem multa ſit infinita, fieri non poteſt. At quemadmodum aeris pars aer eſt, ita & infiniti infinitum ſiquidem ſubſtantia eſt, & principium: partibus igitur vacat, & diuidi non poteſt: ſed actu infinitum eſſe non poteſt, quantum enim quiddam neceſſe eſſet.* Text. 38. e *Ex accidenti igitur eſt infinitum. Sed ſi ita ſit, dictum eſt principium ſtatui ipſum non poſſe; ſed illud cui accidit, aerem, aut parem. Quare abſurdum enuntiant, qui ita aiunt, vt Pythagorici.*

Infini-

e *Ex accidenti igitur*} Colligit ex dictis siquod infinitum detur, id non per se, sed ex accidente infinitum esse posse. Quo fit vt infinitum, qua tale, principium esse nequeat, sed id tantùm, cui infinitudo conuenit, vt aer, quod Anaximenes: vel numerus par, quod Pythagorici statuebant. Quare & ij etiam incusandi sunt, qui Pythagorico more substantiam ponunt infinitam, & nihilominùs in partes sectilem esse volunt.

f *Sed hæc fortasse*} Superior disputatio de infinito, aliquantulum extra limites Naturalis Philosophię diuagata est, quia vniuersalior erat, & communior. Nunc igitur in solis rebus subiectis sēsui, quę Physicę cōsiderationis proprię sunt, de infinito inquisitionē facere statuit. Primūq; verisimilibus rationibus; quas logicas appellat, deinde firmis, necessarijsque argumētis ostendit non posse in natura infinitum dari.

Impugnatio finitum logicis rationibus.

Text. 39. *Infinitum enim substantiam faciunt, simulque in partes distribuūt.* f *Sed hæc fortasse perscrutatio cōmunior est, vtrū infinitū esse possit & in Mathematicis, & in his, quæ intelligētia apprehenduntur, & ijs, quæ magnitudinē nō habēt. Nos autem consideramus vtrum in his, quæ cadunt sub sensū, & de quibus doctrinam conscribimus, sit, nec ne sit corpus*

Text. 40. *accretione infinitū. Ac logicè quidem considerantibus ex talibus videri possit nō esse.* g *Si enim corporis ratio sit superficie terminari, infinitum certè corpus nec quod mente, nec*

Text. 41. *quod sensu apprehendatur vllo modo esse poterit. At neque numerus ita, vt separatus & infinitus. Etenim numerus, aut id quod numerum habet numerari potest. Si igitur fieri potest, vt res numerabilis numeretur, infinitū quoq. poterit trāsiri.*

Text. 42. h *Magis autem naturaliter contemplantibus, ex hisce: neque enim concretū id esse potest, neque simplex: concretum quidem corpus non erit infinitum, si elementa numero finita sunt: necesse est enim plura esse & mutuā contrariorū inter se esse æquabilitatē vnū, eorum infinitum non esse. Etsi enim vnius vis ab altero quantūcunque vincetur (vt si ignis finitus sit, aer infinitus, æqualisque ignis, æqualem vi aerem quantumuis multipla excedat, modo numerum quendā habeat) tamē cōstat futurū esse, vt infinitum vincat, idque*

Text. 43. *ad interitum perducat, quod finitū est. Vnūquodque autem infinitum esse non potest. Corpus enim est, quod omnem in partem extenditur, quod autem est infinitum absque vllo termino extensum est. Quare corpus infinitum omni ex par-*

Text. 44. *te in immensum erit extensum.* i *At neq; vnum, & simplex infinitum corpus esse potest, nec (vt nonnulli aiunt) id quod est præter elementa, è quo illa generant, nec omnino, sunt enim nonnulli, qui id faciunt infinitum, non aerem, aut aquā, ne ab eo, quod inter illa infinitum est, cætera interimantur, quandoquidem inter se contraria sunt, vt aer frigidus est, aqua humida, ignis autem calidus: quorum vnum si infinitū esset, reliqua iam perijssent.* Nunc

g *Si enim corporis ratio*} In primis ergo ita disserit. Nihil, quod superficie claudatur, infinitum esse potest; omne corpus superficie claud.tur. Nullum igitur corpus potest esse infinitū. Secundò ita Nihil, quod numerando comprehendi, & absolui potest, infinitudinem habet, cū infinitum sit id, quod absolui nequit: sed omnis numerus, & id omne, quod numerū habet, potest numerādo absolui. Nihil igitur tale infinitum est.

Infinitū est, quod absolui non potest.

h *Magis autem naturaliter*} Ratione alia magis Physica, hoc est, à principijs naturę, & ab ingenio naturalium corporum desumpta, concludit non posse dari corpus infinitū. Quod item primo de cœlo non absimili argumento cōprobauit. Necesse est, inquit, omne corpus, aut ex elementis concretum esse, aut simplex: sed neutrum horum infinitum esse potest: ergo & cęt. Minor, quoad priorem partem suadetur, quia cùm elementa quatuor tantùm sint, constaret vtique eiusmodi corpus certis numero elementis. Quare vel omnia terminatam haberēt magnitudinē, sicque finitā molē efficerent: quia quod ex certis partibus terminatę magnitudinis colaescit, finitum est: vel vnū aliquod ex ijs, aut plura, aut omnia infinitā molem vendicarent. Quod fieri nō potest, quia oporteret vnū illud infinitū elementum,

omne corpus aut est simplex, aut ex elementis cōpositum.

mentum, vt ignem v.c. reliqua omnia extinguere, & in se connertere: quandoquidé supra omnem mensuram proportionis, quoduis finitum agendi acrimonia & efficacitate vinceret. Eademque ratione patet non posse plura ex ijs elementis infinita prepollere magnitudine. Nec item omnia, quia vnúquodque eorum mole sua totam infiniti spatij capacitatem obsideret.

L *At neq; vnũ & simplex* } Supereſt confirmanda altera aſſumptionis pars, videlicet non dari corpꝰ ſimplex infinitũ. Agit autem in preſentia Ariſtoteles tantùm de corpore ſimplici rectam lationem ſubeunte, acturus nimirum de eo, quod in orbem voluitur in libris de cœlo, vbi nullum eiusmodi infinitatem habere demonſtrat. Non dari ergo prędictum corpus infinita mole prędituũ, ex iis, quę paulò ãte dicta ſũt, facile conuincitur. Nam & alia corpora interimeret, & nulli alteri locum daret. At enim quia, vt primo huius operis explicatum eſt, quidam rerum principiũ, non aliquod elemẽtum, ſed medium quid inter ea contrarietatis expers, fecere; quod quiſpiam diceret, abſque aliorum vaſtitate, & incommodo infinitatem habere poſſe, vtpote contraria vi, qua perniciem moliatur, deſtitutum: id quoque refutat Ariſtoteles, probãs nõ dari eiuſmodi corpus, etiam infinitatis incommodis ſublatis, cùm nec ſub ſenſum cadat, vt cætera, nec in miſtorum veniat compoſitionem, ſicuti nec in id miſta diſſoluuntur.

Quidam medíũ aliquid inter elemẽta principiũ cõſtituerũt.

Nunc verò aliud eſſe aiunt, è quo hæc sint. Huiusmodi autem eſſe non poteſt, non quia infinitum (de hoc enim commune quid dicendum eſt, quod ad omne corpus, aerem quoque & aquam, & aliud quoduis æquè attineat) ſed quod tale corpus, quod ſub ſenſum cadat, non eſt præter ea, quæ nuncupantur elementa. Cùm enim res omnis in id, è quo cõſtat, diſſoluatur, aliud quidpiam præter ignem, & terram, & aquam hìc eſſet, nullum autem conſpicitur. Text. 45. Text. 46.

k *Neque igitur ignis, neque aliud vllum elementum infinitum eſſe poteſt. Omnino enim, & præter quam quod infinitum eſſe aliquod ipſorum aſtruatur, non poteſt vniuerſum (etsi finitum sit) aut eſſe, aut fieri vnum quid ipſorum, quemadmodum ait Heraclitus omnia quodam tempore deflagratura. Eadem vero ratio de vno eſt, quod præter elementa Physici faciunt. Omnia etenim è contrario in contrariũ mutantur, vt è calido in frigidum. Eſt vero etiam ex his de corpore omni ſenſili considerandum, vtrum infinitum eſſe poſſit, an non.* Text. 47. Text. 48.

L *Omnino autem ſensile corpus infinitum eſſe non poſſe ex his conſtat: omne enim corpus ſenſile alicubi eſſe aptum eſt, & vniuſcuiusque locus eſt aliquis, atque etiam partis, & totius eſt idem, vt totius terræ, & glebæ vnius, ignis & ſcintillæ: quare si vnius sit formæ, aut immobile erit, aut ſemper feretur: quod fieri non poteſt. Cur enim deorſum magis, quã ſurſum, aut ad quemuis locum? Dico autem si sit gleba, quonam ipſa mouebitur? aut vbi nam quieſcet? Corporis enim, quod ei cognatum eſt, infinitus eſt locus. Vtrum igitur totum locum occupabit? & quomodo? quis igitur, & vbi eſt ipsius ſtatus & motus? An vbiq; quieſcit? non ergo mouebitur. An verò ad omnem locum mouebitur? non igitur ſtabit.*

m *Quod si totum ex diſſimilibus conſtet partibus, diſſimilia etiam erunt loca: & primum quidem vniuersi corpus vnum non erit, nisi tactu: deinde hæc aut finitæ erunt ſpecie, aut infinitæ.* Text. 49.

Ac

Heraclitus omnia igni deflagratura prędicabat.

K *Neq; igitur ignis* } Probat mundum non poſſe aliquod ex elementis eſſe, etiã dempta infinitate, vt ignem, quo arſura omnia Heraclitus aiebat, aut aliud quid ab elementis diuerſum. Nam quicquid mutatur è contrario in contrarium mutatur, vt patet ex ijs, quę in primo huius operis diſputata ſunt: at vnum elementum ſibi ipſi aduerſari non poteſt, aut propriam perniciem intendere. Quare ſi vnum tantum eiuſmodi corpus in natura exiſteret, omnis rerum generatio, & interitus omnino tolleretur, quod experientię palãm repugnat.

L *Omnino autem* } Alia ratione ſenſilium corporum infinitatem impugnaturus, duo

quę-

quędam præmittit. Alterum eſt, omne corpus ſub ſenſum cadens certum habere in mundo locum. Loquitur verò de corpore ſenſili duntaxat, quia Mathematicum non propriè locum vendicat. Alterum eſt. Totius & partis eundem eſſe locum naturalem. His poſitis ita diſſerit. Si detur corpus aliquod ſimplex, vniuſque naturę infinita mole prędituin, id aut immobile erit, aut perpetuo ciebitur, imo nec mouebitur, nec quieſcet. Hæc autem abſurda ſunt, ergo & cęt. Probatur Maior. Si enim terręgleba ſumatur, ea nec mouebitur, nec quieſcet, ad quem enim feretur locũ, aut in quo quieſcet? Nã cùm idem, vt antea ſumpſimus, & totius & partis locus ſit, & totum infinitorum locorũ, verſus omnẽ differentiã, obtineat capacitatẽ; vtiq. non erit maior ratio, ut in vnã potiùs, quã in aliam partẽ cõmeet, nec cur in vna magis, quã in alia quieſcat. Proindeq; cùm omnes partes ſimul ferri neque at, neceſſariò quieſcet: cùm item in omnibus partibus eiuſdem ſpatij ſimul quieſcere nõ poſsit, neceſſariò mouebitur. Quare ſemper quieſcet, & ſemper mouebitur; & nunquã mouebitur aut quieſcet.

Cuilibet corporeo ſenſibili ſuum deberi locum.

Totius, & partium idẽ locus.

Ac finitæ quidẽ eſſe non poſſunt: erũt enim aliæ infinitæ, aliæ non erunt, ſi vniuerſum ſit infinitum, vt ignis, aut aqua. Tale autẽ contrarijs, vt antea dictũ eſt, exitio eſt. Ob quam etiã cauſam Phyſicorum nemo ipſum vnum & infinitũ ignem ſtatuit aut terram, ſed aut aquam, aut aerem, aut medium inter ea, quòd vtriuſq; loca apertè eſſent definita: hæc autem ancipitem habeant locum, ſuperum nempe, & inferum. n *At ſi infinitæ, & ſimplices, loca quoq; & elemẽta erunt infinita, quod ſi hoc eſſe nequeat, & loca ſint finita, totum quoq; finitum eſſe neceſſe eſt. Fieri enim non poteſt, quin corpus, & locus ſint paria: nã neque locus totus maior eſt, quam corpus eſſe ſimul queat, ſimul vero etiã infinitum corpus non erit, neque corpus maius, quam locus: aut enim inane aliquod erit, aut corpus quidpiam, quod in nullo ſit loco.* o *Anaxagoras autem de infiniti ſtatu abſurdè loquitur. Ipſum enim infinitum ſe ait firmare, idque ex eo, quod ſit in ſe, ſiquidem re alia nulla continetur, quaſi vbi aliquid fuerit, ibi natura comparatum ſit eſſe: quod quidem à vero abeſt, cùm aliquid alicubi eſſe poſſit, vbi ſuapte natura non eſt.* p *Si igitur quã maximè vniuerſũ nõ monetur propterea quòd id, quod ſe ſuſtinet, & in ſe eſt, à motu vacare neceſſe ſit: cauſa tamen, cur moueri aptum nõ ſit dicenda erat: non enim ſatis eſt eum, qui ita dixerit aufugiſſe: nam & aliud quiduis à motu vacare poteſt, quod tamẽ vt moueatur aptum eſſe nihil vetat.* q *Namq; & terra nõ fertur, nec ſi infinita eſſet, eaq; à medio cohibita nõ, propterea in medio cõquieſceret, quod nullus eſſet locus ad quẽ ferretur: ſed quod ei naturaliter id inſitum non eſſet: atqui dicere liceret eã ſe nixu ſuo ſuſtentare. Si igitur ne in terra quidẽ, quanquã eſſet infinita, hoc eſſet cauſa, ſed quoniã põdus habet, pondus autẽ in medio manet, in quo medio eſt terra, ſimiliter & infinitũ ob aliã quandã cauſã in ſe manet, nõ quia infinitũ & ipſũ ſe ſuſtentat.* r *Simul*

Tex. 50.

Tex. 51.

45.

46.

47.

48.

49.

ęę partes non vnum aliquid continuum; ſed contiguum duntaxat efficerent: ſiquidem ea, quę ſpecie diſtinguuntur non poſſunt in vnum quid continuatione, ſed ordine tantum, aut alia eiuſmodi compoſitione coaleſcere. Vel igitur eiuſmodi partes eſſent finitę, vel infinitę. Si finitę, cùm efficiant infinitum, neceſſariò vna ex iis, aut plures in finitam molem obtinerẽt, quę proinde cęteras ad interitum & perniciem raperet. Vnde & veteres quidam Phyſiologi infinitatis aſſertores, vt hoc abſurdum effugerent, id quod à contrarijs magis liberum, magisque innoxium videbatur, infinitum poſuere,

Quę ſpecie differunt nõ poſſunt inter ſe cõtinuari.

n *At ſi infinitæ*} Partes infiniti diſsimilium naturarum non poſſe infinitas eſſe ex eo demonſtrat, quia oporteret loca, & elementa eſſe infinita. Quod abſurdũ eſt: cũ & locorũ

differentię certò numero comprehendantur, & elementa finita sint. Quod autem loca & elementa sibi mutuò respondeant, ea ratione confirmat, quia neque locus maior est corpore, neque corpus loco: alioqui si corpore maior locus sit, & corpus infinitam molem obtineat, dabitur aliquid infinito maius: itemque locus non repletus corpore. Quod si locum corpus excedat, existet corpus sine loco, quę omnia à naturę legibus abhorrent.

Elemẽta, & eorum loca sibi mutuò respondent.

o *Anaxagoras autem*} Quia paulò ante docuit si corpus infinitum è disimilium naturarũ partibus conflatum finitum locum habeat, futurũ vt detur corpus sine loco, cui sententię contradicit positio Anaxagoræ asserẽtis suum illud infinitum, & miscellaneum Chaos immobile esse, non quia in loco aliquo consistat; sed quia seipsum per se fulcit, & sustentat: refutat huiusmodi positionem, quòd perinde loquatur Anaxagoras, ac si verũ sit, vbicunque corpus aliquod est, illic suopte ingenio, & naturæ suę congruenter existere: cùm tamẽ sæpe accidat vt corpora extra naturã sedem per vim detineantur.

Positio Anaxagorę.

r *Simul verò perspicuum est necessarium esse vt quæuis pars conquiescat: vt enim infinitum in se manet se ipsum sustentans, sic & quæcunque sumpta pars fuerit in se manebit, cùm totius & partis eiusdem speciei sint loca: vt totius terræ, & glebæ inferus: totius ignis, & scintillæ superus. Quare si infiniti locus est in se, partis quoque idem erit. In se igitur manebit.* Text. 52.

s *Omnino autem constat dici non posse infinitum corpus esse, simulque aliquem corporum locum, siquidem sensile omne corpus aut pondus habet, aut leuitatem: & quod graue est ad medium fertur natura, quod leue, in superum locum: necesse enim est & infinitum corpus: non potest autẽ aut totum alterutro modo, aut dimidium vtroque affectum esse. Quo enim pacto diuides? quouè modo infiniti alia pars in supero est loco, alia in infero, aut in extremo, aut in medio?* Text. 53.

t *Præterea omne corpus, quod sub sensum cadit, in loco est: loci autem species, & differentiæ, superum, & inferum, ante, & ponè, à dextra, & sinistra. Atque hæ non solùm ratione nostri, & situ, sed in ipso etiam vniuerso distinctæ sunt, in infinito autem esse hæ non possunt.* Text. 54.

v *Atqui omnino si locus infinitus esse non possit, in loco autem quouis sit corpus, fieri non potest, vt corpus aliquod sit infinitũ. Atqui & quod alicubi est, in loco est, & quod in loco, alicubi: vt igitur infinitum quantum esse non potest (quantum enim quoddam fuerit, vt bicubitum, aut tricubitum, cum hæc quantum significent) sic quod est in loco alicubi est: & id quidem aut in loco supero, aut in infero, aut in alia quapiam sex dimensionum, quarum vnaquæque terminus est quidam.* Text. 55.

CAP.

Reprehenditur.

p *Si igitur*} Anaxagoras reprehẽdit quòd cũ asseruerit infinitum motu vacare, quia in se ipso est, non tamen causam reddiderit, cur ad subeundum motum aptitudinẽ non habeat, cùm multa sint, quę re ipsa non mouentur, & tamen moueri apta sunt, vt lapis manu detentus.

q *Namq; & terra*} Si infinitum, inquit, vt Anaxagoras volebat, propterea esset immobile, quia in se ipso est, certè eadem reddenda foret causa, cur terra in mundi medio quiescat, nec tantopere laborarent philosophi in eius rei inuestigatione. Nunc verò aliter res habet: ideo enim quiescit, quia corpora grauia suopte pondere deorsum vergunt, & vbi natiuum patriumque locum obtinuere, consistunt: & ob hanc etiam causam terra si infinita mole prędita esset, in mundi meditullio hęreret immobilis.

Cũ terra in mũdi medio quiescat.

r *Simul verò perspicuum*} Cùm idem partis & totius locus sit, si daretur infinitum, & ideo quiesceret; quia in se ipso firmaretur: idem quoque de parte dicendum foret, videlicet in se ipsa sustentari, proindeque in se naturaliter quiescere. Quod tamen Anaxagorę dictis repugnare constat ex eo, quia proprerea infinitum se ipso firmari aiebat, quia locum, quo detineri posset, habere nequibat. Quęlibet autem pars locum habet quo comprehendatur. Itaque alia causa tradenda fuit, cur infinitum corpus quiescat.

s *Omnino autem constat*} Confutato Anaxagora aliam affert rationem ad tollendum infinitũ. Omne inquit corpus sensile, quod videlicet non conuertitur in orbẽ, aut graue,

aut

sūt leue est, graue autem suo impetu medium petit, leue in superiora euadit, vt experimento constat; sed corpus infinitum hanc legem subire non potest: ergo nullum corpus sensile infinitum est. Probat assumptionem, quia si totum huiusmodi corpus graue, aut leue sit, vel inima sede constituetur, vel superum locum occupabit, quod infinito repugnat, cuius ea natura est, vt omnes spatij differentias occupet. Si verò altera eius pars grauitate, altera leuitate polleat, id etiam cum ratione infiniti minimè congruit: siquidem in infinito nec pars superior, & inferior, nec media, & extrema designari possunt.

In infinito nō datur pars superior, aut inferior.

t *Præterea omne.*) Idem confirmat à locorum differentijs. Omne corpus sensile continetur loco; loci verò differentię sex numerantur. Supra, infra; ante, retro, dextrum, sinistrum: hæc autem nequeunt competere infinito, quod nulla locorum circunscriptione terminatur: nullum igitur corpus sensile infinitum est.

Sex loci differentię.

v *Atque omnino.*) Postremò ita concludit. Nullus locus infinitus est; igitur cùm omne corpus loco circunscribatur, nullum erit infinitum. Antecedens probat, quia omne quantum certam habet, & definitam magnitudinem, vt duorum, trium vè cubitorum: locus autem quantum est, cùm sit ambientis corporis superficies.

Locus quid sit.

Capitis sexti Explanatio.

ARbitro opus.) Hactenus controuersiam de infinito rationibus, vltrò, citroque adductis pertractauit, nunc ad eam dirimendam arbitrio opus esse inquit. Est autem inter iudicem, & arbitrum discrimen; quod ille ex lege sententiam ferat, hic ex æquo, & bono litem componat, ita, vt vtrique parti faueat, maximè cùm iura vtriusque paria momenta habere videntur. Quoniam ergo in quæstione de infinito tam in partem negatiuam, quàm affirmatiuā argumenta non parum firma occurrunt, inter vtraque arbitrū se, & quasi sequestrem gerit Aristoteles: ac primùm firmiores rationes pro parte, quę affirmat, summatim repetit, vt nimirū pateat quanta æquitate infinitū nec ōrino ponat, nec tollat.

Lis de infinito diriméda arbitrō.

CAP. VI.

Text. 56. *INfinitum itaque actu non esse ex his constat. Sed illud quoque manifestum est, si infinitum omnino non sit, multa accidere, quæ esse non possunt. Nam & temporis principiū aliquod, finisq; erit, & magnitudines in magnitudines diuiduæ non erunt: numerus item infinitus non erit. Cùm autē hisce hoc pacto definitis constet neutro modo esse posse, a arbitro est opus, perspicuūque est partim esse, partim non esse. b Dicitur verò esse aliud quidem potestate, aliud actu. Atque infinitum aliud est additione, aliud detractione. Magnitudinem verò actu infinitam non esse dictum est: diuisione autem est: non enim difficile est lineas insectiles tollere. Restat igi-*

Text. 57. *tur potestate esse infinitum. c Potestate autem esse non ita sumi debet, vt si hoc statua possit esse, quod hoc statua erit, ita & infinitum aliquid, quod actu futurum sit. Sed cùm aliquid esse multis modis dicatur, quemadmodnm dies est, & certamen, quod semper aliud & aliud fiat, sic & infinitum. In hoc enim est & potestate esse, & actu. Olympia enim sunt, & quòd certamen possit fieri, & quòd fiat.*

b *Dicitur verò*) Proponit diuisionē illam, qua in grauissimis Philosophię quæstionibus dissoluēdis vti cōsueuit, nimirum quędam dici actu, quędam potestate. Tum docet infinitum multifariam dici. Est enim infinitum additione, vt numerus, qui infinite augeri potest, diuisa in infinitum per æquales portiones quantitate. Item infinitum diuisione & detractione vt magnitudo, cuius dissectio potest in infinitum abire. (Nec enim vnquam, vt quidam opinati sunt, ad insectiles lineas deueniendum erit.) Item infinitum potestate & infinitū actu. Vult ergo Aristoteles infinitum potestate dari, actu non dari.

Celebris apud Arist diuisio, quędā dici actu, alia potestate.

Infinitum potestate.

c *Potestate autem*) Declarat quidnam sit dari infinitum potestate, aitque id nō ita accipiendum, quasi infinitum, quod nunc non existit, paulò post actu perfecto existere queat; quō-

quomodò lignum quod antea potestate statua erat, accedente artificis manu, in statuam actu efformatur, sed quia potest infinitum ad actum potestati admixtum perduci, ita vt numerus noua semper vnitate augescat, vnquam tamen vnitatum completam infinitudinem obtineat & magnitudo perpetuam diuisionem subeat, nec tamen absoluatur, aut suarum partium adiectione infinitum cumulum efficiat. Quo pacto dies & certamen Olympicum V. G. dicuntur actu esse. Nam neque dies simul totus præterit, nec omnes ludi vnà exhibentur, sed vtrunque successione partium labitur. Quanquã hoc, præter alia, discrimen intercedit, quod & hodiernus dies finiatur, & ludi decurso præfixi temporis spatio absoluantur; infinitum verò potestate nullum omnino habeat terminum; cùm neque diuisioni defutura vnquam sit materia.

Infinitum potestate caret termino.

Infinitas temporis, & generationum.

d *Aliter autem*) Confert infinitatem temporis, & generationum, quas semper fuisse, nullamque finem habituras existimauit, cum infinitate, quę cernitur in magnitudine, dum in partes diuiditur: docetque huiusmodi infinita eo inter se conuenire, quia in eorum quolibet vna pars post aliam sumi potest, ita vt quod sumptum est, finitum sit, semperq; aliquid accipiendum supersit; differre autem quia in magnitudine, partes, quę sũpte fuerunt, manent, in tempore verò & generationibus penitus euanescunt.

d *Aliter autem in tempore & in hominibus, & magnitudinum diuisione infinitum conspicitur. Omnino quidem enim infinitum ex eo est, quod aliud semper & aliud sumatur, & quod sumitur, semper illud quidem finitum sit, sed tamen aliud atque aliud semper. At in magnitudinibus eo, quod sumptum est, manente, hoc accidit: in hominibus verò & tempore pereuntibus, ita vt non deficiant.* Text.58. Text.59.

Infinitũ diuisione, & adiectione.

e *Id verò*) Cõparat infinitum diuisione cum infinito adiectione: Licet eni inter se differãt quatenus vni detrahitur, alteri additur; sunt tamen eadem quodammodo, idest, secundum proportionem; quatenus vt magnitudo diuisione infinita dicitur, quòd per partes sibi proportione respondentes infinitè secari possit; ita numerus, & item magnitudo infiniti rationem obtinent, prout hęc ex alterius magnitudinis partitione crescere, ille verò nouo semper accedentium vnitatum incremento amplior reddi potest.

e *Id verò, quod adiectione est, & id quod diuisione quodammodo sunt idem. In eo enim quod est finitum adiectione fit modo conuerso. Nam quatenus diuidi infinitè cernitur, eatenus adijci finito constat. In finita enim magnitudine, si finita parte accepta eadem proportione rursus quis accipiat, non eandem totius partem ea proportione auferens, finitam non transibit: sed si proportionem sic auxerit, vt eandem semper accipiat magnitudinem, transibit, propterea quod finitum omne quouis finito consumatur. Aliter igitur non est, hoc autem modo est infinitum: potestate enim & detractione. Actu verò etiam est, vt diem esse dicimus, & ludum: & potestate ita est,* Text.59.

Infinitum vt materia.

f *Vt materia*) Ita se habet infinitum ad actum existendi, vt materia ad formam. Etenim vt materia non ita vni formę subest, quin ad alias recipiendas potestatem obtineat, sic infinitum nunquam ita prodit in actum, quin adhuc maneat in potentia, vt secundum aliam, aliamque sui partem existat.

f *vt materia, & non per se, vt id quod finitum est.* Text.60.

Discrimẽ inter infinitum diuisione, & adiectione.

g *Et additione quidem*) Discrimen statuit inter infinitum diuisione, & adiectione. Nã cùm magnitudo per partes eiusdem proportionis infinite diuiditur, nequit ad tam paruam deduci quantitatem, quin ad minorem queat: at cùm magnitudo ex alterius diuisione in infinitum augescit, designatur moles, quam illa excedere non possit, immo ad quã pertingere non valeat. Si enim ab vnius palmi magnitudine partes detrahantur, nequaquam illa, quę earum adiectione efficietur, ad magnitudinem duorũ palmorum euadet; quin potiùs infra palmum necessariò consistet, quia nunquam diuisio absoluetur.

g *Et additione quidem infinitum hoc pacto est potestate, quod idem quodammodo esse dicimus, quod id, quod est diuisione. Nam*

Pythagorici posuere infinitum extra mundum.

h *Nisi ex accidente.*) Si, inquit, infinitum ex accidente daretur, hoc est, vt Simplicius, & Themistius, aliique Græci interpretantur, si extaret aliqua substantia, cui infinitudo accideret, quale infinitum quidam Physici, vt Pythagorei, extra mundi complexum dari putabant, tunc nihil impediret, quominùs infinitum adiectione quamlibet magnitudinem suo more vin

ceret.

ceret. Verùm eiusmodi infinitum fictitium esse constat, cùm omnia corpora cœli ambitu, qui finitus est, comprehendantur.

i *Nam & Plato*) Docet suam sententiam de infinito potestate, quod in dissectione, & adiectione inexhausta consistit, non differre à Platonis dogmate, qui infinita inuexit, nempe magnum infinitę adiectioni, paruum infinitę diuisioni respondens. Platonis dogma de duplici infinito.

Nam cùm semper aliquid ipsius præterea accipiendum maneat, non omnem tamen definitam magnitudinem exuperat, quemadmodum finitam omnem exuperat, minorque fit in diuisione: quare ne potestate quidem omnem excedere additione potest, h *nisi ex accidenti infinitū actu sit, quale corpus Physici extra mundum esse aiunt, cuius substantia sit aer, aut aliud quid eiusmodi infinitum: sed si infinitum corpus sensile actu sit esse non potest, constat ne potestate quidem adijciendo esse posse, nisi vt dictum est, contrario modo, ac diuisione.* i *Nam & Plato propter hoc duo fecit infinita* Text. 61. *quod & augescendo videatur exuperare, in infinitumq; abire, & auferendo. Cum tamen duo fecisset, non vtitur. Atque enim in numeris infinitum detractione inest, cum vnitas sit minimum: neque item accretione, quandoquidem ad denarium vsque numerum facit.*

Eundem tamen reprehēdit quod, cū Pythagorico more rerum principia numeros fecerit, neutro horū infinitorū in numeris vsus fuerit, videlicet nec infinito secūdū accretionē, cū dixerit numeros vsque ad denarium augeri, indeque in orbem alternando reciprocare: nec etiam infinito diuisione, cū numerorum diuisio, vbi ad vnitatem ventum est, consistat, neq; vlteriùs cedat.

Capitis septimi Explanatio.

a *Ontra verò*) Probauit non esse in rebus infinitum actu, nunc priusquam aduersarię partis argumenta dissoluat, quid infinitum sit declarat. Ac primùm veteres reprehendit quod infiniti naturam non rectè explicarint. Aiebant enim infinitum id esse, cuius nihil est extra, ideſt, cui nihil deficit, cùm dicere potiùs debuisset, infinitum esse id, cuius aliquid extra semper est. Siquidem infinito additione semper restat aliqua pars adijcienda, & infinito diuisione aliqua adimenda. Probat verò hanc ab se traditam descriptionem bonam esse, quòd consuetum sit eos annulos, qui palā carent infinitos vocare, quòd, cùm rotundi sint, quiuis eorum parte accepta aliam sumere liceat; quanquam admodū impropriè annulum infinitum dicimus; cùm infiniti ratio duo exigat, scilicet vt sēper aliquid extra sumi possit, & vt nunquā idem repetatur, sed aliud, atque aliud; quod in circulo siue annulo nequaquam euenit. Infinitū quid sit.

CAP. VII.

a *Ontra verò, ac dicunt, infinitum esse accidit: nō enim* Text. 62. *cuius nihil extra est, id infinitum est, sed cuius aliquid semper extra. Cuius signum est, quod annulos, qui palam non habent, infinitos esse dicant, quòd semper extra sumere aliquid liceat, quod similitudine quadam vsi dicunt, sed non propriè. Oportet enim & hoc adesse, & idem nunquam sumi: in circulo autem ita non fit: sed quod deinceps sequitur, duntaxat aliud est. Infinitum igitur id est, cuius* Text. 63. *qui ratione magnitudinis aliquid sumunt, ijs aliquid semper licet extra accipere.* b *Cuius*

b *Cuius autem nihil extra*) Ostendit infiniti descriptionem à veteribus traditam vitiosam esse quod potius finito, quam infinito competat. Etenim id, cuius nihil est extra, totum perfectumque censetur: siquidem totum definire consueuimus id, cui nulla pars deficit: totum vero & perfectum aut idem sunt, aut valde inter se cognata; quandoquidem perfectum est, quod finem, terminumque obtinet. Vnde concluditur id, cuius nihil est extra, finitum esse, atque adeo descriptionem infiniti ab antiquis assignatam, finito competere. Annotauit hoc Impugnatur definitio infiniti à veteribus tradita.

hoc loco Simpliciùs totum & perfectum non eadem esse, sed affinia; quia subiecto eadem sunt, ratione differunt; quatenus perfectum dicitur id, quod principium, medium, & finem obtinet; totum vero addit partium compositionem. Quo fit, vt hoc latius pateat, quam illud. Simplicius vero, Philoponus, & Albertus volunt perfectum dici ratione finis, quem res sortita est, totum respectu partium, quibus constat.

Rectiùs Parmenidem sẽfisse, quã Melissum.

c *Quocirca*} Magis inquit veritati consentanea videtur Parmenidis, quam Melissi sententia. Ille enim vniuersum quod perfectum est, finitum putabat, hic infinitum esse aiebat, atque ita pugnantia dicere videbatur, siquidem totum & perfectum cum infinito iungi nequeunt. Non enim sicut linum (vetusto prouerbio) lino nectitur, sic infinitum cum toto, & vniuerso cohærere potest, etsi ea nonnulli copularint decepti similitudine, quam inter se habent.

d *Nam & hinc grande*} Infinitum alia in se cohibere veteres pronuntiarunt sumpta occasione ex ea similitudine, quę inter ipsum & inter totum, ac perfectum esse videtur. Consistit autem hęc similitudo in eo, quod infinitum secundum diuisionem & detractionem est quasi materia perfectionis magnitudinis, totiusque; & quasi totum dici potest; eo pacto, quo lignum potestate statua nuncupatur. Est verò quasi materia; quia diuisiones adiectionesque interminatę non nisi ratione materię fiunt; quę vt suopte ingenio pura potentia & vaga, atque incerta est, ita multitudinẽ, varietatẽque amat, ac se ipsam dissecandam præbet. Vnde & infinitum nõ per se, & quà tale, sed merito formę totum quid, ac perfectum haberi potest; nec etiam continere, sed contineri potiùs dicendum est.

b *Cuius autem nihil extra est, hoc perfectum est, & totũ. Sic enim totum definimus, à quo nihil abest, quod ad partes attineat, vt hominem totum, aut ciſtam. Vt autem vnumquodque definimus, ita & id, quod propriè est. Vt totum est, cuius nihil extra est: à quo autem aliquid abest, id quidqd abfuerit, vniuersum non est. Totum autem & perfectum aut idẽ sunt omnino, aut naturam habent affinem: perfectum verò nihil est, quod finem non habet; finis autem terminus est.* c *Quocirca existimandum est Parmenidem melius, quàm Melissum dixisse. Hic enim totum infinitum ait esse: ille verò totum à medio æquè distans terminis concludi: non enim infinitum cũ toto, & vniuerso, linum cum lino nectere est.* d *Nam & hinc grande id, & excelsum; nempe omnia continere, & vniuersum in se habere, de infinito sumunt, propterea quod cum toto quandam similitudinem habeat. Infinitum enim perfectionis magnitudinis materia est, & potestate totum, non actu: diuiduum autem detractione, & ei contraria additione. Totum verò, & finitum non per se, sed per aliud: & quatenus infinitum est, non continet, sed continetur.* e *Quare & ignotum est, quatenus infinitum est: speciem enim materia non habet. Quapropter patet partis potiùs, quàm totius rationem infinitum habere. Materia enim totius est pars, vt æs statuæ æneæ.* f *Nam*

Text.64.

Text.65.

Text.66.

Infinitũ, quà tale, ignotũ.

e *Quare & ignotum*} Colligit ex dictis infinitum, qua infinitum, ignotum esse, cùm sit veluti materia, quæ vt est informis ex se, omniquè actu substantiali carens, ita nostram, qnę ab actu oritur, intelligentiam effugit.

Magnum & paruum, infinita Platonis.

f *Nam si & in rebus sensibilibus*} Si in rebus, inquit, sensui obnoxiis infinitum alia continet, idem enuntiandum erit de ijs, quę non cadunt sub sensum. Quare infinita Platonis, videlicet magnum & paruum, etiam ideas à sensu, & rerum singularium concretione abiunctas in se cohibebunt, quod perabsurdum est.

g *Atque rationi consentaneè*} Asseuerat infinitum additione non omnẽ finitam magnitudinem superare, infinitum tamen diuisione omnem finitam vincere; hoc cum descriptione infiniti abse proposita, videlicet, infinitum est, cuius semper aliquid extra licet accipere, mirifice congruere ait. Si enim talis sit infiniti natura, consequens erit vt in infinito adiectione semper aliquid maius sumere liceat, non ita tamen vt id quancunque excedat magnitudinẽ: & in infinito detractione semper aliquid minus accipere valeamus.

Cur magnitudo non possit in infinitũ accretio crescere.

h *Vt enim materia*} Ratio cur magnitudo non possit in infinitum augeri, est quia accretio tendit ad formam, quę est ratio finitatis, siquidem potentiã materię continet, & quasi refre-

refrenat; diuisio verò tendit ad materiã, cui infinitas non repugnat. Ratio autẽ, ob quã diuisio dicitur tendere ad materiã, accretio ad formam, est vt sentit Auerroes hoc loco commen. 60. quia per diuisionem res progreditur ad imperfectionem, & ad non esse, quorum radix est materia; per accretionem accedit ad maiorẽ perfectionẽ, & ad esse, quorum origo & causa est forma vel vt explicat D. Thomas ad tex. 67. & 1. p. q. 7. art. 3. quia per diuisionem tenditur ad partes; per accretionem ad totum: partes verò habent se vt materia, totum vt forma. Adde etiam ideo infinitũ magis habere rationem partis quã totius, quia quęcũque quantitas siue detrahendo, siue addendo accipiatur, est pars eius infiniti quod ex ipsa cõstat.

f *Nam si & in rebus sensilibus continet, in his etiam, quæ mente apprehenduntur magnum & paruum res eas, quæ mente apprehenduntur continere oportebat. Absurdum autem est & ex his, quæ esse non possunt, id quod ignotũ est,*
Text.67. *& indefinitum, continere, atque terminare.* g *Atque rationi consentaneè euenit, vt quod adiectione infinitum est, nõ ita esse videatur, vt omnem exuperet magnitudinem, diuisione autem esse.* h *Vt enim materia, ita & infinitum intus con-*
Text.68. *tinetur, species autem continet.* i *Meritò etiam fit, vt in numero ad minimum terminus sit, ad plura verò progrediendo omnis semper multitudo exuperetur: contrario autem modo in magnitudine. Fit enim vt minus progrediendo magnitudinem omnem exuperet, ad maius autem magnitudinem infinitam non existere. Cuius rei causa est quod vnũ, quidquid id fuerit, indiuiduum est: vt homo vnus est homo, & nõ multi: numerus verò plures sunt, aliquot vè vnitates. Quare in indiuiduo statum esse necesse est. Duo enim, & tria nomina sunt* k *paronyma, eodemque modo cæterorum numerorum vnusquisque. Versus autem plures concipere animo*
Text.65. *semper licet, quod magnitudinis infinitæ sunt diuisiones. Quare potestate quidem est, actu autem non est, sed omnem definitam multitudinem, id quod sumitur, semper excedit, separatusq; non est à diuisione hic numerus, nec manet infinitio: sed fit quemadmodum & tempus & numerus temporis. In magnitudinibus autem est contrarium. Nam conti-*
Text.66. Text.69. *nuum quidem in infinita diuiditur: ad maius verò infinitum non est: quantum enim potestate, tantundem potest actu esse. Quare cùm sensilis nulla infinita sit magnitudo, finita omnis magnitudo excedi non potest: cœlo enim aliquid maius esset.*

i *Merito etiã fit*} Monet aliter se habere infinitudinem in numeris, aliter in magnitudinib9. In numeris enim diuidendo non abitur in infinitum, cũ tandem perueniendum sit ad vnitatẽ, quę insectilis est, nec iam numerus dicitur: quia numerus plures est vnitates vel ex pluribus vnitatibus coalescit. Datur tamẽ in ijs infinitum adiectione; quandoquidem magnitudo in infinitum secari potest, è cuius partibus maiorem numerum conficere, & alium, atque alium grãdiorem perpetuò extrahere licet. At in magnitudine secus accidit. Namque versus minimum nullo termino clauditur; versus maximum aliqua est, vltra quam crementum non prouehitur: tum ob rationem superiùs assignatam, tum quia maiora quęrenti vel ipsa extrema mundi facies occurrit, vt in numeris.

Diserimẽ inter infinitũ in numeris, & in magnitudinibus.

k *Paronyma*} Duo, inquit, & tria, nomina sunt paronyma, idest denominatiua, quia ternarius hominum, v. c. denominatur à tribus vnitatibus. Aduertit deinde cùm numerus fiat ex diuisione, sicuti diuisio est infinita, non actu, sed potestate, ita & numerum. Quod similiter de temporis & motus infinitate pronuntiandum erit.

Numerus fit ex diuisione.

l *Nec verò in motu*} Licet magnitudo, motus, & tempus infinita sint, quia in partes infinitè diuiduas secari possunt, non eodem tamen modo infinitudinem subeunt. Primo enim conuenit infinitas magnitudini; tum per illam motui, quo res ad locum, vel crementũ, vel qualitatem cietur: per motum verò tempori, Nam motus super magnitudine fit; tempus motum supponit, eumque dimetitur. Qua de re lib. 6. planiùs, ac pleniùs.

Nota hoc capite tria effata Peripatetica ad infinitum pertinentia. Primum ad textũ 69. scilicet, infinitum est, cuius semper aliquid est extra, hoc est, in quo sumpta qualibet parte ratione quantitatis, semper alia restat accipienda. Quę est descri-

Declaratur infiniti descriptio.

descriptiõ infiniti secundũ extensionẽ; de hoc enim Aristoteles in præsentia differit; prõindeq; nihil mirũ si diuinę infinitati non cõpetat. Est autem infinitũ secundũ extensionẽ triplex; magnitudine, vt corpus, successione, vt tempus, multitudine, vt numerus.

Infinitum extensione triplex.

Secundum ad tex. 65. Infinitum, qua infinitum, ignotum est, quo vsus etiam fuit Aristoteles primo huius operis libro, capite 4. tex. 35. & lib. 2. Metaphys. cap. 2. tex. 11. & tex. 33. & 1. Posteriorum cap. 3. De quo autem infinito, & quo pacto id intelligendum sit in quæstionibus de cognitione infiniti disseremus.

De incremẽto numerorum.

Tertium ad tex. 68. Ex dissectione continui accrescere numeros absque termino. Porrõ autem cùm quantitas, vt aduertit Magnus Albertus cap. primo huius libri, bifariã spectari possit, vel prout est terminus corporis naturalis, vel secundũ se præcisè; priori modo non potest quãtitas infinitè diuidi, sed deficere oportet sectionem, vt planum est; cùm omnia corpora naturalia versùs minimum aliquo termino claudantur, vt in primo huius operis ostendimus; posteriori non repugnat per partes eiusdem proportionis abire sectionem in infinitum.

1. Nec verò in motu, & magnitudine, & tempore infinitum idem est, vt vna quædã natura: sed prioris ratione posterius dicitur: vt motus quidẽ quod prius magnitudo, in qua fit motus, aut quæ alteratur, aut augescit: tẽpus autẽ ob motũ. Atque nunc quidem hisce vtimur: post autem & quid vnũquodque horum sit, & cur omnis magnitudo in magnitudines diuidi possit, dicere enitemur. Cap. Text. 70.

Capitis octaui explanatio.

Mathematicos nõ postulare infinitũ actu.

Mathematicorum a) Putaret quispiam Aristotelem sublato infinito euertisse theoremata Mathematicorum, qui in demonstrationibus lineas infinitas produci iubent. Occurrit Mathematicos nec infinitum actu, quod ipse sustulit, requirere, nec illud in natura rerum ponere; sed sola cogitatione lineam in immensum protendere, nè eis finita, ad id, quod ostendere nituntur, desit. Quin verò non solùm ipsis, inquit; non opus est infinita linea, sed neque maxima; cùm etiam quantumlibet paruam imaginaria sectione possint diuidere, esto figurę non nisi in magnitudinibus actu existentibus re vera insint.

CAP. VIII.

Mathematicorum autem contemplationẽ sermo hic non aufert, quia ita infinitũ esse negat, vt accretione actu fiat transitum non habens: neque enim infinito opus nunc habent, neque vtuntur, sed solùm vt finita, quantam velint, suppetat. Atque etiã instar magnitudinis maximæ, minima quæque potest diuidi. Quare ad demonstrandum illo modo nihil refert: ipsum autẽ esse in magnitudinibus, quæ sunt, erit. b *Cum autem causæ quadrifariam sint diuisæ, patet infinitum vt materiam causam esse, & ipsius quidem essentiam priuationem esse, quod autem per se subest continuum, & sensile.* Viden- Text. 71. Text. 71.

Veteres vsi sunt infinito tãquam materia.

Solutio Rationum pro infinito statuendo.

b *Cũ autẽ causa*) Veteres infinitatis auctores infinitum rerum principium esse voluere. Id ne omnino abs re dictum videri possit docet infinitũ potestate, quod ipse cõcedit, ad genus causę materialis reduci posse, ob eam cognationem, quã cum materia habet; quatenus materia suopte ingenio infinita, atque interminata est, & a forma terminũ mutuatur. Item quia infinitum in priuatione consistit, cùm formaliter importet negationem actus perfecti absolutique (tale quippe est infinitum potestate) cùmque priuatio a materia subiecto non differat, vt in 1. lib. declaratum fuit. Accedit veterum Philosophorum auctoritas, qui infinito, tanquam materia vsi sunt. Nam Thales, Anaximander, & alij, qui infinitum corpus inuexere, illud rerum, quę gignũtur, & occidunt, materiam prędicabant. Ex quo etiam intelligi poterit infinitum non rite dici continere, cùm materia contineatur magis, quam contineat.

c *Iã restat*) Accedit ad refellẽdas rationes quarto capite adductas, quę infinitũ nõ potestate modo

modo, sed actu dari suadebant. In quibus explicandis non eundem, quem in proponendis ordinem seruat. Ad tertiam, quæ obijciebat nisi esset infinitum actu, fore vt rerum generatio exhaustis principijs subsisteret, proindeque dandam materiam infinitè extensam, è qua per detractionem partium res genitę successione perpetua componerentur; respondet nihil eiusmodi infinito opus esse; quia cùm vnius interitus sit alterius generatio, quæ vnius fuerat materia, illo intereunte, alterius, quod denuò gignitur, materia fit. So.3. Phy. cum axioma.

Videntur verò & alij omnes infinito vti, vt materia. Quare & absurdum est id, quod continet, ipsum facere, & non
Text. 73. *id potiùs, quod continetur.* c *Iam restat vt rationes aggrediamur, quibus infinitum esse non potestate solum, sed vt definitum videtur. Aliæ enim earum necessariæ non sunt, non nullis verò aliæ quædam veræ resistunt, neque enim vt generatio non deficiat infinitum corpus sensile actu esse necesse est. Potest enim, cum finitum sit vniuersum, vnius in-*
Text. 74. *teritus, alterius esse generatio.* d *Aliud præterea est tangere, aliud esse terminatum. Illud enim ad aliquid est, et alicuius, siquidem quod tangit, aliquid tangit, finitorumque alicui accidit. Quod verò terminatum est, non est ad aliquid:*
Text. 75. *neque item res quæuis rem quamuis tangit.* e *Illud verò absurdum est, cogitationi fidem adhibere: non enim in re exuperantia, defectioque est, sed in cogitatione. Vnumquenque enim nostrum multiplo maiorem cogitare aliquis infinitè augeri potest, nec propterea extra vrbem quispiam est, aut ea, quam habet magnitudine est præditus, quod ita quispiam cogitat, sed quoniam ita est: hoc autem accidit.* f *Tempus autem, & motus, & intelligentia infinita sunt, eo, quod sumitur, non permanente. Magnitudo verò neque detractione, neque accretione, quæ in cogitatione posita sit, est infinita. Sed de infinito quemadmodum sit, & non sit, & quid est, dictum sit.* CAP.

d *Aliud præterea*} Ad quartam respondet non omne finitum corpus, aliud, quod definiatur contingere, vt videre est in extrema sphęra cœlestis mundi, quę nullo superiori corpore continetur, sed propria superficie conuexa clauditur. Itaque non idem valent, tangere, & terminatum esse: Nã tangere, refertur ad aliud, nempe ad id, quod tangit, cum omnis contactus sit inter plura: terminari vero non respicit aliud, sed duntaxat internum rei terminũ finẽq; importat, siue alio corpore ambiatur, siue non. Sol. 4.

e *Illud verò absurdum*} Quin tam diluit, aiens quam maximè à ratione alienum esse, rerum veritatem imaginatione metiri, & quod quisq; animo apprehenderit id rebus inesse existimare; cùm sępe mente effingamus, quę nullo modo ita habent. Alioqui siquis magnitudini alicui sua cogitatione incrementa addat, & hominem multiplo grandiorem, instar montis; vel formicę corpusculo prędituin concipiat; ita erit. Sol. 5.

f *Tempus autem*} Primę & secundę ita occurrit, vt fateatur tempus, & motum, atque etiam mentem dum alia atque alia subinde concipit, infinita esse non actu sed potestate; similiterque magnitudinem: etsi hoc sit discrimen, quòd illorum partes cùm fluxę sint, non permaneant, sed raptim euanescant, huius verò partes consistant, & incolumitatem seruent. Item quòd tempus & motus (sic putauit Aristoteles, qui mundi ęternitatem finxit) initio & fine careant, magnitudo verò simpliciter dimensionem finitam vendicet. Sol. 1 & 2.

Obserua in hoc capite ad textũ 73. Philosophicum illud axioma. Generatio vnius est corruptio alterius: hoc est rata stabilique naturę lege, vnius rei interitum alterius generatio excipit. Quod vsurpauit etiam in eandem sententiam Aristoteles capite 3. libri primi de ortu, & interitu, vbi eius veritas ex professo declaratur, examinaturque.

QVÆSTIO I.

POSSIT NE VIRIBVS NATVRÆ dari in rebus infinitum, an non.

ARTICVLVS I.

INFINITI NOMEN MVLTIpliciter accipi.



PROPOSITAM quæstionem ab infiniti acceptionibus commodè auspicabimur. Præter eam igitur notionẽ, qua id infinitum dicitur, quod omnigenam in se perfectionem cohibet, quæ infinitas in solum Deum Opt. Max. conuenit; aliæ quoque traduntur à Philosophis, quas Aristoteles cap. 4. huius lib. & D. etiam Damascenus in suis Physicis cap. 11. D. Tho. 1. part. quæst. 7. art. 4. Henricus Gandauensis 2. parte suæ summæ art. 44. quæst. 2. alijque nonnulli recensent. Cæteris tamen omissis, infinitum, quod ad præsentem locum attinet, bifariam dicitur, videlicet infinitũ actu & potestate. Rursus infinitum actu duplex est, vnum quod propriè infinitum censetur, appellaturque ab Aristotele ἀφωρισμενον, à recentioribus Philosophis infinitum categorematicè. Aliud, quod impropriè infinitum actu dicitur. Infinitum actu priori modo est, quod actu continet infinitas partes æquales vni certæ, non communicantes inter se, simulque existentes. Diximus, æquales, quia in qualibet finita magnitudine insunt infinitæ partes proportionales, quæ tamen æquales non sunt. Addidimus, æquales vni certæ, quia in quauis magnitudine finita cõtinentur infinitæ partes æquales, non tamen vni certæ. Continentur enim duæ medietates æquales inter se, & tres tertiæ inter se item æquales, & quatuor quartæ, atque ita in infinitum. Verùm hæ non sunt vni certæ æquales, vt planum est. Adiecimus, non communicantes, quia cubitus habet infinitas partes æquales vni certæ, cõmunicantes tamen inter sese. Nam si quis duos palmos designet; deinde medietatem posteriorem ex primo palmo, & priorem ex secundo accipiat; efficiet vnũ palmũ cum vtroque communicantem. Rursus verò si vltimam quartã ex primo palmo sumat, & tres priores quartas ex secundo, identidem alterum

Greg9 in 1. d. 2. q. 2. ar. 1.

Infinitũ bifariam sumi.

Infinitum actu, propriè infinitum.

alterum palmum conficiet, cum vtroque tamen communicantem, ficque in infinitum. Additum eſt, ſimul exiſtentes, ad excludendum tempus & motum, quæ etſi ab æternitate fuiſſent, vt Ariſtoteles falsò putauit; quia tamen haud conſtarent partibus ſimul cohærentibus, infinita actu non eſſent. Infinitum actu impropriè dictum eſt id, quod continet actu infinitas partes, quæ tamen ordinem inter ſe non habent, vt primæ, ſecundæ, tertiæ, & ſic deinceps, atque ad conſtitutionem vnius rei finitæ pertinent, vt infinita multitudo punctorum in linea. Aliud infinitum actu ſed impropriè.

Infinitum poteſtate illud eſt, quod ex infinitis partibus coaleſcit, non tamen eo modo, quo infinitum actu. Hoc verò triplex eſt, nempe infinitum ſucceſsione, diuiſione, adiectione. Infinitum ſucceſsione eſt id, quod licet infinitas partes vni certæ æquales vendicet, non eas tamen ſimul habere poteſt, vt motus, & tempus, ſi initio caruiſſent. Infinitū diuiſione eſt quælibet magnitudo, quæ per partes proportionales diſſecari poteſt, ita vt diuiſio nullum ſit exitum habitura. Infinitum adiectione eſt, quod poteſt infinitè augeſcere, vt numerus acceſſu vnitatum, & magnitudo additione partium ex alterius magnitudinis diſſectione. Porro dicuntur hæc poteſtate infinita, quòd perfectum actum & abſolutionem ſortiri nequeant, vt ex dictis patet. Infinitū poteſtate triplex. Succeſsione. Diuiſione. Adiectione.

ARTICVLVS II.

QVIBVS ARGVMENTIS PROBARI videatur poſſe naturæ viribus dari infinitum.

DVO potiſsimum diſputari hoc loco à Philoſophis ſolent. Vnum, ſit ne aliquid actu infinitum, vel eſſe queat per naturam. Alterum num id diuina ſaltem virtute effici poſsit. Vt igitur à primo ordiamur, quòd multa infinita in rebus naturæ dentur, his argumentis conabitur quiſpiam ſuadere. Primò, eſſe finitum, vel infinitum eſt affectio quantitatis, vt Ariſtoteles cap. 4. huius lib. text. 24. docuit: ergo ne altera huius diſiuncti pars vacet: vtraque quantitati conueniet: atque ita dabitur quantitas aliqua infinita. 1. argum.

Secundò. In magnitudine vnius palmi inſunt duæ lineæ extremæ A. B. vnius palmi, & inter eas cadunt aliæ pari lõgitudine, quæ neceſſariò erunt infinitæ, cùm copulent infinitas partes proportionales intermedias. Igitur dantur in magnitudine infinitæ partes nõ communicantes, æquales vni certæ, atque adeò infinitum actu. Adde quòd omnes eiuſmodi lineæ ſunt æquales lineis alterius magnitu- 2. argum.

dinis

dinis pedalis, idque per relationem realem æqualitatis. Quo fit vt non solum detur actu infinitus numerus linearum, sed etiam relationum.

3.argum. Tertiò. Sit corpus lucidum A. quod momento aliquid luminis traijciat in corpus B. sibi oppositum. Deinde tempore proximè insequenti progrediatur idem A. versus B. paulatim in eo lucem intendens (siquidem, vt constat ex 21. & 26. primi perspectiuæ, luminosum, quo propinquius est opaco, eo vberiore luce tum intensiuè, tum extensiuè ipsum illustrat.) in fine horæ erit in corpore B. infinita lux; ergo viribus naturæ dabitur infinitum. Proxima assumptio inde suadetur, quia A. cùm in quolibet puncto temporis vicinius sit ipsi B. in quolibet lucem augebit. Atque ita cùm per infinita instantia nouam semper lucem intulerit; sequitur B. perfecto motu habere in se infinitas partes luminis, quæ qualitatē actu infinitam reddant.

4. argum. Quartò. Deus potest efficere non tot, quin plures species belluarum magis, ac magis perfectas, quarum tamen nulla ad humanæ speciei dignitatem, & perfectionem attingat. Igitur species humana cohibet actu infinitam perfectionem. Assumptum in progressu huiusce tractationis de infinito accuratiùs à nobis confirmandum est. Interim breuiter ex eo suadetur, quia id nullam contradictionem inuoluit. Consecutio verò probatur, quia quicquid innata perfectione superat non tot, quin plura, quorum vnumquodque aliquo perfectionis gradu aliud excedit; videtur in se infinitos gradus perfectionis actu includere.

5.argum. Quintò. Generationes hominum secundum Aristotelem fuerunt ab æterno; ergo cùm noster animus immortalis sit, erunt nunc ex Aristotelis sententia infinitæ animæ actu.

ARTICVLVS III.

QVAESTIONIS DISSOLVTIO.

1.assertio. QVid tamen hac in re sentiendum sit, nonnullis assertionibus aperiemus. Prima sit. Non potest viribus naturæ dari in rebus infinitum actu, priori modo. Hæc assertio, quam Aristoteles contra Anaxagoram, Anaximandrum, Xenophanem Colophonium, Seleucum, atque alios infiniti assertores, tum hoc loco à text. 40. vsque ad 56. tum 1. de cœlo cap. 5. à text. 33. vsque ad 76. ostendere conatus est, hunc in modum confirmari potest. Ac primum, quod nullum detur corpus infinitum. Nam omne corpus physicum naturaliter cieri potest, vel motu recto, vt corpora grauia & leuia; vel in orbem, vt sphæræ cœlestes; sed corpus infinitū neutro modo valet motum subire; ergo nullum eiusmodi infinitum in

Nō dari corpus infinitū

natura

natura datur, dari ue potest. Assumptio quoad priorem partem suadetur; quia si corpus infinita mole in omnes partes diffundatur, omnem locum occupabit; ac proinde nequibit motu recto cieri, cùm nihil spatij, quò vergat, ei suppetat. Si verò omni ex parte infinitum non sit, sed v.g. ad Orientem duntaxat, neque etiam tunc recto motu ferri poterit; quia neque versus orientem, cùm ea ex parte omne spatium occupet, neque versus occidẽtem, quia deseret aliquid eius spatij, quod Orientem versus tenet, atque ita sequitur versus eam partem occupare & non occupare infinitum spatium. Non potest igitur recto motu agi. Secunda pars eiusdem assumptionis, quod nimirum neque in orbem agitari posset, suadetur. Priùs tamen sumendum est ex Geometrica disciplina, vt videre est apud Euclidem lib. 3. propositione. 26. omnes lineas rectas ductas à centro eiusdem circuli, quò ab eo longiori tractu disident, eò à se ipsis longiùs distare, ac proinde si infinitè distent à centro, inter se quoque infinito interuallo sine peripheria vlla abiunctas esse. Hoc posito iam hunc in modum institutum probatur. Si infinitum corpus in orbem volueretur, ductis ab eius centro duabus lineis A. B. & in diuersas partes infinitè porrectis, motu progrediente, tandem vna ad alterius locum perueniret; sed inter illas est infinita spatij intercapedo, vt ex hypothesi liquet; posset igitur infinita distantia finito tẽpore percurri, quod absurdum est.

Quia nec potest mouere motu recto.

Nec circulari.

Euclides.

Consule D. Tho. 1. p. 97. art. 3.

Rursus quòd neque vna aliqua moles infinita, nec infinita corporum multitudo possit effici à natura ostenditur. Vel enim natura eiusmodi infinitum extra cœlum conderet; vel sub cœli ambitu. Non extra cœlum, quia ibi nihil est; natura verò ex nihilo nihil efficit. Non sub cœli ambitu, quia finitospatio nequeunt corpora infinita concludi; non potest igitur natura vllam corporum infinitudinem moliri.

Alia eiusdem rei probatio.

Præterea quòd nulla substantia creata infinitam habeat essentiam, hac ratione concluditur. Omnis substantia creata vel est materia; vel forma seu in aliquo recepta, seu per se omnino cohærens; vel est compositum ex materia & forma. Si est materia, satis patet finitum quid esse; cùm materia sit pura potentia, ac prope nihil: si forma in aliquo recepta, finitur per subiectum quod informat: si non recepta, circunscribitur, ac terminatur ipso intrinseco limite sui esse, quod necessariò est finitum; cùm sit aliunde participatum & acceptum, nimirum à prima causa, vt à fonte totius esse: si compositum ex materia & forma; non potest non esse finitæ essentiæ; siquidem nullum infinitum ex solis finitis constat. Igitur nulla substantia creata habet essentiam infinitam.

Nullam dari substantiam creatam infinitę essentię.

Postremò quòd nec vlla qualitas, nec alia eiusmodi rei creatæ affectio infinitè perfecta sit, ex eo conuincitur; quia affectiones respondẽt essentiæ, quæ in qualibet creatura finita est, & circunscripta, vti nunc ostendimus. His accedit testimonium sacræ paginæ, quæ

Nullam esse affectionem rei creatę infinitè perfectam.

quæ Sapientiæ.11.nos docet,omnia Deum in numero, pondere, & mensura feciſſe.

2.assertio. Secunda assertio. Infinitum actu posteriori modo datur in rerum natura. Hæc assertio ex ipsa ratione infiniti hoc modo accepti colligitur,estque duntaxat probabilis; quia,vt sexto huius operis libro ostendemus, probabile est dari actu in linea infinitam multitudinem punctorum, quibus infinitæ partes proportionales lineæ copulentur.

3.assertiō. Tertia assertio. Infinitum potestate primo modo non datur in rerum natura,daretur tamen, si motus & tempus ab æternitate extitissent; vtrum verò existere potuerint,in 8. libro disquiremus.

4 assertio. Quarta assertio. Infinitum potestate secundo & tertio modo potest,vtcunque in rebus naturaliter dari. Hæc probatur,quia magnitudo,vt in 6.lib. demonstrat Aristoteles cui assentitur D. Augustinus 11.de Trinit.cap.10. & in epistola ad Nebridium est diuidua in partes infinitas,quæ dum magnitudinem secant,numerum augent, qualibet earum nouam vnitatem aduehente,atque ita potest simul, & magnitudo sine exitu diuidi,& numerus sine termino augescere.

Quomodo intelligendū magnitudinē esse diuisibilem in infinitum. Diximus istiusmodi infinitū vtcunque dari posse, quia eatenus tantùm existimandum est magnitudinem in infinitum sectilem esse, quatenus ei secundum se duntaxat,& Mathematico more spectatæ, non repugnat infinitè dispertiri, simpliciter namque haud posse infinitè diuidi,ex eo perspicuum est, quia quantitas necessariò inhæret rei naturali: res autem naturales certum vendicant terminū quantitatis versus minimum. Quo fit,vt nec ipsæ,nec earum quantitas in minores partes sine termino sectionem ferant, vt aduertit D. Tho. in quæstionibus de potentia q.4.art.1.in solutione 5.arg. Adde,præter hæc, alia quædam potestate infinita dari posse, vt cognitiones angelorum,& animarum rationis participum, quæ infinita æternitatis duratione non tot quin plures futuræ sunt.

ARTICVLVS IIII.

DILVVNTVR ALIQVOT OBIECtiones circa ea, quæ proximo articulo continentur.

VT ea,quæ proximo articulo tradita fuere, cumulatiùs percipiantur,obiecta quædam diluemus. Ac primum aduersus rationem, quæ probabat non posse infinitum corpus circumagi, quæ petita est ex Aristotele 1.de cœlo cap. 5. text. 35. oppo-

Obiectio Xenarchi cōtra rationem Aristotelis. suit Xenarchus ineptè iussum fuisse ab Aristotele duci à centro, seu medio infiniti lineas rectas,quandoquidem centrum definitur id, à

quo

quo lineæ ad peripheriam ductæ, sunt æquales, quod in corpore infinito dari non potest, cùm principij, & finis expers sit. Secundo. Contra eandem rationem hunc in modum obijcitur. Linea recta, vt docet Euclides 1. lib. definitione 4. est, quæ duobus punctis terminatur. Igitur perperam in eo argumento iubemur rectam lineam in infinitum porrigere. Tertiò. Infinitum nullis limitibus circunscribitur: igitur spatium interceptum inter duas lineas à centro ductas, infinitum esse non potest. 2. obiectio. 3. obie.

Deinde quartam assertionem sic aliquis oppugnabit. Non potest quælibet magnitudo diuidi in infinitum per partes inæquales eiusdem proportionis. Igitur non datur infinitum potestate, secundo & tertio modo. Probatur assumptum, quia si vtrobique essent infinitę, nõ plures partes essent in magnitudine bipedali, quàm pedali; quod non videtur admittendum. Item Aristoteles hoc in lib. c. 6. text. 60. docuit & si per diuisionem continui quacunque eius parte data possit dari minor; non tamen per additionem quacunque magnitudine posita maiorem dari posse. Hinc sic licebit argumẽtari. Vel Aristoteles eo loco agit de magnitudine Physica, vel de Mathematica. Non de Physica; hæc enim in infinitum secari nequit; ergo de Mathematica; atque adeò secundum Peripateticam doctrinam quantitas Mathematica non potest infinitè augeri, cuius oppositũ in nostra assertione continetur. 1. obiectio cõtra 4. concluſ. 2. obie.

Ad primam superiorum obiectionum contra rationem Aristoteli-cam, dicendum est in corpore infinito quodcunque punctum vicem medij, atque centri obtinere. Non quidem positiuê, quasi æqualiter distet ab extremis, cùm in infinito extrema non dentur; sed negatiuè, quia, docente Aristotele 2. lib. Metaph. cap. 2. text. 6. in infinito nullum punctum designari potest, quod magis vergat ad vnum extremum, quàm ad aliud; ob eandem scilicet rationem, quia omni termino caret. Huiusmodi verò centrum negatiuum ad institutum comprobandum sat est. Nam à quocunque puncto, lineæ sine termino perrexerint, infinitum inter se spatium relinquent, quod tempore finito conficiatur. Ad secundam, illam lineæ definitionem, non in omnem lineam, sed in eam duntaxat, quæ finita est, conuenire. Ad tertiam, lineas in infinitum porrectas à centro, distare & non distare abse infinitè; distare, quia sine termino extenduntur; non distare, quia sunt termini vtrinque includentes superficiem, quæ inter illas cadit, & quia ipsamet includuntur ex vtroque latere alijs lineis; quæ inclusio est prorsus contra rationem distantiæ infinitæ. Verùm hãc implicationẽ sequi ex hypothesi dati infiniti. Resp. ad 1. obiect. cõtra rat. Ad 2. Ad 3.

Ad primam verò earum obiectionum, quæ quartam assertionem oppugnabant; negandum est, quod assumit, & ad eius confirmationem dicendum totidem partes in maiori, & in minori magnitudine reperiri; nec debere id mirum videri: cùm ea sit continui natura, vt diuidendo absolui non possit; alioqui constaret ex Refutatio primę contra 4. assert.

indiuiduis partibus, sicque continuum non esset. Verùm hoc est inter maiorem, & minorem magnitudinem discrimẽ, quòd illa in ampliores, hæc in minores partes diuidatur. Ad 2. aduertendum in primis est, cùm Aristoteles ait vnam magnitudinẽ ex diuisione alterius non posse infinitè accrescere; non negare posse prædictam magnitudinem magis, magisque cumulari, ita vt sine termino se ipsa maior euadat; sicut enim infinitè vna diuiditur; sic & altera augetur, cùm vnius diminutio in alterius cedat incrementũ: sed tantùm docere ex partibus à magnitudine v.g. pedali dissectis non posse assurgere molem infinitam, aut quacunque data maiorẽ; quãdoquidem amplior, quã pedalis effici ex ea nõ potest, alioqui partes toto maiores essẽt. Hoc posito cùm magnitudo dicitur ab Aristotele in infinitum posse diuidi, non tamen posse in infinitũ augeri, id de magnitudine Mathematica, certa tamen & definita, & de incremento secundum posteriorem sensum intelligi debet, quasi dicat posse magnitudinẽ pedalem diuidi in infinitum, non tamen infinitam molem posse ex ea fieri.

Quę magnitudo possit in infinitum secari, non tamen in infinitũ crescere.

ARTICVLVS V.

EXPLICATIO ARGVMENTORVM, quæ astruere nitebantur dari vi naturæ infinitum actu.

Sol. 1. argu. 2. art.

NVnc ad argumenta, quæ secundo art. ad probandam infinitudinem adduximus, respondeamus. Ad primum dicimus finitum vel infinitum non iccirco passionẽ quantitatis appellari, quòd aliquâ detur quantitas infinita, sed quia si infinitum in rebus physicis daretur, id in quantitate inesset, quo fit vt neutra pars illius disiuncti, simpliciter redũdet. Alij è quibus est Scotus 2. Metaphy. q. 6. respondent affectionẽ quantitatis esse, finitum vel infinitum actu, seu potestate, licet autem infinitum actu non sit, potestate tamen esse ad eum modum, quem superiùs declarauimus.

Finitum vel infinitũ quo modo sit passio quantitatis.

Sol. 2. In magnitudine datur vna tantum linea actu.

Ad secundum in qualibet magnitudine non dari actu infinitas lineas discretas; sed vnam duntaxat punctorum nexu vndique sibi cohærentem, quæ licet in magnitudine vnius palmi habeat infinitas partes palmares, vt in argumento assumitur: eæ tamen non sunt simpliciter plura entia: siquidem illa duntaxat absolutè plura dicuntur, quorũ vnũquodq; est indiuisum in se, & diuisum à quouis alio; quod tamẽ neq; lineis, neq; alijs partibus magnitudinis cõuenit, cũ sint in toto indiscretè, & indistinctè, & insuper vnũ quid tertiũ finitũ, videlicet vnã certã & circũscriptã magnitudinẽ cõponant. Sed obijciat aliquis, si Deus produceret candorem constantem actu infini-

D. Th quod. lib. 2. q 2. art. 2. Capr. in 1. d. 43. q. 1. ar. 2.

Infinitis partibus vni certæ æqualibus,ac non cõmunicantibus,eum candorem haud dubiè futurum actu infinitum,esto illius partes non essent absolutè plura entia,sed eo pacto quo infinitæ lineæ in magnitudine pedali. Quare exeo, quod lineæ non sint actu plura entia, non adimi rationem infinitudinis. Occurrendum tamen,diuersam omnino esse rationem in lineis pedalis magnitudinis, atque in gradibus infiniti candoris. Lineæ namque ita sunt in magnitudine per modum vnius, vt componant aliud quid finitum , nimirũ pedalem magnitudinem:at infiniti gradus cãdoris nõ ita se haberent,quia non constituerent aliud tertium finitum , vt planum est. Ad appendicem eiusdem arg.respondendum est cum Capre. in 1.d.30.art.1. relationes illas æqualitatis inter infinitas lineas non esse reales , sed rationis,quia nõ sunt inter extrema,quæ sint entia actu plura,idest, indiuisa in se,& diuisa à quocunque alio.

Lege Gregorium in 1. d. 17.q.4.art.2.

Ad 3.dicendum,postquam luminosum.A.primo temporis punSol.3.
cto ad corpus.B.lumen explicuit,augere in eo (in facto esse tamen) lumen cæteris punctis horæ insequentis,qua adillud magis,ac magis appropinquat,eo modo,quo ipsum illuminationis tempus singulis instantibus maius iam est,quàm in quolibet instanti præcedenti fuerat. Verùm vt totum illud tempus non excedit mensurã finitã v.g. vnius horæ, ita lumen in fine horæ productum non nisi definitorum graduum esse posse. Enim verò infinita momẽta horæ non transeunt immediatè,secũdũ post primũ,deinde tertiũ,sicque deinceps: sed post quodlibet sequuntur immediatè infinita pertinentia ad tẽpus ipsum,quod immediatè post quoduis instans sequitur,atque ita transuolant per modũ vnius finiti temporis, cuius sunt partes,proindeque eorum præteritio nequit arguere infinitum incrementum in forma, quæ per illa omnia eo modo, quo diximus, augebatur.

De lumine producto à luminoso paulatim incedẽte.

Ad quartum concesso antecedente,neganda est consecutio,& ad Sol.4.
eius probationem dicendum,licet humana natura omnes belluarum species,quæ produci à Deo possunt,dignitate vincat,non eas tamen ita exuperare, quasi vnam vno gradu, aliam alio,atque ita infinitas infinitis excedat,sed ita vt supra omnes diuersitate excellentioris naturæ emineat,vt alibi iam in hoc opere planius docuimus.

Cap.1. lib.1. quæst.2. art.4.

Quinto argumento Algazellus & Auicenna manus dedere, nec Sol.5.
absurdum putarunt concedere infinitum in rebus , quæ inter se ordinem non habent. Id enim est infinitum peraccidens. Alij censuerunt animum hominis Aristoteli mortalem esse,vt Plutarchus cap. primo libri quinti de Placitis Philosophorum, Alexander Aphrodisiensis in suis Commentarijs de anima, Iustinus Philosophus & Martyr in Paræneſi , D. Gregorius Nazianzenus, & Nyssenus hic in lib. de anima,ille in disputatione contra Eunomium,alijque nonnulli. Sed neutra harum solutionum placet. Non prima,

Algazellus,& Auicenna cõcesserunt actu infinitas animas.

quia in nullo rerum genere infinita multitudo actu est, essevè poteſt, saltem viribus naturæ, vt in progressu planius fiet. Non secunda, quia vt in libris de anima ostendetur, verisimilius est non latuisse Aristotelem animi nostri immortalitatem. Sunt qui ad Palingenesiam, & Pythagoricas fabulas confugiant constituentes certũ animorum nostrorum numerum, qui nũc cœlestem vitam, nunc mortali huic corpori immersam viuant, & in alia atq; alia corpora trãsmigrent. In qua sentẽtia ex infinitis hominum generationibus, animorum infinitas non arguitur. Sed ab hoc etiam errore alienã fuisse Aristotelis doctrinam eodem loco patebit.

Pythagorica reciprocatio animarum.

Lege Plotinum Enn. 4. lib 8. Philostratum in vita Apollonij, Laertium in Pythagora, Porphyrium in lib. de abstinẽtia, Plutarchum in orationibus de esu carnium D. Greg. Nyss. lib. 2. de homine c. 7. & 8. D. Nemesij de homine. c. 2. Plinius lib. 33. cap. 10. Greg. Naz. in oratione ad Episc. 150.

Quid igitur in præsentia dicendum? Nempe vel Aristotelem infinitum in rebus immaterialibus concessisse; non rectè. Ad quã interpretationem inclinare videtur D. Tho. 2. contra gentes cap. 81. etsi inibi asserat non satis constare quid huic argumento Aristoteles responderet. Vel sanè Aristotelem pugnantia dixisse; cùm generationum æternitatem induxit, & animarum infinitudinẽ negauit. Ex quo fortasse effectum est, vt suam ille de immortalitate animæ sententiã disputationũ ambage implicuerit, & quasi alter Zeuxis Agamemnonem pallio obuoluerit, seu potiùs, vt quidã inquiunt, quasi sepia atramento aspersit, ne caperetur.

Nodus inexplicabilis in doctrina Aristo.

QVÆSTIO II.

POSSIT NE INFINITVM ACTV diuina virtute produci, an non.

ARTICVLVS I.

PARTIS AFFIRMATIVÆ ARGVMENTA.

HVIVSCE controuersiæ affirmantem partem defendunt Gregorius in 1. d. 43, q. 4. Aliacensis d. 42. q. 13. art. 3. Ochamus quodlibeto 2. q. 5. & in 2. q. 8. Argentinas d. 1. q. 2. art. 4. Maior & Almainus in 3. d. 13. q. vnica, alijq; permulti. Quæ sentẽtia hisce potissimũ argumẽtis probatur.

Baconus in 2. d. 1. q. 6. Mairones in 1. d. 43 Bassolius eadẽ d. q. vnica.

1. arg. Primò infinitę potẽtiæ respõdet infinitus effectus, siquidẽ quo potentia maior est, eò plura potest, & infinitudo potẽtiæ ex actu æstimatur; sed Deus habet infinitam potentiã. Igitur potest infinitum aliquid efficere. Huc pertinet, quod non minoris dignitatis est diuinus intellectus, quàm voluntas diuina. Quare cùm intellectus diuinus infinita cognoscat; poterit etiam voluntas infinita velle; & ex consequenti infinita producere.

2. arg. Secũdò. Magnitudo, cui⁹ De⁹ ideã habet, quęq; diuino intellectui

vt

vt producibilis obijcitur, nullis limitibus est coercita; alioqui designari posset magnitudo, qua Deus maiorem procreare non posset, quod à vero abest. Igitur magnitudo à Deo producibilis, est actu infinita.

Tertiò. Maior est diuina potestas, quàm vis infinitorum ignium, si essent; at si essent infiniti ignes possent infinitas cõbustiones edere; ergo easdem poterit Deus se solo efficere. 3. arg.

Quartò. Si Deus necessitate naturæ ageret, produceret infinitũ; ergo idem nunc, si velit, producet, cùm eius potentia re ipsa minor non sit, quàm in eo statu foret. Probatur assumptum, quia tunc exprometeret quantum maximum suæ potentiæ conatũ, actuque constitueret in natura rerũ nõ tot, quin plura, atque adeò infinita simul. 4. arg.

Quintò. In cõtinuo sunt infinitę partes proportionales; sed Deus potest eas omnes separatim conseruare; ergo & infinitum actu efficere. Maior propositio patet, minor probatur. Nam quicquid Deus conseruat interuentu causæ secundariæ, quæ non est de essentia rei, potest ipse per se immediatè cõseruare, atqui Deus conseruat in cõtinuo partes proportionales interuentu vnionis earundem inter se, quæ vnio non est de ipsarũ essentia; potest igitur easdẽ sine vnione conseruare. 5. arg.

Sexto. In quolibet momento huius horæ potest Deus creare vnum angelum, & vnum lapidem; igitur cùm in fine horæ transacta fuerint infinita momenta, creati erunt à Deo infiniti angeli, & infiniti lapides. Idem argumentum confici potest, posito per diuinam potentiam motu cœlesti ab æterno; tunc enim posset Deus in quolibet die vnum angelum, & vnum lapidem, aut hominem creare, quo concesso, sicuti iam nunc effluxissent infiniti dies, ita essent actu infiniti angeli, & infiniti lapides, vel homines. 6. arg.

Septimo. Efficiat Deus hoc puncto temporis quàm multa in eo potest efficere, tũc rogo, vel eiusmodi res à Deo effectæ, finitæ sunt, vel infinitæ, finitæ esse nequeunt, quia sequeretur non posse Deum vltra finitam multitudinem aliquid efficere. Erunt igitur infinitæ. Quare diuina potestate poterunt simul infinita in rerum natura cõstitui. 7. arg.

ARTICVLVS II.

ARGVMENTA PARtis negatiuæ.

Capreolus & Hispalesis in 1.d.43.q.1. Caietanus 1 p.q. 7.art.3. Ferrariensis 1. cõtr. gent c.81. Bargius in 1.d.8. q.2 Marsil. in 1.q.42. arti 3. Soto quęst. vl. huius lib.

QVod verò nullum infinitũ à Deo effici possit arbitratur D. Tho. 1.p.q.7. quodlib.9.art.1. & quodlib.12. art.2. D. Bonauent. in 1.d.43.q.3. Richardus q.5. & 6. Dur. q.2. Scotus in 2.d.1.q.3. & pleriqúe alij. Ad quã sententiã confirmandam hæc potissimum afferri solent argumenta. Si non repugnat produci infinitum, Prima ratio.

finitum, producat Deus in aliquo rerum genere, vt aduersarij argumentabantur, totum, quod potest (nec enim illud erit plusquã infinitum) verbi gratia, tantam molem corporis, aut tot angelos, aut tot gradus gratiæ, quot potest. Tunc, vel ijs productis potest adhuc Deus plura efficere; vel non? Si detur primum, sequitur contra hypothesim Deum non produxisse omnia, quæ poterat. Si secundum, admittendum erit illis productis exhaustam fuisse diuinam potentiam, ita vt iam ne vnum quidem angelum, aut gradum vnum gratiæ queat producere, quod absurdum est. Non potest igitur infinitum à Deo effici.

2. ratio. Item contradictionem implicat totum exæquari parti: cùm omne totum sua parte maius esse, vnum sit è primis principijs; atqui id absurdum sequeretur ex infinita multitudine. Nullo igitur pacto ea dari potest. Probatur assumptio. Nam binarius est pars quaternarij, in multitudine autem infinita tot essent quaternarij, quot binarij; cùm vtrique sint infiniti; & infinito nihil sit maius.

3. ratio. Præterea quicquid Deus efficit, necessariò sub certa intentione, & ad aliquem vsum, ac finẽ efficit, alioqui temere & frustra ageret; sed quicquid eo modo à Deo producitur, aut produci potest, finitum est; cùm infinitum nec ad certam intentionem referri queat, nec vllum rebus vsum, aut bonum afferre valeat. Non potest ergo infinitum à Deo procreari.

4. ratio. Et hæ quidem rationes infinitum vniuersè tollunt. Nunc aliæ, quæ infinitorum genera particulatim demoliantur, afferendæ sunt. In primis, quod nulla quantitas infinita esse possit, ita concluditur.

Nõ posse dari quantitatẽ infinitam. Non magis repugnat existere naturam aliquam genericam, quæ nõ sit per differentias specificas determinata; quàm existere quantitatẽ; quæ non sit definita & contracta per aliquam speciem & mensuram quantitatis; sed ita se haberet quantitas infinita; nec enim esset bicubita, aut tricubita, alteriusvè speciei; ergo eã esse omnino repugnat.

5. ratio. Nõ posse dari corpus physicum infinita mole. Deinde quod nullum corpus physicum infinita mole præditum dari queat, ea ratione ostenditur; quia eiusmodi corpus posset, ac nõ posset moueri; posset, quia esset ens naturale; non posset, quia sequerẽtur incommoda explicata ad initium articuli tertij superioris disputationis; quæ, si rectè inspiciantur, non solùm valent ad probandum non dari re ipsa infinitum; sed nec vlla vi dari posse, cùm ad repugnantiam & contradictionem deducant.

6. ratio. Nõ posse dari magnitudinem infinitè extensã versus orientem. Rursus idem hunc in modum suadetur. Efficiat Deus magnitudinem aliquam infinitè extensam hinc versus orientem. Deinde coniungat inter se, & coaceruet omnes illius partes infigurã rotundam. Hoc dato huiusmodi partes efficient, ac non efficient infinitam molem versus omnes loci differentias; quod contra dictionem inuoluit. Non potest ergo prædicta magnitudo dari. Probatur assumptio; Nam quod efficere debeat infinitã illam magnitudinem patet; quia quod vndequaque continet infinitas partes æquales vni certæ;

&

& non communicantes, id versus omnem locum est infinitum quod eam efficere nequeant, ex eo perspicuum est, quia partes illæ non occupant nunc maiorem locum, quàm antea; siquidem noua illa copulatio nullum eis attulit incrementum.

Nõ posse dari infinitam multitudinẽ rerum materialium.

Ex dictis constat non posse dari virtute diuina multitudinem rerum materialium actu infinitam. Etenim cùm ex infinita corporum multitudine, infinita magnitudo conflari queat; eadem ex illa, quæ ex hac, contradictio colligetur. Sed idem ampliùs hoc pacto ostendi solet. Creet Deus infinitos homines, quorum singuli habeãt singulos aureos duntaxat. His creatis sequitur vnumquenque, nullo excepto, posse ex illo aureorum numero decem sibi aureos vẽdicare, ita vt singuli aureos denos habeant, cùm antea non nisi singulos haberent: quod omnino repugnat. Probatur consecutio. Namque auferat Deus simul ab illis hominibus, omnes aureos, & in vnũ cumulum congerat: deinde ex eo cumulo reddat singulis denos. Tũc, vel illi aurei sufficient, vt quilibet obtineat decem; vel non. Si sufficient, habetur, propositum; si non sufficient, sed in aliquo tandem finientur, sequitur prædictos aureos non esse infinitos, quod repugnat hypothesi. Igitur vel dicendum fuit productionem infinitorũ hominum cum singulis aureis inuoluere contradictionem; vel singulos posse habere denos aureos, nullo denuo producto; quod non minùs repugnat.

7. ratio.

8. ratio.

Nõ posse dari infinitam multitudinẽ rerum materię expertiũ.

Quod autem contradictionem implicet dari multitudinem substantiarũ materia carentium, ita probatur. Creet Deus infinitos angelos in spatio decem cubitorum, qui se applicent ad mouendũ lapidem per idem spatium; sequitur eos posse mouere & non posse mouere lapidem. Non igitur creari poterant. Consecutio ostenditur, in primis quod possent mouere; quia haberent ad id motricem virtutem. Deinde quod non possent; quia applicarent impulsum infinitum, atque ita momento traijcerent lapidem per totum illud spatium, proindeque non mouerent, cùm motus necessariò tempus consumat, vt 6. lib. patebit. Erit tamen qui obijciat parum firmã videri hanc rationem; quia licet illa infinitorum angelorum collectio infinitam vim motricem obtineret, non proinde infinitũ ederet impulsum, sed finitum; qualem etiam nunc Deus impendet, si velit lapidem mouere; etsi alioqui infinitam vim ad mouendũ habeat. Occurrendum tamen diuersam esse rationem in Deo, atque in angelis. Namque potentia motiua angelorum cùm suapte natura ad actũ mouendi ordinetur, sicuti & cæteræ vires creaturarum ad proprios actus, si virtus illa infinita posibilis est, posibilis quoque erit actus, ad quem ordinatur; & è contuerso, si is imposibilis sit, & illa etiam imposibilis erit. At vis diuina non ita se habet; nec enim ad motum ordinatur; cùm nullum attributũ diuinũ propter creaturas tanquam propter finem sit, vt luce clarius est.

Dilutio.

Discrimẽ inter virtutem motiuam diuinam, & inter virtutem motiuam infinitorũ angelorum.

Tandem quod nulla qualitas nullumvè aliud accidens infinitè

9. ratio.

inten-

Nõ posse dari vllam qualitatem infinitè intensã.

intensum à Deo produci queat, ostẽdi potest ratione illa, qua paulò supra vsi fuimus ad euertendam infinitudinem hominum habentium singulos aureos. Efficiat enim Deus candorem infinitum hoc modo; productis infinitis lapidibus, quorum singuli singulos habeant gradus candoris; eos omnes gradus in vno lapide constituat; tum rursus ex ijs in vnum cõiunctis, vnicuique lapidi denos gradus impertiat. Vel ij gradus sufficient, vt singulis lapidibus deni attribuantur, vel non & cæt.

2o. ratio.

Speciatim verò, quod qualitas actiua infinitè intensa creari nequeat, ex eo ostenditur, quia posita, verbi gratia, infinita grauitate in lapide, posset simul, ac non posset lapis moueri, vt disputat Aristoteles 1. de cœlo cap. 6. Posset, quia esset corpus mobile; nõ posset, quia decurreret spatium in instanti. Etenim quo mobile grauius est, eo velociùs, ac breuiori tempore fertur, proindeque si infinita grauitate polleat, infinita velocitate feretur, atque adeò in vno pũcto temporis, quod naturæ motus repugnat, vt superiùs de motu lapidis ab infinitis angelis efficiendo argumentabamur.

ARTICVLVS III.

PARS NEGATIVA PRÆFERTVR, ET dissoluuntur argumenta affirmatiuæ; licet ea quoque probabilis iudicetur.

Auerroes.

Auicenna.

IN hac graui, & difficili cõtrouersia negatiua pars præferenda est, tum quia firmioribus nititur argumentis; tum quia eam melioris notæ Philosophi amplexi sunt, vt ex collatione eorum, quos vtrinque citauimus, constat. Quin verò Cõmentator in opere, quod inscribitur Destructio destructionum disputat. 1. ad dubium 7. Impossibile, inquit, est apud omnes Philosophos dari infinitum actu, siue corporeum, siue incorporeum; ac nemo sapientum intelligere hoc potuit, nisi Auicenna (excepit autem Auicennam; quia admisit dari actu infinitas animas rationales innixus errore existimantium generationes fuisse ab æterno, simulque certissima veritate confitẽtium animam nostram immortalem esse) in huiusmodi autem causa vel maximè spectanda est, præter momenta rationum, auctoritas.

Præstantissima quæq; ingenia iudicarunt impossibile infinitum actu in natura creata.

Nam si grauissima quæque ingenia non potuere concipere infinitũ actu in rebus creabilibus habere rationẽ entis veri, & factibilis, certè magnum est argumentum, ita esse; licet id perspicuis rationibus non conuincatur. Nihilominùs quia affirmatiua etiam pars suam habet probabilitatem, & assertores non ignobiles; ac præsertim, quia nullo argumẽto palam reuincitur, vtriusque partis rationes diluemus, vt quam quisque voluerit tuerit possit.

Vtranq; partem probabilẽ censet Gabriel in 2.d. 1.q 3.

Ad

Ad primũ eorũ, quæ pro parte affirmatiua adduximus, reſpõdẽdũ eſt cũ D. Thoma 1. p. q. 25. art. 2. & Henrico Gandauenſi in ſũma art. 35. q. 6. nõ oportere infinitæ potentiæ reſpõdere effectũ infinitũ, quia cauſa æquiuoca, cuiuſmodi eſt diuina potentia cõparata adcreaturas, nõ adęquatè in effectu ſuo oſtẽditur. Vel dicito cũ eodẽ D. Tho. 1. p. q. 45. art. 5. infinitæ Dei potentiæ reſpondere aliquem effectum infinitum, non quoad ſubſtantiam rei productæ; ſed quoadmodum, quo producitur.

Sol. 1. arg. 1. art. Cauſa æquiuoca nõ adęquatè oſtẽditur in ſuo effectu.

Nã in creatione etſi res creatæ in ſe finitæ eſſẽtiæ & perfectionis ſint; modus tamẽ eas ꝓducendi arguit virtutẽ infinitã. Ètenim tãto maior vis in cauſa agẽte requiritur, quãto potentia è qua res educi debet, remotior eſt ab actu. Quare ſi res è nulla præiacẽte potẽtia, ſiue è nihilo educẽda ſit; ſicuti ea, quæ creatur, haud dubiè infinitã depoſcet virtutẽ; ſiquidẽ nulla eſt ꝓportio nullius potẽtiæ ad aliquã potentiã, quã ſupponit vis agentium naturaliũ. Tertiò reſponderi poteſt ad aſtruendã infinitatẽ diuinæ potentiæ ſat eſſe poſſe Deũ in quouis rerũ genere nõ tot, nec tã perfecta, quin plura, perfectioraq; efficere. Ad reliquã eiuſdẽ argumẽti partẽ dicendũ nõ minoris eſſe dignitatis diuinã volũtatẽ, quã diuinũ intellectũ: ſed nõ inde ſequi, vt quæcunq; Deus quolibet modo cõcipit, eadẽ etiã velit; cùm palã ſit Deũ intelligere contradicentia & Chimærã aliaq; eiuſmodi omniũ iudicio impoſsibilia, quæ velle nõ poteſt. Nẽpe volũtatis & intellectus diuini prẽſtantia non ex multitudine eorum, in quæ ſecũdaria ratione tendunt, ſed ex primario obiecto, quod ipſe Deus eſt, æſtimari debet.

Ex actione creandi arguitur virtus infinita.

Voluntatis & intellectꝰ diuini prẽſtãtia vnde ęſtimetur.

Conſule Scotum in 1. d. 2. & in 2. d. 2. q. 1. Capr. in 1. d. 43. q. 1. art. 2.

Ad ſecundum dicendum, quamcunq; magnitudinem, cuius Deus ideam habet, eſſe finitam, itemque omnem certam, ſeu deſignabilẽ magnitudinem, quæ diuino intellectui obijcitur, certis limitibus teneri. Verùm vt nulla tanta eſt, qua Deus maiorem non percipiat, ita nec vllam notari poſſe, qua maior ab illo effici nequeat.

Sol. 2.

De diuina idea magnitudinis producibilis.

Lege Capre. in 1 d. 35. q. 2. art. 1 ad 3. Aureoli contra 2 concluſ. Hiſpalenſem q. 1. art. 4.

Ad tertium conceſſa maiore, & minore propoſitione neganda eſt conſecutio; quia datis ex hypotheſi infinitis ignibus, non eſſet impoſsibile dari infinitas combuſtiones; cùm hoc nihilo repugnet magis, quàm illud: ſimpliciter tamen vtrũque impoſsibile eſt; ideòque neutrum à Deo effici poteſt, non ob diuinæ virtutis defectum; ſed propter rei ipſius repugnantiam.

Sol. 3.

Lege Caiet. 1 p. q. 7. a. 4.

Ad quartũ dicendum eſt, ſi Deus neceſsitate naturæ operaretur, futurum fuiſſe, vt non haberet virtutem infinitam. Namque eo modo operari imperfectionis eſt, quæ cum infinita virtute cohærere nõ poteſt. Quod ſi ex hypotheſi infinitam virtutem poſsideret, eamq; totam applicaret, atque effunderet, produceret quidem infinitum, ſed per hypotheſim impoſsibilem, vt paulò ſuprà dicebamus.

Sol. 4.

Si Deus neceſsitate naturę operaretur, nõ haberet infinitam virtutem.

Ad quintum admittenda eſt maior propoſitio, neganda minor; & ad eius probationem dicendum, maiorem veram eſſe, modò nulla inde ſequatur contradictio; quæ tamen ſequeretur ex ſeparatione

Sol. 5.

Repugnãtia, quę sequitur ex diuisione continui in omnes suas partes.

omnium partium continui. Nam præter communem infiniti repugnantiam, illa quoque priuatim existeret ex diuisione continui in omnem sui partem: quod partes, quæ peracta diuisione manerent simul & non diuiduæ, & diuiduæ essent. Non diuiduæ, quia omnis earum partitio esset exhausta: diuiduæ, quia continuum secatur in ea, quibus cõstat, nõ cõstat autẽ indiuiduis, vt 6. lib. demõstrabitur.

Sol. 6.

Ad sextum dicendũ in quolibet instanti horæ sigillatim sumpto posse Deũ creare vnum hominẽ, aut angelũ, non tamen in omnibus momentis collectiuè acceptis. Etenim productiones illæ nõ possent nõ ordinatè procedere, secũda post primã, tertia post secundã, atque ita deinceps: momenta verò in tempore non ita se habent; sed post quodlibet sequuntur immediatè infinita. Quapropter negandũ est in infinitis momẽtis finiti tẽporis collectiuè posse Deũ creare, quãuis nullũ designari queat, in quo non possit: quæ tamen ratio nõ habet locũ in altera argumẽti parte, siquidẽ dies in successione tẽporis habent ordinẽ immediatum inter se. Vnde posita mundi æternitate concedendũ est potuisse Deum singulis diebus nõ solùm diuisiuè, sed etiã collectiuè sumptis creare angelos, qua hypothesi admissa iã nunc existerent infiniti actu. Verùm qui prorsus negat istiusmodi infinitũ dari posse, negare etiam debet potuisse mundum quoad res successiuas ab æterno condi. Qua de re libro 8. Quanuis dici etiam; sed minùs probabiliter posset, si ita angeli crearentur, debuisse eos successiuè in nihilum redigi, ne vnquam infiniti actu euaderent.

Durandus in 2 d. 1. q. 3.

Posita mundi æternitate concedendũ est posse dari infinitum actu.

Bassol. in 2. d. 1. q. 5.

Sol. 7.

Ad septimum vt pateat quid respondendum sit aduertendũ est, infinitum potentia, quod syn categorematicum vocant, hoc est, non tantum quin maius, seu non tot quin plura, haud esse quippiã certum, quod designari possit; si enim posset designari, non rectè diceretur non tantum, quin maius: quo fit vt istiusmodi infinitum secundum se totum nequeat ad actum perduci, iam enim desineret esse incertum, & indeterminatum. Hoc posito, ad argumentum explicari debet prius pronuntiatum. Aut enim petit, vt quenlibet angelorum numerum certum, ac definitum ex illis, quos Deus in hoc tẽporis puncto creare potest, creet; quo pacto concedendum est: nam ex eo non infertur infinitum actu, cùm eiusmodi multitudo necessariò finita sit: aut postulat, vt absolutè quencunque angelorũ numerum hoc momento efficere Deus potest, eum eodem momento efficiat. Quod negandum est; cùm repugnet infinitum potentia ad completum actum peruenire

Infinitũ syncategorematicum, incertum quid.

ARTICVLVS IIII.

RESPONDETVR ARGVMENTIS PRO negatiua parte adductis.

Sed

SEd quia affirmantem etiam partem probabilem iudicauimus, ad argumenta contrariæ reſpondebimus. Ad primum poſſe Deum in quolibet rerum genere producere infinitũ, nõ producendo totum, quod poteſt in eo genere, ita vt ſuam potentiam exhauriat. Nam ſi, verbi gratia, efficiat corpus verſus omnem dimẽſionem infinitè extenſum (vbi ſe maior obijcit difficultas) adhuc poterit illud in nihilum reducere, ſuaque omnipotentia idem ſubrogare, & aliud deinceps in infinitũ eodẽ in ſpatio ſimul cõſtituere; ita, vt ſeſe inuicẽ penetrent. Quanuis etiã multitudine infinita producta poterit ſemper in eodẽ genere abſq; termino aliam producere, aut priorem augere. Nec tamen ſequetur priorem illam non fuiſſe infinitã. Poteſt nãq; multitudini infinitæ additio & detractio fieri abſq; amiſsione infinitudinis. Quod ſi eſſet multitudo corporũ infinita verſus omnẽ loci differẽtiã, nõ poſſet ei quicquã addi, niſi aliorũ corporũ penetratiõe, ſubrogationevè, vt de magnitudine dictũ fuit. Ad 1. argum. 2. art.

Ité Maironius in 1. d. 43. q 10. Gregor. d. 44. q. 4. ar. 2. Lichetus in quodlib. Scoti q. 5. Baſſoli9 in 2. d. 1. q. 5.

Pro explicatione ſecundi argumenti ſciendum eſt ex Platone in Philebo maius & minus, æquale & inæquale nõ cõpetere quantitati infinitæ. Nã vt Scotus in 2. d. 1. q. 3. alijq; nõnulli animaduertunt, quãtitas primò diuiditur per finitã & infinitã; deinde finita in maiorẽ & minorẽ; æqualẽ & inæqualẽ, relicta omnino extra huiuſmodi affectiones quãtitate infinita, videlicet, quia ad rationẽ maioris pertinet exceſſus; ad rationẽ minoris, defectus: ad rationẽ æqualis & inæqualis cõmenſuratio & ꝓportio, quæ õnia finitatẽ includũt. Hoc poſito reſpõdendũ eſt ad argumẽtũ in numero infinito binarios cõparatos quaternarijs nec plures eſſe, nec pauciores, nec æquales inæqualesvè, quia huiuſmodi attributa finitis duntaxat numeris cõueniunt. Vnde & effatũ illud, omne totum eſt maius ſua parte, nõ in numero infinito; ſed finitis tantùm locum habet. Ad 2. Maius & minus, æquale & inæquale affectiões quãtitatis finitæ.

Ad tertiũ. Si aduerſarij velint quicquid à Deo effici poteſt, neceſſariò cadere ſub certa intẽtione ex parte Dei producentis; quia nimirũ Deus certa, ac definita ſua notione id producet, rectè quidẽ aſſumũt, ſed nõ rectè colligunt. Poteſt enim Deus notitia definita, id eſt, nõ vaga, ſed in ſingulare aliquod certæ ſpeciei directa infinitum ꝓducere. Si autẽ cõtẽdãt nihil Deũ poſſe efficere, niſi ſub certa intẽtione ex parte effectus, quia nimirũ res ab eo ꝓducta debet eſſe finiti numeri, gradus, aut extenſionis, tunc nec probè aſſumunt, nec aſſumptũ cõfirmant. Nã quod aiunt, infinitũ nullũ habere vſũ, aut cõmoditatẽ, falsũ eſt: quia ſi id à Deo produceretur, cõduceret ſaltẽ adoſtendendã eminentiã diuinæ virtutis, quæ eiuſmodi infiniti productione magis innoteſceret. Ad 3.

Ad quartũ. Cũ quãtitas diuiditur in bicubitã, & tricubitã, aliasq; eiuſmodi mẽſurarũ ſpecies nõ diuidi quãtitatẽ abſolutè sũptam, ſed finitã. Quare etſi implicatio ſit exiſtere naturam genericam, quæ non ſit determinata per differentias ſpecificas, non implicare tamẽ dari quantitatem, quæ in nulla illarum ſpecierum contineatur, Ad 4.

ſiquidem eiuſmodi ſpecies non totam quãtitatis vim & naturam exhauriunt; ſed finita tantũmodò. Diuidetur enim quantitas in quãtitatem finitam, & infinitam, illa in cubitum, bicubitum & cæt. nec in aliam, & aliam quantitatem incertæ magnitudinis.

Ad.5. Ad quintum, omiſsis alijs ſolutionibus, reſpondemus non eſſe abſurdum concedere corpus infinitum poſſe & non poſſe moueri; non quidem eodem modo ſpectatum; ſic enim implicatio foret; ſed diuerſa ratione; nimirum ſi conſideretur præcisè ſecundũ ſua principia intrinſeca, videlicet materiam & formam, moueri poſſe; ſi expendatur prout eſt præditum mole infinita, quæ motus exercitium impedit, non poſſe. Quod & ſimilibus aliarum rerũ exemplis illuſtratur. Nam corpus cœleſte, ſi ad eius ſubſtantiam attendamus, diuidi nequit; cùm ſit omnis noxæ & corruptionis expers; ſi ad eius quantitatem; non repugnat ei diuidi; cùm omne quantum ſit diuiſibile. Præterea ſecundum probabilem ſententiam, Deus potuit ab æterno lapidem procreare, eumque in aere ſuſpenſum tenere; eiuſmodi verò lapis poſſet & non poſſet ab æterno deſcendere; poſſet, quia eſſet ens mobile, ac natura ſua inclinatum ad deſcenſum: non poſſet, quia motus, quo deorſum tenderet, eſſet finitæ durationis, quem ex æternitate eſſe omnino repugnat. Itaque perſpicuũ videtur nullam ſequi contradictionem ex eo, quod infinitũ corpus nullum motum localem exercere queat.

Obiectio. Quod ſi quis obijciat hac ſolutione collabaſcere argumentum, quo Ariſtoteles demonſtrat cœlum non eſſe infinitum, id enim ex eo probat, quia ſequeretur poſſe moueri per infinitum ſpatium finito tempore.

Dilutio. Occurrẽdum eſt argumentum Ariſtotelis manifeſta niti experientia, qua conſtat cœlũ ab oriente ad occidentem volui; hinc enim ad abſurdum illud deducit, quod poſſet moueri, cùm re vera iam moueatur; & non poſſet, quia finito tempore infinitum ſpatium conficeret.

Ad.6. Ad ſextum dicendum infinitas illas partes in vnum coaceruatas effecturas molem infinitam verſus omnem loci differentiam; cùm re vera ſint infinitæ actu. Nec mirum quod nunc maius occupẽt ſpatium, quàm antea, id enim prouenit ex diuerſo ſitu, quem nunc inter ſe inuicem, atque in ſpatio ſortiuntur.

Ad.7. Ad ſeptimum dicendum cùm in infinito numero aureorum ſint denarij infiniti, & vnum infinitum non ſit maius alio, conſequens eſſe, vt ex ea infinitudine ſinguli homines denos aureos ſibi poſsint aſſumere. Ea eſt enim infiniti lex & natura, vt non poſsint ſinguli homines cùm ſingulis aureis creari, quin pariter ſingulis hominibus deni aurei reſpondeant. Quod etſi mirum videatur, non videbitur tamen à veritate alienum ei, qui mentem retulerit ad infinitatem numerorum, quam Deus concipit (licet nullum certum numerum infinitum cognoſcat, vt aſſerit D. Auguſtinus 12. de ciuit. Dei cap. 18. cùm tamen collectio omnium ſit infinita) In ea enim non dubium, quin Deus totidẽ denarios, quot binarios apprehendat; dum enim

Deus nullũ certum numerum infinitum concipit.

ſuæ

ſuæ ſcientiæ perſpicacitate numeros numeris comparat; vel ſingulis binarijs nullo excepto ſingulos denarios confert; vel in aliquo tandē binario denarij deficiūt; ſi detur ſecundum, ſequiturdenarios non eſſe infinitos, quod eſt aperte falſum; ſi detur primum, habetur propoſitum.

Ad. 8.

Ad octauum reſpondendum eſt quemlibet angelum ex infinito illo numero poſſe lapidi impulſum imprimere, non tamen totam angelorum collectionem; idque propter abſurdum quod ex momentaneo motu ſequeretur. Quod verò obijcitur potentiam motricem angelorum ordinari ad efficiendum motum, facilè ſoluitur. Sat enim eſt ordinari ad mouendum ſingulatim.

Ad. 9.

Ad nonū ex 7. argumenti ſolutione quid reſpōdendum ſit conſtat. Ad vltimum dicito poſita infinita grauitate lapidem ea præditū non deſcenſurum in inſtanti, quia non concurret cum ea Deus, vt impetu infinito, ſed finito duntaxat feratur.

Aliam quoq; ſolut. habes apud Aliacē ſem in 1. q. 23. art. 3.

QVÆSTIO III.

VTRVM QVACVNQVE SPECIE POSSIT alia perfectior à Deo in infinitum creari.

ARTICVLVS I.

QVÆ ARGVMENTA PROBARE videantur non poſſe.

NOnnulli, quorum meminit Hugo Victorius lib. 1. de ſacramentis parte 2. c. 22. in eo errore fuerunt, vt putarent Deum præter ea, quæ facit, nec aliud quicquam facere poſſe; nec melius, aut perfectius. Omiſſa verò hac impietate, quam coarguit ſacræ paginæ auctoritas, dum infinitam virtutem Deo attribuit; controuerſia eſt inter Catholicos Philoſophos num Deus quacūq; ſpecie poſsit aliam nobiliorem condere. Quod enim non poſsit & quod aliqua ſit, vltra quam virtus diuina nequeat, arbitratur Henricus Gandauenſis quodlib. 5. q. 3. & quodlib. 8. q. 8. Scotus in. 3. d. 13. q. 1. Dur. in. 1. d. 44. q. 2. Aureolus apud Capr. in 1. d. 43. q. vlt. art. 2. Solet autem hæc ſententia hiſce fere argumentis probari. Datur res aliqua in natura, videlicet materia prima, qua deterior nulla eſſe poteſt. Ergo in mente diuina aliqua alia eſt, qua nulla præſtantior effici queat; cùm nulla videatur maior ratio, cur per gradus creaturarum deſcendendo perueniendum ſit ad infimum; & aſcendendo nō ſit in aliquo ſummo conſiſtendum. Antecedens probatur, primum ex

Quorundā error.

Opinio Henrici & aliorum.

Item Aſcula hoc in li. q. 7. q. 3.

1. argum.

ex illis D. Aūgūſtini verbis 12. confeſſ. cap. 7. Duo feciſti domine, alterum prope te, ideſt, naturam Angelicam; alterum prope nihil, ideſt, materiam primam: vnum, quo ſuperior tu eſſes; alterum, quo inferius nihil eſſet. Deinde quia ſi Deus poſſēt creare aliquid materia prima deſpicati⁹ vel id eſſet forma, ſiue accidētaria, ſiue ſubſtātialis: vel compoſitum ex materia & forma. Si forma; cùm omnis forma ſiue informans, ſiue omnino per ſe ſubſiſtens, ſit actus; & materia ſit pura potentia, omniſque actus nobilior ſit, quàm potentia, nō poſſet ea forma non eſſe præſtantior, quàm materia prima: ſi verò eſſet compoſitum, cùm omne compoſitum includat formam, neceſſariò dignitate ſua materiam vinceret.

2. arg. Deinde. Vniuerſitas ſpecierum, quas Deus creare poteſt, diſtat à Deo, ſicuti finitum ab infinito, alioqui daretur in illa ſpecies aliqua infinitè perfecta. Igitur per eam aſcendendo impoſsibile eſt infinitè progredi, ſed neceſſariò dandus erit ſtatus in aliqua ſpecie certa & determinata.

3. arg. Item ſpecies procedunt à Deo vti numerus ab vnitate, teſte D. Dionyſio. 5. cap. de diuinis nominibus, ſed aliquis eſt numerus, inter quem & vnitatem alius cadere non poteſt, nempe binarius; ergo & aliqua creatura eſt ita Deo propinqua, vt inter ipſam & Deum alia effici nequeat.

4. arg. Præterea Deus non poteſt eſſentiam humanæ ſpeciei perfectiorem reddere, nec duas ſpecies, quæ æqualem perfectionem inter ſe habeant, producere: ſicuti nec quaternarium augere ſeruata ſpecie quaternarij; aut duos numeros æquales efficere: ergo nec poterit qualibet ſpecie aliā nobilioris eſſentiæ creare: cùm vtrobique æqua ratio videatur.

5. arg. Denique. Vniuerſum non poteſt eſſe pulchrius, aut perfectius, quàm nunc eſt, vt aſſerit Auguſtinus in Enchir. cap. 10. Gregorius Nazianzenus in homilia natiuitatis, Theodoretus lib. 6. Græcanicarum affectionum. Cùm igitur vniuerſi pulchritudo & perfectio ex ſpecierum, quibus conſtat, varietate efflorescat: ſequitur non poſſe id alijs melioris notæ ſpeciebus à Deo ornari, proindeque nō qualibet ſpecie creata aliam præſtantiorem creari poſſe.

ARTICVLVS II.

QVALIBET SPECIE, ET OMNINO quauis re creata poſse à Deo aliam nobiliorem procreari; nec aduerſariorum argumenta concludere.

CONtraria tamen ſententia amplectenda eſt: dicendumque nullam eſſe ſpeciem, qua Deus non poſsit aliam nobiliorem efficere,

cere, & vniuersim nihil esse in rebus creatis ita quantitate amplum, vel gradu intensum, vel specifica dignitate excellens, quo non possit Deus infinitè progrediendo aliud maius, perfectiusque producere. Huius opinionis est D. Tho. 1.p.q.25.art.6. & 2. contra gent. cap.26. D. Bonauentura in 1.d.44. q.1. Capr. in 1.d.43. q.vlt. art.2. & dist.35.q.2. Argentinas in 2.d.1. q.2.art.4. Richardus quodlib.2. q.4. Heruæus quodlib.7.q.2. Aegidius quodl.3. q.5. Sonc.12. Metaph.q.5. & alij. Quod verò ita sentire oporteat, suadetur, primùm quia hæc progressio infiniti syncategorematici nullam intuoluit repugnantiam, nec ex parte diuinæ potentiæ, quæ est infinita, nec ex parte effectus: esto negetur posse à Deo infinitum creari. Non enim per eiusmodi incrementa veniendum erit ad aliquam creaturã actu infinitam, sed quæcunque designabitur, circunscripta, ac limitata erit.

Opinio D. Tho. & aliorum.

1.ratio.

Secundò, quia si quauis re producta non posset à Deo produci maior ac perfectior, sequeretur exhauriri diuinam potentiam, certisque rerũ limitibus coerceri, quod quid aliud quæso est, quàm diuinæ potentiæ infinitatem negare?

2.ratio.

Tertiò, Essentia diuina vt est infinitè perfecta, ita infinitis modis est imitabilis. Igitur nulla species eam ita perfecte imitabitur, quin eandem alia perfectius imitari queat, atque adeo nulla creari poterit adeo nobilis, quin nobilior possit.

3.ratio. Essentia diuina infinitè imitabilis.

Ad ea verò, quæ pro contraria sententia adducta sunt, non erit difficile respondere. Ad primum concedimus materiam esse infimam omnium substantiarum, quæ à Deo creari possunt, licet non putemus eam accidentibus, saltem omnibus, deteriorem esse, quandoquidem materia est ens per se existens, nobilius autem est existere per se, quàm inhærere alteri: nisi id, quod alteri inhæret, tantam aliunde nobilitatem vendicet, vt ea existentiæ per se præponderet, vti videre est in nonnullis accidentibus, præsertim ijs, quæ diuini ordinis sunt, vt gratia, lumen gloriæ, intuitiua contemplatio diuinæ naturæ. Itaque admittendum est licet Deus qualibet specie completa, & qualibet item forma aliam non solùm perfectiorem, sed etiam imperfectiorem possit efficere, nullam tamen substantiam materia prima ignobiliorem creare posse, quæ est sententia Richardi quodlib.2.quæstione.5. & in 2.sent.d.12.q.2. Durandi eadem.d. q.1. Argentinatis in 1.d.44. q.1.art.2. Aegidij quodl.3. q.5. aliorumque Philosophorum communis. Nec propterea quod aliqua minima substantia in rebus detur, iccirco maximam quoque dari oportet, perfectio enim substantiæ crescit per accessum ad diuinam perfectionem, vbi impossibile est ad summum peruenire, quia cùm diuina perfectio sit infinita, nulla creatura eam ita exactè imitari potest, quin alia exactius possit. At imperfectio substantiæ, est per recessum à Deo, quem non repugnat in aliqua substantia dari maximum.

De hac cõtr. Scot. in 2.d. 12.q.2.§.ad argu.

Sol.1.argu. superioris ar.

Non potest à Deo creari aliqua substãtia deterior, quàm materia prima.

Item Abulensis ad cap.22. Matth.q.222.

Ad

Sol.2. Ad secundum vniuersitatem specierum, quæ creari possunt, distare à Deo, vt quid simpliciter finitum, vt infinitum tamen secundum quid, seu syncategorematicè, hoc est in infinitum progrediēs, quia ita continet omnem perfectionem speciebus cōmunicabilem vt in ea nulla certa species designari possit, quæ actu infinitè perfecta sit, & qua non possit dari alia perfectior. Non valet autem (vt aduertit Capr. in 1. sent. loc. cit.) hæc consecutio, Deus videt infinitum progressum specierum se se proportione excedētium, ergo videt aliquam infinitam speciem: sicuti nec consecutio hæc momentum habet, In continuo sunt infinitæ partes, quarum secūda est minor, quàm prima, & tertia, quàm secunda: atque ita in infinitum. Ergo in continuo est aliqua infinitè parua.

Lege Basso. hūin 1. d. 36. q. 3. Hispalens. sem d. 35. q. 1. art. 4.

Sol.3. Ad tertium, species procedere à Deo sicuti numeros ab vnitate. Primùm, quia quemadmodum numeri insunt in vnitate tanquam in radice, & in ea vnum quid sunt, atque ab illa profecti multiplicantur; ita rerum species in Deo vt in fonte totius esse continentur, & in eo quidem vnam habent rationem, sed extra illum in multitudinem abeunt. Præterea, quia sicut numeri ab vnitate progressi in infinitum augescunt; ita qualibet specie à Deo creata potest alia, atque alia perfectior produci, ita vt in nulla consistere necesse sit. Non esse verò similitudinem in eo, quod argumentum probare nititur; nec enim quæ similia dicuntur in omnibus paria esse debent.

Cur species dicantur esse quasi numeri.

Sol.4. Ad quartum, non posse alicui speciei nouum addi gradum essentialis perfectionis; quia iam non eadem maneret essentia, vt nec quaternarius si ei noua vnitas accederet. Nec item dari posse sub eodem genere duas species pari inter se dignitate, sicuti nec dari possūt duo numeri (quibus etiam quoad hoc species similes sunt) quorum vnus non alterum excedat. At in productione aliarum, atque aliarum specierum non ita res habet, cùm ex ea nulla sequatur repugnantia.

Nō posse nouum gradum essentialis perfectionis vili speciei addi.

Sol.5. Ad vltimum, vniuersum bifariam spectari, nimirum vel quoad partes, quibus constat, vel quoad ordinem, & dispositionem illarū. Priori modo creari posse aliud pulchrius, & perfectius, nec id negare patres, qui in argumento citantur: posteriori non posse. Neque enim hoc vniuersum, quod nunc est, valet fieri elegantius quoad partium, è quibus constat, situm, & dispositionē, vt patebit ex ijs, quæ dicemus quarto libro huius operis, cùm de locis elementorum disputabimus.

Qua consideratione non possit à Deo creari aliud vniuersū pulchrius.

Lege D. Thō. 1. p. q. 25. ar. 6. & in 1. d. 44. q. vnica art. 2. Albertū Mag. art. 2. Richardū ibidē q. 1. Dur. q. 3. Aegidiū q. 2. Argent. & Capr. q. vnica.

QVÆSTIO IIII.

NVM QVODLIBET INFINITVM à Deo cognoscatur.

ARTI-

ARTICVLVS V.

OMNE INFINITVM COGNOSCI à Deo, nullum tamen succesſiuè poſſe cognoſci.

Duplex conſideratio infiniti.

Ex D. Tho. 1. p. q. 7. art 2. Durãdo in 1. d. 39. q. 2. Scot. 1 quodl. quæſt. 14.

VT aperiamus quid in propoſita quæſtione ſtatuendum ſit, nonnulla præmittenda ſunt. Primo infinitum duobus modis ſumi, altero formaliter, vt nimirum ſignificat negationem finitionis: altero materialiter, hoc eſt pro re, quæ infinita dicitur, vt pro numero infinito, vel infinita magnitudine.

Cognitio infiniti confuſa.

Deinde duplicem eſſe infiniti materialiter ſumpti notitiã; vnam, qua confusè apprehenditur, quo modo dicitur cognoſcere infinitũ is, qui cognoſcit vniuerſale cohibens ſub ſe poteſtate infinita; & qui percipit magnitudinem vnius palmi, in qua inſunt infinitæ partes proportionales, quas tamen ſigillatim non concipit. Aliam, qua infinitum dilucidè ac diſtinctè cognoſcitur, vt ſiquis eaſdem partes enucleatè percipiat. Prætereà cognitionem diſtinctam infiniti, aut eſſe ſucceſsiuam, qua vnũ poſt aliud cognoſcitur; aut non ſucceſsiuam, qua cuncta ſimul intelliguntur. Deniq́ue diſtinctã cognitionẽ infiniti vel ita ſumi poſſe vt dicantur infinita percipi in alia re cognita, in qua elucent, vt in eſſentia diuina; vel in ſe ipſis, ſeu in proprio genere, quo pacto angeli per congenitas ſibi rerum imagines, tũ alia, tũ ordinẽ vniuerſi & rerũ ſpecies à Deo creatas cognoſcunt.

Cognitio infiniti diſtincta.

Succeſsiua.

Nõ ſucceſsiua.

Statꝰ quęſtionis.

His poſitis non excitatur à nobis quæſtio de infinito formaliter ſumpto. Eo nãque modo perſpicuũ eſt infinitum à quouis intelligi. Neque etiam quærimus an infinitum materialiter ſpectatum, confuſa cognitione apprehendi poſsit; quia item poſſe, nullam habet dubitationem; ſed vtrum diſtinctè intelligi queat in ſe, aut in alio, ſimul, aut ſucceſsiuè.

Quorundam philoſophorum error.

Igitur quidam ex antiquis Philoſophis, quos D. Auguſtinus 12. lib. de ciuit. Dei cap. 18. refert, adeò hallucinati ſunt, vt dixerint infinitum ne in Dei quidem cognitionem cadere poſse; qui cùm etiam mundi nouitatem negarent, aſſerebant recurrere per interualla rerũ ortus & occaſus, & eoſdẽ tẽporũ circuitus, ne ſi nõ eadẽ repeterẽtur, non poſſet Deus infinita diuerſitate variata, vel præſcire cũcta vt faceret, vel ſcire cùm feciſſet. In hos certè conuenit illud ſacri vatis, in

Pſal 11.

circuitu impij ambulant: opinionum namque inanitate circumacti, mentẽ diuinã infinita omnia, ſcientia complectentem, ex humani intellectus imbecillitate & anguſtijs metientes, impie lapſi ſunt. Sit igi-

Pro hac cõcl. lege D. Tho. 1. contr. gent. c. 69. & 70. & in opuſc. 3. c. 133. Capr. in 1. d. 43. art. 2.

1. concl.

tur prima noſtra concluſio, Deũ quodlibet infinitũ cõprehendere; & ſi nullum ſucceſsiuè poſsit cognoſcere. Hæc concluſio probatur quoad priorem partem, hunc in modum. Diuinus intellectus habet infinitã vim ad cognoſcendũ, & id, in quo res concipit, nẽpe ipſius eſsẽtia, eſt infinitũ quid in repræsẽtãdo; cognoſcit igitur infinita. Itẽ Deus perfectiſsimè cõprehendit effectricẽ ſuam virtutẽ; ſed per eã

Suadetur.

potest non tot, quin plura efficere, vt superiùs demonstrauimus; cognoscit igitur non tot, quin plura, atque adeò infinita. Posterior conclusionis pars ex eo constat, quia is, qui successiuè cognoscit, partim est in actu, partim in potentia. In actu, comparatione eorum, quæ iam percipit; in potentia, respectu eorum, quæ subinde percipiet. At diuinus intellectus, cùm sit actus purus, nequit esse in potentia ad aliquid nouè cognoscendum. Accedit, quod omnis successiua intellectio mutationem infert, quæ nullo modo in Deũ cadit.

Qui aliquid successione cognoscit partim est in actu, partim in potentia.

2. concl.

Sit 2. conclusio. Deus non solùm intelligit infinita cognitione simplicis intelligentiæ, qua concipit res secundum se; sed etiam notitia intuitiua, qua eas sub esse existentiæ comprehendit. Hæc probatur, quia Deus intuetur cogitationes Angelorum, & animarum rationalium, quæ in infinitum multiplicandæ sunt, cum diuina essentia, per quam intelligit, perfectissimè repræsentet tam ea quæ iam existunt, quàm quæ aliquando erunt, aut esse possunt. Item quia vel Deus è futuris cogitationibus nouit finitas, vel infinitas. Si infinitas, habetur propositum. Si finitas; oportebit ergo id, quod Deus cognoscit; per progressum rerum transiri, quod est manifestè absurdum. Hanc conclusionem fusiùs explanat D. Tho. 1. p. q. 14. art. 12. & 13. Nec sibi repugnat sanctus doctor, dum alijs in locis vt 1. contr. gent. cap. 69. asserit Deum intuitiua cognitione non intelligere infinita. Loquitur enim tunc de rebus per se existentibus, vt interpretatur Capr. in. 3. d. 14. q. 2. art. 1. Caiet. 3. p. q. 10. art. 3. & Ferr. 1. contra gent. c. 69. Hæ enim in infinitũ multiplicari non debent; cum substantiarum ortus & interitus die iudicij terminandi sint.

Probatur.

ARTICVLVS II.

OBIECTA CONTRA SVPERIVS dicta, eorumq; confutatio.

1. obiectio.

VErùm contra primã conclusionẽ obiiciat aliquis cum Durando in. 1. d. 39. q. 2. Si Deus cognosceret quodlibet infinitũ, vtique comprehenderet omnes partes, in quas continuum diuidi potest, omnesque earum dissectiones: at quòd eas non cognoscat probatur, quia vel partes, quas in continuo percipit, diuiduæ sunt, vel indiuiduæ. Non indiuiduæ, quia iam continuum constaret ex indiuisibilibus. Nec diuiduæ, quia diuina notitia non omnes cõtinui partes comprehenderet; cùm oporteret semper alias atq; alias cognitione diuidendas supereſſe. Non igitur omnes continui partes Deus intelligit. Confirmaturque idem rursus ex eo, quia nõ minùs repugnat continuum diuidi actu in omnes suas partes, quàm secundum omnes cognosci. Non minùs enim Deus eas concipiendo absolueret, & ad minima atque insectilia redigeret; quàm si easdem à se mutuò re ipsa abiungendo secuisset.

2. obiectio.

2. Ex eò, quod Deꝰ possit efficere nõ tot, quin plura, nõ sequitur eum

eum producere actu infinita; ergo pari ratione ex eo, quod non tot, quin plura intelligat, non rectè inferetur eum infinita actu comprehendere. Quare probatio primæ conclusionis vitiosa est.

Eodem modo respondet Bassolus in 1. d. 43. q. 1. nica. Hispalensis d. 35. q. 1. ar. 4.

Hisce obiectionibus ita occurres. Primæ quidem cum Capr. in 1. d. 35. q. 2. ar. 1. & Ferr. 1. cõtra gẽt. c. 69. dicendo Deum cognoscere partes omnes continui, quæ haud dubiè diuiduæ sunt: ita tamẽ eas cognoscere, vt earum partes omnes atque omnium partium partes enucleatè comprehendat. Sic enim eas concipit, vt in continuo insunt. Quare cùm in continuo nulla sit, quæ secari inalias non possit, nullam Deus apprehendit, cuius etiam partes alias non concipiat. Obseruandum tamen est discrimen inter realem continui diuisionem, & cognitionem diuinam eiusdem secundũ omnes partes. Nam cùm in duas medietates continuũ diuiditur, destruitur prius continuũ, manentque duæ medietates, in quas dissectũ fuit. Deinde cùm rursus duæ medietates in quatuor quartas diuiduntur, destructis duabus medietatibus manent quatuor quartæ, atque ita in infinitum. At cognitione, qua Deus duas continui medietates, & harum infinitas partes concipit, non dissecatur ipsum continuum; sed sartum tectumque manet. Quo fit, vt si continuum re ipsa in omnes suas partes diuideretur, absoluta diuisione, residua esse deberent sola indiuisibilia, quia ex diuisione in minores partes, necessariò maiores euertuntur. At posita cognitione, qua Deus omnes partes proportionales penetrat, adhuc nihilominus sumere fas est partes sectiles, non ad quas vltimò diuina cognitio terminata sit, quasi in illis non contineantur infinitæ aliæ eadem cognitione comprehensæ; sed quæ adhuc sint partes continui, proindeque diuisibiles.

Dilutio. 1. obiectionis.

Discrimen inter cognitionem omnium partium infiniti, & sectionem earundem.

Secundæ occurrendum est diuersam esse rationẽ in productione infiniti, & in eius cognitione. Nam productio infiniti est actio externa Dei secundum quam potest infinitum ad actum potentiæ permixtum deduci; immo ob ipsius infiniti repugnantiam impossibile est eiusmodi productionem ad completum omnino actũ terminari; oportetque semper aliquid relinqui sub potestate producentis, quod in actum non prodeat. At cognitio infiniti, cùm sit actio interna Dei, omnimodis completa esse debet, & in omnia, in quæ potest, actu tendere. Præsertim quia si Deus quædam actu, alia potestate cognosceret, posset ei noua notitia accedere, quod sine intellectus diuini mutatione non fieret. Vnde patet ex eo, quod Deus non tot, quin plura cognoscat, sequi comprehendi ab eo actu infinita; licet ex eo, quod efficere possit non tot quin plura haud rectè inferatur posse ab eo produci actu infinitum.

Dilutio 2. obi.

Cur Deus cõgnoscat actu perfecto infinitum, & tamen nõ possit infinitum actu perfecto producere.

QVÆSTIO V.

POSSIT NE INTELLECTVS CREAtus proprijs viribus infinita cognoscere.

ARTICVLVS I.

CONCLVDITVR NON POSSE.

Quorũdam error.

NOn defuere, qui arbitrarentur infinitum perfectione, hoc est, Deum Opt. Max. posse à nobis in hac vita solius naturæ facultate clarè, ac perspicuè videri, nisi mentes nostræ concreta vitiorum caligine offusæ tanti luminis splendore perstringerentur; proinde si quis animum excoleret, atque omnino repurgaret, nullo præterea auxilio ad tam excellentem cognitionem, in qua nostra beatitudo consistit, indigere. Hunc errorem sacræ paginæ testimonijs iam antea confutatum, damnauit Concilium Viẽnense sub Clemente 5. quod decretum habetur in Clementina, Ad nostrũ de hæreticis. Quare de huiusmodi infiniti cognitione nulla quæstio relinquitur. De alijs tamen, hoc est, de infinito extensione, & multitudine, ad quæ cætera infinita reducuntur, disceptatio est, cui nos hac conclusione faciemus satis.

Impugnatur hic error à D. Tho. 1. p. q. 12. art. 4. & 3. contra gent. c. 52. & Scoto in 4 d 49. q. 11. & Richardo ibid. q. 6. art. 2. & Castro lib. 3. aduersus hęres. verb. beatitudo hęres. 4. & 5.

Cóncilium Viennense.

Conclus.

Non potest intellectus creatus naturali sua virtute percipere infinita, siue simul, idest, non intelligendo vnum post aliud, siue successiuè tempore finito. Quæ probatur in primis testimonio Aristotelis 1. huius operis cap. 4. text. 35. & cap. 7. text. 65. & 2. Metaph. cap. 2. text. 11. & 3. Rhetoricorum ad Theodectem cap. 8. vbi docet infinitum, qua infinitum, ignotum esse. Præterea, quia infinitũ excedit proportionem potentiæ finitæ, omnis autem res creata, sicuti essentiam, ita & potentiam finitam habet. Huc pertinet id, quod traditum est ab Aristotele 1. de cœlo c. 11. text. 116. potentias actiuas definiri maximo quod possunt, idest, certum ac definitum habere terminum à natura præfixum, vltra quẽ progredi nequeunt, eoque termino earum perfectionem æstimari. Accedit quoque experientia; constat enim quò mens pluribus rebus percipiendis intenta est, eò singulas minùs perfectè cognoscere. Addidimus, tempore finito, quia si motus fuisset ex æternitate, iam nunc quælibet intelligentia infinitas sui orbis conuersiones cognoscendo decurrisset.

Probatur.

Lege D. Th. de verit. q. 2. ar. 9. & 1 p. q. 14. art. 12. Capr. in 1. d. 35. q. 2.

Infinitũ, qua infinitũ, ignotum.

Assertõres ꝓpositę cõclusionis.

Porro hæc nostra conclusio partim est D. Augustini 4. in genes. cap. 35. & 15. de Trinitate cap. 24. partim D. Tho. 1. p. q. 86. art. 2. & 1. lib. contra gentes cap. 70. & opusc. 9. q. 81. Scoti in 4. d. 1. q. 1. Dur. in 2. d. 3. q. 7. Aegidij in 1. d. 39. q. 3. & aliorum complurium.

ARTICVLVS II.

RESPONDETVR ARGVMENTIS QVOrundam existimantium posse angelum vi naturæ infinita cognoscere.

A su-

Item Aeſculanus lib. 1. huius operis lect. 7. q. 2 & Gratiad eu lect. 7. q. 2.

A Superioris articuli concluſione diſſentiunt Capreolus in 2. d. 3. q. 2. art. 3. Soncinas 12. Metaph. q. 62. alijque nonnulli. Opinãtur enim poſſe angelũ ſi quam maximũ poteſt, conatũ faciat, aliqua infinita ſimul diſtinctè cognoſcere. Quod hiſce ferè argumẽtis cõfirmãt. Primũ. Intelligẽtia, quæ ſolis ſphærã circũuoluit cõprehendit effectricẽ vim ſolis, alioqui (ait Soncinas) non haberet motor proportionem cum proprio orbe, quam tamẽ prædicat Ariſtoteles 12. Metaphyſ. cap. 8. tex. 44. atqui ſol poteſt infinitas ſpecies progignere, & abſque dubio producturus eſſet infinita indiuidua, ſi mundus in æternum duraret; ergo intelligentia cognoſcit actu eiuſmodi infinita. Conſecutio probatur, quia nemo cauſam comprehendit, quin omnia eius effecta explorata habeat.

Opinio Gregorij, & aliorum, quę nõ probatur.

1. arg.

Deinde argumentatur Soncinas. Quilibet angelus cognoſcit ſimul omnia, quæ vna ſpecie intelligibili repræſentantur: ſed omnes numeri, eorumque proportiones repræſentantur vna ſpecie (alioqui ſi ſingulos numeros ſingulæ ſpecies referrent; cùm nullus ſit, quem percipere angelus non poſsit, ſequeretur conſignatas illi eſſe infinitas ſpecies intelligibiles) ergo angelus vno actu infinitas numerorum ſpecies apprehendit.

2. arg.

Tertio. Ideo intellectus noſter non poteſt quamlibet multa cõcipere; quia eſt immerſus hoc mortali corpore, quod mentem degrauat, nec quicquam intelligit, niſi operante ſimul phantaſia, quæ rerum obiectarum multitudine obruitur, ac defatigatur, vt Plato in Phædro ſcripſit, ipſaq; experientia docet. Cùm igitur mentes Angelicę hiſce impedimentis liberæ ſint; nihil obſtabit quominùs infinita intelligant. Adde quod non vt ſenſus excellenti ſenſibili, ita intellectus, præſertim qui à ſenſu non pendet, excellenti intelligibili læditur, & ab aliorum perceptione retardatur; quin potiùs quantò nobiliora capit obiecta, tantò ad alia cognoſcenda habilior fit, teſte Ariſtotele 3. lib. de anima cap. 4. tex. 7.

3. arg.

Aliorũ opinio, quę etiã non placet.

Circa eandem noſtram concluſionem alij ad extremam quandam ſententiam deflexere, arbitrati, licet cœleſtium corporum motus fuiſſent ab æterno, non potuiſſe intelligentiam omnes cœli conuerſiones ſucceſsiuè cognoſcere. Afferunt autem pro ſe illud Ariſtotelis, infinitum, quia infinitum, ignotum eſt. Quibus verbis innuit Philoſophus infinitum ſic intellectus aciem effugere, vt nec infinito tempore percipi queat. Item qua ſi intelligentia omnes globi cœleſtis conuerſiones nouiſſet, potuiſſet earum omnium vno actu recordari, atque ita naturali vi infinita ſimul comprehendere. Deniq; id etiam addunt; quod nulla ratio cogat aſſerere intelligentiam prædictas conuerſiones tanquam plura cognita ſigillatim percepturam fuiſſe; cùm motus cœli vnum quid ſibi cohærens & continuum ſit.

1. arg.

2. arg.

3. arg.

Hæc tamen argumenta leuiora ſunt; nec ob ea à communi Philoſophorum placito abſcedendum fuit. Ad primum igitur Soncinatis dicendum intelligentiam comprehendere virtutem ſolis, nec tamẽ iccir-

Reſpõſio ad arg. prioris ſententiæ.

iccirco intelligere actu infinita. Nã quod ad singularia attinet, quãquam si rerum generationes nullum essent finem habituræ, infinita secundum potentiã, seu non tot, quin plura à sole gignenda essent; ad eius tamen comprehensionem, singularium cognitio non requiritur. Sicut enim naturale agens in nullius singularis definitè sumpti productionem per se fertur; ita ad sui comprehensionem nullius notitiam per se deposcit. Sed quid de speciebus dicendum? Nempe non oportere angelum ad solis vim comprehendendam infinitas cognoscere, quia neque actu infinitæ sunt, vt perspicuum est; neque earum multiplicatio in infinitum procedit, vt alibi ex Aristotelis doctrina & communi Philosophorum sententia statuimus.

Agẽs naturale intellig singularis definitè accepti productionẽ per se tendit.

Ad secundum Caiet. 1. p. q. 54. art. 2. & Fer. 2. contra gent. c. 101. negant maiorem propositionem; & rectè quidẽ, fieri enim potest vt vna species plura actu repræsentet, quàm vt ad omnia illa angelus distinctè possit aduertere. Quin etiam ad minorem respondemus angelo neque inditas esse infinitas species intelligibiles numerorum, neque vnam, quæ omnes numerorum species distinctè referat; sed per species rerum sub numeros cadentium percipere numerum, aut vnitatem, vt communem earum affectionem. Itemque numero quouis apprehenso promptum ei esse maiores, ac minores numeros subinde concipere addendo, detrahendovè vnitates; similiterque figurarum, & proportionum differẽtias cognoscere. Quod in nobis etiam locum habet.

Ad 2.

Angelo non sũt indi ę infinitę species numerorũ.

Ad tertium dicendum intellectum nostrum nõ ob id solùm haud posse infinita percipere, quia corporis commercio & intercurrentium phantasmatum turba degrauatur, ac præpeditur; sed quia cùm sit virtus finita non habet proportionem cum infinito distinctè cognito. Quæ ratio etiam in intellectu Angelico, cuius item perfectio finita est, concludit. Quod autem opponitur, intellectum non lædi excellentia rei intelligibilis, ita sanè est; nec enim à re cognita noxam subire potest; cùm non hæreat in corpore, vt sensus, qui dissoluta à vehementi sensibili primarum qualitatum in organo insidentium temperie, offenditur, ac labefactatur. Verùm esto intelligibile intellectricem potentiam non lædat; esto etiam nonnunquam vnius rei perceptio intellectum expediat ad plura cognoscenda, vt cognitio causæ ad percipienda effecta: sæpe tamen intelligibile sua nobilitate aut multitudine intellectus vim excedit, ita vt ab eo percipi nequeat; & vniuersim omnis infinita multitudo distinctè cognita illius terminos transcendit.

Ad 3.

Cur neq; noster, neq; angelicus intellect⁹ infinita cognoscat.

Ad primum verò eorum, quibus posteriores Philosophi nitebãtur, dicito Aristotelem eo modo negare infinitum posse cognosci, quo etiam negat posse pertransiri. Quare sicuti inficiatur decurri posse infinitum finito tempore; concedit tamen in tempore infinito posse; cùm posuerit infinitas orbium cœlestium conuersiones præterijsse: ita negat infinitũ finito tẽpore posse cognosci, admittet tamẽ in tẽpore infinito posse.

Sol. 1. argu. pro posteriori sententia.

Consule D. Tho 1. contra gentes c. 69. Hispalen sem in 1. d. 31. ar. 3. Scot. in 3. d. 14. q. 4.

Ad

Lege Aegidium in tract. de cognitione angelorũ q.9.ad 10.

Ad secũdum, non eandem esse rationem in notitia successiua infinitarum circumuectionum, & in vno actu, quo intelligentia earũ omniũ simul recordaretur; hic enim in infinita simul tenderet, quod fieri non posse monstrauimus; successiua autem cognitio non ita se haberet; vt luce clarius est. Sol.2.

Ad tertium, negari non posse Angelum cunctas sui orbis reuolutiones percepturum fuisse; licet enim vnum continuum motũ omnes constituant; tamen sicuti nos in eodem cœlesti motu dies plures designamus, cur non idem efficeret Angelus; aut qui posset non aduertere & notare noctium, & dierum vicissitudines, atque adeò singulas ab eodem ad idem punctum solis conuersiones? Sol.3.

QVÆSTIO VI.

AN INTELLECTVS CREATVS AD infinita simul cognoscenda diuinitus excitari queat.

ARTICVLVS I.

STATVITVR POSSE.

Cõsule Caput Firmiter de sũma Tri.

NON adducimus in controuersiam an intellectus creatus ad intuitiuam diuinæ naturæ cognitionẽ eleuetur; id enim fide constat. Sed vtrum vel in ipsa diuina essentia, vel extra illam infinita simul intelligere possit. Sit igitur 1. assertio. Intellect⁹ creatus diuina ope adiutus potest in Verbo cognoscere simul infinita. 1. assertiõ.

Hãc assertionem etsi improbent nonnulli, quos refert. Capr. in 3. d. 14. q. 2. art. 1. eam tamen multi graues auctores approbant. Ex quibus Magister sent. in 3. d. 14. c. 1. Alber. Mag. ibidem art. 1. eiusque discipulus Vdalricus arbitrantur animam Christi cognoscere in diuina essentia omnium rerum possibilium naturas. Quod etiam Dur. in 4. d. 49. q. 6. art. 2. & Godofredus quodlib. 6. q. 3. de quouis beato asserendum putant. Atque horum sententiæ omnino adstipulatur D. Fulgentius in responsione ad tertiam quæstionem Fernandi diaconi. D. autem Tho. 3. p. q. 10. arr. 2, & 3. & 3. contra gentes cap. 59. & 60. & de verit. q. 8. art. 12. eiusque sectatores, quorum sententia verisimilior est, afferunt nullum beatũ omnia possibilia intelligere; quia iam diuina essentia ab intellectu creato comprehenderetur (siquidẽ quo plura effecta in causa videntur, eo magis causa penetratur, atque adeò Quos auctores habeat. Nullum beatum cognoscere omnia pos[illegible]

adeò cognitis omnibus, quæ ab ea effici possunt, omnino comprehenditur) Sed quemlibet videre actu aliqua infinita; nimirum animam Christi cognoscere omnia, quæ fuerunt, sunt, eruntvè aliquãdo, & quæcunq; continentur in potestate creaturarum, quæ à Deo conditæ sunt: quia hoc ad ipsius dignitatem pertinet, cui subiecta sunt omnia. Alios verò beatos videre ordinẽ vniuersi, & omniũ rerũ ad illius perfectionẽ attinentiũ naturas, atq; etiã infinitas species figurarũ, numerorũ, & proportionũ; quia horũ cognitio spectat ad naturæ intellectricis perfectionem, quæ felici illi statui omniũ bonorum complexionem continenti deesse non debet.

Posse infinita cognosci in diuina essentia.

Quod autẽ nihil repugnet quominùs infinita hoc modo percipiantur, breuiter ex eo concludi potest, quia vt D. Tho. 1. cont. gen. c. 69. argumentatur, intellectus, qui maximũ omniũ intelligibiliũ, hoc est, diuinam essentiã clarè intuetur; vtiq; valebit id, quod minus est, atq; adeò aliquod genus infiniti in eadem essentia diuina relucens distinctè cognoscere. Deinde, quia vt idẽ S. Doctor 1. p. q. 12. art. 5. animaduertit, inter potentiã cognoscentẽ & rẽ cognitã nõ requiritur proportio mathematica, ita vt si perfectio aut numerus rei cognitæ infinitè augeatur; crescere etiã infinitè debeat potentiæ cognoscentis perfectio; sufficit enim proportio, quã vocant accommodationis, idest, vt potentia intelligendi vltra modum suæ naturæ à Deo eleuetur, ac diuino lumine perfundatur, vt ad infinita percipienda habilis fiat; præsertim cùm id, quod in ea infinitorũ perceptione speciei intelligibilis rationẽ subit nimirũ essentia diuina, sit quidpiã, infinitè perfectũ, & ipsa infinita in vnico obiecto primario, in quo virtute continentur, ac relucent, vno actu videantur.

Lege de eadẽ re D. Th. 3. cont. gent. c. 54. & de verit. q. 20. art. 4. Sco. in 4. d. 3. q. 1.

Inter potentiam cognoscẽtem & rẽ cognitã nõ requiri proportionẽ Mathematicam; sed accõmodationis.

Sit 2. assertio. Probabile est posse etiam intellectum creatum diuina ope excitari ad cognoscẽda simul & distinctè aliqua infinita in seipsis extra diuinã essentiã, v.g. infinita puncta, quæ sunt in linea, vel infinitos gradus candoris, si à Deo producerentur. Hæc ex eo

Probatur.

suadetur, quia in huiusmodi cognitione nulla est cõtradictionis implicatio, nec ex parte infiniti, cùm non ponamus id numerando trãseundum esse; nec ex parte imbecillitatis potẽtiæ; quia potest illa supra naturæ suæ modum ex diuino concursu proportionẽ assequi ad cognoscendã multitudinẽ infinitã rerum finitarũ, sicuti quod plus est, assequitur ad clarè & quidditatiuè intuendã infinitã Dei essentiã vt paulò suprà diximus. Porro duo hic animaduertes vnum est, ad cognoscenda distinctè & simul huiusmodi infinita producẽdam esse à Deo speciem aliquam intelligibilem, quæ illa distinctè & enodatè repræsentet. Nec proinde tamen eã speciẽ infinitè perfectã esse debere (esto beati dũ infinita vidẽt infinitã speciẽ habeant vtpote quibus pro specie est ipsa Dei essentia, vt diximus) Nõ enim oportet speciei perfectionẽ augeri per æqualia incremẽta secundũ mensurã rerũ, quæ per eã repræsentantur, sicuti nec perfectionẽ cognitionis ad mensuram rei cognitæ; alioqui cognitio intuitiua diuinæ

Nõ oportet speciem intelligibilem adæquari perfectioni rei repræsentatæ.

naturæ

naturæ infinitè perfecta esset. Alterũ est, vt hæc infinita intellectus percipiat, non sat esse illorum specie diuinitus consignari; sed egere etiam peculiari Dei auxilio, quo supra naturæ suæ captum & facultatem ea vtatur, & in obiectum infinitum tendat.

Sit tertia assertio. Nullus intellectus etiam diuina ope adiutus valet infinita finito tẽpore successiuè cognoscere. Probatur, quia alioqui sequeretur infinitum incipiendo pertransiri, quod fieri posse negat Aristoteles tum hoc lib. cap. 7. tex. 63. tum 2. Metaph. cap. 2. tex. 13. Atque in hunc modum interpretatur Scotus in 1. d. 3. q. 2. illud Aristotelis ex 1. huius operis c. 4. tex. 35. infinitum, qua infinitum, est ignotum, nimirum quia infinitũ sumendo in eo vnũ post aliud, impossibile est percurri; semper enim vna parte accepta, alia accipienda supererit.

3 assertio. Suadetur.

Lege D. Th. 1. p. q. 14. art. 12. & q. 86. a. 2. Scot. in 1. d. 3. q. 2. Aeg. in 1. d. 39. q. 3.

ARTICVLVS II.

SATISFIT ARGVMENTIS QVORVNdã proximi articuli assertiones oppugnantium.

EXpendamus nunc ea, quæ nõnulli cõtra superiùs dicta obijciunt. In primis quod ab intellectu creato nec in diuina essentia cognosci possint infinita, hoc fere modo suadet Scotus in 3. dist. 14. quæst. 2. Infinitas extensiua supponit infinitatem intensiuam; sed nullius beati cognitio habet infinitatem intensiuã: ergo neque extensiuam, hoc est, extensam ad infinita obiecta. Maior propositio asseritur à Commentatore in lib. de substantia orbis, probaturq́; ex eo, quia vbi excessus in vno arguit excessum in alio, infinitas arguit infinitatem; at excessus in numero rerum cognitarũ arguit excessũ in intensione, seu perfectione cognitionis; quis enim inficietur præstantiorem esse eam notitiam, qua homo & leo, quã illa, qua homo duntaxat intelligitur?

Arg. Scoti.

Deinde. Ita opponit Adamus in 3. quæst. 10. Id, quod infinitis intellectionibus æquiparatur, infinitum esse oportet; sed cognitio, qua percipiuntur infinita numero, æquiparatur infinitis intellectionibus, quibus ea singulatim conciperentur; ergo est actu infinita, atque adeò sicuti dari actu infinitum non potest; ita neque infinitorum cognitio.

Arg. Adami.

Præterea circa tertiã conclusionem sunt qui putent nõ esse cõtra rationẽ infiniti decurri cognitione tẽpore finito. Itaq; potuisse illud eo pacto à diuino intellectu concipi, nisi Deo successiua cognitio repugnaret. Est autem pro hac sententia in primis illud, quod in qualibet hora transeunt infinita instantia. Deinde quia cùm flamma

Argumenta quod nõ repugnet infinita finito tẽpore successiuè cognosci.

lignum absumit, corrupta prima ligni superficie versus ignem, resultat alia; tum hac intereunte alia exoritur, atque ita in infinitum; sicque peracta ligni deflagratione transactæ sunt infinitæ superficierum generationes, totidemque interitus. Tertiò, quia cùm corpus sphæricum mouetur super planum, finito tempore peragit infinitos contactus discretos, cùm tangat omnia puncta eo modo, quo sunt in continuo, hoc est, discretè. Quare cùm alia infinita tempore finito transeant, nihil impediet ex parte infinitudinis, quo minùs infinitum finito tempore cognoscendo transigatur.

Resp̃sio ad arg. Scoti.

Hæc tamen nihil contra ea, quæ statuimus concludunt, atque in primis argumentum Scoti quo pacto diluendum sit, iam patet; nimirum licet cognitio extensiua intensiuam supponat, & huius excessus illius excessum arguat; non tamen oportere intensionẽ & extensionem per æqualia incrementa sibi perpetuò respondere; præsertim cùm potentia ex peculiari concursu agẽtis infiniti suprà vim suam eleuatur. Tunc enim efficacitate super naturalis auxilij quodammodo ei infinitas intensiua suppletur & compensatur.

Ad arg. Adami.

Similiter respondendum est Adamo, licet cognitio infinitarũ rerũ æquetur infinitis intellectionibus quoad extensionem obiecti; non tamẽ eis æquari quoad intensionem.

Resp̃sio ad alia. arg.

Ea verò, quæ contra tertiam assertionem obiecta sunt, parũ momenti habent. Nam instantia esto sint infinita; tamẽ quia sunt partes finiti temporis, non nisi per modum vnius finiti labuntur. Idẽq; dicendum de superficiebus, & tactibus discretis globi; superficies enim ligni non intereunt, aut gignuntur seorsim; sed ad combustionem ligni, quæ vna & continua est; & tactus globi ita sunt discreti, vt nihilominus ad vnum eundemque motum globi pertineãt. Quo fit, vt hæc omnia non tanquam infinita simpliciter, sed quasi vnum quid finitum transuolent.

Ad 1.
Ad 2.
Ad 3.

Vberior explicatio tertij arg.

Præterea (quod planè rem explicat, occurritque instantiæ de contactibus, quos faceret punctus si à corpore separatus duceretur ab angelo suprà lineam, qui proinde contactus ad nullius motũ corporis pertinerent) illa momenta, superficies, & contactus, ita se habent, vt post quodcunque illorum sequantur immediatè infinita: at plures intellectiones successione elicitæ, non succedunt per modũ vnius, quod componant, vt patet, itemque necessariò procedunt ordinatè, secunda post primam, & sic deinceps: nec verò ita, vt post vnãquãque designatam eliciantur immediatè infinitæ. Vnde fieri non potest vt in omnibus momentis horæ collectiuè acceptis eliciantur. Qua etiam ratione supra q. 2. huius loci art. 3. ad sextũ negauimus posse à Deo per singula horæ instantia collectiuè sumpta angelos creari.

Plures intellectiones successione elicitę necessariò procedẽt ordinatè, secnnda post primam.

FINIS TERTII LIBRI.

IN QVARTVM LIB. PHYSICORVM ARISTOTELIS.

PROOEMIVM.

TRADITA LIBRO SVPERIORI MOTVS & infiniti doctrina, perſequitur Ariſtoteles cæteras rerum Phyſicarum proprietates. Continet autem liber hic tripartitam explicationē loci, vacui, & tēporis; de quibus cognoſcere, & diſſerere naturalis philoſophi eſt. De loco, tum quia oportet ea, quæ materia conſtant, loco aliquo cohiberi, & circunſcribi; tum quia latio ſine loco non eſt. De vacuo, quia pleriq́ue veterum id à loco minimè diſtinxerunt, idemq́ue omnino locum, & vacuum; neque locum abſque inani dari poſſe arbitrati ſunt. De tempore, quia omnis motus tempore fit; ac quidquid gignitur, & interit, tempori ſubiacet, eiusq́ue menſura continetur. Agit autē Ariſtoteles primùm de loco, vt annotauit Simplicius, quia tempore, immo & motu prior eſt locus. Non priùs tamen de loco, quàm de motu diſſeruit, quia quemadmodum cum rerum naturaliū cauſas pertractaret, priùs egit de ijs, quæ intrinſecæ ſunt, quæque rei eſſentiam conſtituunt, hoc eſt, de materia, & forma, tū de externis, videlicet define, & efficiente; ita conſentaneum iudicauit affectiones, quæ rebus Phyſicis inhærent, cuiuſmodi eſt motus, initio perquirere, poſtea de ijs, quæ extra habētur, è quarum numero locus eſt, diſceptare.

Tripartita huiꝰ libri doctrina.

Cur Ariſtoteles nō priùs de loco, quā & motu egit.

Capitis primi Explanatio.

Spectare ad Physiologũ contemplationẽ loci.

VT a autem infinitum] Disceptationem de loco, sicuti & de infinito, ad naturalem Philosophum pertinere astruit, ac potissimùm quęstiones illas; Vtrum ne locus sit, nec ne, quomodo sit. Quid nam sit. Id, quod duplici ostendit argumento. Primùm ex communi consensione mortalium, quorum mẽtes opinio imbuit, quęcunque sunt loco contineri, ita vt vindicare esse, & in loco existere, inter se reciprocari putent. Secundò quia cùm ad Physicum spectet cõmunissimum & rebus naturalibus maximè propriũ motũ, idest, lationẽ pertractare, necessariò ei natura loci, in quo latio versatur cognoscẽda erit.

Interpretum dissensio.

Porro quid sibi velit secundũ illud problema Quomodo locus sit, nõ sat conuenit inter Græcos interpretes. Themistius referendum id putat ad modũ, quo locus esse habeat, videlicet, nũ per se cohæreat, vt substãtia, an in alio insit more accidentium. Magis appositè Simplicius, quomodo sit, idem valere inquit, ac quę sint loci affectiones. Licet enim ea quęstio ex doctrina secundi posterioris Analyticę tertiũ locũ vendicet, hîc tamen secundum obtinuit; quia sępe ex ijs, quę rebus insũt, ad earum substantiam, & naturam cognoscendam peruehimur.

ARISTOTELIS Physicorum.

LIBER QVARTVS.

CAPVT. I.

Text.1. VT a autẽ infinitum, sic locus vtrũ sit, nec ne, & quomõ sit, & quid sit Physicũ cognoscere necesse est. Nã & ea, quæ sunt, alicubi esse omnes existimant: quod namque non est, nusquã esse. Vbi enim Tragelaphus, & Sphinx sunt? & motuũ communissimus, maximèq; proprius in loco est, quem φορὰν; hoc Text.2. est lationẽ appellamus. b Illud verò multas habet dubitationes, quid nam tandẽ sit locus. Nam nec idẽ ex omnibus, quæ insunt, videtur esse, nec dubitatum quicquam de eo, aut inuentum ab alijs habemus. Text.3. c Ac locum quidem essa translationis vicissitudine videtur constare. Illic enim vbi aqua nunc est, cùm inde effusa erit, vt ex vase, aer vicissim inerit: interdum verò hunc eundem locum aliud quoddam corpus occupat. Hoc igitur ab his omnibus, quæ subintrant, & mutantur, diuersum videtur: in quo enim aer nunc est, in eo priùs aqua erat. Quare constat locum & receptaculũ, in quod, & ex quo trãslata sunt, aliquid esse ab vtroque diuersum.

d Præ-

Loci confideratio obscura.

b Illud verò dubitationes] Loci cõtemplationẽ multis difficultatibus inuolutam esse ostendit, tum quia loci naturam scrutanti nunc materia, nunc forma, nunc corpus, nunc aliud quidpiam esse videtur, ita vt vix citra erroris periculum controuersiam dijudicare liceat. Tum quia cùm veteres de loci natura nullam (qui primus ad scientiam acquirendam gradus est) dubitationẽ attigerint, vtique nullum in hac perquisitione reliquere vestigiũ, cui insistere valeamus. Vnde etiam conspicua erit vtilitas huiusce doctrinæ. Nã vt extremo cap. Elenchor. Aristoteles scripsit, eorũ, quę in disciplinis traduntur, quędã ab ijs ipsis auctoribus inuẽta fuere: alia sũt quorũ fundamẽta ab alijs cũ iacta fuerint, nõ ita difficiles in ijs absoluẽdis progressiones posteri reperierũt. At enim multò inquit plus vtilitatis

Dubitatio primus ad scientiã gradus.

tis habent illa initia, quàm reliqua omnis, quę ex his proficiscitur accessio. Namque, vt dici solet, principium maxima totius pars est, ideoque difficillimum, quia quanto vi & facultate maiore est, tantò minore est magnitudine. Vnde & difficile cernitur, eo autem inuento arduum non est conferre, cęteraque adijcere. Huc pertinet illud Trismegisti in Cratere, principium complectamur: hoc enim cognito, vniuersa facillimè percurremus. Et Hesiodium illud principium, dimidium totius. Quod refert Plato 6. de legibus, & Aristoteles 5. lib. Politicor. In primo verò Eth. c. 7. ait principium plusquam dimidium videri. Principij quãta vis.

c Ac locum quidem.} Non solùm dari locum; sed esse quid distinctum ab ijs, quę loco continentur, multis cõfirmat rationibus Prima sumitur ex successu, & alterna vicissitudine corporũ, quę hinc inde cõmigrant. Hoc modo receptaculũ illud, quod nunc ab aqua v. g. nũc, de fluente aqua, ab aere occupatur, non solùm in rerũ natura existit; sed est etiam aliquid à corporibus, quę recipit, diuersũ: atqui receptaculum huiusmodi, locus est: non solùm igitur locus datur; sed est quid à corporibus distinctum, ac seiunctum. Locũ distingui à re locata. 1. ratio.

Text. 4. d *Præterea & lationes naturalium, simpliciumque corporum, vt ignis & terræ, & aliorum huius generis non solum declarant locum aliquid esse; sed etiam vim quandã habere: vnũquodq; enim nisi prohibeatur, in suum ipsius fertur locũ, aliud quidem in superũ, aliud in inferũ. Hæ autem loci sunt partes & species, superum & inferum, & sex dimensionum*

Text. 5. *reliquæ. Nec solùm quoadnos hæc sunt, superum, & inferum, dextrum, & sinistrum. Etenim nobis non eadem semper sunt, sed ex situ, prout nos conuerterimus, existunt. Quo fit vt idem dextrum sit sæpe, & sinistrum, inferum, & superum, ante, & retro. In natura verò vnumquodque per se distinctum est: non enim superum quiduis est; sed quo ignis & leue fertur. Similiter & inferum non quiduis; sed quo grauia, & terrea, tanquam non situ solo; sed facultate etiam differant.* e *Declarant verò & Mathematica, quæ cùm in loco non sint, situ tamen nostro dextrum habent, & sinistrum, ita vt eorum situs animo tantum concipiatur, cùm nihil horum habeant natura.*

Text. 6. f *Præterea qui inane aiunt esse, ij locũ esse pronuntiant, quãdoquidem inane locus sit, qui corpore est destitutus. Ex his igitur existimare aliquis possit locum quidpiam esse à corporibus diuersum, corpusque omne sensile in loco esse. Videri autem potest & Hesiodus rectè dicere, cùm Chaos primum fecerit. Inquit enim*

Principio Chaos est generatum ante omnia, post quod
Pectus habens latum tellus.

Quasi primum oporteret receptaculum rebus præparari, propterea quod, vt plerique, omnia alicubi, & in loco esse existimaret.

Text. 7. *Quod si eiusmodi est, admiranda quædã; & omnibus antiquior loci vis erit. Id enim, sine quo aliarum rerũ nulla est, ipsum autem est sine alijs, necesse est primum esse. Etenim locus non perit, ijs quæ in eo sunt intereuntibus.*

Text. 8. g *Sed dubium existit, si est, quid sit, vtrum corporis quædam moles, an quæpiam alia natura: ipsius enim genus primò quærendum est.*

Di-

d Pręterea &} Secunda ratio, quę ducitur à latione, ita habet. Id, quò simplicia corpora naturaliter rapiuntur, non modò est in rebus; sed etiam vim quandam habet eas conseruandi, tuendique; at corpora simplicia insita naturę propẽsione alia sursũ, alia deorsum, quę naturales loci differẽtię sũt naturę impetu commeant; locus igitur non modò est in rebus; sed prędictam etiam virtutem sibi vendicat. 2. ratio.

e Declarat verò & Mathematica.} Placet Gręcis interpretibus aliam hic rationem subijci ad probandum locum esse. Dari, inquit, locum res Mathematicæ ostendunt, quę etsi per se, ac vi sua in loco non sint, sicuti nec per se mouentur; tamen nostrę mentis beneficio loci differentias sortiuntur. Nam quemadmodum lineas cogitatione à motu, materiaque absoluimus, ita eis lęuam, & dextram, quam natura non habent, imaginando tribuimus. Lege Aristotelem lib. 2. de cœlo cap. 2. 3. ratio.

f Pręterea qui} Hęc est alia ratio ad idem institutum, ab auctoritate quorundam Philosopho- 4 ratio.

sophorum, qui vacuum posuere. Nam cùm vacuum sit locus carens corpore, iam locum dari
Hesiodus. fatebantur. Profert autem in eandem sententiam Hesiodi testimonium, qui in sua Theogonia scripsit, ante omnia effectum Chaos, non solùm vt rudem & indigestam molem; sed vt cõmune corporum latentium gremium, hiantem sinum; deinde terram ad excipiendas dissimilium corporum formas, quę per generationem inducendę erant. Putabat enim locum precedere oportere ea, quæ loco recipiuntur. Quod si ita est, inquit Aristoteles, admiratione, & spectatu dignissima ceteriisque vetustior loci vis est, cùm sine alijs extitisse perhibeatur, alia verò sine ipso cohærere non possint.

g Sed dubium) Probauit hactenus locum esse; nunc in contrariam partem disserit, pariterque loci naturam, & definitionẽ scrutatur. Proponit ergo sex argumenta, quibus ostẽdi videtur non dari locum. Primum ita habet. Si locus quidpiam esset, maximè videretur esse corpus; siquidem constat tergemina dimẽsione, longitudine, latitudine, & profunditate, quibus corporis natura definitur: atqui corpus esse non potest, quia cùm locus, & id, quod loco cohibetur, simul sint, sequeretur duo corpora simul existere, seq; permeare: locus igitur nihil est.

Videri locũ nihil esse.

Dimensiones quidem tres habet, quibus corpus omne definitur, longitudinem, latitudinem, et altitudinem: fieri autem non potest, vt locus sit corpus, propterea quod in eodem duo essent corpora. h *Præterea si corporis locus est, & receptaculum, constat & superficiei esse, & cæterorum extremorũ. Eadem enim accõmodabitur ratio, quandoquidem illic vbi aquæ superficies priùs erat, aeris superficies vicissim erit: sed puncti, & loci puncti differentiam nullam habemus: quare si locus ab hoc diuersus non est, nec ab vllo quoque cæterorum diuersus erit, nec aliud quid est locus præter horum vnumquodque.* i *Quid enim locum esse tandem ponemus? neque enim elementum, neque ex elementis vel in rebus corporeis, vel in corpore vacantibus id esse potest, quod huiusmodi obtinet naturam: magnitudinem nanque habet, corpus autem non est: ac sensilium quidem corporum elementa sunt corpora, ex elementis autem, quæ mente apprehenduntur, magnitudo nulla exoritur.* k *Cuius præterea rei causam locũ esse aliquis posuerit? nulla enim causarum quatuor ei congruit. Neque etenim vt materia rerum est causa, cum ex eo nihil constet: neque vt species, & ratio, neque vt finis, nec vt mouens causa.* l *Iam verò si sit, ipse quoque erit alicubi. nam Zenonis dubitatio rationem aliquam quærit. Si enim quidquid est, in loco est, manifestum est fieri, vt loci quoque sit locus: hocq; in infinitum proficiscetur.* m *Præterea si vt corpus omne in loco est, sic in omni loco est corpus, quonã pacto de his, quæ augescunt, dicemus? si enim cuiusque locus nec minor est, nec maior, necesse est ex his eorum locum simul augeri. His itaq; non solùm quid est, verùm etiam an sit, dubitare necesse est.*

Text. 9. Text. 10. Text. 11. Text. 12. Text. 13.

2 arg. h Prẽterea si corporis) Secundũ arg. ita concluditur. Si locus ex alterna corporum vicissitudine, & trãslatione rite argueretur, dandus etiã foret locus superficiei, & lineę, immo & puncti: siquidem hęc etiam aliò transferuntur, sibiq; mutuò succedunt; at horum nullum locum dari liquet ex eo, quia si puncti locus esset; cùm locus, & id quod loco continetur, æqualia sint, & coniuncta, iam locus esset quid intactile, sicuti punctus, atque adeò duo indiuisibilia quantitatis simul essent, quod fieri non potest. Idem similiter de linea, & superficie demonstrabitur.

3 argum. i Quid enim locum) Tertium arg. Si detur locus, magnitudinem habeat necesse est, cùm sit corpori æqualis, & tamen eam habere non potest. Non igitur locus datur. Probatur minor. Nam si eam haberet, vel tunc locus esset corporeum elementum, ex elementis ue corporeis cõstans, atque ita duo corpora simul existerent, seque penuaderent: vel esset elementum vacans corpore, aut ex elementis corpore vacantibus constitutum; quod etiam fieri nequit, quia eiusmodi elementa non dantur in natura.

4 argu. k Cuius prẽterea rei) Quartu n arg. Si, inquit, locus sit, vtique erit causa rerum, quę ipso continentur; cùm vim quandam obtinere perhibeatur. Sed hoc dici non potest, quia nullum

est

CAP.

est causę genus,ad quod referri queat,vt causarum genera sigillatim intuentibus perspicuè patebit Ergo etcęt.

l Iam verò si sit) Quintum arg. est Zenonis, qui ex aliorum Philosophorũ confessione sumebat omnia,quę in rerum vniuersitate sunt,loco contineri.Tunc ita argumentabatur. Quidquid est cohibetur loco; ergo si locus est,ipse etiam loco cohibetur. Sed hoc fieri nequit,quia dabitur progressus infinitus in locis.Impossibile est igitur dari locum. 5.argum. Zen.

m Præterea si vt) Sextum arg. Si locus ita est à natura comparatus, vt omne corpus in loco,& in omni locò corpus sit,sequitur,cùm res viuentes incrementa accipiunt,ipsum quoque locum cum ijs dilatari & crescere; siquidem vberior quantitas maiorem locum deposcit: at non apparet qua ratione locus dilatari possit; cùm immobilis sit, & incrementi expers. Futile est igitur existimare dari in natura locum,quo res contineantur. 6.arg.

Capitis secundi Explanatio.

Quàm autem) Loci naturam explicaturus docet duplicem esse locum, communem,& propriũ.Locus proprius dicitur,qui primò,ac immediatè rem continet,qualis est superficies concaua aeris Socratem ambientis. Communis est, qui rem non primò & immediatè complectitur,veluti cœlum respectu Socratis,quem aliorum corporum interiectu ambit.Hoc posito probat locum videri formam esse,hoc modo.Forma est terminus, siquidem terminat magnitudinem,idest extensionem materiæ,& materiam magnitudinis,idest ipsam substantiam materię tali affectam extensione: sed locus est etiam terminus cùm definiat,ac circunscribat rem locatam:videtur igitur concedendum locum formam esse.Hęc ratio,vt aduertunt Simplicius, Commentator, & D.Thomas, nullam habet speciem verę probationis, cũ cõstet ex vtraque propositione affirmante in secunda figura; proindeque tantummodò gratia disputandi ab Aristotele affertur. Locꝰ duplex. Communis & proprius. Locum videri formam.

CAP. II.

Text. 14. *Quàm autem aliquid per se, aliquid per aliud dicatur, locus quoque alius cõmunis est, in quo omnia insunt corpora,alius proprius, in quo primo vt in cœlo nũc es, quia in aere,qui est in cœlo, in aere autẽ, quia in terra, & in hac similiter ,quia hoc in loco,qui nihil præter te continet. Si igitur locus est id,quod vnũquodque corpus primò cõtinet,certè erit extremum: quare cuiusque rei species,& forma,qua magnitudo,& magnitudinis materia terminatur,locus esse videbitur: hæc enim vniuscuiusque est terminus.Qui ergo ita considerant,ijs cuiusque rei forma est locus.*

Text. 15.

b Quatenus autẽ) Videri materiam. Proponit rationem, quę suadet locũ esse materiã ; nẽpe quia locꝰ nihil aliud esse videtur,quàm interuallum ; quandoquidem hoc ęquale est magnitudini , sicuti

b *Quà-*

& locus : at materia interuallum est,seu receptaculum,in quo formę recipiuntur, quod quidem à formis ipsis,quasi terminis,& limitibus cohibetur,cùm suopte ingenio indefinitum,& vagum quidpiam sit.Et verò quòd materia à formis,& dimensionibus diuersam habeat naturam.(Nam id etiam ad rationem loci comparatione rei contentę exigitur,) ex eo ostenditur,quia termino,& dimensionibus,alijsque id genus cogitatione à materia abiunctis,adhuc materia integram,incolumemque essentiam retinet.

c Quo circa) Propter similitudinem,quę inter locum,& materiam cernitur,vt proximè dictum fuit,scripsit Plato in Timeo materiam & receptaculum, siue locum idem esse : quanquam aliter pronuntiarit in dogmatibus,quę ab eo discipulis tradita,non tamen literis cõmendata fuerit; vbi materiam , magnum & paruum nuncupauit. Vnde cùm omnes cõmunassensu locum ponerent, solus Plato quid nam esset, explicare aggressus fuit,etsi verbis aliquantulum remotis ; siquidem non tam quid locus,quàm quid materia esset, declarauit,aiens materiam conceptaculum,siue locum formarum esse. Platoni materia & locus idem. Solus Plato Loci naturã explicare aggressus est.

d Illud

d Illud verò intelligere } Ostendit locum nec formam esse, nec materiam, proindeque nihil superioribus argumentis fuisse conclusum, argumentatur verò in hunc modum. Id, quod separatur à re non potest esse eius forma, aut materia; cùm hęc rei naturalis essentiam constituant; sed locus separatur à re, vt ex corporum translatione constat. Igitur locus nec forma est, nec materia, nec item alia rei compositę pars, aut accidens illi inhęrens. Deinde quod materia non sit locus separatim probat, quia loci est continere, materia verò non continet, sed

Locum non esse formam, nec materiã.

cõtinetur potiùs. Hîc Platonem reprehendit, quod cùm materia, vt in Timęo scripsit, locus formatũ sit, vel magnum & paruum, vt aliàs docuerat, non tamen causam reddidit cur ideas & numeros extra omnem locum esse affirmaret.

Reprehenditur Plato.

e Quod si in re ipsa } Idem institutũ confirmat hoc modo. Res, quę mouentur, in loca propria feruntur; in materiam, & formã nulla res fertur, quia vnumquodque suam intra se materiam & formam continet. Non igitur locus materia aut forma est. Item si forma & materia locus forent, iã locus vna cum te mota cieretur, & locum sibi etiã vindicaret, atque ita loci locus esset, qnod absurdũ est.

b *Quatenus autem magnitudinis videtur interuallum, materia: hoc enim à magnitudine diuersum est, idque est, quod à forma, veluti à superficie, vt termino continetur, & terminatur: huiusmodi est materia, & id quod est interminatum. Terminus namque & affectiones cùm à sphæra fuerint detractæ, nihil præter materiam remanet.* c *Quo circa & Plato materiam & receptaculum ait in Timæo idem esse. Quod enim accipere aptum est, & receptaculum, vnum idẽque esse. Cùm verò aliter ibi, aliter in his, quæ dogmata ἀγραφα, id est, non scripta nominantur, id quod accipere aptum est, sumat, locum tamen & receptaculum idem esse enuntiauit. Inquiunt quidem enim omnes locum aliquid esse: quid verò sit hic solus dicere aggressus est. Quid itaq; ex his considerant, ijs non iniuria videbitur difficile esse quid locus sit, cognoscere, siquidem horum alterutrum seu materia, seu species est; alioqui enim etiam altissimam hæc habent contemplationem, & separata inter se non est facile ea intelligere.* d *Illud verò intelligere non est difficile, vtrũuis horum locum esse non posse. Forma enim & materia à re non seiunguntur, locus autem potest seiungi: quandoquidem eo vbi aer erat, aqua vicissim ingreditur, aere & aqua sibi mutuò locũ cedentibus, & alijs corporibus similiter. Quare nec pars, nec habitus est locus, sed ab vnaquaque re potest seiungi: locus enim vasis similitudinem videtur habere. Vas namque locus est, qui potest transferri, nullaq; rei pars est. Quatenus igitur à re est separabilis, forma non est, qua autem continet à materia diuersus est. Videtur autem semper id, quod alicubi est, & ipsum aliquid esse, & extra ipsum aliquid aliud. Platoni quidem (si digrediendo liceat dicere) causa reddenda erat, cur formæ, & numeri in loco non sunt, si locus est id, quod participat, siue magnum id sit & paruum, siue materies, vt in Timæo scripsit. Præterea quonam pacto in suum ipsius locũ quodque ferretur, si locus materia esset, aut forma? Non enim potest id locus esse, quo nihil mouetur, neque superum est, aut inferum. Quare in his quærendus est lous.* Text. 15. Text. 16. Text. 17. Text. 18. Text. 20.

f Quin etiam } Non parua est interpretum dissensio in explicatione huius loci Nõnulli è quorum numero est Aspasius, referente Simplicio, arbitrantur rationem hanc cum ijs quę proxime antecedunt, & sequuntur, minimè cohærere, sed continuandum cum textu 15. vbi Aristoteles probauit non posse dari locum; quia oporteret illum augescere; hic verò idem ab eo ostendi, quia sequeretur corrumpi locum intereunte aere, ex quo aqua gignitur; cùm tamen nulla eiusmodi interitus causa possit inueniri.

e *Quod*

Aliorum explanatio.

Psellus, Alexander, & Philoponus volunt probari hic ab Aristotele, locũ non esse formam; quia cùm res corrumpitur, forma interit, nec tamen interit locus, qui contrarium non habeat. Simplicius, Diuus Thomas, & Magnus Albertus aiunt concludi locum nec formam esse, nec

mate-

materiam; quia cùm ex aere aqua gignitur, necessarium foret locum vtranque mutationem subire, videlicet tam formę quę corrumpitur, quàm materię, quę in maiorem coit densitatē, quod est absurdum. Neutra harum explicationum congruit verbis contextus, quæ non negant, sed asserunt potiùs re intereunte locum corrumpi.

Germana interpretatio est demonstrari ab Aristotele locum non esse materiam; propterea quod cùm ex aere aqua oritur, locus, qui aerem continebat, aboletur; quia nō potest aqua eundē occupare locū, sed aliū minorē. Quî ergo, inquit fieri potest, vt locus materia sit; cùm locus pereat superstite materia? aut quis materię intetitus esse potest, cùm alijs, atq; alijs formis sibi succedentibus eadem perseueret neque vnquā occidat? Legitima expositio.

Text. 20. e *Quod si in re ipsa locus inest, inesse autem necesse est, si materia est, aut forma, locus in loco erit. Vna enim cum re mutatur, mouetuŕq; & forma, & quod est inaefinitum, non semper sunt in eodem, sed vbi est res. Quare loci erit locus.*

Text. 21. f *Quin etiam aqua ex aere genita locus perijt, quod in eodem loco corpus, quod genitum est, non sit. Quis igitur est interitus? Ea igitur, quibus aliquid esse necessariò concluditur, &*

Text. 22. *rursus ea, quæ de eius essentia dubitationem ingerunt, dicta sunt.*

CAP.

Capitis tertij Explanatio.

POst a hęc) Vt proposita quęstio explicatiùs enodari queat, & argumētis in cōtrariam partem adductis commodè satisfieri, enumerat modos, quibus aliquid in alio esse dicitur, ad quos, si qui prętetea sunt, reuocari poterunt. Primus est, quo pars, siue integrans, siue physica est in toto. Secundus, quo totum est in partibus. Tertius, quo species est in genere, & vniuersim pars subiecta in suo toto vniuersali. Quartus, quo genus est in sua specie, cęteręque partes Metaphysicę in re definita. Quintus, quo forma siue substantialis, siue accidentaria, est in materia, vel subiecto. Sextus, quo res sunt in efficiente, aut in imperante, aut mouente. Septimus, quo effecta sunt in fine. Octauus, maximèq; proprius est, quo aliquid in alio est, vt in vase, & omnino in loco. Octo modis aliquid in alio esse potest. Octauus omnium maximè proprius.

b Quęrat aliquis) Explicatis modis, quibus aliud in alio est, in controuersiam vocat vtrum ne aliquid in se ipso esse possit, vel potiùs omnia, aut nullibi sint, aut in alio. Priusquam respondeat sumit bifariam intelligi posse aliquid in se ipso esse; nimirum aut per se, hoc est, primò, siue secundum se totum, non autē ratione partis; aut per aliud, idest, ratione partis, seu ratione alterius, quo pacto Socrates dicitur candidus, quod eius superficies candida sit, & scientia prędituș, quia in eius animo scientia insidet. Quęstio. Nū aliquid in se ipso esse possit.

CAP. III.

Text. 23. *POst a hæc verò sumendum est quot modis in alio aliud est. Vno quidem modo vt digitus in manu, & omnino pars in toto: alio vt totum in partibus: nō enim à partibus diuersum est totum: alio vt homo in animali, & omnino vt species in genere, alio vt genus in specie, & omnino vt pars speciei in speciei ratione. Prætereà vt sanitas in calidis, & frigidis, & omnino forma in materia. Quin etiam vt res Græcorum in rege, & omnino in eo, quod primùm mouet. Ad hæc vt in bono, & omnino, vt in fine. Hoc autē est id, cuius gratia. Omnium verò maximè proprium est, vt in vase, & omnino in loco.*

Text. 24. b *Quæret autem aliquis vtrum aliquid in se esse possit, an nihil, immo omnia, aut nusquam sint aut in alio. Hoc verò est bifariā, aut per se, aut per aliud. Cùm*

1. assertio. Aliquid posse esse in se ipso per aliud.

insidet. Duplici ergò assertione quęsito respondet. Prior est, aliquid posse in se ipso esse per aliud. Hanc ex eo concludit, quia fieri po. est, vt aliquid ratione suarum partium in se insit, cùm nimirum id, in quo aliquid est, & id, quod in ipso est, sunt partes alicuius totius, v. g. propterea quod amphora, in qua vinũ cõtinetur, & ipsũ vinũ sunt partes huiusce cõplexi, vini amphora, iccirco vini amphora in se ipsa esse perhibetur, nõ quidẽ primò, sed ratione partiũ.

Suadetur.

Nã quia amphora cõtinet, ideo vini ãphora dicitur cõtinere, & quia vinũ cõtinetur, iccirco vini amphora cõtinere dicitur: atq; ita vini amphora ratione suarũ partiũ in se ipsa est.

Cùm enim id, in quo est, & id, quod in eo est, totius fuerint partes, totum dicetur in se esse. Dicitur enim & ex partibus, vt albus, quòd superficies sit alba: & sciens, quòd vis ea, quæ ratiocinatur. Amphora igitur in se non erit, nec vinum, amphora autem vini erit. Vtrunque enim & id, quod inest, & id, in quo est, eiusdem rei sunt partes. Ita Text. 25. *igitur aliquid in se ipso esse potest: c primùm autem non potest: vt album in corpore: superficies enim in corpore est, scientia autem in anima. Per hæc autem fiunt appellationes, quod in homine sint, vt partes. Amphora verò & vinum cùm separata sunt, partes non sunt: sed cùm sunt simul. Itaque cùm partes fuerint, idem in se erit, vt album in homine, quod sit in corpore, & in hac quia in superficie, in hac verò non per aliud. Atque hæc quidem superficies, & album diuersæ sunt speciei, aliaque & natura & vi vtrunq; est præditum. Nec igitur si inductione consideremus, in se* Text. 26. *quicquam esse vllo eorum, qui definiti sunt, modorum videmus: nec item esse posse ratione planum efficitur. Ambo enim vtrunque esse oportebit, vt amphoram & vas, & vinum esses vinum autem, & vas, & amphoram, siquidem aliquid in se ipso esse potest. Quare vt quam maximè in se se vicissim insint, tamen amphora vinum recipiet, non quatenus ipsa est vinum: sed qua ex parte amphora est: vinum autem in amphora inerit, non qua parte ipsum est amphora: sed quatenus illa amphora est. Ac ratione quidem diuersa esse est manifestum, cùm eius, in quo est alia sit ratio, alia eius, quod est in eo.* d *Sed neque ex accidenti esse potest: duo* Text. 27. *enim corpora simul erunt, propterea quod amphora in se erit, si id esse in se potest, cuius natura ad recipiendũ est apta, præterea, & illud ad quod recipiendum est comparatum, vt vinum, si vini. Perspicuum est igitur aliquid in se primum* Text. 28. *esse non posse.* c *Illud*

2. assertio. Nihil in se ipso per se esse.

c Primum autem} Statuit posteriorem assertionẽ, videlicet nihil in se primum, siue per se, esse posse. Ac rursus explicat, quo nã modo aliquid ex parte in se esse queat. Deinde prędictã assertionẽ confirmat. Nam si quis modos omnes, quibus aliquid in alio esse dicitur, sigillatim percurrat nullũ sanè reperiet, quo aliquid per se, sine primùm, in se ipso esse dicatur. Tũ alia ratione idẽ cõprobat. Si enim, inquit, in se ipso primum, ac per se aliquid sit, vt amphora vini, necesse erit tam vinum, quam amphoram, vtrunque ipsorum esse. Nã cùm ratio amphorę sit recipere, ratio vini recipi, si amphora vini in se erit, ambę hę rationes vtrique competent, quia amphora erit in amphora, & vinum in vino: atque amphora quatenus recipiet amphora erit; quatenus recipietur, vinum, itemque vinum prout se recipiet, amphora, prout recipietur, vinum erit.

Probatur.

Non ex accidente.

d Sed neque ex accidẽte} Demõstrat nec ex accidẽte posse aliquid in se ipso esse. Quod vt intelligas aduerte, esse in aliquo ex accidente, prout hoc loco ab Aristotele sumitur, idem valere, atque accidere alicui, quod est in illo per se: quo pacto anima est in loco, quia corpus, quod informat in loco est. Probat ergo propositum Aristoteles ex eo quia sequeretur duo corpora simul esse. Nam si amphora ex accidente in se sit, erit amphora in eo, quod per per se in ipsa inest: hoc est, in vino, & ita vtrunlibet erit in amphora, vinum per se, amphora ex accidente: atque adeo duo corpora eundem locum obtinebunt.

Confirmatio.

e *Illud*

a Illud vero de quo Zeno} Ex dictis facilem esse ait explicationem rationis, qua Zeno locum è medio tollere contendebat, propterea quod si locus sit erit in aliquo, vt in loco; tum rursus ille locus in alio erit, sicq; in infinitum quæstio abierit. Nã cùm tã multis modis, inquit Aristoteles aliud in alio esse perhibeatur, non oportet quidquid est in aliquo, vt in loco esse. Locus igitur in aliquo est, non tãquam in loco, sed vt in subiecto, vel vt in materia. Nã quod locus nec materia ipsa, nec forma sit, consp icuum iam est, cùm hę sint partes rei compositę, quę à loci natura longè abest.

Quo facto solui possit ratio Zenonis nitentis locũ è medio tollere.

a *Illud verò, de quo Zeno dubitabat, si locus est, in quo sit, nõ est difficile diluere: nihil enim prohibet primũ locũ in alio inesse, nõ tamen vt in eo, vt in loco insit, sed quemadmodum sanitas in calidis, vt habitus, calidum verò in corpore vt affectio. Ita non erit necesse in infinitum abire. Illud verò manifestum est, cùm vas nihil eius sit, quod in ipso inest, (aliud enim est id, quod primum inest, aliud id, in quo) locum nec materiam esse, nec formam, sed aliud: hæc nanque materia & forma, illius, quod inest, aliquid sunt: & de his quidem sit dubitatum. Sed quid tandem locus sit perspicuum fieri hoc modo potest.* CPA.

Text. 29.

Capitis quarti Explanatio.

SVmamus igitur} Vt loci naturam inuenire, & appositè explicare queat, præcipuas quasdam illius affectiones, quę loco in esse communi hominum intelligentia, opinioneque iudicantur, inculcat, ita dilucidè vt res explicationem minimè requirat; præter id, quod ait, omnem locum, superum, inferumque obtinere, quod duobus modis interpretes explicant. Nimirum vel disiunctim, ita vt doceat Aristoteles omnem locum, aut superum aut inferum esse, quę est interpretatio Simplicij, Themistij, & Philoponi. Vel copulatim, vt asserat in omni loco superum esse & inferũ; quo pacto pars aeris, quę ignem tangit superior est, quę tertã, inferior. Nõ recensuit autem hîc cęteras loci differẽtias, quod hę, vt Simplicius annotauit, & præcipuę, & naturalibu corporibus magis apprię habeantur.

Loci affectiõnes.

Omnẽ locũ, superum inferũq; obtinere, quis sensus.

b Enitendum autem est} Constitutis tanquam fundamẽtis loci proprietatibus, quę maximè idonea ratio est ad indagandum quid res sit, vt 1. de anima cap. 1. Aristoteles docet; quàm accuratam, exactamque loci definitionem tradere in animo habeat, exponit Monetq; inquisitionis loci causam fuisse lationem: ideo enim veteres Philosophi cœlum maximè in loco esse arbitrati sunt, quod perenni motu agitetur. Tũ motũ, qui ad locum pertinet,

Maximè idõnea ratio ad inuestigandã quidditatem rerum.

CAP. IIII.

SVmamus a de ipso, quæ verè per se ineſſe ei videntur. Primum igitur locum id, cuius est locus continere, nihilque eius esse arbitramur. Præterea locum primum nec minorem esse, nec maiorem, nec à quaque re distitui, & separabilem esse, deinde locum omnem superum & inferum habere, & vnunquodque corpus ad propria loca naturaliter ferri, & in eis conquiescere, idque aut in supero, aut in infero loco efficere. His autem positis contemplari reliqua debemus. b *Enitendum autem est ita considerare, vt definitio eiusmodi reddatur, ex qua & ea, de quibus dubitatur, dissoluantur, & quæ ineße videntur in loco ei conueniant. Præterea difficultatis, & quæ de eo sunt dubietatum causa innotescat. Ita enim pulcherrimè vnunquodque fuerit monstratũ. Pri-*

Text. 30.

Text. 31.

Tripartita distributio motus localis.

trifariam distribuit, videlicet, in lationem, accretionem, diminutionem; licet duo posteriores non verè, ac simpliciter motus locales sint; sed duntaxat motum localem adiunctũ habẽti quatenus omne id, quod augescit, maiorẽ locum accipit, & id, quod diminuitur, minorem.

Multiplex notio eorũ, quę mouentur.

c Aliud verò est} Tradit partitionem quandam eorum, quæ mouentur, aiens quędã moueri per se, idest, ratione sui, vt composita physica: quędam ex accidente, hoc est ratione alterius, cui insunt, vt rerum physicarum partes, earumque accidentia. Deinde eorum, quę ex accidente mouentur, quędam posse per se motum subire, vt easdem rerum physicarum partes, si à toto abiungantur; alia non posse vt accidentia.

d Quoniã autem} Repetita locorum, quã superiùs, tradidit, sectione; nempe quędam esse propria, alia communia; quorũ illa rei cõtentę æqualia, & cõmensurata sunt, hęc verò non itẽ; docet id quod in aliquo vt in toto est, dũ ei cohæret, nõ esse in illo vt in loco, saltẽ actu: fore tamen in eodem tanquã in loco actu si cõtinuitate sublata, prima eius superficie contineri incipiat. Et verò tunc vtriusque extrema simul erunt, & æqualitatem sortientur, & quod diuersum aut sumque est in eo, cui erat continuum, non cum eo moueri dicetur.

Id, quod in aliquo vt in loco est, non esse in illo, vt in loco sed tem actu.

Primum quidem illud intelligentia est apprehendendum, nullam de loco futuram fuisse perscrutationẽ, nisi aliquis esset motus, qui ad locum pertineret. Nam & cælũ in loco esse ob id maximè arbitramur, quod semper motu cieatur. Eius autem alius est latio, alius accretio, & imminutio: in accretione enim, & imminutione locus mutatur, & quod prius hic erat, id rursus locum minorem, aut maiorem occupauit. c *Aliud verò est, quod per se actu mouetur: aliud, quod ex accidenti: & huius aliud per se moueri potest, vt corporis partes, & nauigij clauus: aliud non potest, sed semper ex accidenti, vt albor, & scientia. Hæc enim propterea locũ mutant, quod id, in quo insunt, mutet.* d *Quoniam autem dicimus in cœlo esse, vt in loco propterea quod in aere, qui est in cœlo: & in illo quidem nõ omni, sed ob extremum eius, idq; quod continet (nam si vniuersus aer sit locus, æqualia profectò non erunt vniuscuiusque locus, & vnumquodque: videtur autem æqualis esse, talisque est primus, in quo est) cùm id, quod cõtinet, diuisum non fuerit, sed continuum, in illo non vt in loco esse dicitur, sed vt pars in toto: cùm autem seiunctũ fuerit, & tetigerit, in primo est extremo eius, quod continet, quod neque rei, quæ in ipso est, pars est, nec interuallo maius: sed æquale, quod eorum, quæ se tangũt, extrema sint simul, & continuum quidem cùm sit, non in illo, sed cum illo mouetur. Cùm autem diuisum est, in illo, seu id, quod continet, moueatur, seu non moueatur. Præterea cùm diuisum non fuerit, vt pars in toto esse dicitur, seu aspectus in oculo, aut manus in corpore: sin diuisum sit, vt aqua in vase, aut in dolio vinum. Manus enim vna cum corpore mouetur, aqua autem in vase.* Text. 32. Text. 33. Text. 34.

e Quid igitur sit} Ex ijs, quę paulo ante docuit, liquidum esse ait quid nã locus sit, nimirum extremum corporis continentis. Nunc tamen id ipsum confirmat propositis sub vnum aspectum ijs, quę loci naturam imitantur, quorum vnum duntaxat locum esse oportet. Aut locus inquit forma est, aut materia, aut interuallum quod inter extrema, idest, inter superficiem concauam corpo is continentis intercipitur, vel est superficies ipsa continentis corporis; sed de tribus prioribus nullum esse potest, erit ergo quartum. Assumptionem probat. Etenim quod non sit forma perspicuum est, siquidem forma est interna rei, locus verò extrinsecus adiacet. Nam licet continentis, & contenti corporis superficies simul sint, tamen superficies corporis ambientis, non rei locatę, sed locanti inhęret. Nec propterea quod forma & locus continere dicuntur, locus forma est: aliter enim hęc, aliter ille continendi officium administrat, vt ex dictis constat.

Definitio loci.

Locum non esse formã.

Locum non esse spatium.

f Quia verò} Ostẽdit locũ nõ esse spatiũ illud, quod intra superficiem circũfusi corporis iacet, vt priscí Philosophi aiebãt. Quod vt planè intelligatur sciẽdũ est veterũ nõnullos credidisse

in

in toto vniuerſo quoddam eſſe veluti corpus tribus conſtans dimenſionibus, quę res omnes permearent, atque omnium rerum conceptaculum, & locus eſsent. Conabātur verò ſuam perſuadere ſententiam hunc in modum. Locus eſt id, quod manens idem alia ſubinde atque alia corpora admittit, ſed ita ſe habet interuallum extremis corporis continentis interiectum, ergo iſtiuſmodi interuallum locus eſt. Hanc rationem eo conarguit Ariſtoteles, quod dimenſiones diſtinctas à dimenſionibus corporis contenti perperam inducat, cum eas ponere nulla ratio, aut neceſsitas cogat.

Veterum ſententia de receptaculo omnium rerum.

g Quod ſi interuallum) Duplici argumento oſtendit locum non eſse ſpatium illud Primum, quia ſi tale ſpatium tergemina dimenſione prędituum in natura eſſet, darentur actu infinita loca, quod nemo dicet. Probatur aſſumptū. Nam ſi locus eſset interuallum: cùm vnū corpus viribus naturalibus permeare nequeat, ſequeretur rē loco contentam infinitè diuidi, eā nēpe interuallo diſiecātes; atque ita dari infinitas partes locis infinitis diſtinctas. Huius argumenti vim aliter Simplicius, Themiſtius, aliique interpretes exponūt, omnes tamen à partiū, & locorū infinitate petitam eſse inquiunt.

Refellitur opinio veterū de ſpatio, ſiue interuallo.

Text. 35. e *Quid igitur ſit locus ex his iam conſtat. Quatuor enim fere ſunt, quorum vnum eſse locum neceſſe eſt: aut enim forma aut materia, aut interuallum aliquod extremis interiectū, aut ipſa extrema ſi interuallum nullum ſit, præter corporis, quod ineſt, magnitudinem. Perſpicuum autem eſt tria ex his eſse non poſſe. Sed forma videtur eſſe propterea quòd continet. Eius enim, quod continet, & eius, quod continetur, extrema ſunt ſimul. At ambo quidē extrema ſunt, non tamē eiuſdem, ſed forma, rei: locus autem, corporis continentis.* Text. 36. f *Quia vero quod continetur, atque diuiſum eſt, eo, quod continet manente, ſæpius mutatur, vt aqua ex vaſe, interuallum, quod intercedit, videtur eſſe veluti res quædā præter id corpus quod transfertur. Quod non ita eſt: ſed corporum eorum, quæ trāſferuntur, & tangere ſunt apta, quoduis incidit.* Text. 37. g *Quod ſi interuallum aliquod ſit, quod per ſe eſſe, & in eodē loco manere natura ſua aptum ſit, infinita profectò loca erunt: aqua enim, & aere locum mutantibus, quod vniuerſa aqua in vaſe facit, idem partes omnes in toto facient.* h *Simul verò & locus loco mutabitur: ita loci alius erit locus, multaq; loca ſimul erūt. Locus autem partis, in quo mouetur, cùm totum vas transfertur, alius non eſt, ſed idē. In eo enim, in quo eſt aer trāſfertur, item aqua, aut aquæ partes, non autem in eo, ad quem accedunt, qui quidem loci eſt pars, qui totius cœli eſt locus.* Text. 38. i *Atqui & materia locus eſſe videbitur, ſi in eo, quod quieſcit, ſeparatumque non eſt, ſed continuum, quiſpiam conſideret. Quemadmodum enim ſi alteratur, erit hoc nunc quidem album, rurſus verò nigrum, & nunc quidem durum, rurſus molle: ac ideo materiam aliquid eſſe dicimus: ſic eſſe ex buiuſmodi aliquo viſo, imaginatione q; locus videtur. Sed illud quidem ex eo euenit, quia quod erat aer, id nunc eſt aqua, locus autem, quod in eo nunc eſt aqua, in quo modo erat aer.*

h Simul verò & locus) Secundum argumētum ita habet. Si locus eſſet ſpatiū rem locatā permeās, ſequeretur locum in loco eſse, locumque mutare, & plura ſimul loca eſse, quę omnia lōgè abſunt à vero. Probatur ſequi. Nam ſi aqua in vaſe contineatur,

Aliud argu. contra antiquos Phil. exiſtim antes ſpatium eſse locum.

Sed & vaſis interuallum aquę ſit locus, vasque ab vno loco ad alium deferatur, ita vt in alio interuallo cōſiſtat, iam locus aquę, videlicet interuallum intra vaſis latera incluſum, locum mutabit, & locum alium, nempe ſpatium, in quo ſit, obtinebit: ſicque interuallum in interuallo, atque adeò locus in loco, & multa ſimul loca erunt: nimirum totius vaſis, deinde aquę, prętereā partium aquę. At enim iſtiuſmodi incommoda omnino effugit qui circunfuſi corporis ſuperficiem locum facit. Hęc enim nec locum per ſe mutat, nec in loco eſt; nec plures quę contineant extrinſecè vnā exiſtere oportet.

Declinari incōmoda poſita ſuperficie circūfuſi corporis pro loco.

i Atqui materia) Probauit hactenus locum neque formam, neque interuallum cauo ambitu incluſum, nec materiam eſse: rurſus nunc, nequa ſuperſit dubitatio, materiam non eſse confirmat. Licèt enim materię naturam imitetur, quatenus vt eadem materia varijs ſubinde formis

Locus materię naturam imitatur, non tamen eſt materia.

formis induitur, ita locus immotus manens, idemque perseuerans continuò diuersa corpora vicissim recipit: plurimùm tamen inter se natura differunt. Primùm, quia materia diuersas formas excipiens sit rei compositæ pars; non autem locus. Deinde, quia materia re incolumi non potest ab ea disiungi, neque illam continere dicitur; quę tamen loco rite conueniunt. Reliquum est igitur vt locus, quoniam nec materia, nec forma, nec interuallum est, vltima corporis continentis superficies sit: continentis inquam id, quod lationem subit.

Loci natura cognitu difficilis.

k Locus autem quid sit? Loci naturam cognitu, inuentuque difficilem esse ait, quia formę & materię similitudinem pręsefert, similitudo autem sępe numero deceptionem parit vt Plato in sophista monet, tum quia translatio quiescēte, immobilique loco fieri debet, quę immobilitas, atque adeò loci ratio interuallo conuenire videtur. Persistit nihilominus in sententia asseuerans locum esse superficiē non quanlibet, sed immobilem. Quo fit vt tametsi quodlibet vas locus appellari possit, & quiuis locus vas dici queat, āpliata nimirum vocabuli significatione, vt locus idem valeat atque continens; tamen, si propriè loquendum sit, nō ita se res habeat, quia vas aquam, verbi gratia, continens non propriè locus aquę dicitur, propterea quod simul cum ea mouetur. Qua etiam de causa aqua fluminis nauigium circūfluens cùm moueatur, non propriè locus habetur, sed magis ipse fluuius, qui immobilis est: licet neque hic propriè locus sit, cùm non primò contineat.

Locus superficies immobilis.

Sed materia (vt antea dictum est) nec à re separabilis est, nec continet, cùm tamen vtrunque loco conueniat. Si igitur horum trium nullum est locus, nec materia, nec forma, nec interuallum vllum, quod semper sit ab interuallo eius rei, quæ transfertur, diuersum, necesse est quatuor illorum reliquum esse nempe extremum corporis, quod continet. Atque id corpus dico contineri, quod latione potest moueri. k *Locus autem quid sit perspicere magnum quid esse, atque difficile videtur, tum quod & materiæ, & formæ speciem referat, tū quod rei, quæ transfertur translatio in eo, quod continet, quiescente efficitur. Videtur enim interuallum posse esse à magnitudinibus, quæ mouentur, diuersum. Ad quod etiam aer aliquid conducit, qui vacare corpore videtur, non solùm enim vasis extrema locus videtur esse; sed id etiam, quod vt inane interiectum est. Vt autem vas est locus, qui potest transferri, ita & locus vas est immobile. In eo itaq́, quod mouetur, cùm aliquid mouetur, idque quod intus est, locum mutat, veluti in flumine nauigium, vt vase potiùs, quàm vt loco, eo, quod continet vtitur: locus enim immobilis vult esse. Quocirca vniuersum flumē magis est locus, quoniā vniuersum est immobile.* l *Quāobrem locus eius, quod continet, extremum est immobile primum. Atque hanc ob causam medium vniuersi, & conuersionis extremum, quod ad nos pertinet, hoc quidē sursum, illud verò deorsum, maximè propriè omnibus videtur esse, quando quidem illud semper manet, orbis autem extremū modo eodem semper consistit: quare cùm leue id sit, quod natura sursum fertur, graue quod deorsum, terminus, qui ad medium continet, infra est, & ipsum quidem medium: qui verò est ad extremum, supra est, & ipsum extremum.* m *Ob camq́ causam locus, idq́ quod continet, planum quoddam, & quasi vas videtur esse, simul etiam cum ipsa re quodammodo est locus, propterea quod termini simul sunt cum eo, quod est terminatum.*

Text. 39. Text. 40. Text. 41. Text. 41.

Perfecta loci definitio.

l Quam obrem locus? Proponit iam absolutam, atque omnibus numeris perfectam loci definitionem, nimirum Locus est extremum, seu finis corporis continentis, immobilis, primus. Quę tamen loco non in tota sui significati amplitudine, sed proprio, & immediato solum conuenit. Quo verò pacto ea sit intelligenda enucleatè à nobis in progressu explicabitur. Probat autem Aristoteles locum immobilem esse testimonijs veterum philosophorum, qui mundi medium iccirco maximè propriè locum infimum dici putabant, & concauam cœli faciem locum superum, quod hęc in eodem situ maneant.

Veteres mundi mediū maximè locum putabant.

Loci obscuri explicatio, de qua dissentiūt interpretes.

Porro autem quid sibi velint ea verba, Terminus, qui ad medium etcæt. non constat inter expositores; aliterque illa Philoponus, Porphyrius, & Simplicius, aliter Themistius interpretantur. Omissis tamen controuersijs videtur Aristoteles per terminum, qui ad medium continere

rene dicitur, significare superficiem continentem ea corpora, quę suopte ingenio in mediũ tendunt, videlicet: intimam aeris superficiem, quę globum ex aqua & terra conflatum circundat: medium autem vocare centrum mundi, ad quod grauia descendunt; docereque vtrunq; horum esse infra. Per terminum verò, qui ad extremum continet, designare lunę superficiem, quę ad extremum cœli versus nos esse dicitur. Itaque eiusmodi superficiem, extremumue, sursum esse.

m Ob eamque causam) Declarat quo pacto locus dicatur superficies prima, videlicet, quia cùm locus sit planũ quoddã, ideſt, superficies adequatè respondens rei locatę, cùmque termini vtriusque ideſt, tam contenti, quàm continentis corporis, simul sint, consequens est, vt locus sit superficies contento corpori primùm occurrens.

Cur locus dicatur superficies prima.

Capitis quinti Explanatio.

Ita D itaque corpus) Ex tradita loci definitione ostẽdere aggreditur quę nam corpora, & quibus modis in loco sint. Ac primùm docet ea secundum se & absolutè in loco esse, quæ ab alio corpore continentur; siquid verò extra se aliud corpus non habeat, vt vniuersum, id non posse prędicto modo locum obtinere, immo nec motum subire nisi merito partium.

Quę nam secũdum se & absolutè in loco sint.

Quid Aristoteles, Vniuersi, appellatione significare voluerit magna est interpretum dissensio. Nam Gręci fere omnes significari volunt cœlestem duntaxat mundum, quem inquiũt ratione partiũ, ideſt, orbium, quibus constat, quorum inferiores à superioribus cõtinẽtur, in loco esse; non autem secundũ se totum. cùm extra cœli complexũ nullum sit corpus. Magnus Albertus & Auerroes designari censent totam corporei mundi vniuersitatẽ, quę similiter ratione partium, non ratione totius, locum habere potest. D. autem Thomas, alijque nõnulli intelligunt primam sphęrã, seu primum mobile, quod, Aristotelis sententia nullo ambitur corpore. Atque hęc interpretatio germanior est, magisque consentiens cum verbis Aristotelis, præsertim ijs, quę de loco actu, & potestate paulò post sequuntur. Illa autem verba, Nec sursum quidem etc. sic intelligito: extremę sphęrę partes non ita se habent, vt alię quidem in orbem agitentur, alię in superum, aut inferum locum eant, hoc enim ijs tantùm, quę rarifieri & addensari possunt, conuenit.

Vocabulo vniuersi quid nam Aristoteles significarit.

CAP. V.

Text. 43. *Ita D itaq; corpus in loco est, extra quod aliud corpus est, quod ipsum contineat: illud verò non est, extra quod nullum est. Quapropter etiamsi aqua eiusmodi fuerit, partes quidem ipsius mouebuntur, propterea quod alia aliam cõtineat: vniuersum verò partim mouebitur, partim nõ mouebitur: vt totum quidem enim simul locum non mutabit, in orbem autem mouebitur: hic namque partium est locus. Nec sursum quidem, & deorsum, in orbem autem aliquæ, aliæ verò sursum, & deorsum, quæ densitatem habent, & raritatem.* Text. 44. b *Quemadmodum autem dictum est, aliqua sunt in loco potestate, aliqua actu. Quapropter cùm id, quod similium est partium, continuum fuerit, partes potestate sunt in loco, cùm autem diuisum quidem sit, sed partes se tangunt, vt cumulus, actu. Et alia quidem per se, vt corpus omne, quod aut latione, aut accretione mobile est, per se alicubi est.* Text. 45. Cæ-

Motus sursum & deorsum ijs tãtùm cõuenit, quę rarefieri, & cõdẽsari queũt.

b Quemadmodum autem) Enumerat modos, quibus res in loco esse queunt: nimirum potestate, vel actu: per se, vel ex accidente. Potestate dicuntur in loco esse partes cuiuslibet continui, quę ita in eo insunt, vt ab illo diuisę non sint, diuidi tamen possint. Actu verò sunt verbi gratia eędem partes, cùm ab se mutuò diuulsæ fuerunt, ita tamen, vt vna alteram tangat, & in modum acerui contineat. Per se, illa quę ratione sui in loco sunt, vt Socrates, vt ar-

Modi, quibus res in loco esse possũt.
Potestate.
Actu.
Per se.

vt arbor, vt elementa. Ex accidente, quę sunt in eo, quod in loco per se est; vt animus in corpore, vt color in magnitudine: vel quę sunt in loco per aliud, vt continuum non circunfusum alio corpore, quod merito partium ad modum ante explicatum in loco est. Docet ergo Aristoteles supremam sphęram non contineri loco per se, sed ex accidente, & per aliud, videlicet partium beneficio: eiusdem verò partes, quę sibi inuicem innexę in orbem rapiuntur, in loco esse potestate duntaxat.

Supremum cœlum non per se, sed ex accidente in loco esse.

c Vniuersum autem) Hic vniuersum pro tota corporeę molis vniuersitate sumit: atque non esse ipsum per se in loco, quia nullum extra se corpus vendicat. Quo fit inquit vt cœlũ omnia ambitu suo coerceat, tanta molis amplitudine, vt propemodum vniuersi nomen sibi arroget, quatenus cętera corpora illius cõparatione parum habent momenti. Non est tamen sublunariũ corporum locus cœlum ipsum, sed caua eius superficies, eatenus immobilis, quatenus in gyrum sic torquetur, vt secundum se totam non alio migret. Nec itẽ, inquit, eiusmodi superficies proprius, ac proximus inferiorũ corporum locus habetur, sed cõmunis, ac remotus. Namque excepto igni, qui lunari globo proximè cohęret, singula alium peculiarem, sibique proprium locum sortiuntur. vtiq; terra in aqua est, aqua in aere, aer in igni, ignis in prima cœli sphęra, alij orbes in superioribus vsque ad extremum, qui vt nullum iam supra se habet, ita in loco actus non est.

Locus corporum sublunariũ non est cœlum, sed eius concaua superficies.

Cœlum autem, vt diximus, nusquam est totum, neque vllo in loco: siquidem nullo corpore continetur: sed quatenus monetur, eatenus partibus est locus, quandoquidem alia aliam continet: alia verò ex accidenti, vt anima & cœlum. Omnes enim partes quodammodo sunt in loco: siquidem in orbem alia aliam continet, ex quo fit, vt in orbem id solum, quod superum est, moueatur. c Vniuersum autem alicubi non est: quod enim alicubi est, & ipsum aliquid est, & aliud quid, in quo continetur, oportet esse: at extra vniuersum, ac totum nihil est. Ob eam ęq; causam in cœlo sunt omnia: quandoquidem cœlum vniuersum fortasse est. Non est autem cœlũ locus, sed cœli aliquid, nempe extremũ, ac terminus quiescens, qui mobile corpus contingit. Atque hanc ob causam terra, in aqua est, hęc in aere, hic in æthere, æther in cœlo, cœlum non vltra in alio. Text. 46.

d Illud verò ex hisce est perspicuum, si locus hoc modo definiatur, dubitationes omnes dissolui posse: neque enim necesse est locum simul augeri, neque puncti esse locum, neque in eodem loco duo corpora, neque corporeũ quippiam interuallum esse. Corpus namque est quidquid loci extremis interiectum, non autem corporis dimensio. Estq; etiam locus alicubi, non vt in loco: sed vt terminus in eo est, quod est terminatum. Non enim in loco est quicquid est, sed corpus mobile. Text. 47.

e Atque etiam in suum quęque locum ratione optima res fertur. Quod enim deinceps collocatũ est, & tangit non vi, id est, cognatum: ac ea quidem, quæ copulata sunt, impatibilia sunt: quæ verò se tangunt, vicissim patiatque agere apta sunt. Text. 48.

f In

Responsio ad argumenta, quæ locum tollebant.

Ad 6.

Ad 2.

Ad 1.

Ad 3.

d Illud verò ex hisce) Perspecta loci definitione facile esse inquit argumẽta, qua ipsũ è medio tollere videbantur, dissoluere. Respondet igitur ordine retrogrado, vel potius ex ijsque hactenus dictum est, responsionem petendam vult. Imprimis quod ab 6. attinet, non oportere locum propriè augescere, cùm locus non sit corpus, & incrementum solis corporibus propriè conueniat. Itaque dum corpus loco contentum augescit, simul etiam corpus circũfusum, vt aer, vel aqua cedit, eoque cedente, caua superficies ipsi inhęrens maior fit, atque ita per accidens locus augetur. Ad 2. superficiem, lineam, & punctum non transferri aliò per se, sicuti corpora, sed tantummodò exaccidente, ideoque solis corporibus conuenire in loco esse. Ad 1. locum non esse corpus, nec constare tribus dimensionibus, sed esse superficiem longitudine tantùm, ac latitudine prędita. Ad 3. locum non habere magnitudinem, cùm neque sit corpus, neque corporum interuallum, quale veteres fingebant.

His non obstat quod locus dicitur ęqualis rei contentę, vt enim annotauit Magnus Albertus, & Auerroes commen. 77. huius libri duplex est ęqualitas, altera dimensionis, altera continentiae. Aequalitas dimensionis est, qua vnum secundum omnes dimensiones, longitudinem

dinem

dinem videlicet latitudinem, & profunditatem alteri adęquatur. Aequalitas continentię est qua vnum alteri ęquale est secundum longitudinem & latitudinem duntaxat. Igitur prior ęqualitas solis corporibus conuenit; posterior autem loco aptatur, qui extremę superficiei rei contentę ex ęquo respondet, simulque cum ea existit.

Estque etiam } Ad quintum respondet non omnia, quę in rerum natura existunt, in loco esse; sed quædam esse tantummodò in alio vt terminum, seu finem in eo quod terminatur, finiturvè. Est autem revera locus in locante tanquam in subiecto. Nec oportet omnia quę sunt in loco esse, cum solis corporibus conueniat circunscribi loco. Ad quartum, cuius hic mentionem omisit Aristoteles, dicendum est locum prout vim rei conseruatricem habet, ad efficientem causam pertinere. Ad 5. Ad 4.

Text. 49. *f In suo etiam quicque loco non sine ratione naturaliter quiescit. Hæc enim pars in toto loco eam habet rationẽ, quam separata pars ad totum: vt cùm aquæ aut aeris particulã quis mouet. Sic verò & aer ad aquam se habet, quoniam alterum materiæ vim obtinet, alterum formæ: aqua quidem aeris, aer autem quasi cuiusdã illius actus: aqua enim potestate est aer, & aer potestate aqua alio modo. Sed post de his diligẽtiùs erit, nunc per occasionẽ necessariò dicendũ fuit. Quod verò obscurè dictum est, dilucidiùs tunc erit. Si igitur idem sunt materia, & actus (vtrũque enim aqua est) sed vnum potestate, alterum actu) eam profectò rationem, quam pars ad totum, quodammodo habebit. Quare & se tangunt: copulata autẽ erunt, cũ vtrũque actu vnũ fuerit. Ac locu quidẽ esse, & quid sit, dictum est.* CAP.

Cur grauia & leuia suapte vi in propria loca tendant.

e Atque etiam } Exponit quamobrẽ corpora grauia, & leuia suopte ingenio in propriũ locum ferantur. Causam verò ait esse, quia quodlibet naturę societate coniunctum est cũ eo quod naturali ordine deinceps sequitur, & quod nulla vi adhibita, sed spõte sua tangit, vt aer cũ igni. Commonefecit autem non eodem pacto se rem habere in prędictis corporibus, quo in partibus alicuius totius: hę nãq; ita implicitam cognatamque naturam obtinent, vt in se mutuò non agant, intellige actione per se ad interitum ducente, illa verò sine discrimine vicissim agant, & patiantur.

Cur corpora in proprijs locis quiescãt.

f In suo etiam } Rationem affert cur vnunquodque in sua natiua sede quiescat: nimirum, quia ad illam tendit, secuti pars auulsa ad suum totum, vt pars aquę ad aquam. Atque ita quemadmodum pars toti adhęresci, ita corpus vbi ad locum peruenit consistit. Habere autem sese corpus locatum, vt partem comparatione loci, locum verò, vt totum, ex eo ostendit, quia aqua v. g. est vt materia, aer verò vt actus & forma. At materia rationem partis obtinet, forma rationem totius, quia totum absoluit, & perficit. Sed cur, dicet quispiam, aqua respectu aeris veluti materia est quia inquit est in potentia, vt ex ea aer gignatur. Hoc autẽ, vt intelligas, aduerte, cũ intereunte re minus perfecta, alia perfectior generatur, vt ex embrione homo, tunc dici corruptionẽ secundum quid, generationem verò simpliciter. Cum autẽ perfectiori corrupta, imperfectior generatur, conuersa vice generationem secundum quid, corruptionem simpliciter nũcupari. Quoniam igitur tam aer respectu aquę, quàm omnia superiora elementa comparatione inferiorum, vt altiorem sedem, ita & eminentiorem dignitatis locũ vendicant, ideo aqua dicitur in potestate esse, vt ex ea gignatur aer, non ita verò contrà. Aqua respectu aeris obtinet rationẽ materię. Cur.

QVÆSTIO I.

RECTE NE ARISTOTELES LOCI naturam explicarit.

ARTICVLVS I.

OBIICITVR CONTRA LOCI DEfinitionem ab Aristotele traditam.

Prima obiectio.

COntra ea, quæ Aristoteles proximis capitibus de loco scripsit, hæc opponuntur. Primò. Loci propriũ est corpora ad se allicere, allecta fouere, ac conseruare, vt constat ex ijs, quæ tradit Aristoteles hoc in libro, text. 40. 48. & 49. & lib. de historia animalium c. 28. & 29. Theophrastus lib. 2. de causis plantarũ c. 9. & Ptolemæus in 2. tractatu Quadripartiti: at superficies, cùm sit quantitas, nullam habet alliciẽdi, aut cõseruandi vim, vt aduertit Cõmentator ad text. 84. huius libri. Nõ est igitur locus superficies; sed potiùs qualitas, quæ eiusmodi officia præstet.

2. obi. Deinde. Turris immota, flatu venti aliam atque aliam induit superficiem; cymba etiam cùm secundo amne labitur interdũ eandẽ aquæ superficiem se attingẽtem seruat; ergo si locus est superficies, res non mota mutat locum, res mota locum non mutat; quo quid absurdius?

3. obi. Præterea. Superficies continens rem locatam inhæret in corpore circunfuso, & ex consequenti eo modo, saltem ex accidente, mouetur; ergo fieri nequit vt locus sit superficies; alioqui locus esset mobilis, cuius oppositum docuit Aristoteles.

4. obi. Rursum. Locus est superficies? ergo vbi plures erunt superficies, erunt & plura loca; & vbi vna, vnus duntaxat; quod tamen non videtur concedendum: sequeretur enim vnum locatum, vti lignum, cuius altera pars aquis mersa est, altera extat, duobus in locis simul esse; quia gemina superficie concluditur, vna aquæ, altera aeris; Itẽ duo corpora, si diuina virtute se penetrent, & eàdem attigua superficie contineantur, esse vnum duntaxat locatum; quorum neutrum veritati congruit.

5. obi. Item. Sicut Angelus propriè loco mouetur, ita & propriè in loco esse debet; non est autem in superficie; non est igitur superficies locus. Assumptio probatur; quia cùm Angelus sit expers materiæ, consentaneum non est, vt rei materiatæ superficie cohibeatur.

Magister in 1. d. 37. Henric. quodlib. 4. q. 7. Alensis 2. p. q. 33. D. Tho. 1. p. q. 53. art. 3.

6. obi. Ad hæc. Corpus Christi in sacra Eucharistia continetur superficie, quæ ante consecrationem inerat materiæ panis; & tamen non est in ea vt in loco; ergo non omnis superficies continens est locus.

7. obi. Tum. Si lapis absque omni quantitate diuinitus conseruetur, manebit nihilominùs in loco: cùm negari non possit alicubi eum esse: & tamen locus non erit illi æqualis; quia æqualitas est relatio inter corpora affecta quantitate: Non igitur locus est æqualis locato.

8. obi. Postremò. Summa sphæra, cùm propriè moueatur, non potest non esse in loco; & tamen ex Aristotelis sententia non continetur alio corpore; ergo non omne, quod est in loco, a alio circunscribitur: ex quo sequitur locum non esse superficiem continentem.

ARTI-

ARTICVLVS II.

QVÆSTIONIS EXPLICATIO.

IN hac controuersia de loco, duo potissimùm sunt, quæ maiorem explicationem desiderant. Alterum, quæ sit loci natura, & essentia; alterum, qua ratione locus ab Aristotele immobilis dicatur. Quod ad primũ attinet, multiplices de eo quondã fuere, atque etiam nunc vigent Philosophorum opiniones, quas commemorat D. Thomas opusculo 52. Albertus Magnus, Auerroes, & Themistius hoc in libro, Auicenna 2. Sufficientiæ cap. 6. alijque non nulli. Igitur Stoici, & ex Academicis quidam arbitrati sunt locum esse spatiũ, quod à corpore occupatur, quale est id, quod inter cauũ vasis interiacet. Idemque visum fuit Stratoni Lampsaceno, Syriano, Galeno, & Philopono. Verùm hanc sententiam non eàdem omnes via secuti fuere. Quidam enim eiusmodi spatium verum ens & positiuũ, ac reale esse opinati sunt; quos superiùs Aristoteles refutauit. Alij asseruerunt non esse ens reale, sed quippiam imaginarium; quod nimirum sola mente concipimus, longum, latum, ac profundum, aptũ vt per alternationem, & successum corpora recipiat, aptũ, inquam, non per aliquam potentiam, quæ in ipso hæreat, sed quæ in corporibus vicissim subeuntibus insideat. Atque hæc opinio in hunc posteriorem modum explicata nonnullis optimæ notæ auctoribus vehemẽter placet, fortasseque à nullo hactenus satis firmis rationibus profligata est, licet eam quoque Aristoteles improbarit dũ statuit locum esse superficiem ambientis corporis.

Ea igitur omissa, nonnulli è posterioribus Peripateticis, è quibus est Scotus in quodlibetis q. 11. autumant locum non esse propriè superficiem, sed relationem continentis ad rem contentam, superficiem verò importari à loco tanquam materiale quid ipsius, ab huiusmodi relatione connotatum. Verùm non rectè sentiunt, nec Aristotelicè. Primùm, quia affectiones, quæ loco, qua locus est, accommodantur, vt esse æqualem, plenum, vacuum, aliæque huiusmodi, non in relationem, sed in superficiem competunt. Secundo, quia vbique Aristoteles locum definit esse superficiem. Non est autem verisimile nunquam ab eo secundum propriam eius rationem fuisse definitum. Vera igitur, & Aristotelica sententia est locum propriè esse superficiem, etsi negandum non sit conuenire illi, vt quippiam connotatum, relationem continentis ad contentum corpus. Vtrum autem locus vera quantitatis species sit, an non, alibi discutiendum veniet.

Quod ad loci immobilitatem spectat, non solùm Aristoteles, sed etiam Theophrastus, & Eudemus in axiomatibus de loco, referẽte

Mirãdula li. 6. de Examinevanit. c. 4.

De natura lõci variæ opiniones.

Consule Philoponum in sua digressione de loco, Themistium ad tex. 36.

Opinio Stoicorũ, & Academicorũ. Stratonis. Syriani. Galeni. Philoponi.

Lege Auicennam 2. suff. c. 6. Scaligerũ exercit. 5. in Card.

Confutata ab Aristotele.

Opinio Scoti, & aliorũ.

Impugnatur.

Vera & Aristotelica sententia de natura loci.

D. Damas. in Physicis cap. 10.

De loci immobilitate.

simplicio, immo & oēs Philosophi antiquitatis, vt Philoponus ait, censuerunt locum immobilem esse oportere, & quidem meritò, cùm id, quod mouetur, necessariò locum relinquat; non possit autem ipsum relinquere si vnà cum mobili feratur. Quo pacto autem hæc immobilitas loco conueniat, dissidium est inter Peripateticos, D. Thomam, Scotum, & Auerroem, horūque sectatores; sed omissa longiori disputatione quid sentiendum videatur paucis aperiemus. Sciendum igitur est (quod ad finem libri 8. magis patebit) dari extra cœlum spatium quoddam infinitè patens; quod nō est aliquid reale, sed imaginariū, in quo concipere fas est puncta, lineas, & superficies in eodem imaginario interuallo permanentes, simileque spatiū occupari ab hoc vniuerso corporeo, quod spatium ante mundi creationem perinde vacabat corpore, atque vacat illa immensitas extra cœlum patens. Quoniam verò res omnes intra hoc spatium cohibētur, potest quælibet ambientis corporis superficies, in qua vera loci ratio consistit, bifariam sumi, nimirum vel secundum se, vel prout ei imaginaria illa superficies circunquaque respondet. Si priori modo spectetur, mobilis quidem est, saltem ex accidente, ad motū corporis, cui inhæret; si posteriori, immobilis; quia superficies imaginaria, quæ illam hinc inde ambit, neutiquam mouetur. Hoc igitur pacto intellexit Aristoteles omnem locum immobilem esse oportere; nēpe qua ratione comparatur ad superficiem illam imaginariam motus omnis expertem.

Lege D Th. in quæst. de verit. quæst. 1. art. 6.

Dissidium inter Peripateticos.

Extra cœlum diffundi infinitum spatiū

Germana ratio immobilitatis loci.

ARTICVLVS III.

DILVTIO EORVM, QVÆ IN primo articulo obiecta fuere.

RElíquum est vt ea, quæ articulo primo obiecta sunt, diluamus. Pro explicatione primi annotandum est (quod præter alios aduertit Ferrariensis. q. 1. huius libri) locum dupliciter sumi; vel Mathematicè, vel Physicè. Priori modo esse solam superficiem, nec vllam vim allicientem, aut conseruantem obtinere. Posteriori esse item supeficiem, non tamen solam ac nudam; sed affectam qualitatibus ad tuenda corpora idoneis, quarum merito naturalis locus corpora ad se allicit, vt finis, eademque efficienter conseruat, ac fouet. Quare minimè assentimur Iāduno, qui q. 5. huius lib. in eā abijt sententiam, vt dixerit superficiem esse quasi loci materiam; virtutē autem conseruandi rem locatam esse tanquam formam. Nāque etsi naturalis locus hęc duo vendicet; eius tamē propria ratio & forma, est superficies; vt articulo superiori ex Aristotele ostēdimus. Reliqua verò consectaria tantùm illius sunt, & veluti cōnotata; nempe relatio distantiæ, relatio æqualitatis, virtus conseruandi rem contentam, aliaque eiusmodi. Quare ad argumentum dicimus etsi loco naturali conueniat vis conseruandi, quæ ad qualitatis categoriam

Duplex acceptio loci.

Refellitur Iāduno.

Propria ratio loci.

Dilut 1.

tegoriam

tegoriam pertinet, non debere proinde locum qualitatem censeri; cùm eiusmodi virtus ad formalem eius rationem non attineat. Hîc tamen aduertes cùm loco naturali conseruatrix virtus attribuitur, id non ita accipiendũ quasi eiusmodi virtus in sola ambientis corporis superficie inhæreat, aut ab ea, vt à primario fonte ad rem locatam permanet. Re enim vera non ita est, tum quia superficies, vt proximum argumentum rectè assumebat, & aduertit Cõmentator nullam habet efficientiam; tum quia id, quod præcipuè rem in naturali loco conseruat, est influxus per intermedia corpora è cœlo deriuatus. Itaque eatenus naturalis locus habere vim conseruandi dicitur, quatenus dum corpus intra eius cauitatem, & complexum cohibetur, conseruatrices qualitates meliùs recipit.

Virtus loci conseruãs rẽ locatam.

D.Th. opus. 32.

Superficis nullã efficiẽdi vim possidet.

Ad 2. dicendum nihil absurdi esse, quod res immota locum mutet, dummodò non mutet situm, & vbi; & quod res mota non mutet locum; dummodò alium situm, aliúdque vbi acquirat; quod in propositis exẽplis accidit. Nã dũ turris in eodẽ spatio persistit, semper eundem situm, idemque vbi retinet; ac dum cymba diuersas partes interfusi spatij decurrit, diuersum situm, & vbi comparat; vt ex ijs, quæ superiori lib. docuimus, perspicuũ est. Adde etiã rem non motam locum mutare, & viceuersa rem motam locum non mutare, si locus sumatur pro sola superficie continente sine respectu ad imaginariam; non autem, si vna cum ea spectetur: nec esse absurdum variari locũ priori modo sine motu, etsi ad vulgi sensum nulla omnino loci mutatio absque motu dari possit. Atq; hinc patet tertij argumenti solutio; licet enim superficies continens in se præcisè considerata peraccidens moueri queat; est tamen prorsus immobilis si vnà cum imaginarij spatij superficie accipiatur.

Dilut. 2.

Quo pacto res immota locũ mutet, res mota nõ mutet locũ.

Dilut. 3.

Ad 4. nihil vetare, quominùs vnũ, idemq; corpus duabus superficiebus locum vnum efficientibus contineatur; qui tamen locus non simpliciter, sed aggregatione vnus sit. Si verò duo corpora virtute diuina sese permeẽt, & vna, eâdemque superficie circuntegantur, duo locata appellanda erũt, propterea quod in adiectiuis quale est locatum, si suppositа denominata sint plura, licet forma vna tantũ sit; multiplicatur tamen denominatio; quemadmodum si eadẽ numero albedo poneretur in pluribus lapidibus, nihilominùs plura alba adiectiuè dicerentur.

Dilut. 4.

Multiplicatis suppositis multiplicantur adiectiua etsi forma vna sit.

Ad 5. Angelum non existere in loco circunscriptiuè, de qua existentia locutus est Aristoteles; sed definitiuè; ac propriè quidem moueri, non physico motu, qui est actus corporis; sed spirituali, qui duntaxat in substantias à materiæ concretione liberas competit. Huiusmodi porro motum non ad corporum superficiem tẽdere; sed ad vbi, quod est idem cum substantia Angeli, vti superiùs diximus.

Dilut. 5.

Quis sit terminus motus localis Angeli.

Ad 6. Etsi corpus Christi sub specie panis contineatur; non tamẽ in ea esse vt in loco circunscriptiuo, quia non quælibet superficies, qua

Dilut. 6.

qua corpus ambitur locus circunscriptiuus est; sed ea tantùm, quæ corpori contento adæquatur, commensuraturque; ita videlicet, vt quælibet eius pars parti corporis contenti, tota toti corpori respõdeat. Quod in diuino Eucharistiæ mysterio non accidit, in quo totũ Christi corpus sub panis specie, & sub qualibet ipsius speciei parte continetur, vt Concilium Trid. sessione 13. cap. 3. docet. Qui est modus existendi in loco definitiuè. Quãquam propriè loquendo nec definitiuè est corpus Christi in speciebus sacræ Eucharistiæ; siquidem ita est ibi, vt sit etiam alibi, ac proinde non propriè definitur ipso ambitu specierum.

Concil. Tri.

D. Tho. 3. p. q. 76. a. 3. Alensis 4. p. q. 10. mẽb 9. AEgidius a theor. 9 alij docto. in 4. d. 12.

Dilut. 7.

Ad 7. respondet Caietanus 1. p. q. 52. art. 1. huiusmodi corpus amota quantitate nullibi fore. Potiùs tamen dicendum si diuinitus in eodem situ conseruetur (quod an fieri possit, non est huius loci disquirere) mansurum in loco, non qualem Aristoteles definit; sed qui ad eum reuocari debeat: adhuc enim circunfusum erit ambiente superficie, non ita tamen vt inter ea sit mutuus contactus, quẽ Aristotelicus locus requirit, quemque relatio propria æqualitatis comitatur. Vltimum argumentum difficultatem attingit de loco supremi cœli, de qua seperatim à nobis disputandum est.

QVÆSTIO II.

VTRVM SVPREMVM COElum in loco sit.

ARTICVLVS I.

DIVERSÆ PHILOSOPHOrum sententiæ.

Quid nomine supremi cęli hoc loco intelligatur.

IN hac cõtrouersia supremi cœli appellatione primum mobile intelligi debet, quod tametsi re vera Empyreum cœlum suprà se habeat, vt Theologi doctores ex D. Basilio, Athanasio, Damasceno, Chrysostomo, Theophilacto, Strabo, & Beda, cõmuni consensu asserunt; tamen secundum Aristotelem, veteresque philosophos nullo alio corpore continetur; vnde iuxta ipsorum doctrinam, de eius loco non parua disceptatio est. Enim verò cùm re ipsa moueatur, locum requirit, rursusque idem cùm ambiente careat superficie quonam pacto locũ habere possit non apparet. Hæc igitur difficultas multis occasionẽ dedit ab Aristotele decisendi existimandique rectiùs sensisse veteres, qui locum interuallum fecere. Verùm his omissis Alexander, vt

D. Tho. 1. p. q. 66. art. 3. Alensis 2. p. q. 51. memb. 1. Albertꝰ M. in tract. de quatuor coq. quæst. 4. art. 13. Vdalricus in sua sum. lib. 4. alij docto. in 2. d.

Opinio Alexand.

Sim-

Simplicius refert, existimauit cœlum neutiquam in loco esse: quia vel esset in loco per se, vel ex accidente: actu vel potestate; quorum nullum competere ei videtur. Nam quod nec per se, nec actu sit in loco probauit Aristoteles cap. 5. huius libri tex. 45. Quod autem nõ sit ex accidente, inde patet, quia neque accidens est, neque pars alterius in loco existentis. Quod denique nec potestate, ex eo concluditur; quia non repugnaret eam potestatẽ ad actũ reduci, sicque posset aliquando supremum cœlum actu in loco esse, atque adeò ab alio corpore contineri. Hæc tamen sententia Peripatetico dogmati aduersatur, vt facilè perspiciet qui textum illum proximè citatum legerit, vbi Aristoteles disertis verbis edocet cœlum esse in loco per accidens. Intelligit autem cœli nomine primam sphæram; cùm ex eo probet non esse per se in loco, quia nullo alio corpore ambitur. Ad rationẽ verò Alexandri dicẽdũ est non omne, quod per accidens in loco est, vel partem, vel affectionem esse alterius in loco existentis, vt progressu patebit.

Eius argum.

Aduersatur Aristoteli.

Respõdetur ad argum. Alex.

Gilbertus Porretanus libro de sex principijs in explicatione categoriæ, vbi, credit, vti eum M. Albertus interpretatur, locum vltimi cœli esse conuexam eius superficiem. Sed hoc etiam placitum haud obscurè contradicit Aristoteli hoc in libro cap. 4. tex. 35. affirmanti locum esse quid diuersum à re locata, eique extrinsecus circũfundi. Nec Gilbertus censuit prædictam superficiem verè ac propriè locum esse; sed vtcũque pro loco haberi posse; cùm ibidẽ paulò inferiùs hæc verba subiecerit. Si globum illum extimum concessuri sumus in loco esse, diffiteri non poterimus, quin aliquod præterea corpus sit, in quo cœli facies extrema coerceatur. At enim præterea nihil est. Igitur nec in loco globus is fuerit.

Opinio Gilberti.

Auem Pace, & Alpharabius, itẽque Auerroes hoc in libro com. 43. (quorum sententia non displicet M. Alberto tract. 1. cap. 13. & Ianduno quæst. 9.) opinantur locum supremi orbis esse mundi centrum, propterea quod per id res habet locum, per quod immobilitatem & stabilitatem. At supremus orbis ratione centri vt docet Aristoteles lib. 8. huius operis cap. 9. tex. 76. quodammodo immobilis est: quatenus ita circa ipsum voluitur, vt secundũ se totum non mutet locum. Item, quod eodem recidit, quia non aliorsum demigrat, nec temerè vagatur; sed æqua semper ab eo distantia in gyrum vertitur. Quo spectat illud Manilij 1. Astronomicon cap. 1.

Sentẽtia Arabum, quibus alij quoque suffragantur.

Arg. quod centrum sit loco cœli.

Quod nisi librato penderet pondere tellus,
Non ageret cursus mundi subeuntibus astris,
Phæbus ad occasum, & nunquam remearet ad ortus,
Lunavè sub mersos regeret per in ania cursus.

Manilius.

Confirmant etiam hanc opinionem ex eo, quia is debet existimari locus cuiusque corporis, qui eius lationi per se conuenit, eidẽque speciem, & distinctionem tribuit. At latio cœli circularis est: hæc autem sumit speciem à medio, seu centro, per idemque, vti per suum ter-

Definitio motus recti, & circularis.

terminum, diſsidet à motu recto. Cui rei argumento ſunt vtriusque motus definitiones. Rectus enim definitur, quo ſurſum, vel deorſum itur: circularis, qui circa medium fit; vt conſtat ex 1. libro de cœlo cap. 2. text. 5.

Improbatio ſuperiorum ſententiæ.

Nihilominus hi etiam Philoſophi à veritate aberrarunt ſiue acceperint centrum pro puncto in media mundi vniuerſitate ſito, quod paribus à cœli circunferentia radijs attingitur; ſiue pro terra, quæ cùm item mundi medium occupet, & ad vniuerſum cœli complexum inſtar puncti habeat, centrum quoque dici conſueuit. Non enim aut puncto, aut terræ, proprietates loci competunt reſpectu cœli: videlicet continere, contingere, proximum eſse & æquale locato, aliæque eiuſmodi. Deinde, quia ſi cœlum ideo per centrum in loco eſſet; quia illius gratia ſtabilitatem quodāmodo ſortitur; non minùs etiam per polos in loco eſſe perhiberetur; cùm eorū quoque reſpectu non minùs, quàm centri, conſtantiam & ſtabilitatem aſſequatur. Item quia qua ratione cœleſtis globus haberet centrum pro loco, eàdem haberet ignis, & totus ille aeris tractus, qui eàdem, qua cœlum, vertigine circa centrum voluitur. Cùm tamen conſtet aliū eſſe locum ignis & aeris; nimirum concauū lunæ, & concauū ignis. Accedit quod cap. 5. huius libri, text. 45. docuit Ariſtoteles ſupremum cœlum eſſe in loco per accidens, quod ei comparatione centri nullo pacto conuenit. Nec ſatisfaciunt qui reſpondent cœlum dici ab Ariſtotele eſſe in loco per accidens, non quidem ratione centri; ſic enim (ex eorum ſententia) per ſe in loco eſt; ſed quatenus terram ambit, quæ per ſe continetur loco, videlicet aeris, & aquæ ſuperficie; atque ita huiuſcemodi locum cenſeri ex accidente conuenire cœlo. Non inquam ſatisfaciunt; quia cùm Ariſtoteles capite proximè citato locum ſupremi cœli inueſtigaſſet, vnum duntaxat inuenit modum exiſtendi in loco, qui verè ei poſſet attribui; nimirum per accidens, ac merito partium. Quare non obtinet ſupremum cœlum duplicem locum, nec ſe habet ad centrum, vt ad locum per ſe, & ad locum terræ, vti ad locum ſibi per accidens congruentem. Accedit quod ſi Ariſtoteles duplicem hunc locum reſpectu cœli comprobaſſet; vtique eius, qui per ſe illi conuenit, mentionem feciſſet.

Terra inſtar puncti comparatione cœli.

Ignis eodem circumactu cum cœleſti globo fertur.

Ariſtoteles vnū duntaxat modum exiſtēdi in loco attribuit ſupremo cœlo.

Igitur ad argumenta, quibus aduerſarij vtebantur, facilè reſpondetur. Ad primum negada eſt maior propoſitio. Non enim per id res locum habet, per quod conſtantiam, & immobilitatem; ſed per id, quo, vt primo rei ambientis termino, circunſcribitur. Ad ſecundum concedenda eſt maior, neganda minor. Licet nāque motui cœli per ſe competat circa centrum effici: non tamen centrum ipſum ſpeciem, aut diſtinctionem ei confert; ſed terminus, ad quem per ſe tēdit, quique per ipſum comparatur: tametſi, quia eiuſmodi terminus ad centrum mundi ordinem habet, ſoleat motus circularis cœli definiri per reſpectum ad centrum. Qua de re 5. huius operis, & 1. de cœlo planiùs, ac pleniùs.

Solutio argumentorū ſuperioris ſententiæ.

Centrum nō confert ſpeciem diſtinctionēue circulari motui.

ARTI-

ARTICVLVS II.

QVID ARISTOTELES IN PROPOsita dubitatione senſiſſe videatur.

EXponamns igitur quid in hac controuerſia ſecundum Peripateticam doctrinam veriſimilius appareat. Sanè Ariſtoteles cap. 5. huius libri ſtatuit cælum eſſe in loco ex accidente, ac beneficio partium, vt non ſemel diximus. Verùm quidnam hiſce verbis ſignificare voluerit, dubitatio eſt, augetque difficultatem, quod haud ſatis inter expoſitores conſtet num cæli appellatione totum mundum Aethereum ex ſphæris cæleſtibus conflatum, an ſupremum tantùm orbem deſignarit. Simplicius, & Themiſtius priorem explicationem ſequuntur, aiuntque propterea cælum apud Ariſtotelem eſſe in loco peraccidens, ac merito partium; quia ſphæræ, quæ illius partes ſunt, ita ſe habent, vt vna in alia vſque ad ſupremam contineatur; additque Themiſtius ſupremum cælum ratione proximi orbis, quem caua ſuperficie tangit, in loco eſſe. Vltimus, inquit, circulus, qui inerrabilis dicitur, vt pote arcens, & continens cæteros, ſimpliciter in loco non eſt, ſed penes interna, quæ ambit. Tangit enim orbem Saturni, & quodammodo continetur; penes externa autem omnino expers eſt loci.

Supremum cælum Ariſtoteli eſse in loco per accidens.

Quidſit eſſe per accidens in loco interpretatio Simplicij & Themiſtij.

Diuus Thomas in commentarijs eiuſdem capitis, & opuſc. 52. & quodlib. 6. arti. 3. Heruæus, quodlib. 10. quæſt. 7. Ferrarienſis q. 2. huius libri, alijque nonnulli appellatione cæli ſupremum tantummodo intelligunt, aiuntque dici illud ab Ariſtotele contineri loco peraccidens, & ratione partium; quia partes, quibus conſtat, licet inter ſe continuatæ ſint; tamen vnaquæque in altera ſibi cohærente, vt in loco ineſt, dum aliæ alias in orbem continent, & aliæ ſequuntur, aliæque antecedunt: ſedenim quia nihil in eo, cui continuatur, tanquam in loco actu eſſe poteſt, non eſſe eiuſmodi partes (atque adeò neque cælum ipſum) tanquam in loco actu, ſed poteſtate, quatenus vnaquæque ita continetur in alia, vt ſi diuideretur, eſſet in ea tanquam in loco actu, ac per ſe. Nec obſtat, quod cælum, cùm ab interitu alienum ſit, re ipſa diuidi nequit; ſat enim eſt, vt Ferrarienſis hoc loco ait, non repugnare illi diuiſionem, ſi ſpectetur abſolutè, prout eſt affectum quantitate.

Explanatio D. Th. eiusque ſectatorum.

Cur ſupremum cælum perhibeatur eſse per accidens in loco.

Cur partes cæli dicantur eſse in loco non actu, ſed poteſtate.

Sanè verò quòd Ariſtoteles nomine partium, ſubiectas primo orbi ſphæras non intellexerit, atque adeò, quod de ſupremo tantùm cælo fuerit locutus, argumento eſt, quod in tota illa diſputatione de loco nullam ſphærarum mentionem interpoſuit.

Deinde, quia perſpicuis verbis ſanxit partes cæli eſſe quodammodo in loco; quod de inferioribus ſphæris reſpectu ſuperiorum haud quaquam dixiſſet; cùm illæ in his non quodammodo, ſed propriè ac ſimpliciter, vt in loco inſint. Tertiò, quia non ob aliam cauſam eam attulit partitionem, qua quædam in loco actu, alia poteſtate eſſe perhibentur, niſi vt doceret partes vltimi cæli non actu, ſed potentia in loco eſſe, vt paulò ante explicuimus.

Hæc ſententia videtur ad Ariſtotelis mentem propiùs accedere, quam proinde nos vt magis Peripateticam tuemur, etſi non eamus inficias modum illum exiſtendi in loco ratione partium improprium eſſe. Quod fortaſſe Alexandrum mouit, vt ſupremum cælum in loco eſſe abſolutè negarit. Sed vrget vltimum primi articuli argumentum. Suprema ſphæra actu, proprieque mouetur, vt pote cuius latio cæteris dignitate, & effectu præcellit. Igitur actu, ac ſimpliciter in loco eſſe debet. Deinde illud, quia nobiliſsimo corpori, quale eſt primum mobile, debetur nobiliſsimus modus exiſtendi in loco; at contineri loco poteſtate & ratione partium, eſt imperfectè, ac diminutè in loco eſſe. Quare alius modus exiſtendi in loco ſupremæ ſphæræ quærendus eſt. Occurrendum tamen, vt aliquid actu, ac propriè lationem ſubeat, non oportere, vt alio corpore ambiatur, locumue comparet; ſed vt acquirat aliud, atque aliud vbi; quod etiam in ſpatio vndique inani acquiri poſſe ex dictis conſtat. Item, vltimæ ſphæræ conuenire nobiliſsimum modum exiſtendi, non quidem in loco, nec enim id neceſſe eſt; ſed in ſpatio, ſeu vbi; hunc verò eſſe illum, quo aliquid ita ſeſe habet, vt à nullo corpore ſupernè comprehendatur; quia alteri corpori ſubiectum eſſe, imperfectionem arguit.

Vltimum argum. 1. art.

Reſponſio.

QVÆSTIO III.

VTRVM SINGVLA ELEMENTA IN mundi vniuerſitate proprium ſibi locum vendicent, nec ne.

ARTICVLVS I.

PROPOSITÆ QVÆSTIONIS illuſtratio.

Dignitas ordinis.

INTER alia, quæ naturæ vniuerſitas continet admirabilia, quæque Dei, cuncta numero, pondere, ac menſura efficientis, ſapientiam mirificè commendant, eſt rerum ordo, & apta ſingu-

singulorum corporum, pro cuiusque dignitate, dispositio. Quæ causa fuit vt in prima rerum molitione cùm tanti muneris artifex singula ab se procreata expenderet, singula ei tunc quidem bona; at cum perfecto, absolutoque opere cuncta simul in numerum composita, & coagmentata inspexit, non bona duntaxat, sed valde bona visa fuerint. Vidit Deus, inquit Moyses, cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Nimirum quia non in singulis, sed vniuersis elucet ordo ille, & dispositio omnem continens ornatum, & decoris, ac pulchritudinis excellentiam. Porro de hac corporũ, præsertim verò elementorum suis in locis dispositione, breuiter à nobis est in præsentia disserendum. Qua de re philosophati sunt D. Ambrosius cap. 4. lib. 3. Hexameron. D. Damascenus lib. 2. fidei Orthodoxæ cap. 6. D. Nemesius in lib. de natura hominis cap. de elementis. Philo Iudæus in lib. de plantatione Noe. Plato in Timæo, alijque non nulli.

Ex partium coniunctarũ proportione & ordine se se pulchritudo exerit.

Consule D. Aug. in Ench. c. 10. & 3. de Gen. ad lit. ca. vlt. Euch. Abul. Lip. 10. in Genes. c. 1.

Clemẽs Alex. in orat. exh. ad Græc. auctor libri de mundo ad Alex. Macrob. 1. lib. in somnium scip.

Status quæstionis.

In hac igitur mundi vniuersitate, quia corpora omnia pro cuius libet conditione, & natura separatis quasi stationibus disponi decens erat, id diuinæ mentis solertia ratione planè singulari perfecit. In primis enim corpora cælestia, pulcherrimum Dei opus intermicantibus astrorum luminibus tanquam floribus adornatum, tot signorum figuris & varietate conspicuũ, tot titulis ordinis, beneficẽtiæq; in signe; corpora inquam cælestia luce tam clara, mole tam ampla, agitatione tam rapida; deniq; omnium simplicium corporũ præstãtissima supremam mundi sedem obtinuere. Terra, quia inter elemẽta infimæ dignitatis est, vt pote grauis, crassæ, concretæque substantiæ, in meditullio, atque infima vniuersi regione subsedit. Supra hanc affusa est aqua; quòd minùs rudis, & crassa, minusque grauis existat, atque adeò naturæ nobilioris sit, quàm terra. Supra aquam aer eminet ob insitam perspicuitatem, & subtilitatem subiectis elementis præcellentior. Tandem ignis omnium elementorum perfectissimus, vt ipsius tum perspicuitas, & subtilitas, tum in agendo efficacitas ostendunt, supremum locum iuxta cælestes sphæras vendicauit. Ita fit vt cauum cælestis globi locus ignis, pariqúe modo ima cuiusque elementi superficies inferioris elmenti locus habeatur. Tametsi non in congruè quis dixerit, vt ex Themistio superiùs retulimus, superiorem aeris superficiem spectare etiam ad locum ignis, ipsumque integrare, similiterque se habere extimam superficiem cuiusque elementi ad superius: licet hæ loci rationem minùs propriè sortiantur; quia proprij loci est continere, quod non nisi superiori comparatione inferioris rite conuenit, vt aduertit D. Thomas 3. contra gent. cap. 82. Item quia, docente Aristotele 4. de cælo cap. 3. vnunquodque tendit in locum sibi præscriptum, tanquam in formam; non habet autem modum formę id, quod subest, sed quod insidet, & supernè incumbit.

Situs & ordo corporũ simplicium.

Locꝰ cęlestiũ sphęrarum.

Aquę.

Aer.

Ignis.

Inteſtinum bellũ elementorum, eorũdeq; coniunctio.

Eſse autem eum, quem diximus, elementorum ordinem optimè conſtitutum, ex eo deprehendi poteſt, quòd elementa ſic locata, inter ſeſe qualitate vna conueniant; altera diſſentiant; atque ita licet vna ex parte interitum ſibi machinentur; ex alia tamen communium qualitatum veluti brachijs ſeſe complectantur, & edicta concordia ad conſenſum, mutuumque commercium fœderentur. Etenim terra eſt arida & frigida, aqua frigida & humida; aer humidus & calidus; ignis calidus ac ſiccus. Itaque terra ſiccitate, aquæ aduerſatur; ſed eidem conciliatione frigoris copulatur: aer cum igne, humiditate; cum aqua calore depugnat; idemque calore igni, humiditate aquæ annectitur. Sicque per hunc circuitum, & chorum quendam diſcordis concordiæ, elementa interſe pariter vinciuntur, & diſſociantur. Ideoque Zareta Chaldæus mundum ex natura, & harmonia componebat. Quo ſpectat illud Alcinoi in lib. de doctrina Platonis cap. 12. Inter ignem ac terram, aer & aqua ſecundum proportionis conſonantiam interiecta ſunt; vt quemadmodũ ſe habet ignis ad aerem, ſic aer ad aquam; vtque aer ad aquam, ſic aqua ad terram; ac rurſus vt terra ad aquã, ſic aqua ad aerem, vtque aqua ad aerem, ſic aer ad ignem &c. Eodem etiam pertinet illud Boetij lib. 4. de conſolatione philoſophica, metro. 6.

Chorus elementorũ ex qualitatũ diſſidijs, & commercijs inter ſe deuinctus.

Zareta chaldæus.

Plato apud Alcin.

Situs elementorum ſecundum proportionis conſonantiam.

Boet.

Hæc concordia tẽperat æquis
Elementa modis, vt pugnãtia
Vicibus cedãt humida ſiccis:
Iungantque fidem frigora flãmis,
Pendulus ignis ſurgat in altum,
Terræque graues põdere ſidãt.

Lege Triſmegiſtum in Aſclepio. D. Dmaſc. in ſua Phyſic. c. 12. D. Aug. 11. de Ciuit. Dei c. 17. Lactantij lib. 7 c. 5. Plotinum lib. 2. Enn. 3. c. 2.

Et verò mirificè hoc contrariorum coalitu, & cohærentia elementaris mundus decoratur. Vnde (vt præter alios obſeruat auctor libri de mundo ad Alexandrum) ars naturæ magiſterio edocta, ac phyſicæ rationis æmula in ſuis operibus tum ob neceſsitatem, tum ob elegantiam contraria inter ſe coniungere, & attemperare conſueuit. Sic pictura ex diuerſis pigmentorum coloribus, atris, albis, luteis, & puniceis imagines exemplaribus conſonas facit. Sic Muſica acutis, & grauibus ſonis, longisque, & breuibus inter ſe coeuntibus vnum ex ijs abſolutum concentum reddidit. Sic Grammatica ex elementis vocalibus, & mutis omnem literaturæ artem concinnauit. Denique hiſce conſimilia non pauca in ijs, quæ artium induſtria elaborat, paſſim occurrunt.

Vt ſingula elementa ſuopte impetu naturalia loca petant.

Ignis in pyramidis figuram acuminatus aſcendit.

Quod autem elementa eum ordinem, ac ſitum, quem expoſuimus, natura ſua poſtulent experimento, ac ſenſu conſpicuum eſt. Videmus enim flammam ignis in pyramidis figuram acuminatam conari aerem tranſcendere; nimirum quia ignis ad lunæ concauum natiuam ſedem habet. Cõſtat quoque aerem ſupra aquã ferri; quia ſi qua vi aquam ſubeat, confeſtim per ampullas quaſi ſcaturiendo emergit. Nec minùs etiã liquet eundẽ ſupra terram cõmeare, vt intueri licet in eo motu terræ, qui ab aere eſt (non enim omnis

ab

ab aere prouenit)is enim tunc accidit, cùm aer telluris sinu receptus grassatur in angusto, atque vt liberè in superum locum abeat, tandiu circum claustra fremit, & impetu terram concutit, donec indomita naturæ vi effractis vinculis viam aperit, & quasi indignabūdus foras erumpit. Rursum intuemur aquam in aere demissam ad terræ vsque superficiem descendere; itemque terram, & lapides in aquam iactos ad imum labi. Quod certè non aliunde prouenit, nisi quia elemẽtorum proprius, ac naturalis ordo est, vt summus sit ignis, quia leuissimus; hũc attingat aer, quia leuitate proximus; infima sit terra, quia grauissima; huic incumbat aqua, quia minùs grauis.

Causa terræ motꝰ orti ab aere nitenti euadere ad locũ superũ.

Ex quo patet quàm apta, quàm congrua, quàm decora elementaris mundi coagmẽtatio sit. Nec enim elementorũ loca sine magno incõmodo aliter dispensari potuerunt. Nã aut grauibus leuia subijcerẽtur; aut duo sibi proxima perfecto duarum qualitatum dissidio pugnarent; aut aliquod elementum supponeretur terræ, quæ sua opacitate cœlestium corporum influxum ad eiusmodi elementum impediret; aut denique aliud simile absurdũ in natura daretur. Priuatim autem quod cœlum in summo loco, terra in imo aptissimè cõsistat, ex eo ostẽditur; quia cùm cœlestis machina solida sit, & quasi ex ære fusa; terra autem in medio volubilis vniuersitatis suo librata pondere immobilis hæreat, fit ita, vt cætera passim fluctantia; hinc soliditas cœlorum, illinc terræ stabilitas in vnum coarctent, & constringant, ne citra legitimos terminos diffusa mundi compositionẽ, & concordiam disrumpant.

Nõ potuisse aliter elemẽta rectè disponi.

Lege D. Th. in 1. d. 44. q. vnica ar. 2. & 1. p. q. 25. art. 6. ad 3.

Confœderatrix diligentia naturę.

Nec illud prætereundum est, quod animaduertit D. Thomas in opusc. 52. Rich. in 2. d. 14. quæst. 5. circa 3. princip. & Auerroes hoc in lib. comm. 43. videlicet superficiem concauam ignis (idẽ quoque intellige de cæteris elementis collatione inferiorum) locum esse naturalem aeris, non solùm quod superficies sit rei prædictam cũ aere qualitatum affinitatem, & coniunctionem habentis; sed etiam, ac multò magis quod in ea à cœlo distantia, vt supra diximus, cœlestẽ influxum commodiùs excipit. Aliter enim corpora cœlestia in primam huius interualli partem, aliter in secundam, & tertiam, ac cæteras, quæ ordine sequuntur influentem vim demittunt; tametsi ad cuiusque corporis naturam, si in loco suo insit, accomodatè semper, & congruenter agant. Nam in altiorem partem sublunaris regionis, totumque illum tractum, qui ad ignem pertinet, influunt aptè ad naturam ignis: deinde in subsequentem plagam, quæ secũda est, appositè ad naturam aeris, similiterque in reliquas ad terræ vsque meditullium.

Quo pacto cœlum beneficã vim in elementa distribuat.

De cœlesti influxu D. Aug. 3. de Trinit. c. 4. D. Dionys. c. 4. de diui. nom. D. Basil. homil. 6. Hexa. Ptolemæus lib. 2. Almagesti Trismegistꝰ in Asclepio aliique complures.

Postremò. Neque illud ignorabis corpora cœlestia eo meliùs, accommodatiusque in elementa perfectiora, ignem & aerem beneficã vim transmittere, quo illa lunari globo viciniora sunt. Contra verò eandem vim tãto opportuniùs diffundere in minùs perfecta elemẽta, terram & aquam quanto longiori intercapedine dissident, modò

natiui

Cur aer & ignis certatim nitãtur altiorem locũ capessere; terra & aqua inferiorem.

natiui loci terminos non transgrediantur. Quod in causa est, vt partes aeris & ignis, etiam dum patriæ regionis commodis fruuntur, quoad fieri potest ascendere, similiterque partes aquæ, & terræ descendere nitantur.

ARTICVLVS II.

OBIECTA ADVERSVS EA, QVÆ art. superiori continentur.

1. obiectio.

VErùm contra superiùs dicta hunc in modum licebit obijcere. In primis quod ignis locus non sit concauum lunæ. Nam si illic esset ignis splenderet, saltem nocturno tempore, videreturque à nobis, sicuti & nostratem ignem eminus collucere intuemur: atqui non ita res habet; non igitur ignis illic est. Secundò quia prælta montium iuga frigida sunt; siquidem non hyberno tãtùm, sed æstiuo etiam tempore niue albicant; quæ tamen vicinitate ignis, si supra esset, incalescere deberent. Tertiò, quia ignis semper eget pabulo, ac deficiente materia, quam voret, & ad quam inhæreseat, mox interit: (ob eamque rem, vt annotauit Philo Iudæus in libro de incorruptibilitate mundi Vulcanus, quo ignis significatur, à poetis dictus est claudus, quia subnititur materia incensa) Cum igitur supra aerem nullum igni pabulum, nulla suppetat materia, non videtur inibi ei sedes constituta.

De locõ ignis.

Vt ab Homero Odyss. 8.

2. De loco aeris.

Deinde, locus naturalis, vt superiùs ex Aristotele, alijsque Philosophis docuimus, habet vim quandam conseruatricem corporis: sed eminentior pars aeris continenter ab igne corrumpitur, eique inpastum cedit: igitur locus aeris non est concauum ignis.

3. De loco aquę, & terrę.

Rursus, locus naturalis cuiusq; corporis debet totum corpus vndique ambire, & suo amplexu coercere: atqui nec concauum aquæ ambit totam terram, nec concauum aeris totam aquam: cùm magna terræ pars sit aquis detecta, & bona item aquæ copia inclusa sit terræ visceribus; ergo neque superficies aquæ est locus terræ, neque superficies aeris locus aquæ.

4. De loco aquę.

Item, quandiu aquæ terra subducitur, tandiu fertur deorsum, feturque ad cẽtrum, si eousque terra subtrahatur; igitur locus aquæ vendicat totum spatium à concaua aeris superficie vsque ad centrũ vniuersi.

5. de loco aquę.

Præterea, vnumquodque elementum quiescit in suo loco naturali; sed oppositum accidit aquæ respectu loci, quem nunc occupat, nõ ergò is locꝰ naturalis ei est. Probatur assũptio, quia mare reciproco æstu perenniter agitatur, ita vt inter duos lunæ exortus bis accedat, bisque remeet vicenis & quaternis horis. Item quia perpetuò ab oriente in occidentem fluit, vt à nautis Lusitanis, & alijs fuit obseruatum.

Lege Cardinalem Conarenũ in lib. de elementis & Carpẽtariũ in li.. itẽ de elem.

seruatum. Deinde quia præter hunc ordinarium motum, alios nonnunquam habet extra ordinarios, quibus aut in terras effunditur, aut recedit, & subsidet. Sic enim multa loca antea habitata inundauit, multæque factæ Insulæ sunt, quæ antea iũctæ erant cõtinẽti, veluti cũ Sicilia ab Italia auulsa est; Cyprus à Syria, Eubæa à Bœotia, nec defuere qui putarent totum Mediterraneum mare per Herculeas colũnas, & Gaditanum fretũ intra terras irrupisse, totũque illũ tractum, qui nũc aquis tegitur occupasse. Pari etiam modo subsidẽte mari aliquot Insulæ emersere, vt Rhodos, Delos, Alone, & Therasia. Qua de re Plinius lib. 2. à cap. 85. vsque ad cap. 92. Patet igitur aquam non quiescere supra terram atque adeò non esse illi eum locum naturalem.

Insulę factę, quę antea erant iũctę cõtinenti.

Insulę, quę subsidẽte mari extitere.

Ad hæc. Cùm Deus opt. max. terram initio mundi nascẽtis creauit, constituit ipsam intra eam sphæram, qua naturalis eius locus cõcluditur; tum tertia creationis die patefecit in ea ingentes, ac profũdissimos alueos quibus mare toti terræ antea circunfusum excepit: sic enim id factum explicat præter alios D. Damascenus 2. lib. fidei orthod. cap. 9. at hoc fieri non potuit nisi eleuata extra suum locum terra: non igitur terra in suo naturali loco nunc sita est.

6. De loco terrę.

Lege D. Aug. 1. de gen. ad lit. c. 12. & Bedã in Hexam.

Postremò. Quælibet pars terræ conatur quantùm potest ipsum mundi centrum occupare; non ergo eius locus est concaua aquæ superficies. Antecedens probatur, quia omnia perpendicula paulatim sibi inuicem appropinquant versus centrum; vnde ratum est apud Mathematicos si puteus ad perpendiculum vsque ad terræ centrum fabricaretur, eius parietes paulatim coarctatum iri donec in centrũ vniuersi concurrentes pyramidis quasi figuram absoluerent. Neque obstat quod ædificiorum parietes ad perpendiculum extructi æqua abse distantia videantur descendere; id enim propterea est, quia non potest in tam paruo spatio perpendiculorum accessus deprehendi.

7. De loco terrę.

Clau. in 1. caput Sacrob. ex 1. elemẽt. Eucl. propos. 19.

ARTICVLVS III.

REFVTATIO OBIECTORVM.

Dilutio 1. ob.

NON est tamen propter superiora argumenta à cõmuni Philosophorum de elementorum loco sententia abscedendum, tametsi id, quod primo retulimus quosdam è recentioribus permouerit ad asserendum non dari ignem ad lunæ concauum, quos lib. 4. de cœlo latiori disputatione confutabimus. Ad primam igitur eius argumenti partem respondendum est cum M. Alberto 1. Meteor & de quatuor coæuis quæst. 4. art. 21. & AEgidio quodl. 5. q. 17. ignem in sua sphæra non lucere, neque à nobis conspici, quod nimis rarus, ac tenuis sit. Nec enim lux nisi in corpore compacto, & denso splendorẽ iaculatur, ac nostro conspectui effulget. Ad secũdã partem

Cur ignis in sua Sphęra non sit conspicuus.

Cur montiũ cacumina ab igni non caleant.

partem dic, montium fastigia licet igni propinquiora sint, quã terrarum plana; adhuc tamen ab eo tam longè distare, vt calorem inde non hauriant. Ad tertiam dicito cum Ioan. Maiore in 2.d.14.q.7.& alijs nostratem ignem deficiente pabulo extingui propter ingruentem hinc inde contrariorum incursum, quem cum sustinere nequeat, cedit, atq; in vicina corpora cõuertitur, nec nisi dũ alitur, viget. In propria vero regione haud ita habet. Nec enim ita contrarijs impetitur, & ob suam etiam magnitudinem pertinaciùs resistit.

Cur noster ignis deficiente pabulo extinguatur. Dilut.2.

Ad 2. respondendum est. Non oportere locum naturalem vsque adeò rem locatam tueri, vt inter eam, & corpus continens nihil omnino pugnæ, ac disidij intercedat, nihil vè incõmodi hinc inde capiatur: sed ita, vt in eo res locata meliùs, quàm alibi conseruetur, in eoque tam naturæ propriæ, quàm ordini, & pulchritudini vniuersi congruenter sit. Adde etiam quanuis aer ab igni detrimentum ferat; id tamen reciproca vicissitudine alia ex parte resarcire. Qua de re ita scripsit Philo Iudæus in libro de mundi incorruptibilitate. Egregia quædam est in elementis quaternarum virium compensatiò æqualibus iustisque regulis ac terminis vices suas dispensantiũ: sicut enim anni circulus quaternis vicibus distinguitur, alijs partibus post alias succedentibus, & per ambitus eosdem vsque recurrẽte tempore: pari modo, & elementa mundi vicissim sibi succedentia mutantur, & (quod diceres incredibile) dum mori videntur, redduntur immortalia, iterum atque iterum metiendo idem stadium, & sursum atque deorsum per eandem viam cursitando continuè. A terra enim acclinis via incipit, quæ liquescens in aquam mutatur; aqua porro euaporat in aerem, aer in ignem extenuatur. Ac decliuis altera deorsum tendit à capite, igne per extinctionem subsidẽte in aerem, aere verò in aquam se densante, aqueo quoque liquore in terram crassescente. Hactenus Philo, vbi more suo Platonizat. Similia nanque leguntur apud Platonem in Timæo.

Philo Iud.

Vt se elemẽta per ortus & obitus quasi ad æquilibriũ exequẽt.

Alterni elementorũ recursus.

Ad 3. Si elementa, vt peculiares ipsorũ naturæ deposcunt, collocata in mũdo essent, debuisse terram aquis, aquas aere vndiq; circunfundi, & contegi. Nunc verò aliter rem habere; sic diuina prouidentia disponente, propter hominum in primis, deinde brutorum animantium, & stirpium, quæ in terra gignuntur, vitam, & propagationem. Nec indecens, aut indecorum fuit, ob hunc finem, naturæ ordinem immutari, quemadmodum & in minori mundo, idest, in homine nonnulla propter certum finem præter materiæ naturam visuntur, vt in eo osse, quod synciput appellatur: hoc enim cũ prædurum, ac valde terrenum sit, atque iccirco graue, ratione materiæ ac ponderis debebat inferiorem humani corporis partem tenere, & tamen superiorem occupat, vt nimirum præstantiorem hominis partem aduersus imminentia pericula tueatur.

Dilut.3.

Ad 4. Concedendum aquam descendere dum ei terra subtrahitur descensurãq; eo pacto vsque ad centrum, vt argumentum assumit; verùm

Lege etiam de eadem re libru de mũdo ad Alexãdru circa medium, D. Damasceni lib. 1. fidei orth. c 3. D. Greg. Nyss de opere sex dierũ.

Lege Theodoretũ serm. 3. de prouidentia.

Dilut.4.

verùm cùm primùm infra ſuæ ſphæræ terminos egreditur, non iam propria, ac peculiari inclinatione ferri; hac enim tantummodò ad locum ſibi à natura præſtitutum, ac certis ſpatijs dimenſum contendit; ſed agi communi eo impetu, quo ſingula corpora ſublunaria accurrunt ad impediendum vacuum: quod ſanè quidem daretur, niſi ſuperiora corpora, dum eis inferiora ſubtrahuntur, deſcenderent, & in eorum locum ſuccederent. Addimus quoque ſi à terræ ſuperficie vſque ad centrum foramen fieret, idque aere oppleretur, lapſuram vſque ad centrum aquam in ipſum coniectam, propterea quod elementa grauia vbique ſe leuibus ſubijciunt, & ſupponunt, vt nimirum ſeruent ordinem vniuerſi, in quo minus præſtantia altiorem locum nobilioribus deferunt.

Impetus corporum ad vacuum impediendum.

Elementa minùs præſtantia eminentiorem locum deferunt nobilioribus.

Ad 5. Quodlibet elementum, cùm naturali loco potitur, quieſcere, niſi aliqua externa vi aliunde interpelletur; ſicuti accidit igni, & ſuperiori aeris parti, quæ eàdem, qua cælum, vertigine perpetuò rapiuntur: itemque mari, quod aſtrorum vi tam quotidianis, rata cõſtantia, quàm extra ordinarijs motibus interdum cietur. Animaduertit autem D. Thomas. 1. p. q. 105. art. 6. & 3. contra gent. cap. 100. cùm aqua aſcendit, licet eiuſmodi motus non ſit ei naturalis, ſi ſecundum propriam ſuam formam præcisè ſpectetur: tamen cùm ex impreſsione corporum cæleſtium prouenit, vti reciprocus maris æſtus, eum aſcenſum, non debere omnino contra aquæ naturam iudicari, eo quod ſublunaria corpora ſuopte ingenio cæleſtibus ſubijciuntur, & obtemperant.

Dilut. 5.

Motus prouenientes ex impreſsione corporum cæleſtium.

Lege quoque D. Th. in diſputatis, quæſtione de miraculis art. 1. ad 17. arg. & in opuſc. 2. c. 336. Ferrar. 3. contr. gent. c. 100.

Ad 6. Admittendum eſt terram, vt argumentum concludit, ſupra propriam ſphæram, in qua à Deo creata eſt eleuatam fuiſſe, idque ſummi artificis beneficentia factum, vt aqua terræ cauernis excepta terram ipſam magna ex parte naufragio liberaret, eandemque ſtirpium, & terreſtrium animantium habitationi commodam redderet. Verum non ideò eam deſijſſe eſſe in loco naturali, qua ex parte aquis tegitur: cùm eius locus naturalis ſit aquæ ſuperficies.

Dilut. 6.

Terra ſupra ſphæram propriam à Deo eleuata, cur.

Ad vltimum concedendum quamlibet terræ portionem quantum poteſt niti centro vniuerſi appropinquare, vt argumentum conuincit; ſed enim ex eo non ſequi aquæ ſuperficiem non eſſe terræ locum; ideo namque terra ad centrum propiùs accedere conatur; quia illic cæleſtem influxum ad naturæ ſuæ conſeruationem commodiùs recipit.

Dilut. 7.

QVÆSTIO IIII.

POSSINT NE DVO CORPORA ſimul eſſe, an non.

ARTICVLVS I.

REFELLITVR OPINIO EXISTIMANtium naturaliter posse.

Sentẽtia arbitrãtium posse duo corpora vi naturę se mutuò penetrare.

VOniam in disputatione de loco sumpsit Aristoteles fieri non posse, vt corpora simul essent, quod nonnulli in controuersiam vocarunt; ea de re in præsentia disseremus. Duæ igitur sese offerunt extremæ sententiæ. Altera quorundã, quos refert Alexander in opusculo de mixtione, & Fernelius 2. lib. suæ Physiologiæ cap. vltimo aientium posse duo corpora, etiam viribus naturæ, in eodem loco esse, quorum placitum hisce argumentis videtur probari posse. Primùm, quia in ferro candenti corpus ignis per ferrum meat. Item, quia cùm panis in aquam iectus madescit, aqua totam panis substantiam quoquouersum subit. Præterea, quia vas plenum cinere tantundem aquæ recipit, quantum si inane sit, nec ob aliam, vt videtur, rationem, nisi quia aqua cinerem ipsum intimè peruadit, & in eodem situ cum eo manet. Cui etiam simile est, quod aquæ cyphus ad summa labra plenus nummos excipit, nec effunditur; additis, inquit Plinius lib. 2. c. 62. ponderibus ad vicenos sæpe denarios.

Hos sequitur Ioãnes Prouẽzallisqdl. 5. q. 7.

1. argum.

2.

3. Aquę plenus Cyathus aureos excipit.

Cõfutatio superioris sententię.

Cæterùm hæc sententia omnino à vero abest, reclamatque contra eam experientia. Siquidem constat corpora omnia sese mutuò pellere, nec vnum nisi altero abscedente alterius locum subire; idque videmus non solùm in corporibus concretæ, crassæque substantiæ; sed etiam in tenuioribus, vt in aqua, & aere, indicio clepsydrarum, quæ infernè aquam sursum rapiunt, quam certè rapere non possunt quandiu aere sunt plenæ; sed cùm per foramen superius aer, qui intus est, inspiratione attractus subintranti aquæ locum dat.

Cur duo corpora nõ possint simul esse.

Causam verò cur vnumquodque corpus aliud à suo loco excludat, nec secum esse patiatur, inquirit D. Thomas super Boetium de Trinitate in quæstione de causa pluralitatis art. 3. profertque ea de re diuersas Philosophorum sententias. Sed omissis cõtrouersijs, pro-

Varię opiniones.

certo habendum est ex doctrina Auicenæ in sua suffic. rationẽ eiusmodi exclusionis petendam ab eo, quod occupandi locũ, certũque in ipso situm habendi, causa est. Ab eodem enim fonte prouenit & quod res loco, ac situ circunscribatur, & quod aliam ad sui consortium non admittat. Id autem nec materia est, nec forma; quia hæc per accidens se habent ad locum; sed quantitas trifariam dimensa (nam duæ superficies in eodem situ esse possunt) cuius beneficio res materia præditæ extensionem alterius corporis expultricem fortiuntur. Quo autem modo huiusmodi effectus à quantitate oriatur proximo sequenti articulo exponemus.

Possunt duę superficies esse simul.

Lege Richa. quodl. 2. q. 15.

Nunc

Nunc argumenta paulò ante propoſita diluamus: quæ nihil omnino exhibent negotij. Nam neque in ferro candenti ignis ſubſtantiam ferri permeat, (etſi ob multitudinem caloris in tam denſa & compacta materia ita videatur) cùm in eo quandiu forma ferri eſt, ignis forma non ſit. Neque item panis madens ab aqua penetratur; ſed huius partes intra illius meatus excipiuntur. Neque ideo tantundem aquæ in vas cinere plenum reconditur, quantum in vacuum; quod ibi detur corporum penetratio; ſed quia cinis aquam ipſam in vaporem, halitumque ſoluit, cum quo & cineris partes aliquæ exhalantur, nempe tenuiores & calidiores. Atque hæc ſolutio eſt Ariſtotelis in problematis ſection. 25. probl. 8. & Eudemi in 3. Naturalium. Additque Ariſtoteles in cinere complures eſſe meatus, quibus aqua ſeſe inſinuat, & addenſat, facta particulatim conſtipatione: itaque cinerem collabi, & ſubſidere, atque humorem per caua, & ſinus excipere. Ad aliud de cypho, dicendum immiſsis nummis non effundi, quia partes aquæ in cumulum ad medium intumeſcunt cohibente liquoris fluxum labiorum cyphi ſicecitate, quæ ſi madefiant, mox dilabetur aqua.

De ferro igni to lege quę ſcripſit D. Th. ſuper Boet. de Trinit. in hac queſt. Capreo lus in 4. d. 44. q. 3. art. 3. Paludanus ibidem ar. 2. Maior. d. 49. q. 9.

Sol. 1.

2.

3.

Cinere plenũ vas cur aquę tantum recipit, ac vacuũ.

4.

ARTICVLVS II.

CERTVM ESSE POSSE DVO CORpora virtute diuina eodem loco ſimul exiſtere.

PROfligata eorum opinione, qui duo cõrpora naturæ facultate in eodem loco ſimul conſtituebant. Sequitur nunc altera extrema ſententia eorum, qui id ne diuina quidem virtute fieri poſſe autumant, quæ hunc in modum videtur probari poſſe. Non minùs repugnat duo corpora, quàm plures eiuſdem corporis partes ſimul exiſtere; ſed hoc ita repugnat vt nullatenus fieri queat; ergo & illud. Minor ſuadetur, primùm, quia ad quantitatis eſſentiam pertinet habere partem extra partem; quod haud ſanè quidem ſeruabitur, ſi partes in eodem ſitu maneant. Secundò, quia alioqui poſſent partes alicuius corporis ſupra ſe ad vnum aliquem ſitum ita replicari, vt, verbi gratia, totum brachium digito includeretur, ſicque totum non iam excederet ſuam partem, quod contradictionem inuoluit.

Lege Durãd. in 4. d. 44. & Paludanũ q. 3. art. 3.

Argumẽtum pro parte negatiua.

a Nihilominùs contraria ſententia, quæ ſtatuit poſſe duo corpora diuina virtute in eodẽ loco manere, adeò certa eſt, vt de ea Chriſtiano Philoſopho dubitare non liceat; cùm ſacra nos doceant oracula Chriſtum illæſo Virginis matris vtero natum, clauſo ſepulchro ſurre-

a Hic tuetur d. Thomas 3. p. q. 54. art. 1. & in 4. d. 44. q. 2 art. 2. Henricus Gand. quodl. 9. q. vl. Scotus in 4. d. 49. q. 16. D. Bonau. ibidẽ in 3. princip. q. 1. Ric. in 4. princip. q. 5. Capr. d. 44. q. 3 art. 3.

Concluſio.

surrexisse, & ad discipulos obseratis ianuis ingressum, & denique dum ad Patrem ascenderet cælestia corpora penetrasse: quæ omnia ex Patrum sensu, & interpretatione constat ita potentiæ diuinæ miraculo accidisse, vt duo corpora sese permearint, eodemque in loco simul extiterint. Id nimirū præter alios testatur Leo magnus sermone 2. de Natiuitate. D. Cyrillus Hierosolymitanus in oratione de Christi occursu, & Simeone. D. Gregorius in homilia quadam de octaua Paschæ. Esychius homi. 2. de laudibus Virginis D. Damascenus 4. lib. fidei orthodoxæ cap. 19. D. Augusti. tum alibi, tum libro de quinque hæresibus aduersus Manichæos & libro 22. de ciuitate Dei cap. 8. D. Iustinus martyr in quæstionibus gentium quæstione. 117.

Confirmatur patrum sententia, & auctoritate.
Leon.
Cyril.
Greg.
Esych.
Damasc.
August.
Iust.

Porro autem licet Theologi doctores nostram assertionem communi assensu tueantur; disidium tamen, difficultasque non parua est in explicando quidnam virtus diuina præstet, quid exhibeat, subtrahatue, cùm duo corpora eodem in loco ponit. Ad huius ergo rei intelligentiam aduertendum erit essentialem, ac propriam quantitatis rationem consistere in extensione partium, hoc est, vt quantitas ipsa in ordine ad se habeat partem vnam extra aliam: vnde sicuti effectus formalis candoris est reddere, verbi gratia, niuem candidam; ita effectus formalis quantitatis est extendere partes materiæ, easque in toto ipso inter se ordinare, ac distinguere. Hanc autem primæuam quantitatis rationem aliquot Physicæ proprietates consequuntur: videlicet (vt cæteras, quę ad rem pręsentem non faciunt, omittamus) commensurari spatio, ita vt singulę eius partes singulis partibus circunfusę superficiei respondeant. Item replere locum; & distingui situ à quacunque alia quantitate: quę affectiones primò quidem ipsi quantitati, tum eius beneficio corpori, cui inhęret, accommodantur.

Difficultas in apposita assertione.

Essentia quantitatis.

De hac re D. Tho. in 4. d. 10 q. vnic. ar. 3. Scotus ibidem q. 1. ar. 2. Aegidius theor. 12.

Affectiones consequentes naturam quantitatis.
Commensurari spatio.
Replere locū.
Distingui situ.

Lege d. Tho. quodl. 1. q. 2.

Quod ergo ad primariam illam rationem attinet planum est non adimi eam diuinitus quantitati, cùm duo corpora in eodem situ locantur: alioqui admittendum foret quantitatem à natura sua deijci. At enim neque ei tunc commensuratio ad proprium locum aufertur. Namque tametsi constare sine hac quantitas valeat (vt patet in diuina Eucharistia, vbi corporis Christi dimensio superficiei panis non adęquatur, sed tota in tota, & tota in qualibet parte specierum existit) tamen cùm duo corpora sese penetrāt vtrunque loco continetur, vtriusque partes loci partibus respondent. Circa alteram verò proprietatem, quę occupatio, repletioue loci dicitur, controuersia est. Scotus in 4. d. 49. quęstio. 16. hunc in modum ratiocinatur. Duę quantitates non pugnant inter se contrarietate formali: sic enim quantitati aduersarium nihil est, vt in eius categoria Aristoteles docet; pugnant tamen virtute, quatenus gemnam efficiunt spatij repletionem, quarum altera cùm locus, quantum repleri natus est, occupetur, non potest quantitas

In Sacra Eucharistia dimensio corporis Christi est tota in qualibet parte specierum.
Opinio Scoti.

Lege D. Th. 3 P. q. 76. ar. 3.

Quantitati nihil contrariū.

titas non aliam abſe quantitatem excludere, & remouere. Quapropter ſi cauſa aliqua detur, quæ vi ſua præſtare queat, vt vnum ſaltē è duobus corporibus alicubi ſit, nec locum expleat, eaſanè præſtiterit, vt duo eodem in loco pariter inſint. Cùm verò id nullū agens naturale poſsit; poſsit autem Deus, conſequens eſt vt duo corpora per naturam nequeant ſimul eodem in loco eſſe; queant tamen diuina virtute. Quòd autem Deus prædictam loci repletionem impedire valeat, ſuadet Scotus ex eo, quia quantitas eſt effectrix cauſa repletionis loci, atque adeò poterit Deus eiuſmodi efficientiam ſubtractione ſui concurſus inhibere.

Eandē ſequitur Argentinas in 4. d. 49. q. 1. art. 4.

Hæc via propoſitam explicandi difficultatem admodum celebris fuit in ſcholis theologorum ætate Magni Alberti, vt ipſe refert in 4. d. 44. art. 25. Cæterùm bifariam Scotus eam ſequendo à veritate deflexit. Primùm, quia cenſuit cùm duo corpora in eodem loco ſunt, alterutrum duntaxat, non ambo locum replere; cùm tamen, vt probè inquit Albertus, intelligi nequeat quonam modo corpus in loco exiſtat, & tamen locum non repleat; quaſi verò aliud ſit replere locū, quā eius circunſcriptione teneri, ac locari. Vnde & D. Thomas in additionibus ad 3. p. quæſt. 83. art. 2. Inſania, inquit, videtur, dicere corpus glorioſum non replere locum, quando cùm alio nō glorioſo alicubi ſimul conſtituitur; alioqui abſcedente corpore nō glorioſo locus vacuus maneret. Peccauit etiam Scotus, quod quantitatem cauſam effectricē repletionis eſſe crediderit; cùm tamen, vt præter alios, rectè annotauit eius diſcipulus Baſſolius in 4. d. 49. q. 4. poſt Auerroem 4. lib. huius operis comm. 84. quantitas non magis actiua ſit, quàm materia.

Refellitur.

Vbicūque eſt corpus locū replet.

Quantitas eſt expers ōnis actiuitatis.

Lege Hiſpalē ſe in 4. d. 44. q. 3. art. 1.

Quæ cùm ita ſe habeant, dicendum præter loci repletionem habere quantitatem, vt paulò ſupra aduertimus, aliud munus huic affine, & cognatum, nimirum quodlibet corpus ſecundum ſitum ab alio diſtinguere, & aliorſum remouere, quod præſtat quantitas penetrationi obſiſtendo, non quidē actiuè; cùm omnis actiuitatis expers ſit; ſed negatiuè, non admittendo alterius corporis ſubingreſſum. Qui modus cauſalitatis ad genus cauſæ materialis pertinet; hoc autem officio, (retenta interim prædicta loci repletione) diuinitus priuatur quantitas, cùm duo corpora in eodem ſitu, & loco ponūtur; quemadmodum & in diuina Euchariſtia, ſeruata diſtinctione, atque ordine dimenſionum corporis Chriſti in ordine ad ſubiectum, & ad totum, adimitur ei commenſuratio in ordine ad locum.

Munus quantitatis diſtinguere ſitu vnū corpus ab alio.

Quāritas corporis Chriſti in diuina Euchariſtia non retinet cōmēſurationē in ordine ad locum.

Addimus autem congruenter ijs, quæ dicta ſunt, quod pluribus Theologorum placet, cum corpora glorioſa alia corpora penetrabunt, ad eiuſmodi penetrationem non concurſuram efficienter ſubtilitatis dotem; ſiquidem penetrationi nō reſiſtit vlla vis actiua, quæ proinde agendo ſuperari debeat; ſed tantūmodo ipſa quantitas prout habet munus diſtinguendi corpora quoad ſitum. Vnde neq; ipſe Deus agendo; ſed potiùs ſubtrahendo influxum quoad reſul-

Dos ſubtilitatis quo modo ſe habeat ad penetrationem corporum.

lege D. Th. in 4. d. 44. q. 3. art. 2.

resultantiam illius officij, penetrationem corporum exhibet. Verū hæc enucleatiùs scrutari non est huius loci.

Explicatur argumẽtum initio art. p-positum.

Ad argumentum igitur, quod nostram cõclusionem euertere nitebatur, concedẽda est maior propositio, negãda minor: & ad priorem eius confirmationem dicendum partes corporis, quæ in eodem situ diuinitus collocantur, adhuc seruare eam extensionẽ, & distinctionem in qua essentia quantitatis consistit, vt ante explicuimus. Ad posteriorem concedẽdum posse partes quantitatis supra se diuina virtute, quantumlibet replicari; ex quo tamen non colligitur totum non fore maius sua parte. Licet enim brachium ad locum non ampliorem, quàm digiti, plicando reuocetur; adhuc vberiorem molem ac longitudinem, quàm digitus, in se re ipsa cohibebit; sicuti mille panni cubita esto ad vnius cubiti longitudinem plicentur, nõ iccirco desierint longitudinem millecuplo maiorem, quàm vnius duntaxat cubiti sit, in se claudere.

Esto partes quãtitatis supra se replicẽtur non propterea desinet totum esse maius sua parte.

Maior d. 49. q. 9.

QVÆSTIO V.

VTRVM IDEM CORPVS SIMVL IN duobus locis diuina virtute esse queat.

ARTICVLVS I.

QVI AVCTORES PARTEM NEGATiuam defendant, & quibus argumentis.



IST hæc controuersia vtilis, scituque iucunda, in qua magna disidentinm Theologorum contentione certatur. D. Thomas 3. p. q. 75. art. 1. & lib. 4. contra gentes cap. 64. Henricus Gandauensis quodlib. 9. q. 32. Durandus in 4. d. 10. q. 1. AEgidius quodlib. 1. q. 1. & quodlib. 2. q. 17. Heruæus quodlib. 11. q. 13. alijque complures negantẽ partem amplexi sunt his potissimùm nixi argumentis.

Capr. in 4. d. 10 q. 1. Paludanus d. 44. q 3. Ferrariensis 4. contra gent. ad cap. 63.

1. argu. 1. Esse corpus in loco circunscriptiuè, est ita loci circunscriptione terminari ac definiri, vt extra illũ non sit; atqui si idem corpus duobus in locis existat, erit extra quemlibet eorum; ergo erit, & nõ erit circunscriptiuè in loco.

2. argu. 2. Non minùs ad cuiusque rei naturam, & essentiam pertinet, vt à se ipsa indiuisa, & indiscreta existat; quàm vt diuisa, & discreta sit à quacunque alia; sed fieri nequit, etiam diuinitus, vt res aliqua singularis non sit discreta ab alia; cùm vnumquodque sua essentia ab alio discernatur; ergo fieri etiam nequibit, vt à se ipsa discreta sit; at discretam

discretam esse oportet, si à se loco diuidatur; igitur loco ab se diuidi impossibile est.

3. Si Deus Petrum, qui nunc Romæ est, Conimbricæ statueret; vel id præstaret aliqua actione, qua illi esse, quod iam Romæ possidet, Conimbricæ cõferret; vel sola mutatione terminata ad vbi: quorum neutrum dici potest. Non primum, quia si Petrus Conimbricæ diuinitus esse accipiat, dicetur denuò produci; cùm per nouam actionem esse acquirat; quod tamen hypothesi repugnat. Ponimus enim Petrum iam antea Romæ fuisse. Non secundum, quia non videtur minor concursus requiri ad Petrum Romæ iam existentẽ, alibi collocandum, quàm ad esse eidem iam vita functo, vel non dũ nato diuinitus tribuendum; atqui ad hoc posterius, certum est aliam actionem deposci præter eam, qua vbi acquiritur. Nulla igitur ratione fieri potest, vt idẽ corpus simul duobus in locis à Deo ponatur. 3. argum.

4. Si eadẽ res simul in multis locis sit, plurima absurda, & incredibilia sequentur. Primùm eandem rẽ simul contrarijs motibus cieri: poterit enim Petrus Romæ sursum, hîc deorsum tendere; Romæ calefieri, si sit prope ignem, hîc refrigerari, si frigida abluatur. Item sequetur priuantia, atque adeò contradicentia affirmari de eodem. Mouebitur enim hîc Petrus, si velit; & eodem tẽpore quiescet Romæ. Item Romæ viuet, hîc interibit, si hîc occidatur, non autem Romæ. Item Romæ erit videns, hîc cæcus, si hîc ei oculi eruantur, non illic. Ex his autem licebit concludere Petrum simul moueri & non moueri, viuere & non viuere; videntem ac non videntem esse. Quæ omnia cõtradicentia sunt, nec diuina virtute cohærere valent. Quare perspicuum videtur nullo pacto idem corpus simul duobus in locis collocari posse. 4. argum.

ARTICVLVS II.

SOLVTIO QVÆSTIONIS.

CONtraria tamen propositæ quæstionis pars multò verisimilior est; quam tuetur Hugo Victorius lib. 2. de sacramentis p. 8. cap. 11. Scotus in 4. d. 10. q. 2. Richardus ibidẽ. Ochamus q. 4. Marsilius q. 7. Ioannes Maior q. 2. Gabr. q. vnica, & in Canone lectione 46. alijque non pauci. Probatur autem hæc sententia hisce rationibus. Primum, non minori necessitate corporum multitudo multitudinem locorum, quàm vnitas corporis, loci vnitatem exigit: at compertum est duo corpora (vt superiori quæstione ostendimus) diuina virtute in eodem loco esse posse; igitur nec vnum in pluribus esse repugnabit. Aff. vtrius pars affir.

Maironis in 4 d 1. q. 1. Bassolius d. 10. q. 3. art. 2. Argentinas ibidem q. 1. art. 1. Aliacensis q. 3. art. 2.

1. ratio.

Deinde, Maius, mirabiliusque est vnum, & idem corpus Christi simul in cœlo esse, & in sacra Eucharistia, quã esse in cœlo, alioque 2. ratio.

in

in loco extra ſacramentum; ſed primum, vt fides docet, poteſt diuina virtute fieri, reque ipſa fit; ergo & poſterius effici poterit. Maior propoſitio ſuadetur, quia difficilius eſt poni rem extra modum ſibi naturalem, quàm ſecundum modum naturæ ſuæ congruentem: at Chriſti corpus in Euchariſtia eſt modo non naturali; ſiquidem eſt ibi totum ſub qualibet parte ſpeciei panis; cùm tamen modus ei naturalis poſtulet, vt ambienti ſuperficiei commenſuretur, ſitq; totũ in tota ſuperficie, pars in parte: ergo & cæt.

ꝑ ratio. Item, Nulla ſequetur cõtradictionis implicatio ſi Chriſtus latens ſub diuini huius ſacramenti ſpecie manum ſuam alicui videndam exhibeat; ſed tunc manus circunſcribetur loco, ſicuti nunc in cœlo circunſcribitur; ergo idem duobus locis definiri repugnantia non eſt. Poſtremò ad hoc confirmandum nonnulli in teſtimonium aſſumũt id, quod de ſancto Ambroſio legitur, qui dum Mediolani diuinis rebus aſſiſteret ſimul & ſe Turone exequijs D. Martini interfuiſſe teſtatus eſt. D. Antonin. 2.p.tit.19.c.11.§.4.

Hæc ſunt potiora huiuſce partis argumenta. Rogabit tamẽ quiſpiam, num corpori duobus in locis ita conſtituto eadem vtrobique accidentia conuenire debeant. Cui dubitationi, omiſſis controuerſijs, triplici pronuntiato ſatisfaciemus. Primum ſit. Accidentia, quę ordinem habent ad locum, ſiue ad vbi, vel idem ſunt cum eo, vt iacere, ſtare, moueri, quieſcere, percuti, cæteraque id genus, nõ oportet vt corpori vtrobique accidant. Etenim ſicut illi Romæ exiſtenti non conuenit idem vbi, quod Conimbricæ, vt luce clarius eſt; ita nec competere oportet ea, quæ ad ipſum vbi, ſiue locum ordinem important, vel ab eo re ipſa non differunt.

1. pnuntiatũ.

Pro hiſce pnuntiatis la. ge Scotũ, Sotum, & Gabrielẽ loco cit.

2. pnuntiatũ. Secundum pronuntiatum ſit. Cætera accidentia, vtrobique ei conuenient. Nam cùm idem omnino corpus ſit, quæcunque depẽdentem à loco rationem non habuerint, vbicunque illud extiterit, ex ipſa rei natura, neceſſaria conſecutione, non nouo miraculo, ſed præcedentis vi, in eo reſultabunt. Itaque ſi vno in loco prope ignẽ ſit, non iccirco prope ignem in alio erit; vtrobique tamen caleſcet; quia caleſcere eſt quidpiam à loco abſolutum: caleſcet, inquam, niſi in altero loco exiſtat prope aliud corpus, quod ad ipſum refrigerãdũ parẽ vim atq; ignis ad calefaciendũ, habeat: tũc enim cũ actio nõ niſi à vincẽte ſit, vtrunque agens ſeſe impediet, & alterius actionẽ phibebit. Quod ſi alterũ præualuerit, eius tantùm procedet actio. Parĩ modo ſi vno in loco percutiatur, ſentiet quidem in altero dolorem; non tamen in eo percutietur; quia percuſsio motus eſt localis; dolor verò ordinem ad locum nõ habet. Item in vtroque nutrietur, & augeſcet, non in vtroque alimentum hauriet; vtrobique febri iactabitur, ac morietur; non vtrobique venenum aut medicamenta accipiet. Atque ex his de cæteris etiam iudicare facile erit.

Si cõpus in vno loco ſit prope agens calidũ, i alio prope frigidũ, quid euẽturum ſit.

Sed quid ſi Petrus duobus in locis poſitus ſibi hinc inde in via occurrat? Maironius in 4. d. 11. q. 1. & Sotus d. 10. q. 1. art. 5. reſpondẽt, ſi ad-

Dubitatiõ.

si aduersa facie secum ipse cõgrediatur, mansurum in eodem spatio; quia cùm sit vnum idemque corpus sibi nequaquam obsistet. Verũ haud probè respondent. Nec enim id, quod aiunt, absque nouo miraculo fieri posset; quandoquidem vndecunque sibi ille appropinquet, in eundem locum recipi nequit; quin diuersa eiusdem corporis membra sese permeẽt. Si enim quasi alter Ianus versus vtranque partem, frontem habere debeat; vtique iam frons per occiput meabit. Si versus vnã duntaxat partem; neutiquam id fieri poterit, quin dum se ad vnum, eundemque locum occupandum insinuat, anteriores partes per alias à se diuersas penetrent, vt consideranti planum est.

Quorũdam responsio, quę non probatur.

Legitima solutio.

Tertium pronuntiatum. Diuinitus, nouoque miraculo fieri poterit, vt ea etiam, quæ ad vbi, siue ad locum ordinem non habent eidem corpori vno in loco, non tamen in alio conueniant; verbi gratia, vt hîc viuat, Romæ moriatur, hic cæcus sit, Romæ videat, hic materia sit coniuncta formæ, illic omni forma careat. Cuius pronũtiati veritas ea ratione ostenditur; quia nulla ex his sequitur implicatio. Quod si quis obijciat, ex eo quod Petrus simul videns & cæcus; mortuus, ac viuus sit, concludi eum simul videntem, & non videntem; mortuum ac non mortuum esse; quæ sunt contradicentia; proindeque nec diuina virtute constare possunt. Occurrendum erit ad veram contradictionem requiri, vt prædicata pugnantia cõparentur cum eodem respectu eiusdem loci quod in re proposita nõ seruatur. Vbi aduerte, licet Petrus eodem tempore viuat ac mortuus sit; non tamen absolutè dicendum eum simul viuere, & non viuere; quia, qui ait Petrum non viuere, ex modo ipso negationis verbo præpositæ, quæ significatum verbi absolutè, atque omnimodis remouet à subiecto, significat eum nullibi viuere; quod falsum est. Itaque non manent hæ duæ propositiones simul veræ; Petrus viuit, Petrus non viuit; sed prior vera, quatenus significat eum alicubi viuere, quod verum est. Posterior falsa, quia significat eundem nullibi viuere, quod non ita est.

3 pnuntiatũ

Lege Gabrielem in expositione canonis lect. 46. Ochamum in Centilogio conc. 31

Obiectio.

Non repugnat Petrum diuina virtute vno in loco viuere in alio esse mortuum.

ARTICVLVS III.

OCCVRRITVR ARGVMENTIS initio propositis.

His animaduersis non erit difficile contrariæ partis argumenta diluere, atque omnem effugere contradictionem. Ad primum namque dicendum, id quod loco circunscribitur sic eo coerceri, vt naturæ facultate extra illum esse non possit; quare non colligi idem corpus contineri, & non contineri loco, sed vno in loco naturaliter; in pluribus autem non nisi per diuinã potentiã esse.

Sol. 1. arg.

Sol.2 Ad secundum, Non pertinere ad essentiam Petri, vt à se indiscretus, & ab alio sit diuisus quoad locum; sed quoad quiditatem, idest, vt eius propria, & singularis quiditas non sit ab eo seiuncta; & vt discreta sit à quiditate alterius; quod Petrus non amittet, licet duobus in locis diuinitus ponatur.

Sol.3. Ad tertiũ in primis dicendũ Petrũ non constitutũ iri à Deo alio in loco per actionẽ ipsius Dei terminatã ad vbi; sed ad ipsum esse Petri intrinsecè; quia ibi non datur mutatio à loco in locum; sed ex eo quod Deus conferat esse Petro alibi, naturali consecutione, & absq; vllo speciali Dei concursu acquirit Petrus aliud vbi. Est tamen difficultas vtrũ actio illa Dei intrinsecè terminata ad ipsũ esse Petri sit eadem, qua Deus Petrũ alibi conseruat, an diuersa. Et quidẽ vtrũq; probabiliter dici potest. Veri similius tamen videtur, esse essentialiter eandẽ; sed aliter modificatã speciali Dei concursu. Quandoquidẽ terminus, cæteraq; concurrentia sunt eadẽ præter vbi, & locum, qui locus extrinsecè ad illũ sese habet. Confirmaturque hæc sententia; quia si Deus corpus Christi Domini existens in sacra Eucharistia relinquat suæ naturæ vt occupet spatiũ, nequaquã illi in spatio esse conferet per actionem essentia distinctã ab ea, qua ipsum conseruat absque extensione in ordine ad locum. Conueniuntque hæc cũ ijs, quæ artic. superiori ad tertium pronuntiatum dicta sunt: videlicet nouum miraculum requiri, vt Petrus Romæ, & Conimbricæ simul existens in altero horum locorum viuat, in altero moriatur. Nam ex eo quod eàdem essentialiter actione vtrobique accipiat esse, consequitur, vt si vno in loco intereat, in altero etiam moriatur, nisi ibi nouo miraculo conseruetur. Siue tamen actio, qua Deus rei vno in loco existenti alibi conferat esse, dicatur eadem essentialiter, siue diuersa; non proinde sequitur rem denuò produci; cùm noua productio sit actio, qua res accipit esse, quod non dum habet: ponimus autem Petrum alibi iam habere esse.

Actio, qua Deus idẽ corpus in loco alio cõstituet non terminabitur intrinsecè ad locum; sed ad esse ipsius corporis.

De identitate illius actionis cum ea, qua Deus idẽ corpus alibi conseruat.

Capitis septimi Explanatio.

Disputatio de Vacuo.

VTrum a autem inane} Sequitur disceptatio de vacuo, quam Aristoteles non minus, quam eam, quę de loco est, ad Physicum pertinere ait eisdemque in illa quęstiones, & problemata occurrere propter affinitatem, quę inter vacuum, & locum est; quę proinde non absimilem doctrinę methodum, & seriem exposcit.

Veterum opiniones.

b Cõsiderationis} Quoniam duæ fuerunt in re proposita veterum sententię; altera vacuum ponentium; altera idẽ negantium, vocat ad calculos eorum argumenta, qui posteriorem partem tuebantur, inter quos Anaxagoras disputationem suscepit ad aduersus plebem, quę errore decepta existimabat vbi nullum esset corpus, quod in sensus caderet,

Anaxagoras plebem vacuum ponentem coarguebat.

CAP. VI.

VTrum a autem inane sit, necne, & quemadmodum, aut quid sit, non secus, ac de loco Physici esse contẽplari censendum est. Nam ex his, quæ existimantur non dissimilẽ habet & probationẽ, & improbationẽ. Qui Text. 50.

caderet, ibi neceſſariò dari vacuum. Erat autem ratio Anaxagorę huiuſmodi. Id, quod aere plenum eſt, vacuum non eſt; ſed ſpatium quod vacuum eſſe dicitis, plenum eſt aere, quem conſtat eſſe aliquid: igitur id nullo modo vacuum eſt. Aſſumptionem oſtendebat argumẽto vtrium, qui ſi inflati ſint, comprimi, & conuolui nequeunt, certè non niſi obaeris corpulentiam coitioni, compreſsionique obnitentem. Item indicio clepſydrarum, quę non ante aquã admittunt, quã aer incluſus faceſſat. Ratio Anaxagorę.

Qui enim inane eſſe aiunt, vt locum quendam & vas ponunt, quod plenum quidem videatur eſſe, cùm molem, cuius eſt capax intra ſe habet: cùm verò ea priuatum eſt, inane, tãquam idem ſint inane, plenum, & locus, eorum autem ratio,
Text. 51. *& eſſentia non eadem. b Conſiderationis autẽ exordium eſſe debet, vt ea ſumamus, quæ ij aiunt, qui eſſe inquiunt: rurſus ea, quæ ij, qui inquiunt non eſſe: tertiò communes de eo opiniones. Qui igitur non eſſe enituntur demonſtrare, non id inane refellunt, quod homines volunt dicere; ſed quod errando ſtatuunt, vt Anaxagoras, & qui hoc modo redarguunt: aerem enim eſſe aliquid demonſtrant vtres torquendo, aerisque robur oſtendendo, atque in clepſydris intercipiendo, cùm homines inane interuallum eſſe velint, in quo nullum eſt*
Text. 52. *corpus, quod cadat ſub ſenſum. Sed cùm quidquid eſt, putent corpus eſſe, aiunt id inane eſſe, in quo ommino nihil eſt. Itaque id eſſe inane, quod aeris plenum eſt. Non igitur hoc demonſtrandum eſt aerem aliquid eſſe, ſed interuallum à corporibus diuerſum nullum eſſe ſeu ſeparabile, ſeu quod actus ſit, corpusque omne intercipiat, ita vt continuum non ſit, vt Democritus, & Leucippus, alijque multi Phyſiologi inquiunt, ſeu etiam quod extra ſit vniuerſi corpus cõtinuum.*
Text. 53. *Hi igitur non per ianuam problemati occurrunt, ſed ij potiùs, qui eſſe aſſeuerant. c Inquiunt verò primum quidem motum in loco, qui latio eſt, & accretio, non fore: non enim motus poſſe eſſe videtur, niſi ſit inane, ſiquidem id, quod plenum eſt, capere non poteſt: quod ſi capiat, duoque ſint ſimul fieri etiam poteſt, vt quotcunque corpora ſimul ſint: differẽtiæ enim ratio, cur id, quod dictum eſt, eſſe non queat, afferri non poteſt. Sed ſi hoc eſſe poſſit, ab eo quoque, quod minimum eſt, id quod eſt maximum, excipietur: quandoquidem quod magnũ eſt, multa eſt parua. Quare ſi multa æqualia in*
Text. 54. *eodem eſſe poſſint, multa quoque inæqualia poterunt. Ac Meliſſus quidem vniuerſum eſſe immobile his demonſtrat. Si enim, inquit, moueatur, inane eſſe neceſſe eſt: inane autem ex his, quæ ſunt, non eſt.*

Improbatur ab Ariſt.

Hanc viam refellẽdi vacuum improbat Ariſtot. quòd parum ad rem apoſita, parumq; efficax ſit; quanuis enim vulgi vacuũ tollat, non tamen confutat verum vacuum, in quo nullum re vera corpus ſit, quale nonnulli philoſophorum induxere, alij quidem aſſerentes dari inane corporibus interiectum ad rerũ continuationẽ diſſoluendam; alij infinitam vacuitatem extra cœli ambitũ ponentes.

Rationes prõ uacuo inducẽ do.

c Inquiunt verò} Profert in medium aliquot rationes earum, quibus veteres philoſophi vacuũ aſtruere nitebãtur. Prima eſt. Si vacuũ non eſſet, nihil poſſet moueri loco; igitur vacuum eſt. Aſſumptionem probabant, quia corpus, quod locũ mutat, vel inani ſpatio excipitur, vel pleno; ſi inani, habetur propoſitum: ſi pleno, ſequitur duo corpora ſeſe permeare, immo non duo ſolùm, ſed complura ſimul, itemque eodem ſpatio maius & minus corpus indiſcriminatim poſſe includi: cùm eadem ratio ſit in vno & pluribus, in magno & paruo. Siquidem magnum poteſt in particulas ad loci capacitatem accommodatas diuidi, & ex multis particulis in vnum corpus coeuntibus, magnum quid cõſurgit. Cùm igitur hęc omnia abſurda ſint, & à ratione aliena, ad eaque vrgeantur ij qui vacuum fugiunt, conſequens eſt, vt id velint nolint, concedant. Facitque pro eodem auctoritas Meliſſi, qui vacuum ad motionem obeundam vſque adeò neceſſarium iudicabat, vt quia id dari non poſſe credebat, motum tolleret, & vniuerſum immobile faceret.

Prima ratiõ à motu locali.

Meliſſi vacuũ ad motum requirebat.

50.

Secunda ratio ab ijs, quę addũntur.

d Alio verò } Secunda ratio ita habet, Dum corpora densantur, premunturquẽ, in minorem sese molem recipiunt, & angustiorem occupant locum, vt videre est in liquoribus dum congelascunt: in lana & spongia dum manibus coercentur, itemque in vino, siquidem experientia notum est, dolium tantũdem vini capere cũ vtribus, quantum sine illis: hoc autem nõ aliunde obuenit, nisi quia insunt ijs corporibus inanes quidã meatꝰ ĩ quos partes, quę ab se priùs distabant, cõtrahuntur, & cocunt. Negari igitur non potest dari in ijs vacuum.

Vno igitur modo inane demonstrãt non esse. d *Alio verò quod res quædã coire, premiq; videntur, quemadmodũ dolia vinũ cum vtribus aiunt capere, tanquam coeunte corpore, ac densato in ea inania, quæ insunt.* e *Præterea & accretio per inane fieri omnibus videtur: alimentum enim corpus esse: duo autem corpora simul esse nõ posse.* f *Testimonium etiam afferunt ex cinere, qui tantundem aquæ excipit, quantum vas inane. Esse verò & Pythagorici inane dixerunt, atque id, cœlum, tanquam ex infinito spiritu respiret, ingredi, quod naturas seiungit, propterea quòd inane separatio sit quædam, atque disiunctio eorum, quæ deinceps sunt posita. Hocque in numeris primum esse, inane enim ipsorum naturam distinguere. Tot igitur, & talia fere ea sunt, quibus ducti alij esse, alij non esse inane censent.* CAP.

Text. 55.

Text. 56.

Text. 57.

Tertia ratio ab accretione viuentiũ.

e Prꝛterea accretio } Tertia ratio est à viuentium accretione, quę cùm fiat hausto intus, & in corpus distributo alimento, partes inanes, in quas id sese insinuet, necessariò requirit, ne multa corpora in eodem situ maneant. Hanc rationem decantauit Lucretius 1. sui poematis hisce carminibus.

Lucret.

Disipat in corpus sese cibus omne animantum:
Crescunt arbusta, & fœtus in tempore fundunt,
Quod cibus in totos vsque ab radicibus imis
Per truncos, ac per ramos diffunditur omnes.
Quòd nisi inania sint, quà possent corpora quęque
Transire, haud vlla fieri ratione videres.

Quarta ratio à cineribus.

f Testimoniũ etiam } Quarta ratio est ab experimento cinerum, quibus plenum vas tantũ liquoris excipit, quantum absque illis excepisset. Quinta, quæ Pythagoreorum est, ducitur à rerum inter se discretione: nanque si vacuum non foret, cuius interuentu res diremptę & dissociatę essent, oporteret ex omnibus corporibus vnum quid effici, & coagmentari. Porro aiebant Pythagorei ex infinito vacuo extra mundum incubante, cœlum quosdam spiritus quasi respiratione ad se trahere, quos inspiret influatque inferiori mundo ad discriminãda corpora; ita tamen vt eiusmodi vacuo primũ quidẽ numeri participent, tum reliqua eorum beneficio.

Quinta à rerum inter se distinctione.

Vacuũ Pythagoricum.

Capitis septimi Explanatio.

VT a autẽ sciamus } Propositis in vtranque partem ad concedendum, aut tollendum vacuum rationibus; priusquam Aristoteles suam de eo sententiam constituat, explicandam sibi esse ait notionem vocabuli κενὸν, idest, vacuum. Quod prꝛstat eius significata descriptionesvè ex antiquorum placitis eruendo. Earum prima est, qua vacuum dicitur locus, in quo nihil, seu nullum corpus insidet. Apud illos namque ens, siue substãtia, & corpus reciprocabantur. Et verò quia ijdem, corpus tactu definiebant aientes corpus esse id, quod sub tactum cadit, rursusque tactile corpus

Prima vacui definitio.

Substantia & corpus apud veteres reciprocabantur.

CAP. VII.

VT a autem sciamus vtro modo se habeat, sumere debemus quid nomen significet. Videtur igitur inane locus esse, in quo sit nihil. Cuius rei causa est, quia quod est, id omne corpus esse arbitrentur.

Omne

vocabant, quod pondere, aut leuitate affectum est; docet ex eorum sententia hanc etiam haberi vacui definitionem; vacuum est locus, in quo nihil graue, aut leue continetur. Monet autem neutram harum notionum (quod nonnulli forsitan putarant) in punctum conuenire, cùm punctum locus non sit; nec trinam dimensionem capere valeat. Secunda definitio vacui.

b Ex quo etiam aliquis) Traditam à veteribus vacui definitionem reprehendit, quod ex ea sequatur interuallum carens corpore sub tactum cadente, occupatum tamen corpore alijs sensilibus qualitatibus prędito, vt sono, aut colore, si quid tale in natura existeret, eiusmodi inquam interuallum, vacuum esse: quod à vero abest; cùm vacuum omni corpore carere debeat. Itaque verba illa, an constat? notant quid veteres, si modo sibi constarent responsuri essent. Coarguit definitionem vacui ab antiquis trad.

Omne autem corpus in loco: inane verò locum, in quo nullum est corpus. Quare sicubi nullum est corpus, ibi nihil esse. Rursus corpus omne sub tactum cadere, eiusmodi autem id esse, quod pondus habet, aut leuitatem. Ratiocinatione ergo efficitur id esse inane, in quo graue, aut leue nihil est. Atque hæc quidem vt prius etiam diximus ex ratiocinatione efficiuntur. Absurdum autem est punctum inane esse. Oportet enim locum esse, in quo corporis, quod sub tactum cadit, dimensio est. Inane igitur vno modo videtur dici id, quod corporis plenum non est, quod sentitur tangendo, quod quidem est corpus graue, & leue. b *Ex quo etiam aliquis quæret, quid nam dicerent, si interuallum colorem habeat, aut sonũ, vtrum inane, nec ne? an constat, si corpus quod tactu apprehendatur, excipiat, inane esse: sin minus non esse?* c *Alio autẽ modo id, in quo neque hoc quiddam est, neque substantia vlla corporea. Quocirca nonnulli corporum materiam inane esse aiunt, ijdemq; & locum hoc ipsum ponunt, idq; non rectè. Materia enim à corporibus separabilis non est, inane autem quærunt, vt separabile.* d *Quoniam autem & de loco constitutum est, & inane, si sit, locum esse corporis expertem necesse est, locus verò quemadmodum sit, & non sit, dictum est, constat hoc quidem modo inane non esse, neque separatum, neque inseparabile. Inane enim non corpus, sed corporis interuallum esse debet. Quapropter inane aliquid videtur esse, quoniam & locus, & ob easdem causas. Motus enim, qui in loco fit, in mentem venit, & his qui locum aiunt esse quidpiam à corporibus, quæ incidunt, diuersum, & his, qui inane. Ac motus quidem causam inane esse sic censent, vt id in quo mouentur. Quod*

Text. 58. Text. 59. Text. 60. Text. 61.

c Alio autem) Aiebãt Platonici vacuũ id esse, in quo non est hoc aliquid, nec vlla corporea substantia. Hanc etiam definitionem impro bat, quòd ex ea colligi posset materiam esse vacuum; cùm in materia nullum insit corpus, sed forma duntaxat, immo & esse locũ, quod ijdẽ fatentur. At non debere id cõcedi ex eo conuincit, quia si materia esset locus, possent res ab ea, sicuti & à loco, separari. Quod non ita est. Platonici vt vacuũ definierint.

d Quoniam autem & de loco) Docet ex propria sententia quid vacuum sit: asseritque vacuũ esse locum carentem corpore, intellige, aptum tamen, vt eo repleatur. Tum statuit aduersus priscos Philosophos neutiquam vacuum in natura dari, nec insertum rebus, nec ab ijs diuulsum, etsi id motus gratia dandum videbatur. Nam cùm ipsi statuerint vacuum sicuti & locum esse trinam illam dimensionem, probatumque sit non debere eam admitti; perspicuum relinquitur vacuum non esse, cùm ex vtroque eadem propemodum absurda consequantur. Germana vacui definitio.

e Nulla autem necessitas) Antequam proprijs rationibus vacuum refellat, argumenta, quibus id veteres inducere conabantur, diluit. Ad primum respondet saltem ad motum alterationis non requiri vacuum; siquidem Socrates in eodem vestigio hęrens potest albescere: deinde neque ad lationẽ exigi, vt Melissus falsò putabat; cùm possint corpora sibi mutuò cedere, & alia alijs abeuntibus nouum locum acquirere, vt vidĕre est in mari, siue cùm fluctuat, aut reciprocante æstu agitatur, siue cùm natantium gregibus facili recessu dat locum; itemque in conuersionibus solidorum corporum. Cùm enim rota tonsoria in orbem torquetur, vnà & inferiores partes ascendunt, & superiores loco pelluntur, cedunt; vicissim inferioribus. Responsio ad argumẽta pro vacuo. Ad 1.

f Pos- Quo pacto latio absque vacuo detur.

Ad 2.

f Possunt etiam corpora) Diluit secundum argumentum aiens posse addensari, premiq; corpora, non quod partes vacuo recessu ad hunc vsum parato excipiantur; sed quia tenuioribus particulis compressione explosis necesse est contrahi corpus, & minùs spati, quàm antea, occupare. Atque hac responsione satisfit quoque argumento de cineribus, qui aquam imbibunt. Qua de re alibi etiam scripsimus. Aduerte autem non eo tantùmmodo, quem hic tradit Aristoteles, densationem fieri, cùm non sit necesse omnibus corporibus inserras esse tenuiores particulas, quę compressę, & quasi euanescentes extrudantur, vt in subtilissimo igni patet. Sed hęc in lib. de generatione.

Quibus modis condensatio fiat.

Quod quidem tale est, qualem locum esse aiunt nonnulli.

e *Nulla autem necessitas cogit, si motus sit, inane esse. Ac omnino quidem omnis motionis, nullo modo: quod Melissus ignorauit, quandoquidem alterari id, quod plenum est, potest. At neque eius motus, qui fit in loco. Cedere enim vicissim sibi possunt, cùm præter corpora, quæ mouentur, nullum est interuallum separatum. Atque hoc perspicuum est sic in rerum continuarum, vt in humidarum conuersionibus.* f *Possunt etiam corpora non in vacuum cogi, sed quòd ea, quæ insunt, extrudantur, vt cùm aqua premitur, is, qui inest, aer.* g *Præterea augeri, non aliquo solùm introeunte, sed etiam alteratione, vt si ex aqua aer gigneretur. Omnino autem & ratio ea, quæ est de accretione, & ea, quæ de aqua in cinerem infusa, ipsæ sibi sunt impedimento: aut enim non quæuis pars augetur, aut non corpore, aut fieri potest vt duo corpora sint simul, aut totum corpus necesse est inane esse, si vndique, & per inane augetur. Dubitationem igitur communem volunt diluere, sed inane esse non demonstrant. Eadem verò est & cineris ratio. Itaque perspicuum est facile esse ea soluere, è quibus demonstrant inane esse.*

Text. 62.

Text. 63.

Text. 64.

CAP.

Ad 3.

g Præterea augeri) Neque tertium argumentum vacui necessitatẽ probat. Possunt enim res augescere accretione minùs propria, vt cùm ex aqua, alteratione præeunte, gignitur aer in maiori, vt solet, quantitate; ad quam accretionem obeũdã perspicuũ est inanes meatus non requiri. Adde etiam neque ad eam, quę accretio proprie vocatur, & in solis viuentibus cõspicitur, eiusmodi inanitates exigi: crescunt enim res viuentes alimento suscepto intra pòros, qui vel oppleti sunt corpusculis eidem alimento facilè locum dantibus, vel latera habent contigua et sese confestim pandentia.

Quõ modo viuẽtia accrementa sumãt absque interuentu vacui.

h Omnino autem) Secundam partem proximę solutionis à nobis traditam, quæ valet ad difficultatem de incremento rerum viuentium explicandam suppressit ibi Aristoteles: hîc verò quia, quam ipse attulit, responsio hunc nodum minime soluit, admonet prędictam aduersariorum rationem ancipitem esse, ac lubricam, seque ipsam demoliri, quia dum ex accretione vacuum probat, accretionem tollit. Nam si vt res augescat dandi sunt in ea aliqui inanes meatus, vel non quęlibet pars quoquouersum incrementa accipiet, quia non quęlibet inanis est, alioqui totum inane quiddam foret; vel accretio fiet non accedente corpore, vel si accedente corpore fiet, multa corpora simul erunt. Quę absurda qui inuehunt, quid aliud faciunt, quàm accretionem tollunt? Idem similiter de cineribus iniectam aquã recipientibus concludendendum erit. Quo patet vacui auctores in sua met arma ruere, ac se ipsos reuincere: proindeque non esse ob eorum rationem à proposita sententia recedendum.

Nõ posedari inanes meatus vt res augeantur.

Auctores vacui in sua arma ruere.

Capitis octaui Explanatio.

Non dari vacuum in natura.

SED inane ita separatum) Solutis veterum argumentis aggreditur ad demonstrandum non posse dari in natura vacuum, neque à corporibus separatum, idest, spatium quoquoversum omni vacans corpore, neque intrà corpora inclusum, quale esset in re viuente, aut in cineribus, si inanes haberent meatus. Quia verò antiquitatis philosophi ad tuendam lationem vacuum ponebant, ostendit neutiquam ob eam inducendum fuisse; quandoquidem natura cuiusque corporis simplicis propriq; motionis causa est, cùm vnun-

Naturam corporũ simplicium sui motꝰ causã esse.

quodq;

quòdque suo pondere, aut leuitate in natiuum locum feratur.

b Prꝫterea si) Secundò idem concludit, quia si vacuum dent non quasi efficientem motus causam, sed vt sit inane spatium, quo excipiantur corpora, non solùm ob id necessarium non est; sed eo constituto, motus omnis tollitur. Etenim nulla tunc ratio supperet cur huc potiùs, quam illuc corpus feratur, in hanc, aut illam partem magis inclinet, omnibus locorum differentijs ita confusis, vt inter inferum, & superum nullum discrimen habeatur.

CAP. VIII.

Sa *Ed inane ita seperatum, vt non nulli aiunt, non esse, rursus dicamus. Si enim cuiusque simplicis corporis aliqua latio est naturalis, vt ignis in superum locum, terræ in inferum, & ad medium, constat profectò inane lationis causam non esse. Cuius igitur inane est causa? Motus enim, qui in loco fit, causa videtur esse, huius autem non est.*

Text. 65. b *Præterea si aliquid est, vt locus expers corporis, cùm inane fuerit, quonam corpus, quod in illud iectum est, feretur? Neque enim per vniuersum, quæ eadem ratio & contra eos est, qui separatum quiddam, in quod res feratur, locum esse existimant. Id enim, quod in eo positum est, quomodo feretur, aut manebit? Atque etiam ratio, quæ de supero est, & infero, inani eadem merito accommodatur, quandoquidem inane locum faciant ij, qui aiunt illud esse.* c *Quin etiam in loco, aut in inani quomodo inerunt? Non enim accidit, cùm totum positum fuerit, vt in loco separato, atque manente corpore. Pars enim nisi sit abiuncta, in loco non erit, sed in toto. Iam verò*

Text. 66. *si locus non est, neque inane erit.* d *Quod si quis consideret, hisce, qui inane esse inquiunt, veluti necessarium ob motũ contrarium potiùs accidit, nihil moueri posse si sit inane. Nam quemadmodum qui terram quiescere ab similitudinem inquiunt, ita & in inani statum esse est necesse: non enim est quo magis aut minùs moueatur, quòd quatenus inane differentiã*

Text. 67. *non habeat. Ac primùm quidem quod motus omnis aut vi, aut natura efficiatur. Necesse est autem, si violentus fuerit, & naturalem esse, quandoquidem violentus præter naturam est: qui verò est præter naturã, naturali est posterior, ita vt aliorum motuum nullus futurus sit, nisi is sit, qui naturalis cuiq; corpori naturaliter congruit. Atqui naturalis quomodo erit, cùm nulla in vacuo, atque infinito sit differentia? Quatenus enim infinitum, nihil erit aut supra, aut infra, aut medium: qua autẽ ex parte inane est, superum ab infero, non differet. Nam vt nihili nulla est differentia, sic eius quod non est: inane autem non ens quoddam & priuatio videtur esse. At naturalis latio differentiam habet, quare & quæ mouẽtur natura, erunt differentia. Aut igitur nullius naturalis vlla est latio, aut si est, non est inane.* e *Ea*

c Quin etiã) Ostendit non posse dari vacuum tanquam spatium ad excipienda corpora, quia oportet et veterum deretis hęc ab illo vndique persuadi, atque ita sequerẽtur partes corporis in hoc vacuum separatum ingressi, esse per se in loco: quandoquidẽ partes omnes penetratę essent ab illo spatio, darenturque in eo infinita loca. Cùm tamen partes quandiu in toto sũt, non nisi ratione totius locum vẽdicent. Vnde colligit si tale spatium locus nõ sit, nec inane esse, quia ex illorum opinione inane & locus subiecto idem sunt.

d Quod siquis cõsideret) Idem rursus ex eo cõfirmat, quia vacuum potiùs motum inhibet. Quippe vt terra, sicuti in Phędone scripsit Plato, ideo in mũdi medio quieuerit, quòd paribus vndique spatijs à peripheria distet, nec vlla sit ratio, cur huc potiùs quàm illuc vergat: ita sanè posito vacuo motus omnis, tã naturalis, quàm violentus, cessaret, quãdoquidem motu naturali locus naturę congruẽs petitur, violento contraria sedes aditur. Atsi vacuum sit omnis locorum varietas turbatur, vt dictum iam fuit.

Vacuum potius motum impedit, quã iuuat.

Posito vacuo omnes locorum differentę tollũtur. Causa motus proiectorum secundũ Platonem.

e Ea insuper quę) Huiusce rationis momenta vt intelligas, aduerte Platonem in Timęo causam motus proiectorum, quę à mouente primo separata nihilominùs feruntur, reculisse

ad

ad antiperistasim, hoc est, ad vim circunfusi aeris raptim à tergo confluentis ad occupandum locum à proiecto derelictum; alios verò existimasse iccirco proiecta cieri, quòd aer à proijciente semel percussus alias aeris partes dissecās, proiecta ipsa impetu suo ferat, neque ea deorsum labi sinat, interim dum naturalem eorum conatum exuperat. Hoc posito ostēdit Aristoteles nō dari vacuum, propterea quod neutro horum modorum proiecta in eo moueri possent, cùm nullum inibi corpus rē motam circunstet. Sed enim an hęc ratio ex vera hypothesi concludat, remque conficiat, alibi expendemus.

e *Ea insuper, quæ iaciuntur, nunc mouentur, eo, qui impulit, non tangente, aut ob antiperistasin, vt quidam aiunt, aut quod pulsus aer motu celeriore pellat, quàm eius, quod iactum est, latio sit, qua in proprium locum fertur. In inani autem nihil horum esse potest, nec ferri quicquam, nisi vt id, quod vehitur.* f *Nullus præterea potest dicere, cur id quod motum est, alicubi stabit. Cur enim hic potius, quàm ibi? quare aut quiescet, aut infinitè ferri necesse est, nisi potētius aliquid impediat. Nunc verò etiam in inani, propterea quod cedat, videntur ferri: sed inane omni ex parte similiter affectū est, ita ad omnem partem ferentur.* g *Sed perspicuum quoque ex his est id, quod dicitur. Videmus enim idē pondus, corpus uè duabus de causis celeriùs ferri; vel quia id, per quod fertur differt, vt per aquam, aut per aerem, aut per terram; vel quia id, quod fertur, si cætera eadem sint, dispari est pondere, aut leuitate. Ac id quidem per quod fertur, causa est propterea quod impedit, maximè quidem si contra feratur, tum si maneat, idq; magis, quod diuidi facilè non potest. Cuius generis est id, quod est crassius.* h *A igitur per B in C tempore feretur, per D autem, quod tenuium est partium, in tempore, si B & D longitudines æquales sint inter se pro corporis impedientis ratione. Sit enim B aqua D autem aer: quo igitur aer aqua est tenuior, & minus corporeus, eo celerius A per D quam per B feretur. Habeat verò celeritas ad celeritatem rationem eandem, quam aer ad aquam habet. Quare si duplo tenuior est duplo tempore spatium B quā D E conficiet. Atque erit C tēpus temporis E duplum. Ac perpetuò quo id, per quod fertur, minùs corporeum erit, minusq; aptum ad impediendū, faciliusque ad diuidendum, eo celeriùs feretur. Nulla autem inanis proportio est, qua à corpore excedatur, quemadmodum nihil ad numerum. Si enim quatuor tria, vno excedunt, duo autem, pluribus, vnum præterea pluribus, quam duo, nulla erit proportio, qua nihil excedant. Id nanque quod excedit, in exuperantiam, & id quod exceditur, diuidi necesse est: quare quatuor erunt id, quo excedunt & nihil. Quam quidem ob causam, nec linea punctum excedit, nisi ex punctis constet. similiter vero & inane nullā ad plenū proportionē potest habere; quare nec motus. Sed si tantum tanto per tenuissimum fertur, omnem profecto per inane exuperabit proportionem. Sit enim inane, quod æquali sit, qua B & D magnitudine: tum si A transeat, & moueatur aliquo quidem tempore, quod sit G breuiore verò quam. E hanc quoque inane ad plenum habebit rationem.* Sed

Text. 68. Text. 69. Text. 70. Text. 71. Text. 72.

Vacuum vndique vniforme.

f Nullus pręterea} Rursus institutū persequitur hoc argumēto. Vacuū omni ex parte vniforme est, sibique simile. Nulla igitur causa erit cur potiùs in vna, quam in alia eius parte mobile consistat. Quare aut semper quiescet, aut si motum semel arripuerit, perpetuò fluctuabit: quod absurdum est. Neque rectè philosophantur dum in vacuo eam ad motū inesse cōmoditatem inquiūt, quod facilè cedat, & impetum nequaquā demoretur, cùm ostēsum sit nullum in eo motum iniri posse.

g Sed perspicuū} Pergit ostendere motum impeditum iri à vacuo, si detur. Priùs tamen sumit duas ob causas mobile vnum alio tardiùs, aut celeriùs ferri. Altera est medij dissimilitudo. Velociùs enim per aerem, quàm per aquam lapis descendit; quia medium, quod tenuius, solutiusque est, faciliori negotio diuiditur, proindeque minùs retardat. Sed impedit etiam agilitatē medium

Causę tarditatis, & celeritatis motuū.

diũ cùm in contrariã partẽ vergit & rei motę impetum infringit Altera est inęqualitas pōderis & leuitatis. Nã cęteris paribus celeriùs descẽdit corpus prędituũ maiori pōdere, quã minori.

h A igitur per B } Eadẽ, inquit, proportio celeritatis est motus, qui fit per spatiũ tenuius ad celeritatẽ eius, qui fit per crassius, quę est tenuitatis ad crassitudinẽ, ita nimirũ vt si illud duplo tenuius sit, res mota duplo celerius feratur, sed vacui ad plenum quoad tenuitatẽ crassitiẽvẽ, nulla ꝓportio est; vt per se liquet. Ergo nulla itẽ erit quoad velocitatem; atq; adeò cũ motus, qui in spatio pleno exercetur, tẽpus cõsumat; vtiq; is, qui in vacuo fiet, momẽtaneꝰ erit. Quod esse nõ potest. Hãc rationem Aristoteles sũptis more suo elementis, longo orationis tractu explicat.

Sed tanto tempore, quantum est G ipsius D partẽ, quæ est H ipsum A transit verò etiam si quid sit, quod tenuitate ab aere ea proportione differat, quam tempus E ad tempus G habet, idque F dicatur. Si enim corpus F tanta tenuitate D vincat, quanto tempus E ipsum G excedit A si feratur tanto tempore, quantum est G contraria celeritate ipsum F transit. Si igitur in F nullum sit corpus, maiori etiam celeritatẽ, sed in G ferebatur. Ita æquali tempore inane, & plenum transit, quod esse non potest. Perspicuum igitur est, si aliquod est tempus, in quo per vacuum aliquid feratur, hoc quod esse non potest, euenire. Tempore enim æquali plenum, & vacuum transire aliquid sumetur, propterea quod corpus vnum eandem ad aliud habebit proportionem, quam tempus ad tẽpus. Vt verò in summa dicam huiusce rei, quæ accidit, causa manifesta est. Omnis enim motionis ad omnem motionem proportio est; quandoquidem est in tempore; omnis autem temporis ad omne tempus, modò finita ambo sint, proportio est; vacui autem ad plenum non est. Hæc igitur eueniunt, quatenus ea differunt, per quæ feruntur. Hæc verò ex eorum, quæ feruntur, exuperantia. Videmus enim ea, quæ ponderis, aut leuitatis momentum maius obtinent, si, quod ad reliqua pertinet, figuris non differant, per æquale spatiũ celeriùs citari, idque ea proportione, quam magnitudines, inter se habent: quare & per inane, quod fieri non potest. Quã enim ob causam celeriùs ferentur? in plenis enim necesse est, quandoquidem quod maius est, celeriùs vi diuidit. Id nanque quod fertur, aut proiectum est, aut figura diuidit, aut momẽto, quod obtinet. Æqua igitur celeritate omnia ciebuntur, quod esse nõ potest. Ex his igitur, quæ dicta sũt, perspicuũ est, si inane sit, contrarium eius effici, propterea quod ipsum statuunt ij, qui illud aiunt esse.

Text. 73.

Text. 74.

Text. 75.

i Hęc verò ex eorum } Ratione ab ipsis mobilibus desumpta cõcludit non posse in vacuo motũ peragi. Sequeretur enĩ duo corpora quantũlibet pondere, aut figuris dissimilia (nã etiã figurę non parum conferunt ad motum) quoduis spatium ęqua celeritate decurrere, quod absurdum est. Consecutio probatur. Namq; ideò cùm duo mobilia in patriã sedem tendũt, id quod pondere, aut leuitate pręualet, locorum intercapedinẽ citiùs trãsmittit, & metã tenet quia maiori impetu medium corpus scindit; at in vacuo nullum est corpus, quod scindi debeat. Idem similiter de figuris ostẽdi potest, nimirum figuram nihil motum expedire, aut tardare; etenim propterea plumbum in rotundam effigiem conformatum per aquam citissimè demeat, in bracteolam verò expansum innatat, aut segniter admodum labitur, quia huic plus medij, quàm illi scindendũ occurrit. Quę ratio in vacuo nulla est.

Figurę conferũt ad motum.

Cur plũbum rotundę figurę per aquã celerrimè descendat.

Capitis noni Explanatio

ATqui a etiam ipsum } Etiam nunc in expugnationem vacui incumbit, hoc argumento. Si quis, inquit, tesseram in aquam iaciat confestim aqua cedit capedinem ei pro magnitudine exhibens, idemque pręstat aer, etsi id conspectum fugiat. At hoc, quod omnes concedunt in spatio inani accidere non potest; siquidem cessio corporibus dũtaxat cõuenit. Et tamen cũ assertores vacui ponãt interuallũ inane in tres dimẽsiones porrectum, in quo sensilia corpora excipiãtur; fateri coguntur dari dimensionum penetrationem, quam fugiunt, quęq; non minùs absurda est, quã si tessera per aquã ipsã mearet.

Alia vacui impugnatio. Defensores vacui penetrationẽ corporũ admittere cogũtur.

Præoccupat. Nec euadunt si respondeant dimẽsiones vacui non esse affectas qualitatibus sensum mouentibus. Etenim causa cur plura corpora simul esse nequeant, non est sensilium qualitatũ permistio, sed tergemina dimensio. Quare si ipsa etiam tessera omnibus accidentibus exuatur, non minus ei tunc aquę penetratio repugnabit, quàm nunc.

b Sunt autem nonnulli } Confutatis ijs, qui vacuum lationis gratia ponendum contendebant, accedit nunc ad eos refellendos, qui argumento à raritate & spissitudine, & ijs, quę circa hęc versantur, alterationibus petito, vacuum corporibus insertum dari probabant hunc in modum. Non possunt corpora in densitatem coire ni si earum partes subeant meatus, qui antea inanes erãt, nec item rarescere nisi dum sese extẽdunt ac dilatant, partes aliquas interius inanes relinquant. Negari igitur non debet inesse corporibus huiusmodi vacuum.

Argumentũ à raritate & densitate ad probandum vacuum.

CAP. IX.

II quidem inane putant ẽsse ipsum per se separatum si motus in loco esse debeat. Hæc verò proinde est ac locũ separatũ quid esse affirmare, quod quidẽ esse nõ posse, antea est traditũ. Atqui a etiã si ipsũ per se cõsideremus, id, quod inane dicitur, re vera inane videbitur. Quemadmodũ enim si tesseram in aqua aliquis merserit, tãtundem aquæ cedet, quanta est tessera, ita & in aere, quanquam sensum subterfugiat. Atque perpetuo corpus omne, quod potest cedere, eò, quo cedere aptum est, necesse est, nisi comprimatur, cedere, aut deorsum semper, si latio deorsum sit, vt terræ, aut sursum, si ignis, aut ad vtrunque locum, si aer, qualecunque id fuerit, quod in eo ponatur. At in inani esse quidem hoc non potest, quippe quod corpus non est. Per tesseram autem æqualis dimensio, quæ priùs erat in inani, meare videbitur: quemadmodum si aqua, aut aer tesseræ ligneæ non cederet, sed omni ex parte per ipsam mearet. Atqui & tessera tanta est magnitudine, quantum inane occupat, quæ etsi calida est, aut frigida, aut grauis, aut leuis, nihilominùs tamen ratione ab omnibus affectibus, etsi non separata, diuersa est. Molem autẽ dico tesseræ ligneæ. Quare etiam si ab alijs omnibus separata fuerit, & neque grauis sit, neque leuis, æquale inanis spatium occupabit, in eademque loci & inanis erit parte, quæ ei sit æqualis: qua igitur re tesseræ corpus ab æquali inani, locoq; differet? Ac si duo eius generis in eodem erunt, cur non & quotcunque? vnum igitur hoc absurdum est, & quod esse nõ possit. Perspicuum verò etiam est, tesseram, cùm transfertur, id habere, quod alia omnia habent corpora. Quare si à loco nihil differt, quid attinet corporibus locum facere præter vniuscuiusque molẽ, si moles affectuum expers? Nihil enim cõducit, si eiusmodi aliud æquale interuallum circa ipsam ponatur. Oportet præterea manifestum esse, quale in his, quæ mouentur, inane sit, nunc autem nusquam est intra mundum. Aer nanque aliquid est, quanuis non videatur, neque aqua si pisces essent ferrei. Text. 76. Text. 77. Text. 78.

Rei

Xuthus Pythagoricus.

pulsu sese trudant, quousq; ad cœlũ ipsũ perueniatur, quod loco cedat, & more restagnãtis pelagi fluctuet. Obijciebant etiam, nisi corpora nunc in raritatem abeant, nunc in densitatem coeant, futurum vt cũm ex aqua oritur aer, necessariò tantundem aquę alibi ex aere generetur, vt æqua proportione vbique regionum spatia occupentur; alioqui admittendam prędictam mundi fluctuationem.

Refutatio vacui in corporibus inclusi.

d Si igitur tarũ } Assertores vacui intra corpora incubantis refutat: Nam vel suum illud rarum cohibet multa vacua separata, hoc est magna, quale est vacuum à corporibus abiun-

abiunctum: vel duntaxat parua. Si dent primum, iam eisdem argumentis conuincentur, quibus ij, qui separatum vacuum induxere, de quibus supra. Si posterius, concedant necesse est non omnis motus vacuum causam esse, siquidem raritas, quam leuitas comitatur, non nisi motui, quo sursum itur, obseruit; & densitas, ex qua grauitas oritur, non iuuat nisi motui, quo pondera deorsum tendunt. Sequitur præterea contra eorum dogmata vacuum non esse causam motus, tanquam id, in quo res mouetur, quod ad spatium pertinet, sed tanquam id, à quo fertur: quomodo vtres inflati, quia leues, natanté sustinent.

Rei enim, quæ tangi potest, iudicium pertinet ad tactũ.

Text. 79. *Inane itaque separatum non esse, ex his constat.* b *Sunt autẽ nõnulli qui ex raro, & denso putant perspicuum esse vacuũ existere. Nisi enim rarum, ac densum sint, ne coitum quidẽ & compressionẽ esse posse.* c *Quod si non sit, aut omnino motum futurum nõ esse, aut vniuersum (vt ait Xuthus) fluctuaturum, aut in æqualem semper aerem, & aquam mutationem esse, quemadmodum si ex aquæ poculo aer genitus sit, simul ex æquali aere tantundem aquæ genitum esse, aut necessariò inane esse. Aliter namque cogi, aut distendi nõ posse.* d *Si igitur rarum id esse aiunt, quod multa inania continet separata, perspicuum est si inane separatum esse non possit, quemadmodum nec locus spatium habens, nec rarum quidem sic esse. Quod si non separatum, sed tamen aliquod inane inesse aiunt, minus quidem non esse non potest. Efficitur autem primum non omnis motus causam inane esse, sed eius, quo in sublime itur, quandoquem rarum leue est: quæ etiam causa est, vt ignem rarum esse inquiant: deinde motus causa inane non sic esse, vt id in quo, sed quemadmodum vtres, quòd ipsi sursum ferantur, id quod cohæret, efferunt, ita & inane sursum ducere.* e *Atqui inanis latio, aut locus, qui esse potest? inanis enim inane erit, ad quod*

Text. 80.

Text. 81.

Text. 82. *feretur. Quam item rei grauis lationis deorsum causam esse assignabunt? quin etiam constat, si quo rarius quidpiam, & inanius fuerit, eo celerius sursum feretur, si omnino erit inane, celerrimè delatum iri. Fortasse verò & fieri non potest, vt hoc moueatur. Eadem verò est ratio, vt quemadmodum in inani omnia sunt immobilia, ita & inane sit immobile. Conferri enim inter se celeritates nõ possunt.* f *Cũ verò vacuum non esse quidem dicamus de alijs autem verè sit dubitatum, aut motus non erit si densatio, & rarefactio non fuerint, aut cœlum fluctuabit, aut aqua ex aere, & aer ex aqua semper æqualis fiet, quandoquidem constat ex aqua plus aeris fieri. Necesse est igitur nisi sit cõpressio, aut id quod hæret, pulsum efficere, vt quod extremũ est fluitet, aut alio in loco ex æquali aere in aquam fieri mutationẽ, vt vniuersi tota moles sit æqualis, aut nihil moueri.*

Text. 83.

e Atqui inanis latio) Demonstrat vacuum non posse motus causam esse eo modo, quo vtres, qui corpus eis applicitum euehunt, quasi vacuum corpora ipsa secum rapiat; quia admittendum esset locũ, motumque vacuo conuenire, atque ita dari vacui vacuum, cùm vacuum locus sit. Quę omnia à vero absunt. Nam si vacuũ statuant causam motus, quo in sublime itur, nullam iã causam, cur pondera in inferiorem locũ vergant, afferre possunt: quandoquidẽ fieri nequit vt idem specie sit causa motuum specie differẽtium. Præterea sequeretur vacuum summa celeritate corpora delaturum, cũ summam raritatem celeritas summa cõsequatur.

Vacuum nõ posse esse causam motus.

f Cum verò vacuum) Argumentũ à densitate & raritate, quo veteres philosophi vacuũ corporibus imbibitũ suadebant, quia

Semper

non nihil habet difficultatis, hoc loco repetit, monetque non ei satisfieri siquis dicat absque compressione, & vacuo, cęterisque incommodis posse corpora in orbem agi, adhuc enim super sunt lationes rectę pro quibus alia solutio reddenda sit.

Cur rarefiãt, & densentur corpora.

g Nos autem ex ijs) Causam cur rarescant, & densentur corpora, non ad inane, sed ad materiam, quę raritati, & densitati, alijsque accidentibus subiecta est, referendam esse

in uit. Quod vt planè intelligatur, quędam ex ijs, quę de natura materię, eiusque facultate in primo huius operis explicata sunt, inculcat.

h Simili igitur modo) Docet quemadmodum vna eademque materia ob insitę potestatis amplitudinem a lio & alio tempore calescit & frigefit, congelascit, & soluitur, funditur, premitur, insculpitur, effigiatur, & denique omnes tam substantiales, quàm accidentarias formas alternat: sic idē corpus rarefieri, addensariq; nulla extrinsecus facta accessione vel detractione. Quēadmodum, inquit, si ponamus maioris orbis cōuexitatem cō trahi, siue eadem, quę antea erat, esse perhibeatur, siue alia, nihil quod antea non esset, conuexum euasit; sed è minori conuexitate maior effecta est, siquidē quo minor est orbis, eo circumferentia magis conuexa est & contra: sic cùm raritatem, aut densitatem corpus accipit, eadem materia, quæ est in potestate vt nunc rara sit, nunc densa, & ex consequēti, vt nunc amplio rem, nunc contractiorem molem obtineat, perducitur ad huiusmodi actū nulla denuò addita, vel adempta materię, vel quantitatis portione. Itaq; cùm aer ex aqua gignitur tota aquæ materia recipit actu formam aeris, & vberiorem quantitatem, ad quā erat in potentia, idque nulla noua materię parte assumpta. Item cum ex aere aqua oritur, tota aeris materia, quę potestatem habebat vt aquę formam indueret, & sub minori mole esset, vtrunque actu excipit: neque verò aut in aere inanes meatus relinquuntur materia rarescente, aut in aqua obturantur, crassescente.

Quomodo rarescant, & addensentur corpora.

Semper enim cùm fit translatio hoc accidet, nisi in orbem circumobstiterit: non semper autem in orbem latio est, sed etiam in rectum. Hi igitur ob causas eiusmodi vacuum aliquod esse asseuerarent. o Nos autem ex his, quæ posita Text. 84.
sunt, dicimus vnam esse contrariorum materiam, & calidi, & frigidi, & aliarum naturalium repugnantiarum. Atque ex eo quod potestate est, id quod actu est, fit. Et separabilis quidem non est materia, ratione autem diuersa, atque numero vna, verbi gratia, coloris, & calidi & frigidi. Est verò & corporis materia eadem, & magni, & parui, quod quidem perspicuum est. Cùm enim ex aqua aer fit, eadem materia, re alia nulla assumpta, aer facta est, sed quod erat potestate, actu factum est. Rursus aqua ex aere simili modo, interdum quidem è magnitudine in paruitatem, interdum è paruitate in magnitudinem. h Simili igitur modo si aer ex magna mole in minorem, & è minori in maiorem mutetur, materiæ, quæ potestate est, vtrunque fit. Quemadmodum enim è frigida calida, & è calida frigida eadem fit, quia est potestate, ita & ex calida calidor nulla materiæ parte, quæ calida non esset, cùm minus calida erat, calida reddita: quemadmodum neq; sit orbis maioris circumferentia, & conuexitas minoris fiat, vel eadem, vel alia, nihil conuexum factum est, quod antea conuexum non esset, sed rectum. Non enim intermissione aliquid magis est, aut minus. Nec item flammæ vllam magnitudinem licet accipere, in qua albor, & calor non insit. Sic igitur & calor prior ad posteriorem se habet. Quare & molis, quæ cadit sub sensum, magnitudo, & paruitas tenditur, non quod res vlla ad materiam accedat, sed quoniam in materia vtriusque inest facultas. Idem itaque est rarum & densum, & vna eorum materia. i Est autem den- Text. 85.
sum quidē graue, rarū verò leue. Duo enim sunt in vtroque & dēso, & raro. Nā & graue & durū densa videntur esse, cōtrariaq; rara, leue & molle. Graue autem & durum discordant in plumbo & ferro. Ex his ergo, quæ dicta sunt, perspicuum est inane non esse neque separatum, seu omnino, seu Text. 86.
in raro, neque potestate, nisi quis velit lationis causam inane omnino appellare.

Quo modo rarum & dēsum ad leuitatem & grauitatem sese habeant.

Sic

i Est autem densum) Quoniam ij, qui vacuum corporibus inclusum adhibebant, densitatem & raritatem causam motus prędicabant, exponit hoc loco Aristoteles, quonam pactorarū & densum ad leuitatem & grauitatem sese habeant aiens, id, quod densum est, grauitate pollere, quod rarum, leuitate; itemque densо vna cum grauitate duritiem, raro vna

cum

eum leuitate mollitudinem competere: licet hoc non ita sit perpetuum, vt quo quidque durius est, eo sit grauius; siquidem plumbum ferro est grauius, & tamen mollius: quod item in auro & argento viuo si cum eodem ferro vel ære conferatur, intueri licet. Huiusce diuersitatis causa videtur esse, quia plumbum, argentum viuum, & aurum plus habent de terrena concretione, ideoque præponderant; crudiora tamen sunt & minus cocta, vnde & molliora. Lege M. Albertum in Miner. Georgium Agricolam in lib. de ortu & causis subterraneorum; & in lib. de natura fossilium.

Non quòd vniquodq; ducio, eo grauius.

Sic verò grauis, leuisq; rei materia, vt talis est, inane erit. Densum namque & rarum, quatenus hac repugnantia præedita sunt, lationis sunt efficientia: qua verò ex parte durum sunt, & molle, passionis & impatibilitatis, & non lationis, sed alterationis potiùs. Et de inani quidem quemadmodum est, & non est, hoc modo sit definitum.

k Ex his ergo} Concludit disputationē deuacuo, colligitque ex ijs, quę hactenus disseruit, nec esse vacuum separatū, idest, expers corporis; nec omnino, idest, extra corpora; nec in raro, idest corporibus insertum, quòd rarefactionis sit causa; nec potestate, idest cōrporibus immistum, licet ratione ab eis diuersū, vt interpretatur Philopon9. Nisi quis vacui nomine abuti velit pro causa motus: sic enim admitti vacuū potest, ac debet, quia materia grauitate & leuitate affecta, prout est eiusmodi, lationem efficit, esto quatenus mollitudinem, & duritiem obtinet, non mouendi, sed patiendi, & resistendi, atque alterationes subeundi causa habeatur.

Epilogus disputationis de vacuo.

Obserua ad tex. 84. doctrinam Aristotelis asserentis rarefieri & densari materiā absque vllius nouę rei accessu, recessuue. Quod nobis vsui erit ad constituendam in libris de ortu, & interitu affirmatiuam partem eius quęstionis, qua vtrum in rarefactione noua quantitas cōparari soleat, disquiritur.

Quęstio de acquisitione quātitatis in rarefactione

QVÆSTIO I.

VTRVM NE VACVVM IN NATVRA detur; an non.

ARTICVLVS I.

QVIBVS ARGVMENTIS videatur dari.

1. argum.

ESTI Aristoteles eorum argumenta, qui vacuum inducere conabantur accuratè diluerit, non desunt tamen alia, quæ id astruere videantur. In primis enim sic licet argumentari. Quicquid in eo spatio est, in quo priùs nullum corpus fuerat, & tamen esse poterat; id existit vbi priùs fuit vacuū; atqui mūdus est nunc in eo spatio, in quo ante rerum procreationem nullum corpus extiterat, poterat tamen esse, vt euentus comprobauit; Est igitur in spatio, quod priùs vacuum fuit; atque adeò aliquando fuit vacuum.

Secundò.

2.argum. Secundò. Aristoteles 2. de cælo cap. 4. tex. 27. probat sphæras cælestes esse in speciem rotundam conglobatas, quia alioqui daretur vacuum; oporteret enim ob succedentium angulorum vicissitudinem nunc esse corpus vbi antea non erat, rursusque non esse, vbi antea fuerat. Hoc posito sic ratio concluditur. Cælum Empyreum, vt est recepta Theologorum doctrina, non constat figura rotunda, sed quadrata; ergo si moueatur, dabitur vacuum; at cùm sit corpus physicum potest naturaliter moueri; potest ergo naturaliter dari vacuum.

Theologorũ sententia cęlũ Empyreũ esse quadratum.

3.argum. Tertiò. Si vas plenum aqua calida vndique obturatũ in loco perfrigido collocetur, aqua in gelu concrescet, densiorque effecta minorem spatij intercapedinem occupabit; ergo aliquid spatij intra vas inane relinquetur, atque ita natura ipsa vacuum efficiet.

4.argum. Quartò. Sit duæ tabulæ perfectè planæ sic inter se coniunctæ, & cohærentes, vt nihil prorsus inter eas interiectum sit; harum vna poterit ab altera vi naturæ abiungi, ac secundum omnes partes simul eleuari; hoc autem non fiet nisi dato vacuo; potest igitur naturaliter vacuum induci. Minor probatur, quia spatium fusum inter duas tabulas nõ potest accessu alterius corporis momento repleri; nec verò immediatè post; cùm neque motus puncto temporis fiat, neque immediatè post totum eiusmodi spatium repleri queat.

5 argum. Quintò. Si natura tantopere horreret vacuum, oporteret eius vitandi gratia interdum vnum corpus relicta naturali statione, ad locum alium sibi repugnantem cum priuato incommodo, propter cõmune bonum vniuersi commigrare; sed hoc non videtur naturæ cõsentaneum; non igitur natura vacuum odit. Assumptio ita probatur. Vehementior est inclinatio cuiusque rei ad suum peculiare bonum tuendum, & procurandum; quàm ad commune; ergo nullum corpus cum suo detrimento propter commune bonum proprium locum deseret. Hoc antecedens ostenditur, quia natura, vt dici solet, reflectitur in se ipsam, nec alterius bonum nisi gratia sui quærit; vnde est illud Aristotelis 8. Ethicorum cap. 2. Bonum amabile est, maximè autem vnicuique proprium; ergo vehementius appetit proprium, quam commune bonum.

Natura reflectitur in se ipsam.

6.arg. Sexto. Siquis à Deo in extrema cæli ora constituatur, poterit inde extra cælum manum tendere, aut iaculum intorquere; ergo extra cælum est spatium non repletum corpore, aptum tamen repleri, atque adeò vacuum.

ARTICVLVS II.

NVLLIBI DARI IN natura vacuum.

Non

NOn tantus fuit veterum Philosophorum in negando vacuo consensus, quanta est totius naturæ ad illud impediendum conspiratio. Fuerunt enim nonnulli, quos Aristoteles hoc in lib. cap. 6. Plutarchus 1. de placitis Philosophorum cap. 18. & Theodoretus in lib. de materia & mundo commemorant, qui asseruerũt dari vacuum; & alij quidem extra mundum, vt Stoici & Pythagorei, qui supra cæleſtes globos infinitum inane posuere aientes inspirari, communicariq́ue id mundo, vt eius interuentu direptuq́ue ea, quæ cæli ambitu coercentur, diuidi & distingui inter se possent; alioqui futurum vt omnia in turbatam congeriem, naturamve vnam concresceren. Alij autem vacuum corporibus immixtum, ac per mundi vniuersitatem porrectum inuexere, vt Democritus, & Leucippus, quos deinde secutus est Epicureorum grex. Quid enim hi vacuum negarent, qui in dolorum vacuitate, & inani voluptatum illecebra felicitatem collocabant?

P. Mirandula de Exam. Vanit. lib 3. c. 12. & lib. 6. c. 5.

Assertores vacui.

Stoici, & Pythagorici.

Item Democritus, Leucippus, & Epicurei.

At non dari vacuum in rerum natura, tum experientia Philosophiæ magistra, tũ ratio persuadet. Experientia, quia propterea, verbi gratia, latera follium, si constricta sint, nulla vi diduci queunt, nisi aperto orificio, quo aer interiectum spatium occupaturus subeat. Ob id si aer ex fistula attrahatur, confestim aqua ascendit. Ideo si os phialæ calefactum aerem intra se cohibentis supra aquam ponatur paulatim aqua sursum commeat; aer enim contactu aquæ refrigeratus addensatur & coit; sicq́ue minorem occupat locum. Eademq́ue causa est, cur cucurbitulæ, quæ medicis in vsu esse solent, carnem sursum attrahant, nimirum quia aer, qui prius igni incaluerat, & intaritatem abierat, extincta flamma, frigiditatem, & densitatem recipit, atque adeò in minorem contractus molem inane spatium relinqueret, nisi ad id replendum caro eleuaretur. Denique idem conspicitur in multis machinis, alijsq́ue rebus artis ingenio fabricatis, quibus hæc naturæ inanitatem fugientis solertia summam præbet commoditatem.

Conclusio.

De exemplo cucurbitarũ lege Aphrodiseum in problem. lib. 2. §. 56.

Cur cucurbitulæ, quibus medici vtuntur carnẽ in tumorem eleuent.

ARTICVLVS III.

QVAM OB REM NATVRA tantopere vacuum exhorrescat.

COmmonstrat etiam ratio physica non debuisse in rebus admitti vacuum. Vbi se nobis duplicis causæ consideratio offert; nempe finis, ob quem natura vacuum fugiat, & efficientis, siue mediorum, quorum interuentu, ac vi in eo impediẽdo vtatur. Quod ad primum attinet, constat ingenitum esse rebus omnibus sese tuendi, & conseruandi appetitum. Hinc enim est solicitudo illa, qua salutaria & vtilia quærũt, noxiaq́ue declinant: hinc elementarijs corporibus

poribus ad procreandum sibi simile inclinatio: hinc animantibus in educando fætu cura, & vigilantia: hinc literatis hominibus tam acre studium componendi libros: hinc Rempublicam tractantibus, & ijs qui militarem vitam sequuntur, alijsque eiusmodi, tam ardens desiderium relinquendi aliquod rei abse præclarè gestæ monumentum, aut trophæum. Videlicet quia hunc in modum res omnes caducæ ab interitu sese vindicare student; ac si non numero, saltem specie; si non per se, per ea saltem, quæ ad ipsas pertinent immortalitatem obtinere nituntur; vt ita ad diuinæ naturæ similitudinem, quantùm fieri possit, accedant. Speciatim verò, quod rem præsentem propiùs attingit, non ob aliam sanè rationem tantus cuiuslibet corporis partibus mutuæ inter se coniunctionis & societatis amor insidet. Hic nempe amor eas consectari facit figuram rotundam (quæ maxima est vnionis conciliatrix, vt pote inqua nihil dissidet, nihil absistit, nulla est inæqualitas) hic inquam amor eas in rotunditatem componit, vt videre est in aquæ guttulis, quæ frondium lanugini, saxis ve illatæ confestim se in orbem affingunt, & è tegulis dependentes in rotundam speciem coeunt, dumque natiuũ pondus, quod eas deorsum trudit, vincere possunt, conglobatæ cohærent: videlicet quia vnitæ, & collectæ multo fortiùs operantur, & aduersariorũ iniurias repellunt, atque adeò incolumitatem, & diuturnitatem cõseruant. Porro autem quod partes in suo particulari toto faciunt, idem quoque præstant inter se singula corpora in sublunari mundo, cuius structura ex ijs quasi mẽbris coagmentatur, & coalescit. Certatim namque se vicinis agglutinant, & in vnum, quoad fieri potest, coeunt, quia nimirum diuulsis partibus necesse est totum dissipari, & euerti. Qua de re ita philosophatur Crassus ille Ciceronianus 3. de Oratore. Ac mihi quidem veteres illi maius quoddam animo cõplexi, plus multo etiam vidisse videntur, quàm quantum nostrorum ingeniorum acies intueri potest, qui omnia hæc, quæ supra, & subter vnum esse, ac vna vi & consensione naturæ constricta esse dixerunt; nullum enim est genus rerum, quod aut auulsum à cæteris per se ipsum cõstare, aut quo cætera si careãt, vim suam, atque æternitatem conseruare possint.

Lege Cic. 2. de nat. deorũ D. Basilium ho. 9. Hexa.

Natura diuinę immortalitatis ęmula.

Lege Aristotelem 2. de anima cap. 4. text 34. 1. de cęl. c. 9 text. 100.

Corporibus vnde tantus cõiunctionis amor.

Figura rotunda vnionis conciliatrix

De hac vnionis excellentia & appetitu per lege caput 11. D Dionys. de diuinom.

Vnita & collecta fortiùs agunt, & aduersariorum vim repellũt.

Crassus Ciceronianus.

Sciendum tamen ob id vel maximè partes vniuersi mutuam cohæsionem tantopere affectare, vt ita excipiant, reddantque inuicem cælestium corporum influxum, à quo hæc inferiora dependent; vti 1. Meteor. c. 2. Aristoteles ait. Atque hæc tandem ratio, & causa est cur natura vacuũ fugiat; videlicet quia vacuum dissoluit illam rerum conseruatricem vnionem, impeditque ne sublunaris mundus dilapsam è cælo vim hauriat; cùm fieri nequeat vt per inane interstitium vis illa traijciatur. Vbi animaduertere licet vnumquodque ens naturale ad duo conseruanda obnixè contendere, nempe ad cõmune totius naturæ, & ad suum proprium, ac peculiare bonum. Enim verò cùm quæuis res Physica & ens quoddam particulare sit,

Cur à vacuo abhorreat natura.

Duplex consideratio cuiusq. rei physicę.

si in

si in se præcisè spectetur; & simul etiam ad naturæ communitatem pertineat, prout est totius vniuersi mẽbrum; vt quidem priori modo se habet suum priuatum bonũ expetit, vt posteriori cõmune. Quod cõmune quanto excellentius est, ac diuinius, vt 1. Ethic. c. 2. Aristoteles docet, tantò ad ipsum vehementiori conatu aspirat. Etsi inde aliquid interdũ capiat detrimenti; veluti cùm se manus ictui exponit, vt caput incolume seruet, hominemque ab interitu vẽdicet. Et hoc quidem non infrequenter accidere consueuit, dum corpora mutuæ societatis, & coniunctionis bonum quærunt, & vacuum vti malum toti naturæ maxime pernicioſum impediunt. Etenim sæpe eius rei causa corpora grauia, nulla externa vi impellente, in sublime feruntur, ibique manent: sæpe leuia deorsum tendunt, & in loco inferiori subsistunt, sæpe etiam contraria, quæ se alioqui fugiunt, ac mutuũ congressum deuitant, quasi deposita antipathia in vnum coeunt.

D.Tho.3.cõtra gent. c.37.

Ad cõmunẽ bonũ ardentiori conatu tẽdit natura.

Vacuum toti naturæ pernicioſum.

Hic est igitur à Philosophis potissimùm celebratus finis, ob quẽ vacuum natura horret. Si quis tamen Aristotelis dogmata circa vacuum perpendat, inueniet aliã præterea eius fugæ causam esse quærendam: siquidem lib. 2. de cælo cap. 4. text. 27. probat non conuenire supremæ sphæræ aliam figuram, quàm rotundam; quia alioqui esset inibi vacuum, vt 2. proximi art. argumento ostendebamus: Liquet autem eiusmodi vacuo non inuehi ea, quæ diximus, incõmoda; cùm extra cælum non sint corpora, quorum societas dirimi; nec influxus, cuius transmissio impediri queat; quem finem asseruimus à natura in impediendo vacuo spectari. Dicendum ergo in primis hoc vacuũ impropriè rationẽ vacui sortiri, vt progressu patebit, itẽque minoris momenti esse; quia ex eo prædicta absurda minimè sequerentur: deinde propterea neque hoc permitti à natura, quia magna videtur imperfectio esse, vt spatium, quod aliquo corpore semel natura occupauit, postea inane relinquat, siue id intra cæli complexũ, siue extra mundum accidat.

Alia causa vitandi vacui apud Aristotelem.

Quoddã genus vacui minùs proprij.

Lege Richardum in 2. d. 14. q. 3. circa 3. princip.

ARTICVLVS IIII.

QVA VI, QVIBVSVE MEDIIS VTAtur natura ad declinandum vacuum.

QVod verò spectat ad causam actiuam instrumentariã aliaue media, quorum interuentu quodlibet corpus obsistit ne vacuum detur, vel ad id impediendũ quolibet modo accurrit: dicimus eam causam non vnam esse. Frequenter enim vtitur natura ad id cõmuni quadam vi motrice, quæ ad hoc munus omnibus corporibus sublunaribus, (præter peculiares suas virtutes, quibus propria loca petũt) videtur attributa, cui⁹ impulsu ad omnẽ loci differẽtiã, cũ op⁹ est, rapiũtur. Sicuti ipulsus extern⁹, eiusdẽ speciei cũ sit, ad oia locorũ discrimina obseruit, prout à causa ipellẽte dirigit. Inter-

De vi motrice inhærente subiectis corporibus ad impediẽdum vacuum.

dum verò non hanc vim adhibet, sed asciscit operam alteratricium qualitatum, quæ corpus rarefaciunt, & in ampliorem molē fundūt. Nonnūquam magno impetu vasa frangit, aut denique alia id genus media, prout occasio, & necessitas fert, accōmodat. Quin etiā haud rarò, nullo motu, nulla actione nulla deniqúe vi effectrice; sed per negatiuam quandā obsistentiā vacuo repugnat; vt cùm latera folliū cōpressa, clauso orificio diuelli non sinit. Sēper tamen natura in his, vt in cæteris rebus cōpendio studet; & quātū potest facilioribus ac simpliciorib⁹ vtitur medijs; vt, exēpli gratia, si ad fugā vacui, corp⁹ sursū attrahere, quā densatione impedire, prōptius sit, illud præstat, non hoc: si contrà; hoc, non illud. Item si per solum motū localem sine rarefactione corpus aliūde trahere sufficiat, rarefactioni parcit; alioqui vtrunque exhibet. Ita patet qui finis sit, ob quē natura vacuum odit, & qua vi ad id impediendum vti consuescat.

Semper natura cōpendio studet.

ARTICVLVS V.

ARGVMENTA INITIO proposita nihil conficere.

ARgumenta verò, quæ inane suadere nitebātur, nequaquā persuadent. Quare eorum primo occurrendum erit ad rationem vacui non sat esse corporis negationem, sed requiri priuationem, hoc est locum non repletum corpore, aptum tamen repleri: at ante mundi creationem eiusmodi locus non extitit, cùm nullius adhuc superficies corporis vspiam esset. Quod si quis minùs quidem Philosophicè sentiens neget ad rationē vacui locum requiri, negare tamen non poterit exigi naturalē aptitudinem ad excipienda corpora; antequam autem mundus conderetur, aptitudo spatij non erat naturalis: cum non posset ab agente naturali ad actū perduci. Quare non rectè Auerroes 4. huius operis com. 6. & 1. de cælo. com. 92. intulit ab ijs, qui mundi nouitatem defendunt, concedendum esse, in eo spatio, in quo mundus continetur, vacuum fuisse.

Sol. 1. arg.

Ratio vacui exigit in spatio naturalē aptitudinē ad capienda corpora.

Ad secundum dicendum cælum Empyreum quamuis non habeat figuram idoneam ad circularem motum; sed ad cælestis patriæ curiam, & beatorū sedes accōmodatam, posse tamē vtcunque moueri, nec eius motu absolutè extra mundum inductū iri vacuū; sed vacui cōmutationem ex vna parte in aliam: siquidem quantū spatij secundum angulos, si moueretur, desereret, & vacuum relinqueret; tantundem succesiuè occuparet, versus eam partem, ad quam tenderet. Illam verò Aristotelis argumentationem, oportere cælos esse figuræ rotundæ, quia alioqui, dum mouentur, vacuū daretur, nō necessariam esse; sed probabilē, quia esto naturaliter impossibile non sit moueri cælos, licet angulari figura præditi essent; tamen non cōuenit eos talis figuræ esse, vt spatium semel corpore occupatum rursus

Sol. 2.

Ex Motu cęli Empyrei, licet quadratū sit, non sequetur dari primò vacuum extra mundū.

ſus motu ſuo vacuum relinquant. Quod ſi quis opponat ſequi ex his dari nunc viribus naturæ vacuum ad extimam cæli Empyrei ſuperficiem, quandoquidem eſt ibi ſpatium vacans corpore, quod occupari poſſet angulis prominentibus eius cæli ſi in orbem verſaretur, quod naturaliter fieri poſſe admittimus. Reſpondendum erit eiuſmodi vacuum non habere propriè rationē vacui, quia præterquam quod nō circūfunditur loco, nequit repleri naturaliter, niſi ex alia parte deſerendo, & relinquendo inane tantundem ſpatij.

Tertium pari facilitate diſſoluitur. Aqua enim vaſe illo contenta, vel non concreſcet inhibente concretionem natura, quæ vacui periculum anteuertit. Vel ſi concreſcet, vas ipſum diſrumpetur: debent autem partes vaſis ita à ſe mutuò abiungi, & aeri ſubeunti locū dare, vt in eo inſtanti, quo fractio terminatur, congelatio extrinſecus inchoetur: alioqui ſi fractio & congelatio eodem momento inciperent, cùm immediatè poſt inceptionem congelationis, peracta fractio eſſe nequeat; haud dubiè medio illo tempore non nihil vacui intra ipſum vas daretur. Solet tamen hoc loco diſputari ſi ponamus tam ex parte aquæ, quàm ex parte virtutis condenſantis, atque etiam ipſius vaſis, æqualiter ſe habere omnia, qua nam parte frangendum ſit vas; cùm nec ſecundum omnem partem comminui poſsit, nec vlla ſit ratio, cur hac potius quam illa diſrumpi debeat. Sunt qui reſpondeant frangendum qua parte forte fortuna acciderit, quibus fauet D. Thomas 2. de cæl. ad text. 93. Verùm non rectè ad caſum confugiunt, vbi aſsignare nequeunt cauſam peraccidens coniunctam cauſæ per ſe, quod ad caſum neceſſariò requiritur. Alij cenſent quemadmodum cùm ignis aquam excalfacit, ideo hunc potiùs ſingularem calorem, quàm illum producit; quia agit in hoc ſubiectum, hoc tempore, & loco, ac deniqúe ſub hac circunſtantiarum collectione: ita vas illud hàc potiùs, quàm illac defringendum; quia concurrunt tales circunſtantiæ, quibus non niſi ſecundum hāc partem frangi poſsit. Sed neque hæc reſponſio ſatisfacit, vt conſtat ex ijs, quæ à nobis 2. huiuſce operis dicta ſunt: cùm oſtēdimus effecta quoad ſingularitatē non præfiniri, & determinari præcisè ab ijs circunſtantijs, ſed à prima cauſa: Quare idē in præſenti difficultate dicendū erit: ſpectat nanque ad naturæ principem, & auctorē Deū limitare naturalium cauſarum concurſum circa hæc, aut illa ſingularia, ad quæ producenda indiſcriminatim, atque indefinitè ſe habent cauſæ ſecūdæ, vt loco citato planiùs diſſeruimus. a Reſpōderi etiam poteſt, in propoſito euētu nullatenus in gelu cogendā aquā, neque frangendū vas, vt antea dicebamus: Nā quod corpus vndique æqualiter reſiſtēs minimè cedat, aut fractioni ſuccūbat, patet tū alijs experimentis; tū eo, quod ſi ouū prematur qua parte in longū, ac geminos vertices ſe porrigit, ne à robuſtiſsimo quidē cōminui valet, quia videlicet ſub ea figura vndiqúe ſe æqualiter fulcit, ac reſiſtit. Qua de re lege Leuinum lib. 4. de occultis naturæ miraculis c. 14.

Sol. 3.

Congelatiō aquę in vaſe contentę, & vaſis fractio non poſſunt in eodem inſtanti incipere. Dub.

Quorundam reſponſio.

Reſponſio aliorum.

Cap. 7. quęſt. 31. art. 2. pag. 308.

Legitima explicatio dub. Primæ cauſę eſt præfinire cōcurſum naturalium cauſarum quoad effectorū ſingularitatem.

a Alia eiuſdē dub. enodatio.

Sol.4. Quartò satisfit negando è duabus tabulis perfectè planis posse alteram ab altera ita abiungi, vt pariter secundum omnes partes leuetur; quanuis si vna supra aliam successiuè trahatur, mutuo seperari queant. Neque hoc mirum videri debet; cùm experientia constet non posse tabulam planam simul totam ab aqua extolli, quin pariter aqua tabulæ inhæresens in sublime feratur. Quod apertius etiã cernere licet in follibus, quorum latera, vt non semel diximus, nullo pacto separari queunt occluso orificio, quo se aer insinuat. Hinc collige sicuti eiusmodi tabula secundum omnes partes ab altera simul deglutinari non potest; ita neque secundum omnes simul posse cum ea proximè copulari. Id quod ex eo constat; quia quemadmodum si prædictæ tabulæ secũdum omnes partes à se pariter disiungerentur oporteret aerem incipere simul existere in quauis parte tabularum per vltimum non esse, quod fieri nequit (cum aer immediatè post instans eleuationis non possit ad tabularum medium peruenire, sed antequam eò perueniat decurrere priùs debeat totũ spatium, quod inter initium, mediumque ipsarum intercedit) ita si secundum omnes partes simul iungerentur oporteret aerem desinere esse simul in quauis parte tabularum per primũ nõ esse, quod pari modo admitti non debet, vt ex proxima ratione liquet. Itaque quoties duæ tabulæ simul iunguntur, non immediatè sese contingunt sed alio corpore interiacente, vt aere, verbi gratia, aut aqua. Id quod ita se habere asserit Aristoteles 3. de anima cap. 11. text. 113.

Nõ posse tabulam planã secundũ omnes partes simul cum altera plana immediatè coniungi.

Obiectio. Quod si quis obijciat sequi ex dictis posse tantulum aerem tenere ingentem ferri molem ne descendat, ne vè proximè cum subiecto corpore copuletur: occurrendum erit non debere id absurdum, aut à veritate alienum iudicari; cùm secus fieri non possit; alioqui omnes partes intercluſi aeris simul egrederentur, quod impossibile esse demonstrauimus.

Refutatio.

Sol.5. Quinti non est difficilis explicatio. Vtique negari debet vehementiorem esse appetitum, quem singulis rebus ad priuatum, quam ad commune bonum tuendum, & procurandum natura inseuit, vt D. Thomas 1.p.q.60.art.5. & quod lib. 1.art.8. docet. Nãque vt pars propter totũ est, ita naturali propẽsione magis ad bonũ totius, & ad cõmune bonum, quàm ad suũ peculiare inclinatur. Nec verò natura iccirco in se reflecti dicitur, quòd priuatum bonum cõmuni anteponat, aut cõmune non nisi propter se expetat; sed quia cõmunis boni procuratio in ipsius quoque priuatæ rei cõmodum cedit. Neque aliud Aristoteles vult. 8. Ethicorum; qui dum asserit vnicuique proprium bonum maximè expetibile esse, non priuatum cum cõmuni, sed priuatum vnius cum priuato alterius comparat.

Pars naturali propensione magis inclinatur ad bonum totius, quàm ad priuatum bonũ tuendum.

Sol.6. Sexti solutio ita habet. Posset quiuis in extrema cæli ora cõstitutus brachia porrigere, & iaculũ vibrare per spatiũ illud, quod extra mundũ patet: nõ iccirco tñ id spatiũ censendũ est aptũ ad recipienda corpora per naturalẽ aptitudinẽ; q̃ ad rationẽ vacui exigitur. Etenim

Lege Rich. 1. sent. d. 14. q. 3. circa 3. princip.

vt

vt nemo illic vi naturæ collocari poteſt, ita nec prædictum ſpatium naturalem habet aptitudinem ad ea corpora excipienda. His addę quæ ſuperiùs diximus de ratione vacui improprij extra cœlum.

QVÆSTIO II.

POSSIT NE VIRTVTE DIuina dari vacuum.

ARTICVLVS I.

POSSE, ETSI IDQVIDAM negarint.



ARS negatiua quæſtionis hunc in modum videtur oſtendi. Dari vacuum eſt contra ordinem vniuerſi; ſed nihil poteſt contra hunc ordinem à Deo fieri: nequit ergo diuina virtute vacuum dari. Maior ex ijs, quæ proximè diſputata ſunt, conſtat. Minor ſuadetur. Primùm, quia id, quod eſt contra ordinem vniuerſi, eſt inordinatum; ac præpoſterum. Quod verò ita ſe habet, à ſummi artificis manu, cuius perfecta ſunt opera, longè abeſt. Secundo, quia ordo rebus inditus adumbrat, ac repræſentat diuinam bonitatem, eaque repræſentatio eſt finis diuinæ operationis. Cùm igitur Deus præter hunc finem nihil exteriùs poſsit agere, vtique nec præter vniuerſi ordinem quicquam moliri poterit. Tertiò, quia totus curſus naturæ eſt à diuina ſapientia, ſicuti artefacta ab arte humana, vt aſſerit D. Auguſt. in illud Ioannis. Quod factum eſt in ipſo vita erat. Quare cùm artifex nihil faciat cõtra artem ſuam, niſi per errorem; qui in Deum non poteſt cadere; nequibit Deus quicquam facere contra ordinem, curſumvè naturæ. Ex quo ſequitur non poſſe ab eo exhiberi vacuum.

Argumenta, quo negatiua pars controuerſiæ probari videtur.

Auguſt.

In hac difficultate qui negant ſpatium extra cœlum nec putãt intelligibilem eſſe diſtantiam vllam aut interuallum capax corporis abſque corpore affirmant (quod huiuſce opinionis conſectarium eſt) vacuum nec diuina virtute, ſaltem intra cœli complexum, dari poſſe. Nos vero vt partẽ priori aſſertioni aduerſam [a] amplectimur, tuemurque lib. 8. huius operis, in diſputatione vtrum Deus ſit extra cœlum, ita hoc loco hanc concluſionem ſtatuimus. Vacuũ intra quæuis corpora diuinitus dari poteſt.

Aſtruitur pars affirmãs quæſt.

[a] D. Th. in 2. d. 2. q. 1. art. 5. Henricus Gãd. quodl. 15. q. 1. Richardus in 2. d. 14. q. 3. circa 3. princip.

quod

Quod probatur, primùm quia potest Deus totum ignis elementum in nihilum redigere, & alijs corporibus, quæ ad eius locum replendum confluxura sunt, communem opem ad motum denegare: imo esto eam non deneget, cum illa totum spatium momento traijcere non queant, interim vacuum dabitur. Item quia potuit Deus solas sphæras cælestes creare, sicque totam sublunaris mundi intercapedinem inanem relinquere.

ARTICVLVS II.

EXPLICATIO RATIONIS QVA negatiua pars controuersiæ ostendi videbatur.

ID verò, quod in aduersam partem adduximus, hunc in modum soluendum erit. Si res sumantur quatenus secundum obedientiariam potentiam Deo subduntur, nihil quod circa eas Deus fecerit, contra earum naturam aut ordinem dici debet. Vnde D. Augustinus lib. 26. contra Faustum cap. 3. ait id esse cuilibet rei naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis modus, numerus, ordoque naturæ. Si autem res secundum se præcisè spectentur, erit quidem contra ordinem vniuersi dari vacuum; sed contra hunc ordinem ire, in potestate Dei est.

In potestate diuina est facere quę voluerit contra ordinem vniuersi.

Ad primam verò huius rei impugnationem dicendum; id quod est præposterum, & inordinatum, idest, ab omni prorsus ordine deflectens non posse à Deo fieri, cùm repugnet aliquod Dei opus nõ referri ordinariqúe ad eius bonitatem, quæ est præcipuum diuinæ voluntatis obiectum, posse tamen Deum facere quidpiam alienum ab vno aliquo rerum ordine, vt ab eo, quem res naturales habent ad impediendum vacuum; sed consentaneum alteri, quem ipse præstituere nouit; quod proinde nequaquam inordinatum dici debebit. Ad secundam non solùm eum ordinem, qui nunc in rebus elucet, repræsentare diuinam bonitatem, sed alios etiam, quos Deus pro suo arbitratu possit inuehere. Ad tertiam, artem diuinam non se totam explicare in creaturarum productione, ideòque secundum ipsã posse Deum aliter, atque vsitatum naturæ curriculum sese habet, operari. Vnde esto liberum Deo sit contra naturæ cursum ire, non proinde tamẽ contra suam diuinam artem efficere quidquã dicetur.

Præcipuũ diuinæ voluntatis obiectum diuina bonitas.

Diuina ars non se totam explicat in effectione creaturarum.

QVÆSTIO III.

VTRVM VIRTVS ANGELICA POSsit vacuum in naturam inducere.

ARTI-

ARTICVLVS I.

STATVITVR NON POSSE. PROPONITUR sententia aliter iudicantium.

Pro hac concl. lege quæ scripsit D. August. 12. de ciuit. Dei cap. 18. D. Thom. de maloquæst. 16. art. 9. ad 2. & art. 10. & 3. cont. gē te. c. 102.

IN hac quæstione pars negatiua asserenda est. Quæ probatur, primum quia dari vacuum est contra ordinem, cursumque totius naturæ corporeæ, quem immutare is tantùm potest, qui naturæ conditor & ordinator est. Secundò, quia nemo inficias ierit vacuum dari miraculum esse: at miraculū propria virtute solus Deus edit. Tertiò, quia si Angeli possent vacuum efficere; concedendum foret posse naturaliter vacuum dari; quod tamen à communi Philosophorum sensu abhorret.

Astruitur pars negatiua.

Sunt tamen qui in hac difficultate diuersum respondendi modū vti probabilem afferant. Pro quo aduertunt cùm in disceptationem vocamus num Angelica virtute repugnet dari vacuum, dupliciter hanc quæstionem posse intelligi. Vno modo, vt quæramus nū virtus Angelica comparata ad resistentiam, qua, verbi gratia, aer vacuo resistit, maior sit, ita vt illam præcisè, quantum ex se est, nō cōsideratis alijs circunstantijs, superare posset, atque ita vacuum inducere. Alio modo, vt sit sensus num spectando etiam decretū, quo Deus statuit sibi duntaxat reseruare ius immutandi naturæ cursum, & ordinem vniuersi (iuxta illud D. Pauli cap. 2. epistolæ ad Hebræos, Nō enim Angelis subiecit Deus orbem terræ; & illud Iob. c. 34. Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?) num inquam sic, in potestatem Angelorum cadat vacuum facere.

Aduersa opi.

D. Paul.

Hoc posito respōdent, si quæstio secundum priorem sensum intelligatur, posse virtute Angelica dari vacuum: si secundum posteriorem, non posse. Prior pars huiusce conclusionis hunc in modū suadetur. Angelica virtus superat resistentiam, qua aer vacuo resistit: ergo possunt Angeli amoto hinc inde aere spatium hoc vacuum reddere. Antecedens probatur: Nam vel eiusmodi conatus, & repugnātia est finita, vel infinita. Non infinita; quia nullum infinitum in rebus creatis datur. Si finita, potest ergo vinci à virtute finita, quæ ipsam proportione maioris inæqualitatis excesserit: modo talis virtus detur: at quod saltem omnium angelorum virtus in vnum collecta eiusmodi excessum habeat verisimile omnino est.

Assertio existimantiū posse ab Angelis vacuū inueniri.

Eorum ratio.

Quod si quis contendat virtutē vacuo obsistentem adhuc maiorem esse, quęritur, quonam excessu maior sit? Si excessu, v.c. mille graduū, Deus potest denuò plures creare Angelos, qui vnà cū alijs excessum illum vincāt. Iam ergo tunc Angelica virtus prædictam resisten-

Quomodò probēt conatū naturę repugnantis vacuo posse vinci ab Angelis.

resistentiam superabit. Et verò, cùm nulla ratio conuincat Angelos non eo numero iam actu creatos esse, perperam quis negarit posse ab angelis, qui nunc existunt, vacuum fieri. Neque rectè (inquiunt illi) philosophantur qui autumant conatum, siue impetum, quo natura corporea contra vacuum depugnat, & ad ipsum impediendũ vbique præsto adest, non teneri certis limitibus; sed posse effundi non tantum, quin maiorem; quod vocant infinitum syncategorematicè; ac proinde eam vim à solo Deo cohiberi, vinciq́ue posse. Nã quod hæc sententia à veritate aberret inde perspicuum est, quia si eiusmodi impetus infinitè posset augescere, cùm dimanet à facultate naturali indita sublunaribus corporibus, sicuti ascensus ignis à leuitate; sequeretur eam facultatem esse actu infinitam, siquidem id, quod non tam intẽsum, quin intensiorem actum re ipsa potest edere, nullum habet suæ perfectionis terminum, estq́; iam actu infinitũ.

Probatio posterioris partis assertionis antea propositę.

Posterior autẽ pars conclusionis ex eo ostenditur; quia dari vacuum est contra ordinem vniuersi, cursumq́ue naturæ, cuius immutandi ius sibi Deus retinuit, vt ex superioribus patet. Neque ad hanc assertionem illustrandam exempla desunt. Nam Angelus, qui solis sphæram torquet, potest naturali sua virtute solem retro agere, sicuti Ezechiæ regis tẽpore; vel eius cursũ sistere, sicuti pugnãte Iosue fecit: ad hoc enim præstandum non eget Angelus maiori, quã ordinario Dei concursu: cùm sol neque retro mouenti, neque detinenti obsistat: & tamen spectato cursu rerum, quem Deus ratũ esse iubet in cœlestibus corporibus, neutiquam id Angelus efficere poterit. Item si ad terræ pondus duntaxat, & motricem Angelorum virtutem attendamus non est absurdum concedere, posse Angelos totam terræ molem, si singuli, pro sua quisque vi, portionem arripiat, loco suo leuare: quod tamen nequaquam admittendum erit si consideremus dispositionem, situmq́ue principalium partium vniuersi, quem diuino præscripto stabilem, perpetuumq́; esse cõuenit.

4. lib. Reg. c. 20. Iosue cap. 10.

Leg. D. Th. de malo quæst. 6 art. 10. ad vlt. Ferrariẽsem lib. 3. cõtra gent. cap. 101.

Quo pacto respondeant ad argumenta pro concl. quę in hoc art. cõstituta fuit.

Ad ea verò argumenta, quæ pro nostra cõclusione adducta sunt, respondebunt, ad primum quidem concedendo nihil, quod est contra ordinem totius naturæ posse virtute Angelica fieri, si loquamur de potentia secundum posteriorem illum sensum in cõclusione explicatum; aliquid tamen esse contra eum ordinem, quod secundum priorem considerationem fieri posse admittendum sit. Ad 2. quemadmodum solem retro agere miraculum est, vt ait D. Thomas 1. p. q. 105. art. 8. & lib. 3. cont. gent. cap. 101. post D. August. lib. 21. de ciuit. Dei cap. 8. quia nimirum esto Angelus naturali sua virtute id præstare queat; dicitur tamen esse supra facultatem totius naturæ creatæ, quatenus solius Dei nutu, & quasi dispensatione fieri potest: ita vacuum inducere, licet ob eandem rationem miraculũ sit; non id tamen impedire, quominùs Angelica potestate secundum se fieri non repugnet. Ad 3. rectè dici à philosophis non posse vacuũ dari naturæ viribus; quia licet ex proportione virtutis Angelicæ ad

ipsum

ipsum vacuum, repugnantia non sit; est tamen aliunde, vt ex dictis patet.

ARTICVLVS II.

SVPERIORIS SENTENTIÆ confutatio.

HÆc tamen sententia præterquam quod noua est, non satis firmo nititur fundamento. Etenim resistentia, qua res per se vacuo repugnant, non cadit sub aliquam mensuram certam, quæ proinde à maiori virtute finita vinci queat: sed est eiusmodi, vt à virtute quidem infinita superari possit, nõ tamen ab vlla minori. Quod in multis alijs animaduertere est, vt in resistentia, qua cælum repugnat diuisioni; & in vacuo ignis ita exiguus, vt in partes, quæ maneant, secari nequeat; item qua quoduis corpus penetrationi resistit. Sicut igitur partes cæli, & illius minimi ignis ita sibi inuicẽ adhęrescunt, vt nulla vi finita diuelli possint: ita existimandum est adglutinari partes vniuersi tanto nexu, vt inter se vacuum non admittant. Præsertim cùm id comprobet manifesta experientia, qua videmus nullam tantam vim adhiberi huic colligationi, vt eam dirimat vel tantulum vacuum efficiendo. Sanè si illa à virtute finita vinci posset tot ei interdum apponerentur machinæ; tam multa obstacula obijcerentur, vt ipsam vincerent, retardarentue. Vrget tamen difficultas illa quî fieri possit, vt natura finita non tantum quin maiorem impetum ad vacuum impediendum præstet. Respondetur eam resistentiam primò, ac per se non fieri per impetum aliquem vel impulsum à natura expressum; sed per ipsam naturalem colligationẽ partiũ vniuersi inter se; sicut non absimili ratione cælum, & ignis ille in vacuo diuisioni resistunt. Atque ex appetitu eiusdem colligationis si vacuum diuina virtute fiat intra res sublunares, & circunjecta corpora naturis suis relinquantur, dilatabuntur quoad fieri possit per spatium vacuum, non vt illud directò occupent, sed vt se quoad fieri possit attingãt, mutuoq́; iũgãtur, ad eũ modũ, quo caro intumescit intra cucurbitulas addẽsãte se aere, vti superiꝰ diximꝰ.

Resistẽtia nãturę cõtra vacuũ nequit superari ab vlla finita virtute.

Dubitatio.

Responsio.

Primò igitur & per se occurrit natura vacuo ob ipsum naturalem appetitũ mutuæ colligationis partium vniuersi inter se. Inde autem secundariò sequitur vt res loco moueatur ad replendum vacuũ v.c. cùm ex fistula altero orificio aquam attingente, per alterum aer inclusus attrahitur & ascendit aqua: is ascensus secundariò, spectata naturæ intentione, sequitur ad appetitum vnionis, quo aqua aeri sursum adducto ita firmiter adhæresci, vt ab illo diuelli non possit; similiterque cùm ob hanc causam corpora rarescunt, & dilatantur per tumorem, alioue modo, patet primò & immediatè non moueri loco, sed ex consequentia rarefactionis. Qui motus localis tametsi fiat

Vt natura occurrat vacuo.

Motus corpõrum ad impediendum vacuum.

fiat impetu finito; nihilominùs naturaliter impediri non potest etiã ab Angelo (cui aliàs corporeæ res quoad motum localem obnoxiæ sunt) propterea quòd latio in eo euentu est veluti corollarium alterius affectionis corporeæ, quæ Angelo non subijcitur, nimirũ illius appetitus retinẽdæ colligationis cum alijs partibus vniuersi, ratione cuius omnia corpora quasi catenata huc illuc trahuntur, aut in maiorem abeunt raritatem, ne omnino diuellantur. Qui appetitus in resistendo machinis & obstaculis est infinitus syncategorematicè; quia scilicet non potest resistere virtuti infinitæ, & cuiuis minori pòtest. Quod non in re proposita duntaxat euenire alijs exemplis suprà ostendimus. Adde quòd si Angelus vim naturalem haberet ad vacuum faciendum, haudquaquam satis firma, & idonea ratio assignari posset, cur re ipsa ei non permitteretur à Deo in tantillo spatio id facere, quemadmodum alia quæ in eius facultatem recidunt, permitti ei solent, nisi cùm ne permitti debeant, grauissima causa interuenit. Accedit quòd eodem fundamento innitentibus asserendum foret non Angelica duntaxat, sed humana etiam, aut alterius agentis naturalis vi posse vacuum induci. Nam si repugnantia, qua natura obsistit vacuo certis limitibus circunscripta est, atque adeò talis, vt superari queat à maiori vi finita, quam Angeli saltem aliquo magno numero exhibere queunt, subindeque vacuum facere: eodem modo licebit argumentari posse etiam homines, si coniunctis viribus magnum conatum adhibeant, disiungere simul secundũ omnes partes tabulas illas immediatè coniunctas, de quibus quæst. præcedenti art. 3. ad 4. argum. atque adeò intra illas vacuum facere.

Appetitus & vis ad resistẽdum vacuo quanta.

Repugnantiam, qua natura vacuo resistit, non cõtineri certis finibus.

QVÆSTIO IIII.

VTRVM CORPVS IN VACVO moueri possit an non.

ARTICVLVS I.

CONCLVDITVR PARS affirmatiua.

Primũ argumen. in partem negat.

EXpendamus nunc quo pacto sese haberet motus ad vacuũ, si diuina viriute esset. Ac primũ nũ in eo corpus cieri posset. Pro ea parte, quæ negat, hæc sũt argumẽta. Omnis motꝰ sublunaris pẽdet à cœlesti influxu: sed per inanẽ intercapedinẽ nequit eiusmodi influxꝰ trãsmitti, vt planũ est; nõ potest ergo vllũ corpus in vacuo moueri. 2. Si corpꝰ ab vna spatij vacui ad

2. argum.

aliam

aliam commearet, eam partem, quam nunc occupat, postmodum inanem relinqueret, atque ita naturaliter vacuum daretur: sed hoc fieri non potest; ergo neque iliud. Tertio, Omnis latio est ad locum; in vacuo locus non est; ergo nec latio. Quartò, Cùm vacuum nihil sit, nulla potest in eo esse distantia, quæ percurratur; atqui omnis motus localis requirit distantiam; ergo nullus fit in vacuo. His adde rationes, quibus Aristoteles 8. cap. huius libri hoc idem institutũ confirmauit. 3. argum. 4. argum.

Asserendum tamen corpora in vacuo tum ab externo motore, tũ à se ipsis moueri posse. Quod probatur, primùm quia nulla ratio est cur Angelus in vacuo iaculum intorquere non possit. Deinde quia si tota sublunaris mũdi plaga vacua esset, & in eius medio ignis à Deo crearetur conseruareturque, nihil ignem impediret, quo minus in suum naturalem locum per inane ascenderet incitatus tum à leuitate sibi ingenita, tum vel maximè à cõmuni inclinatione iungendi se corporibus cœlestibus, vnde conseruatrix vis in inferiorẽ mundum deriuatur. Conclusio.

ARTICVLVS II.

DILVVNTVR SVPERIORIS articuli argumenta.

AD argumenta initio superioris articuli proposita hunc in modum respondetur. Ad 1. non omnem motum inferiorum corporum à cælesti influxu ita pendere, vt citra illius opem exerceri nequeat: quod in libris de cælo explicatiùs dicemus. Ad 2. corpus, quod in vacuo ab vna parte ad aliam transit, etsi partem spatij, quam relinquit, inanem reddat, non ideò censeri propria virtute vacuum efficere; tum quia id potiùs referri debet ad potentiam diuinam, quæ spatij inanitatem inuexit; tum quia quàcunque eiusmodi corpus pergit, aliud vacuum occupat, sicque non tam vacuum facit, quam commutat, & compensat. Hisque consonat id, quod diximus supra q. 1. de vacuo ar. 5. Ad 3. terminũ quẽ latio per se requirit, non esse locum, sed vbi; quod etiam in vacuo inuenitur, vt 3. libro statuimus. Ad 4. duplicem esse distantiam, vnam positiuam, repertam in spatio, quod à corpore occupatur; alteram quodammodo priuatiuam, quæ nimirum reperitur vbi nullum corpus actu est, esse tamen potest. Atque hæc ad motum sufficit, & in vacuo esset, si id daretur, immo etiam nunc est in infinitis spatijs imaginarijs, quæ extra cælum Empyreum funduntur. Lege Henricum Gandauensem quodlib. 3. q. 3. Scotum in quodl. q. 11. Sol 1. arg. Sol. 2. Sol. 3. Sol. 4. Extra mundũ patet infinitũ spatium imaginarium.

Quo pacto diluendę sint rationes Aristotelis.

Ad rationes Aristotelis, dicendum eas tantùm probare cõtra veterum placita, vacuum ex se potiùs lationem tollere, quàm illius causam esse. Deinde non concludere in nullo prorsus vacuo motum dari; sed in eo, quod omnes locorum differentias confunderet; quale vacuum foret si neque cælum, neq; sublunaria corpora extarent: tunc enim cùm nulla maior esset ratio cur elementa in hãc potiùs, quàm illam partem vergerent, omnis eorum motio cessaret. Quod verò attinet ad cætera argumenta, quibus motum in vacuo refellit, quia oporteret per ipsum traiectionem corporum in instanti fieri; ea quidnam momenti habeant, proxima sequenti quæstione disceptandum erit.

QVÆSTIO V.

VTRVM POSITO VACVO, CORPVS in instanti an tempore cieretur.

ARTICVLVS I.

NON NISI TEMPORE cieri posse.

Assertores partis affirmatiuę.

MAgnus Albertus hoc loco tract. 2. cap. 6. & 7. Gregorius in 2. d. 6. q. 3. art. 2. Auerroes hoc in libro comm. 71. Aegidius, Burlæus, Iandunus, & Saxonia putant motum in vacuo non tempore, sed momẽto peractum iri.

Cõclusio negatiuę partis.

Idemq́ue censuisse antumant Aristotelem 8. cap. huius libri. Verùm contraria opinio aientium talem motum necessariò debere tempus consumere, etsi à M. Alberto dicatur in intellectum cadere non posse, videtur tamen & intellectu facilis, & veritati consentanea. Eam verò secutus est post Auem Pace, & Auicennam D. Thomas in 4. d. 44. q. 2. art. 3. quæstiuncula. 2. Scotus in 2. d. 2. q. 9. alijq́ue complures. Probatur autem hunc in modum. Successio motus non solùm prouenit ex medio, quatenus plenum est; sed etiam prout intercapedinem, & distantiam extremorum cohibet: sed hæc distantia manet in spatio vacuo; ergo ratione illius adhuc motus in vacuo tempus consumet. Maior suadetur; quia terminorum distantia in causa est, ne corp⁹ simul in termino à quo, & in termino ad quem, & in locis intermedijs esse possit. Minor ostenditur; quia si spatium, quod inter cauum lunæ, & terram iacet, inane esset, non minus tunc, quam modo, cælum à terra distaret.

Prima ratio.

Distantia terminorum in causa est ne mobile simul existat in diuersis partib⁹ spatij.

In his sũt Aesculan⁹, Iauellus, Ferrariensis, Lichetus in 2. d. 2. q. 9. Sonc. 12. Metaph. q. 43.

Secunda ratio.

2. Cõstituatur in medio spatij vacui colũna vigĩti palmorũ, descẽdatq́ue

datque lapis vnius palmi iuxta columnam: non potest is eodem pũcto sui descensus esse simul iuxta primam partem palmarem columnæ, itemque iuxta secundam, decimam, & vigesimam, alioqui pluribus locis inter se distantibus simul adæquaretur, eodemque momento totum viginti palmorum spatium occuparet. Erit igitur prope quemlibet palmum in alio, atque alio instanti. Quare cùm inter quælibet duo instantia intercipiatur tempus, iam lapis non momento, sed tempore descendet. Idẽ concludi potest, si ponamus columnam viginti palmorum per spatium inane deorsum vergere, ita vt imam partem columnæ digitus quiescens attingat; tunc enim nequibit columna eodem instanti descensus secundum totam suam longitudinem digitum tangere, illique adæquari; ac proinde necesse erit in alio atque alio momento eum tangere, & eidem secundum diuersas partes successiuè respondere.

Tertiò. Proijciatur pila ab Angelo per spatium vacuum tanta vi in terram, vt repercussa ad eundem locum vnde emissa est, redeat, ibique rursum detineatur; tunc vel recurret ad eundem locũ eo ipso instanti, quo egressa est, vel alio. Si eodem, semper igitur ibidẽ permansit; atque adeo mutata non est. Si alio; ergo cùm inter illa instãtia tempus effluxerit, haud dubiè non momento, sed tempore motum peregit. Tetia ratio.

ARTICVLVS II.

EXPLICATIO ARGVMENTORVM, quibus Aristoteles probare visus est motum in vacuo momentaneum fore.

NE tamen aduersariorum sentẽtiam indicta causa damnare videamur, præcipua eorum argumẽta audiamus. Ea verò sunt, quæ octauo capite huius libri apud Aristotelem leguntur; quæ nunc planius exponenda erunt. Primum ita habet. Eadem est proportio celeritatis in motu, qui fit per medium tenuius ad celeritatem eius, qui fit per crassius, quæ est tenuitatis ad crassitiem; & ex consequenti eadem erit proportio temporũ, intra quæ mobile per eiusmodi spatia defertur; atqui manifestum est in vacuo nullam esse proportionem subtilitatis ad plenum; cum in vacuo nullum sit corpus: ergo nulla erit proportio celeritatis motus, nullaq; temporis, quo spatium plenum, & vacuum decurritur; atq; adeò spatium plenum in tempore, vacuum in instanti conficietur. Primũ argu. Aristotelis.

Secundũ argumentũ est huiusmodi. Si motus per vacuum fieret in tempore, tria potissimùm incõmoda sequerentur. In primis vacui 2. Argum.

ad plenum aliquam esse proportionem: enimverò cùm duo pondera mouentur; quæ est porportio temporis ad tempus, eadem est spatij ad spatium quoad subtilitatem, modo cætera sint paria. Quare cùm inter tempus, quod ais consumi in vacuo, & tempus quod in pleno consumitur, aliqua sit porportio; siquidem quælibet duo tempora finita respondent sibi aliqua proportione; necessariò fiet vt vacui ad plenum aliqua sit proportio; quod falsum est. Item sequeretur mobile aliquod eodem tempore, quo decurrit totum spatium vnius stadij inanis, posse etiam transmittere partem spatij pleni, quod absurdum videtur. Consecutio probatur. Nam si mobile. A. in tempore. E. trãsmittit totũ spatiũ plenũ D. certe in parte tẽporis. E æquali tẽpori G. in quo ponis transmitti totũ spatium vacuum, transmittet partẽ aliquam spatij D. Sequeretur præterea idem mobile posse idẽ spatium plenum tam breui tempore, quàm vacuum, conficere. Ponamus enim spatium illud vacuum, quod vno quadrante percurrebatur, occupari corpore aliquo, quod aere sit quadruplo subtilius; tunc sic licebit argumentari. Quanto medium subtilius est; tanto tẽpus quod in eo consumitur; est breuius; sed corpus intermedium est quadruplo subtilius, ergo tẽpus erit quadruplo breuius; atqui cùm spatium aere plenum erat, consumebatur vna hora: igitur nunc vnus tantùm quadrans consumetur; sed in quadrante etiam antea idem spatium cum plenum erat, decurrebatur, ergo tantum temporis cõsumitur in eodem spatio pleno, quantum in vacuo.

3. Argum. Tertium argumentum est. Si motus in vacuo tempus consumeret, sequeretur duo corpora quantumlibet inæquali pondere posse æquali tempore quodcunq; spatiũ vacuum decurrere, quod falsum est; cùm experientia testetur, corpora quo grauiora sunt, eo maiori velocitate deorsum vergere, si modo reliqua sint paria. Consecutio probatur; quia causa cur mobile grauius maiori pernicitate descẽdit, est quia faciliùs secat medium, per quod transit. Quare cùm in vacuo nullum sit intermedium corpus quod secari debeat; consequens erit, vt quælibet duo mobilia quantunuis dispari grauitate, æquè velociter descendant.

Apud quos superiora argumenta propositã confirmant.

Ita se habent Aristotelicæ rationes. Verùm si quis animũ aduertat facilè videbit illas apud eos tantùm concludere, qui non aliam moræ causam in motibus agnoscunt, præter crassitudinem, & resistentiam intermedij corporis, vt aeris, vel aquæ. In qua sententia videntur fuisse veteres philosophi, contra quos eo loco disputat Aristoteles. Quod verò ij procul à veritate aberrarint, tum ex prima ratione superioris articuli intelligi potest; tum etiam quia videmus corpora cælestia, quibus ex parte medij nihil obsistit, tempus nihilominus motu consumere. Quare asserendum videtur Aristotelem non ex propria sententia affirmasse omnem corporis mutationem in vacuo momentaneam esse debere, sed ex illa veterum hypothesi id tanquam absurdum intulisse.

Aristotelẽ nõ ex propria sẽtentia pronũtiasse motum in vacuo fore momẽtaneã.

Ad

Ad primum igitur illius argumentum respondendum est eãdem esse proportionem temporis ad tempus, quæ spatij ad spatium, modò de eo tantùm loquamur tempore, quod ob resistẽtiam medij cõsumitur; non autem de illo, quod tum propter medij resistentiam, tũ ob intercapedinem spatij, & terminorum repugnantiam impẽditur. Quocirca si pondus aliquod integram horam consumat in conficiendo spatio pleno certæ magnitudinis, ratione quidem distãtiæ tres quadrantes, vnum verò ob resistentiam medij; eiusmodi pondus feretur per idem spatium plenum corpore duplo subtiliori, nõ in dimidio horæ, sed in tribus quadrantibus, & dimidiato; cõsumet enim tres quadrantes ob distantiam spatij, sicuti antea consumebat, itẽque vnius quadrantis medietatem ob resistentiam medij duplo minorẽ, quàm antea. Itaque quarta duntaxat pars horæ, quæ ratione medij resistentis insumebatur minui debet in eadem proportione, qua medij resistentia minuitur. Hinc tamen colligi non potest motum in vacuo fieri in instanti. Etenim quia nulla est proportio spatij vacui ad plenum, quoad medij resistentiam, cùm in vacuo nullũ corpus medium interiaceat, recte sequitur obresistentiam medij nullũ in vacuo tempus consumi. Verùm quia adhuc in vacuo spatij intercapedo, & repugnantia terminorum relinquitur; iccirco idẽ tẽpus, quod in pleno ratione distantiæ consumebatur; etiam in vacuo consumetur; si vtriusque spatij eadem sit distantia, cæteraque paria.

Sol. 1. arg.

Distantia spatij nõ momẽto, sed tempõre traijcitur.

In vacuo manet intercapedo spatij, & terminorum repugnantia.

Ad primum incommodum eorum, quæ secundo argumento inferuntur, respondendum est rectè concludi eandem esse proportionem spatij vacui ad plenum, quæ est temporis ad tempus, si de spatij distantia, deq; tempore, quod ob illam consumitur, tãtummodo loquendum sit. Id autem, quod secundo loco pro incommodo colligitur, dicimus absolutè incommodum non esse; quod tamen foret, si mobile ob solam medij resistẽtiam moram traheret, sic enim momento per vacuum cieretur, vti diximus. Denique quod tertio lo-lo obiectum est, diluitur negando consecutionem. Id verò, quod eius confirmandæ gratia adducitur, planum est nihil conficere, nisi ponamus mobile ob solam interfusi corporis resistentiam, tempus deposcere, quod pernegatum fuit.

Sol. 2. arg.

Ad tertium argumentum respondetur cãusam totam cur mobile grauius maiori velocitate deorsum vergat, non esse quod medium faciliùs diuidat; sed etiã quia maior virtus motiua illius, faciliùs ipsũ ad locã, in quibus simul esse nequit, perducit. Itaque neganda est consecutio: patet igitur Aristotelis rationes nihil contra ea, quæ superiori articulo statuimus, concludere.

Sol. 3. arg.

Cur mobile grauius maiori celeritate descendat.

Capitis

Capitis decimi Explanatio.

Disputatio de tempore.

Argumenta quod nullum sit tempus.

a Illud autem } Sequitur tertia, & postrema huiusce libri pars, in qua de tempore disserit Aristoteles. Ac primùm vtrum ne tempus sit, deinde quidnam sit, disquirit. Quod ad priorem attinet quęstionem, eius partem negantem rationibus exotericis, ideſt, populariter, & in ſpeciem veritatis concludentibus ſuadet, hunc in modum. Id, quod conſtat partibus, quę re ipſa non extant, non eſt, ſed tempus ita ſe habet, etiam id quod ex infinitis partibus nunquam defecturis coaleſcit } cum non conſtet, niſi præterito & futuro; quorum neutrum actu exiſtit. Non igitur tempus eſt.

b Ad hęc rei } Secunda ratio. Id, quod eſt diuiduum in partes, nequit actu in natura rerum eſſe, niſi vel omnes eius partes exiſtant, vt plantę, vel aliquę ſaltem, vt motus; atqui temporis nulla omnino pars exiſtit: non eſt ergo tempus. Aſſumptionem probat, quia præteritum euanuit, futurum non dum eſt; momentũ autem non videtur pars temporis, quia omnis pars quanta alicuius totius, vt apud Mathematicos ratum habetur, aliquoties ſumpta metitur & abſoluit totũ, ipsũque cõdit; quod momento accõmodari non poteſt.

c Vtrũ vnũ & idẽ } Diceret quiſpiam tẽpus eſſe, quia exiſtit momentũ, quod eſt vtriusque tẽporis cõfinium, ſiue termin9 præteriti, initiũque futuri: id diuiſorio, ſeu bicipiti argumento refellit. Si enim momẽtum exiſteret, vel vnum tantummodò eſſet in toto ẽpore; vel aliud, & aliud, quorum neutrũ dici poteſt. Ac primùm quod non aliud & aliud ſit, oſtẽdit, quia aut ſimul eſſent, aut ſucceſsione. Nõ ſimul, quia duę partes temporis nequeunt ſimul eſſe, niſi alteram altera cõtineat, maior minorem, vt menſis diem, dies horam; vnum verò momentum altero maius non eſt. Non ſucceſsione, quia ſequeretur momentum interire, quod impoſsibile eſt. Vel enim in ſe ipſo interiret, vel in alio; non in ſe, quia tunc eſt; non in alio, quia momenta non ſibi proximè cohęrent, ſed neceſſario medium tempus funditur. Nullo igitur pacto momentum interit. Quare perſpicuum videtur non dari in tempore aliud, & aliud momentum.

Biceps argumentũ ad tẽpus impugnãdum.

Non permanere ſemper idem momẽtum.

d Nec verò idem } Quod non idem ſemper momentum permaneat ſuadet. Primum quia

CAP. X.

a *Illud autem ea, quæ dicta ſunt, ſequitur, vt de tempore diſſeramus. Ac primum quidem rectè fiet ſi exotericis etiam rationibus de eo dubitetur, vtrum ſit, necnè, & deinde, quæ ipſius natura. Nõ eſſe igitur, aut vix obſcurè eſſe,* Text. 87. Text. 88. *ex his ſuſpicari aliquis poteſt: eius enim pars vna præterijt, nec eſt: alia futura eſt, & non dum eſt, ex quibus & infinitum, & quod ſemper ſumitur tempus conſtat. At quod ex his, quæ nulla ſunt, concretũ eſt, id eſſentiã habere nõ poſſe videbitur. b Ad hæc rei oĩs, quæ in partes poſsit diuidi, ſi modo ſit,* Text. 89. *neceſſe eſt, tũ cũ eſt, aut aliquas eius partes eſſe, aut oẽs: tẽporis autem, cùm in partes queat diuidi, aliæ fuerunt, aliæ futuræ ſunt, nullaque eſt. Præſens verò momentum pars non eſt: namq; & pars metitur, & totum ex partibus conſtare debet: tempus autem ex momentis non videtur conſtare. Quin* Text. 90. *etiam hoc præſens momentum, quod præteritum, & futurum videtur terminare, c vtrũ vnũ & idẽ ſemper maneat an aliud non eſt facile. Si enim aliud, & aliud, nullaque temporis pars alia, & alia ſimul eſt, quarum vna non contineat, alia non contineatur, vt minus tempus à maiori, momentum præterea, quod non eſt, prius autem fuit, neceſſe eſt interdum perijſſe, ipſa quoque profectò momenta ſimul non erunt, idq; ſemper quod antecedit, interijſſe neceſſe eſt. In ſe igitur interijſſe non poteſt, propterea quod tum ſit: ſed neque in alio momento. Id enim ponatur, non poſſe temporis momenta inter ſe cohærere, vt nec puncta. Si ergo non in eo, quod hærebat, ſed in alio interijt, ſimul certè cum infinitis medijs momentis fuit, quod eſſe non poteſt.* d *Nec verò idem ſemper po-* Text. 91. *teſt manere. Nullius enim rei diuiduæ terminatæ vnus eſt terminus, neque ſi ad vnum continua fuerit, neque ſi ad plu-*

quia nullum continuum finitum vno duntaxat termino clauditur, sed pluribus, vt linea pluribus punctis, superficies lineis, corpus superficiebus. Quare cùm momentum sit terminus temporis, non vnum tempori solum inerit, sed plura. Secundò, quia cùm simul tempore dicantur esse ea, quę eodem temporis momento sunt, si vnum, idemque momentum in toto esset tempore, ea, quę multis abhinc seculis fluxere, simul tempore cum iis, quę nũc, sorent, quod absurdum est.

Non permanere semper idem momẽtum.

e Quid autem tempus ? Accedit ad scrutandam naturam temporis, quam quęstionem multis difficultatibus obstructam esse ait, tum ob ea, quę proposita iam sunt, tum ob dissidentes veterũ opiniones. Nam alij, è quorũ numero, vt multis videtur, fuit Plato, tempus cœli conuersionem esse dixerunt; alij, vt Pythagorei cœ ũ ipsum. Prioris verò sententię auctores duplici argumento confutat. Primùm quia eorũ iudicio pars cõuersionis cę li est tempus, & tamen pars conuersionis cœli non est cõuersio. Nec enim conuersionem appellamus, nisi cùm ab eodem ad idem fit reditus. Deinde quia cũ plures sint globi cœlestes, plura essent tempora, quod à vero abest.

Tẽporis natura cognitu difficilis.

Opiniones de natura tẽporis.

Platonis.

Pythag.

ra. Momentum autem terminus est, terminatumque tempus licet accipere. Cùmque simul tempore esse, & neque prius, neque posterius idem sit, atque eodem momẽto esse, si quæ prius, & quæ posterius fuerunt, in hoc sunt momento, sit, Text. 92. *vt quæ ante annorum decẽ millia fuerunt, simul sint cum ijs, quæ hodierno fiunt die, vnumque alio neque prius sit, neque posterius. De ijs igitur, quæ in eo insunt, tot sint dubitata.* Text. 93. *e Quid autem tempus est, & quæ ipsius natura æquè ex his, quæ tradita sunt, incertum est, atque ea, de quibus nuper disseruimus. Alij enim vniuersi motum esse aiunt, alij sphæram ipsam. Atqui & conuersionis pars tempus quoddam est, conuersio verò non est, quandoquidem quod sumptum est, conuersionis pars est, non conuersio. Insuper si plures essent cœli, cuiusque ipsorum motio tempus* Text. 94. *peræquè esset, ita multa tempora simul essent. f Vniuersi autem sphæra ijs, qui id dixerunt, visum est tempus esse, propterea quod in tempore, vt in sphæra vniuersi omnia cõtineantur. Sed hoc quod dixerunt, fatuum magis est, quàm vt ea, quæ, cum esse non possint, ipsum consequuntur, considerare debeamus. g Sed quoniam tempus motus quidam & mutatio maximè videtur esse, hoc considerandum est. Cuiusque igitur mutatio, & motus in eo, quod mutatur, solùm inest, aut vbi est id quod mouetur, & mutatur. At* Text. 95. *tẽpus peræquè vbique est, & apud omnia. Omnis insuper mutatio celerior est, & tardior: tempus autem non est, quandoquidem velox, & tardum tempore definiuntur. Velox enim est quod breui tempore multum mouetur, tardum, quod longo parum. Tempus verò tempore non definitur, nec* Text. 96. *vt quantum quiddam est, nec vt quale. Motum igitur non esse constat, nihil verò interest, vtrum motum nunc dicamus, an mutationem.*

CAP.

f Vniuersi autem) Exponit quo argumento Pythagorici in eam sententiã venerint, nimirum quod vt cœli complexu, ita & tempore, omnia contineantur; quasi ita argumentarentur, cœlum omnia continet, tempus omnia continet, igitur cœlum est tempus. Quę ratiocinatio ex affirmantibus in secunda syllogismorum figura vitiosè concludit.

Argumentũ Pythagoricorum.

g Sed quoniam tempus) Aliorum dogma, qui motum tempus esse arbitrabantur, coarguit. Primùm quod motus mutatione tantùm est in re, quę mouetur, aut mutatur, aut vbi est id, quod motum mutationemvè subit, tempus autem æqua ratione vbique, & apud omnia sit. Præterea quòd motus omnis velocior, & tardior appelletur, non autem tempus: tardũ namque, & velox tempore definuntur; siquidem velox mobile dicimus, quod breui tempore longum spatium conficit, tardum, quod longo tempore breue. At tempus neque vt quantũ est, neque secundum affectiones, quæ ipsi attribuuntur, cuiusmodi sunt calidum, frigidum, salubre, tempore definiri aut explicari solet.

Motum non esse tempus.

Capitis vndecimi Explanatio.

Non dari tẽpus absque motu.

AT a neque } Docet licet tempus non sit motus, haud tamen sine motu esse; cuius rei argumentum affert, quod nisi motum percipiamus, non credimus tempus effluxisse, vti accidit ijs, qui cùm diu, vt tradunt fabulę, in Sardo insula apud hęroas dormijssent, à somno excitati pręteritum tempus cum insequenti coniunxere, quasi medium nihil prętcrijsset, quia videlicet nullum interim motionis sensum habuerant.

Fabula eorũ, qui apud Heroas in Sardo insula dormierunt.

Fuerant autem hi hęroes nouẽ Herculis liberi, qui cùm ad Sardiniam appulsi essent, vt Strabo lib. 5. refert, ibidem interijsse dicũtur, & ad Aristotelis vsque tempora integris corporibꝰ fuisse, ita vt dormientium speciem exhiberent. Apud hos vero ait Simplicius videri aliquos longiori tempore consopitos fuisse, quorum hic exemplo vsus sit Aristoteles. Themistius tamen hunc lõgiorẽ somnum hęroibus ipsis attribuit.

CAP. XI.

AT a neque est sine mutatione. Cùm enim ipsi cogitatione nihil mutamur, aut si mutemur, minimè animaduertimus, nullum tempus prætcrijsse nobis videtur, quemadmodum nec hisce, quos fabulæ tradunt, in Sardo apud heroas dormire, cùm à somno fuerint excitati. Prius enim momentum cum posteriori coniungunt, vnumque efficiunt, & id, quod intercedit, eximunt, propterea quod sensu id non apprehendant. Vt igitur si aliud, & aliud momentum temporis non esse, sed vnum & idem, tẽpus non esset, ita cùm aliud aliudque esse nos latet, medium tẽpus nullum videtur esse. Quamobrem si tum cùm nullum distinxerimus mutationem euenit, vt tẽporis nulla in nobis sit cogitatio, sed in vno & indiuiduo manere anima videatur: cũ autẽ sensu apprehendimus, & distinguimus, tum tempus prætcrijsse dicimus, perspicuum est sine motu, & mutatione tempus non esse. Ita illud constat nec tẽpus motum esse, nec absque motu. Text. 97. Text. 98.

b *Sumendum verò est (quandoquidem quid est tempus quærimus) quid sit ipsius motus, hinc exordium ducendo: simul namque motus, & temporis sensum habemus. Nam in tenebris quanquam corpus nostrum nihil patiatur, si tamen animo agitemur, statim tempus aliquod simul videtur fuisse; sed & cùm tempus aliquod videtur prætcrijsse, simul & motus quidam apparet fuisse. Quare aut motio, aut motionis aliquid est tempus. Cum igitur motus non sit, aliquid eius sit, necesse est.* Text. 99.

c *Cum autem id, quod mouetur ex aliquo ad aliquid moueatur, magnitudoque omnis continua sit, magnitudinem motus consequitur. Quod enim magnitudo continua sit, motus quoque est continuus: quod autem motus, & tempus. Nam quantus motus est, tantum & tempus videtur semper fuisse.*

d *Ac*

b Sumendum verò est } Quoniã tempus non est motus, nec tamen est sine motu, diligentius excutit qua ratione cũ motu iungatur. Ac primùm quod paulò ante dixerat, inculcat; nimirum temporis & motus conceptionem se mutuò comitari, idque non solùm in motibus, qui corpore exercentur, sed etiam in ijs, qui ad animum pertinent. Hęc est huius loci germana interpretatio, non ea, quã affert Auerroes aiens monere Aristotelem tempus non omnes corporeos motus sequi; sed imaginationis motum duntaxat.

Temporis & motus notionem sese mutuò comitari.

Quomodo se habeat cõtinuitas ad magnitudinem, motũ, & tempus.

c Cùm autem id } Vt propositam difficultatẽ ab ipso fonte aperiat, docet quopacto se habeat cõtinuitas ad magnitudinẽ, super quã res fertur, & ad motũ, ac tẽpus; aitq, magnitudinẽ primo esse cõtinuã; per hãc, motũ, per hũc, tẽpus. Si enim magnitudo discreta sit nõ cõtinua nequa-

nequaquã motus continuitatẽ obtinebit, nec tẽpus, si motus sit interruptus. Addit etiã quãtus est motus, tantũ esse tẽpus. Quod cùm falsum videatur, quia cùm duo mobilia feruntur alterũ velox, aliud tardũ, illud breui tempore multũ, hoc longo tempore breue motũ efficit. Occurrit D. Thomas Aristotelem non de quouis motu id asserere, sed de motu primi orbis, in quo motus & tempus, quoad longitudinem & breuitatem ex æquo sese habẽt. Adde quãtus est motus tantum & tempus esse si loquamur de extensione, quam tempus fortitur ex parte termini per motum acquisiti, non autẽ de sua peculiari, quæ adæquatur durationi imaginariæ, quæ modo maior, modo minor æqualibꝰ motibus respõdet.

Text.100. d *At verò & prius, atque posterius in loco primum sunt, quandoquidem situ in eo insunt. Cùm autem in magnitudine prius, & posterius insint, necesse est & in motu prius & posterius inesse ijs, quæ illic sunt, proportione respondentia. Atqui etiam in tempore illa insunt, quod horum alterum alterum semper sequatur. Prius autem & posterius in motu, re quidem ipsa & subiecto, idem sunt, quod motus, ratione verò diuersa sunt, & motus non sunt.* e *Atqui & tẽpus cognoscimus, cùm motum distinguimus priori, & posteriori distinctis: tumque fuisse tempus dicimus, cùm prioris & posterioris in motu sensum habuerimus. Distinguimus autem quod aliud & aliud ea esse, & aliquid aliud intercedere existimemus. Cùm enim extrema à medio diuersa esse animo concipimus, temporisque momenta duo esse anima affirmat, aliud quidem prius, aliud posterius, tum hoc ipsum esse tempus dicimus. Nam quod momentis terminatur, tempus*

Text.101. *videtur esse, idque positum sit. Cùm igitur temporis momentum vt vnum sensu apprehendimus, non autem vt prius & posterius in motu, vel vt idem quidem non tamen prioris, aut posterioris alicuius nullum tempus videtur fuisse, quandoquidem nec motus. Cùm autem prius & posterius, tum tempus dicimus. Hoc enim est tempus, numerus motus ratione prioris, & posterioris. Non ergo tem-*

Text.102. *pus est motus, nisi vt numerum motus habet,* f *Argumentum autem est, quod plus & minus ex numero dijudicamus, maiorem verò & minorem motum ex tempore. Tempus ergo numerus est quidem.* g *Cùm autem duplex sit numerus (nam & quod numeratur, quodque numerabile est, & id, quo numeramus, numerum dicimus) tempus est id, quod numeratur. Aliud verò est id, quo numeramus, aliud id, quod numeratur.* Ac

d At vero & prius] Exposuit quo ordine continuitas magnitudini, motui, temporique cõueniat. Nunc quo item ordine prius & posterius eisdem insit, declarat, asseritq; cerni hęc duo primùm in magnitudine, cuius partes propriè situm vendicant, quem prioris & posterioris ratio importat, deinde in motu, postremò in tempore. Dicitur enim prior motus pars, ea, quę in priori parte magnitudinis sit, ea posterior, quę in posteriori. Item ea pars temporis prior habetur, quę priorem motus partẽ metitur, posterior, quę posteriorem. Monet quoque prius & posterius re ipsa, subiectoque idẽ esse cum motu; ratione tamen distingui; quia videlicet ita in motu existunt, vt alia sit ratio motus, quâ motus, alia quâ prius & posterius.

Quo ordine prius & posterius competãt magnitudini, motui, ac tempori.

e Atqui & tempus] Quoniam motus bifariam spectari potest; vno modo vt est actus entis in potentia, altero vt habet partem priorem, ac posteriorem; docet tunc nos in temporis cognitionem venire, cùm apprehensa priore, & posteriore motus parte motũ ipsum distinguimus. Nam tum demum præterijsse tempus iudicamus, cùm prius, ac posterius in motu percipimus, seu cùm apprehendimus duo puncta motus, duouè mutata esse, vnum prius, alterum posterius, atque inter ea motum: tunc enim simul apprehendere fas est duo momenta, quę ipsis mutatis esse respõdeant, & idẽ re cũ illis sint, itẽq; durationẽ, quę interfluentẽ motũ metitur, & idẽ etiã re cũ illo est. Vnde colligitur nihil aliud esse tempus, quam numerũ motus ratione prioris & posterioris, idest, partes motus ab animo numeratas sub ratione prioris, & posterioris.

Qua ratione in notitiã temporis veniamus.

Quid sit tempus.

Cur tempus dicatur numerus motꝰ.

f Argumentum autem est) Cur tempus numerum motus esse dixerit hunc in modum declarat. Id, quo plus ac minus in motu iudicamus, est numerus motus (numero enim rerum multitudinem æstimare consueuimus) sed tempore iudicamus plus, ac minus in motu, hoc est, motum maiorem, minoremvè esse: igitur tempus est numerus motus.

Numerus duplex, numerans & numeratus.

g Cùm autem duplex) Quoniam numerus duplex habetur; numerans, quo res numeramus, & numeratus, hoc est, res ipsæ, quæ numerantur: rursumque numerus numeratus bipartitò diuiditur, in eum scilicet, qui rebus actu disiunctis, & in eum qui rebus inter se continuatis, ac sola cogitatione diuulsis inest, appellat Aristoteles tempus numerum numeratũ posteriori modo, hoc est, partes motus re ipsa inter se cohærẽtes, & connexas, prout tamen ab animo numerante discretæ, & quoad durationem definitæ sunt.

Tempus, & motũ in successione consistere.

h Ac quemadmodũ) Nõnulla subijcit, ex quibus earum dubitationũ, quæ superiori cap. propositæ sunt, dissolutio colligatur. Primumque docet quemadmodũ motus in successione consistit, ita & tempus. Nec enim fieri potest vt non sit fluentis naturæ id, quod rem in fluxu positam, cuiusmodi est motus, metitur. Discrimen tamen esse ait inter motum & tempus; quòd tempus semper idem sit apud omnes, non vero motus: sicuti & momentum idem re est, licet ratione diuersum. Ita hunc locum intelligunt Themistius, Simplicius, Philoponus, & Auerroes.

h *Ac quemadmodum motus alius semper est, & alius; sic & tempus: omne autem tempus simul idem est. Momentum enim subiecto idem est, ratio verò eius alia est, & alia. Momentum autem tempus metitur, vt prius est, atque posterius. Est verò præsens momentum partim idem, partim non idem. Quatenus enim in alio, & alio est, diuersum est, quæ ipsius sane essentia, & ratio est. Subiecto autem idem est. Magnitudinem enim (vt dictum est) motus sequitur, hunc autem tempus; similique modo punctum id quod fertur, ex quo motum, priusque & posterius, quæ in eo insunt, cognoscimus. Atque hoc sanè subiecto idem est (quandoquidem punctum est, aut lapis, aut aliud eius generis) ratione autem aliud & aliud, non secus ac sophistæ Coriscum in Lyceo, & in foro alium, & alium esse, quod alibi sit, & alibi, accipiunt. Id verò quod fertur, momentum sequitur, perinde, ac motum tempus. Nam eo quod fertur, prius & posterius in motu cognoscimus, vt autem prius & posterius numerari possunt, momentum est. Quare & in his momentum tempore subiecto idem est, (prius namque est, aut posterius, quod est in motu) ratione autem aliud est. Quæ enim ex parte prius, & posterius numerari possunt, momentum est. Quod etiam notum est maximè, quandoquidem & motus ex eo, quod mouetur, & latio ex eo, quod fertur. Hoc enim quiddam est id, quod fertur, motus autem non est. Partim igitur idem semper, partim non idem præsens momentum dicitur, siquidem & id quod fertur.* Text. 103. Text. 104.

k *Perspicuum verò etiam est, si tempus non sit, momentum non esse, et si momentum non est, tempus non esse. Vt enim simul sunt id, quod fertur, & latio, ita & numerus eius quod fertur, & lationis.* Text. 105.

Ac

Discrimẽ inter motũ & tẽpus.

i Est verò præsens) Adduxerat in controuersiam sitnè vnum, idemque momentum toto tempore, an plura. Eam dubitationem hoc loco diluit, statuitque in toto tempore partim esse vnũ, & idẽ momentũ, partim nõ. Esse vnũ subiecto, quatenus in toto motu est vna, eadẽq; res mota: esse autẽ plura, quatenus momentũ, nũc hoc nũc illud mutatũ esse dimetitur. Adde posse quoq; vnũ dici quia sicuti Mathematici imaginãtur lineã fieri ex fluxu pũcti, atq; ita quodãmodo manere in tota linea vnũ, idẽq; punctũ; sic fas est cogitatione fingere ex fluxu momẽti effici tẽpus, essẽque vnum momentum in toto tempore, licet alioqui re ipsa multa sint.

In toto tempore partim esse vnũ, idẽque momentum, partim non.

K Perspicuum verò etiam est) Docet momentum & tempus sic inter se affecta esse, vt neutrum sine altero esse queat. Nam latio, & mobile simul sunt, ita vt nec mobile, prout fertur

absque

absque latione esse possit, nec contra: proindeque tempus & momentum simul esse debent siquidem tempus est numerus lationis; momentum verò mobilis, sicuti vnitas numeri; quatenus vt vnitatibus res numeratas, ita momentis mobilia, prout feruntur secundum rationem prioris, & posterioris, quæ momento copulantur, & clauduntur, metiri solemus.

l Quin etiam ex momento} Declarat cognationem, seu conuenientiam inter momentum, & tempus; lationem & mobile. Nam quemadmodum latio ratione mobilis vnitatem, diuisionemque sortitur, sic tempus beneficio momenti vnum, continuumque est, & eiusdem interuentu sectionem accipit. Monet autem vt motu ab eo, quod fertur, vnus dicatur, non sufficere mobile esse idem subiecto V. C. eundem lapidem; sed oportere esse idem ratione, idest, lapidem eundem, prout motui subest, ita, vt motum quiete nequaquã interrũpat; facta enim intermissione, non iam mobile continuitatẽ motui præstabit, sed diuisionẽ, & discrimen prioris motus à posteriori. Hęc videtur germana huius loci explicatio; non ea, quam affert Simplicius de momẽto tempus secante.

Nec tempus sine momento, nec momentum sine tempore esse potest.

Conuenientia inter momentum, & tempus; latiõnem, & mobile.

Ac tempus quidẽ lationis est numerus: momentũ verò, vt id, quod fertur, veluti vnitas numeri. l *Quin etiã ex momento continuum est tempus, & per momentum diuiditur. Nanque & lationem, & id, quod fertur, hoc sequitur, quando quidem motus, & latio vna est, quia id, quod fertur, vnum est, & non quidem subiecto (posset enim interrumpi) verum etiam ratione. Hoc etiam priorem, posterioremque motum distinguit.* m *Hoc ipso autem & punctũ quodãmodo sequitur, quippe cùm punctum etiam quodammodo longitudinem, & copulet, & diuidat. Etenim huius quidem principiũ, illius verò finis. Sed cũ hoc modo aliquis sumit, vt pro duobus vno vtatur, insistere necesse est, si idem punctum principium sit & finis: temporis autem momentum, quia id quod fertur, mouetur, aliud semper est.* n *Quare tempus est numerus, non vt eiusdem puncti, quod principium sit, & finis, sed vt lineæ potiùs extrema, & non vt partes, tum ob id, quod dictum est (medio enim pũcto, vt duobus vtitur, eoque fit, vt insistat) tum verò etiam, quod perspicuum sit neque momentum tẽporis eius partem esse, neque diuisionem motus, quemadmodum nec puncta lineæ, quandoquidem lineæ duæ vnius sunt partes.* o *Temporis igitur momentum qua ex parte terminus est, non est tempus, sed accidit: quatenus autem numerat, numerus est. Termini enim eius sunt tantùm, cuius sunt termini: numerus verò horum equorum, nempe denarius alibi etiam est. Tempus igitur numerum motus esse prioris, & posterioris ratione, & continuum, quandoquidem continui est, perspicuum est.*

Text. 106.

Text. 108.

CAP.

Nõ est idem motus, qui quiete interrumpitur.

m Hoc ipso autẽ & pũctum} Vt momentum partes temporis copulat, & distinguit, ita punctum partes lineę: hoc tamen differunt, quod idem punctum manet, eodemque tanquam duobus, nunc vt fine, nunc vt principio vti possumus, momentum autem confestim euanescit, semperque aliud, & aliud est. Quo fit vt nemo idem reciprocando accipere valeat.

Cõsensio & discrimen inter momentũ & punctum.

n Quare tempus est numerus} Quia momentum raptim transuolat, colligit non ideo tempus numerum motus definiri, quia sit numerus ratione vnius, eiusdemque momẽti, quod in ipso, vt punctum in linea, signari possit; sed ratione diuersorum, quę tamen non sint partes, è quibus tempus coalescat, & integretur, eo modo, quo linea vna è duabus. Aliter hunc locum Aspasius, Alexander, & Philoponus legerunt; nostra tamen lectio, & interpretatio, quam Simplicius, Porphyrius, & Themistius secuti sunt, probatior est.

Tempus non dici numerũ motus ratione vnius, eiusdemque instantis.

o Temporis igitur momentum} Concisis, & obscuris verbis causam reddere videtur, cur momentum non sit tempus, nimirum, quia cùm illius sit terminus, eius naturam, & essentiam participare nequit, sed ei accidit: licet quadam ratione eiusdem numerus censeri debeat, quatenus eius interuentu prius & posterius tempori ineſſe deprehenditur. Licet enim reliqui numeri circa res alias versentur, vt denarius circa equos, & homines; numerus tamen motus illic tantùm est, vbi eius termini, ideſt momenta, insident.

Cur momentum non sit tempus.

Capitis

Capitis duodecimi Explanatio.

Téporis attributa. 1.attrib.

Ma Inimus autem) Commemorat quędam temporis attributa, quibus tradita definitio magis eluceſcet. Primum eſt dari minimum in tempore multitudine, non magnitudine: videlicet quia tempus eſt numerus numeratus, in quo datur minimum, nempe binarius; cùm tamen in magnitudine minimum non detur quoad molem, ſiquidem continui in minores partes diſſectio termino caret.

2.attrib.

b Conſtat vero etiam) Secundum attributum eſt, Tempus dici multum, & paucum, longum, & breue; non autem velox, & tardum. Nam qua ratione cõtinuum eſt, continui appellationẽ aſciſcit, dicturq; longum, & breue, vt lõga dies, breuis hora. Quatenus numeratur, & intellectus opera diſcreti conditionem ſubit, multũ & paucum vocatur, vt multa ſecula, pauci anni. Quę vocabula diſcretorũ ſunt propria. Non tamẽ velox, aut tardũ tẽpus, ſi propriè & philoſophicè loquendũ ſit, vocabitur, quia velox & tardum menſuratur tempore, tẽpus verò ſe ipſo menſurari non poteſt.

Tẽpus, ſi philoſophicè, & prieq; loquamur non dici velox, aut tardum.

c Quin etiã idẽ) Tertium attributũ. Tempus quodãmodo eſſe idem, quodãmodo diuerſũ. Idẽ, quia vbique eadem cõmunis duratio res tẽpori ſubiectas ambit, & comprehẽdit: ſicuti & vbique eadẽ eſt primi orbis conuerſio, quam ea duratio comitatur Diuerſum, ratione prioris & poſterioris, & quia aliæ partes alijs ſuccedunt, aliaque momenta in locum antecedentium ſubrogantur. Nec mirum cum tempus ſit numerus, non numerans, qui vnus idemque ſpecie multis rebus ſpecie diſſidentibus conuenit (Nam eodem binario equos & homines numeramus) ſed numeratus, qui pro rerum diuerſitate varius eſt.

3.attrib.

Tempus eſt numerus nõ numerãs, ſed numeratus.

4.attrib.

d Prętera vt vnus) Quartum attributum. Vt vnus idemque motus redit, ſic & idem tempus. Non quaſi hęc eadem numero recurrant, & tempus, quod euanuit, remeet; ſed quia eadem ſecundum ſpeciem perpetua ſucceſſione vigent, & ſingulis annis ver, æſtas, autumnus, byems ſtato ordine vices alternant. Vnde illud Poetę, Atque in ſe ſua per veſtigia voluitur annus. Aduerte etiam, licet non eædem temporis partes ad numerum recurrant; non proinde tamen

Virg. lib. 2. Georg.

CAP. XII.

Ma *Inimus autem numerus omnino, & abſolutè binarius eſt, quidam verò numerus partim eſt, partim non eſt: vt lineæ minimus numerus multitudine quidem ſunt duæ, aut vna: magnitudine autem minus non eſt. Nam linea omnis ſemper diuiditur: quare & tempus ſimiliter: minimum quidem enim numero vnum eſt, aut duo, magnitudine verò non eſt.* b *Conſtat verò etiam cur velox, & tardum non dicatur, ſed multum & paucum, longum & breue. Qua enim ex parte continuum eſt, longum & breue, qua autem numerus: multum & paucum. Velox verò & tardum non eſt, quandoquidem nec numerus, quo numeramus, velox, aut tardus vllus eſt.* c *Quin etiam idem vbiq; ſimul eſt, prioris autem & poſterioris ratione idem non eſt, quippe cum & mutatio ea quidẽ, quæ præſens eſt, vna eſt: quæ autem facta eſt, & quæ futura eſt, diuerſæ. Tempus verò numerus eſt, non quo numeramus, ſed qui numeratur, quod quidem prioris & poſterioris ratione aliud ſemper, aliudque eſſe accidit, quoniam & momenta alia sũt, & alia. Eſt autem numerus vnus & idem is, qui centum eſt equorum, & is qui centum virorum, quorum vero numerus eſt, ea diuerſa ſunt, nempe homines & equi.* d *Prætereà vt vnus idemq; motus iterum, atque iterum eſſe poteſt, ſic & tempus poteſt, vt annus, aut ver, aut autumnus.* e *Metimur autem non motum ſolum tempore, ſed & motu tempus, quod ſeſe viciſſim determinent. Tẽpus enim motum definit, quippe quod eius eſt numerus, motus autem tempus. Atque multum, paucũue tempus dicimus motu metientes, perinde ac numerum re numerata, vt vno equo numerum equorum: numero nanque equorum multitudinẽ cognoſcimus, & rurſus vno equo*

Text. 109.

Text. 110.

Text. 111.

Text. 112.

men asserendum tempus, quòd redit, simpliciter numero distingui ab eo, quòd fluxit; cùm ex omnibus suprem i globi conuersionibus nulla quiete interruptis vna perennis, & cõtinuata motio fiat, quam vnum etiam tempus simili continuatione metiri necesse est.

Tempus primi mobilis, quod redit, non simpliciter numero distingui.

e Metimur autem } Quantum attributum. Tempus sic esse numerum, & mensuram motus, vt motus quoque reciproca vicissitudine ipsius tempotis mensura habeatur: sicuti ex numero res numeratas; hoc est earum multitudinem, & ex rebus numeratis numerum deprehendimus. Sanè quod ex motu tempus notari possit tum alijs rebus compertum est, tum in horologio arenario, vbi peracto pulueris trajectu effluxisse horam cognoscimus. Cęterùm est inter tempus, & motum differentia; quod tempus motum priùs definiat, tempus verò a motu posteriùs mensuretur.

5. attrib. Tepus, & motus reciprocis vicissitudinem metiuntur.

æquo ipsum æquorum numerum. Nec secus res habet in tempore, & motu: nam motum tempore, & tempus motu metimur. f *Atque id quidem rationi est consentaneum. Magnitudinem enim motus sequitur, & motum tempus, quatenus & quanta sunt, & continua, atque diuidua. Nam quod magnitudo eiusmodi sit, ita motus affectus est: ob motum autẽ tempus: metimurque & magnitudinem motu, & motum magnitudine: longam enim viam si ambulatio multa sit, & hanc multam si via longa sit, esse dicimus, itidem & tempus si motus, & motum si tempus.* g *Cùm autem tempus & motus, & ipsius moueri mensura sit, motum eo metitur, quòd aliquem motum definiat, qui totum metietur (quemadmodum & longitudinem vlna magnitudinem aliquam definiendo, quæ totum repetitione quadam metietur) h ac motum esse in tempore idem est, ac tempus metiri, & eum & eius esse. Simul enim & motum, & eius esse metitur. Atque*

Text. 113.

Text. 114.

hoc est ipsum id tempore esse, eius mensura definiri. Perspicuum verò est, & alijs quoque idem esse, in tẽpore esse, atque ipsorum esse tempus metiri. In tempore enim esse duorum alterum est. Vnum tum esse cum tempus est: alterum, vt dicimus nonnulla esse in numero. Quod quidem significat aut partem numeri esse, & affectionem, & omnino ipsius numeri aliquid, aut ipsius esse numerum. Cùm autem tempus numerus sit, momentum quidem, & prius & quæ sunt eius generis, sic sunt in tempore, vt in numero vnitas, & impar, & par, cum hæc aliquid sint numeri, illa temporis aliquid. Res autem in tempore sunt, vt in numero aliquid est. Quo fit, vt à numero contineantur, quemadmodum ea, quæ in loco sunt, à loco.

Text. 115.

Illud verò etiam perspicuum est, esse in tempore non idẽ esse, quod tum esse cùm tempus est, quemadmodum nec in motu, aut in loco esse, idem est, quod esse cum motus est, aut locus. Si enim in aliquo esse ita erit, res omnes in quauis re erunt, ac cælum in milio: quandoquidem cum milium est, tum quoque est cælum. Sed

f Atque id quidẽ } Causam adhuc reddit cur motus, & tempus se vicissim metiantur nempe quod motus magnitudinẽ, tempus motum consequitur; quare vt ex magnitudine motũ, & ex motu æstimamus magnitudinem (nã si ambulatio lõga est, longam viam dicimus, & rursus ambulationem longã, si itẽr longum sit) ita etiam motum tempore, & motu tempus definimus; & ex vno in alterius cognitionem ducimur.

Motus magnitudinem cõsequitur, tempus motum.

g Cùm autẽ tempus & motus } Explicata natura temporis docet in reliqua parte huius capitis quo pacto se habeat tempus ad ea, quę tempore continentur. Primumque ait tempus esse mensurã motus, & ipsius moueri Nã tempore, inquit, metimur aliquam motus partem, quæ subindo reliquarum mensura sit, vt hodiernam cęli conuersionem; quę ad certum numerum repetita mensem cõficit; quod & in dimensione permanẽte solet accidere, veluti cùm aliquoties iterata vlna certam aliquam magnitudinem absoluimus.

Quo pacto affectum sit tẽpus ad ea, quę tempore continentur.

Porro quid nam sit discriminis inter motum & moueri, quæ Aristoteles etiam in 6. huius operis libro vsurpat, non sat liquet inter expositores. Simplicius idem valere inquit. Alij, quorum interpretatio magis arridet, volunt motum significare rem ipsam, quę est motus tãquam habitum: moueri autem, tanquam actum, ita vt moueri importet relationem ad id, à quo est

Discrimen inter motũ, & moueri.

est motus,& ipsum quoque esse,existentiamuè motus significet.

Res, quę in tẽpore sunt, sub temporis mẽsuram cadere.

h Ac motum esse in tempore) Motum esse in tempore idem valere ait,ac mõtũ, eiusq; esse à tempore mensurari.Addit autem non solùm motum, sed etiam res alias, quę in tempore sunt,sub temporis mensuram venire ; intellige quatenus fluunt, & labuntur. Deinde subijcit modos alios quibus in tempore res esse dici possunt.Primus est,quo ea sunt in tempore,quę dum tempus præterit,existunt: quem modum,vt improprium, & alienum explodit.Secundus,quo aliquid est in tempore,vt in numero, quod dupliciter accidit,vel enim est in numero tanquam aliquid ipsius,quo pacto vnitas ; & par, impar, cęręque numeri affectiones in numero sunt : vel tanquam in eo,à quo mensuratur. Secundum quam notionem decem equi,& decem lapides in denario sunt.Motus igitur hoc posteriori modo est in tempore, quia tempus est numerus motus. Ac quemadmodum ea, quę in loco sunt, à loco ; ita quę sunt in tempore, à tempore continẽtur.Quo etiã fit,vt ab eo vincãtur, sicuti res omnes numeratę à numero, siquidem quocunque dato numero, alius maior esse potest.

Varij modi, quibus res in tempore esse dicuntur.

Quę cõtinẽtur tempore, à tẽpore vincuntur.

Sed hoc quidem accidit, illud verò sequatur necesse est, & cùm est id, quod in tempore est, aliquod tempus esse, & cum est id, quod in motu est, motum esse. Cùm verò id, quod est in tempore, in eo sit, vt in numero, maius quid tempus eo omni, quod in tempore est, sumetur. Quocirca necesse est omnia, quæ in tempore sunt, à tempore contineri, quemadmodum & cætera, quæ sunt in aliquo, vt quæ in loco, à loco. Text. 117.

i *Atque etiam aliquid pati à tempore, quemadmodum & dicere consueuimus, & tempus absumere omnia, & senescere tempore, & temporis causa obliuiscì, non item didicisse, aut iuuentutem, pulchritudinemuè nactum esse. Tempus enim potiùs per se interitus causa est: siquidem numerus motus est ; motus autem id quod est, de suo statu demouet.* k *Quare manifestum est ea, quæ semper sunt, quatenus semper sunt, non esse in tempore, quippe quæ tempus non contineat, nec eorum esse metiatur ; Quod quidem eo argumento declaratur, quod nihil à tempore patiantur, tanquam ea, quæ non sunt in tempore.* l *Quoniam autem tempus mẽsura est motus, quietis quoque ex accidenti mensura est, quandoquidem quies omnis in tempore est. Nõ enim, vt quod est in motu, ita quod in tempore, necesse est moueri: siquidem tempus motio non est, sed numerus motionis. In motionis autem numero id quoque potest esse, quod quiescit: non enim quidquid est immobile, quiescit, sed quod motu priuatum est, moueriq́ue aptum est, quemadmodũ prius est traditum. In numero verò esse idem est, quod aliquem rei esse numerũ, illiusq́ue esse eo, in quo est, numero, vt mensura definiri: quare si in tempore, à tempore.* m *Id verò quod mouetur, & id quod quiescit, quatenus quidem id mouetur, hoc autem quiescit, tempus metietur.* Text. 118. Eo-

Tempus causa interitꝰ, & obliuionis.

i Atque etiam aliquid) Quę tempore continentur,non solùm ab eo excedi,sed etiam pati inquit.Nã computrescere,inueterari,cõsumi, & aboleri tempore res dicimus; eorumque memoriã extingui.Vnde illud Latini poetę, omnia fert ętas, animũ quoque. Addit tempus interitus potiùs, quàm ortus; & obliuionis, quàm scientię auctorem haberi; quia est numerus motus,cuius natura vt fluxu cõstat, nullamque stabilitatem seruat; ita res è statu deturbat, & ad interitũ vocat.Quod Aristoteles in progressu magis explicat.

K Quare manifestum est) Colligit ex dictis res interitus expertes,vt Deum Opt.Max cęterasque substantias à materia liberas, itemque orbes cęlestes, quoad substantiam spectatos, neque in tempore esse,nec tempore definiri. Quia quę tempori subduntur, fluxa & caduca sunt,vt tempus; eiusq́ue iniurijs patent.Hoc ipsum de sempiternis & diuinis mentibus repetit 1 de cęlo cap.9.

Quę temporis subijciũtur, fluxa sunt & mortalia.

l Quoniam autem tempus) Quia oppositorum eadem consideratio & disciplina est, postquam egit de mensura motus, & earum rerum,quę motui sunt obnoxię; nunc quę nam quietis mensura sit, declarat; aitque idemmet tempus quietis mensuram esse, non per se tamen,sed ex accidente.Cuius assertionis eam causam reddit, quia vt motus non est nisi in tempore,

Mẽsura quietis quę nam sit.

tempore, ita nec quies, vtpote quę priuatio motus sit. Ac quòd tempus non solius motus sit mensura, inde suadet, quia licet quidquid est in motu, existat in tempore; non tamen retrocómeant, vt quicquid in tẽpore est, in motu existat. Non metitur autẽ tẽpus quietem per se, sed ex accidente: quia tẽpus id tantũ per se mensurat, in quo datur prius & posterius, & partes sibi mutuò succedẽtes: quę in quiete per se, ac reipsa nõ dantur: sed facta cõparatione ad motũ, quatenꝰ dũ res quiescit, apta est subire motũ, cui prioris ac posterioris ratio per se cõuenit. Tempus pẽs se solùm motũ, non quietem metitur.

m Id verò, quod mouetur } Quia tempus non motum duntaxat, & quietem metitur, sed etiam res motui & quieti subiectas; ait tempus non esse mensuram harum rerum prout magnitudine prędite sunt, sed quatenus motum & quietem subeunt. Quo fit vt ea, quę prorsus immobilia sunt, ne quaquam tempore definiantur. Sicuti nec ea quę semper non sunt, vt plura figmenta; nec ea, quę nũquam non sunt, vt diametrum esse incommensurabilem lateri quadrati. Quod demõstrat Euclides in vltima propos. libri 10. Hæc enim vt motu vacant, ita ab eius mensura excluduntur. Sub tẽporis mẽsurã cadũt res motui & quieti obnoxię. Euclid.

Text. 119. *Eorũ enim & quies, & motus quãta sint, metietur. Quapropter tẽpus nõ omnino id, quod mouetur, vt quãtũ quoddã est, metietur, sed vt motus eius quãtus est. Quo fit, vt quæcunque nec mouẽtur, nec quiescunt, ea nõ sint in tẽpore, siquidẽ in tẽpore esse est tẽporis mensura definiri: tẽpus autem motus, &*

Text. 120. *quietis mensura est. Manifestũ itaq; est neq; id omne, quod nõ sit, in tẽpore esse, cuius generis ea sunt, quæ aliter se habere nõ possunt, vt diametrũ lateri esse cõmensuratã. Omnino enim si motionis per se, aliarum autẽ rerum ex accidenti mensura tẽpus est, perspicuum est, quorũ esse metitur, eorum omnium esse in eo consistere, vt quiescant, aut moueantur.*

n *Quæcunq; ergo oriuntur, & occidunt, & omnino quæ aliquando sunt, aliquando non sunt, esse in tempore necesse est. Est enim aliquod maius tempus, quod esse ipsorum, idq; quod essentiam metitur, superabit. Eorum autem, quæ non sunt, quæcunque tempus contineat, si altera ex parte contineat, alia quidem fuerunt vt Homerus olim fuit, alia erunt, vt futurum aliquid: quod si vtraque ex parte & fuerunt & erunt: o quæ verò nullo modo continet, ea neque fuerunt, nec sunt, nec erunt. At hæc quidem in his, quæ non sunt, ea sunt, quorum opposita semper sunt, vt diametrum commensuratã lateri non esse, semper est, hocque in tempore non erit, quare nec commensuratam esse. Quapropter semper non est, quia contrarium ei sit, quod semper est. Quorum verò contrarium non semper est, ea omnia & esse possunt, & non esse, eorũq; ortus est, atque interitus.*

n Quęcunq; ergo oriuntur } Quę ortum & occasum subeunt, in tempore esse inquit: cùm ea omnia tempus excedat. Docet etiã ea, quę non sunt, & ad tempus pertinẽt, bipartitò distribui. Nam quędam ex altera tãtummodo parte continentur tempore, videlicet quæ iam fuere Quędam ẽ altera dũtaxat parte cõtinentur tempore.

CAP.

& non erunt, vt bellum Troianum; & quæ erunt, & nõ dũ fuere, vt orbis deflagratio: Alia ex vtraq; parte, si quę dentur, quę iã fuerunt, & futura sunt; vt homines, quos Christiana religio in die iudicij diuina virtute ad vitam reuocandos docet. Quod tamen Aristoteles ignorauit, proindeque de ijs tantùm, quę secundum speciem recurrunt, in hoc tertio membro agit. Quędam ex vtraque.

o Quę verò nullo modo } Quæ nullo pacto mẽsurantur tẽpore, ea extra omniũ temporũ differẽtias esse inquit; nec esse, nec fuisse, nec futura vnquã. Ad quod genus pertinẽt, quę sẽper nõ sunt, nec possunt esse: qualia censentur omnia, quorũ opposita sẽper sunt. Nam quorum opposita aliquãdo nõ sũt, nõ necesse est sẽper nõ esse. Igitur quę sẽper nõ sũt, vt diametrũ esse lateri cõmensurabilem, & quę semper sunt, vt oppositum huius; ea nequeunt aliquando esse, aliquando non esse, & ex consequenti, non possunt contineri tempore, aut ab eo mensurari. Quę nullatenus temporis mẽsurantur.

Obserua hîc, quod annotauit etiam Scotus doctrinam esse Aristotelis connexiones propositionum, quę simpliciter necessarię sunt, vt hominem esse animal particeps rationis, diametrum esse incommensurabilem costę, non cadere sub mensuram temporis, sed perpetuas esse, & sempiternę veritatis. Quam sententiam grauiter & accuratè pertractat Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 5. q. 1. contra Heruęum quodlib. 1. q. 10. Cõnexiones sẽpiternę inter extrema simpliciter necessaria.

Capitis decimi tertij Explanatio.

Momentū. νῦν

MOmentum a autem) Priorem partem huiusce capitis consumit Aristoteles in explicanda notione quorundam vocabulorum ad subiectam materiam pertinentium, videlicet, nunc siue momentum, aliquando, iam, nuper, olim, Subito. Momentum, siue nunc bifariā accipitur, interdum pro instanti, quod præteritum cum futuro nectit, estque principium huius, & finis illius eo modo, quo punctum in medio lineę, cuius partes, vt commune vinculum copulat, etsi id minus eluceat in instanti, quod confestim euolat, nec signari potest. Docet autem instans ita partes tẽporis cõiungere, vt eas potestate diuidat; quia possumus animo comprehendere vnam temporis portionẽ instanti clausam, non considerando aliam illius interuentu cum priori cohęrentẽ, quo pacto instans non sumitur vt vnum, etsi prout connectit, vt vnum sumatur; quia id, quod vnit, vnũ esse oportet: vti etiam in lineis mathematicis puncto accidit.

Quomodo instans partes temporis iungat.

b Ipsum itaque) Accipitur secundò momentum siue instans pro eo tempore, quod præsenti momento propinquum est, seu præteritum, seu futurũ sit. Quod enim à præsenti momento parum distat, in eo quodammodo esse perhibetur. Sic dicimus Socratem nunc venisse, aut nunc venturum, quia paulò ante venit; aut paulò post veniet. Quod tamen de ijs, quę longè distant, vt bellum Troianum, aut terrę eluuio, minime pronuntiamus.

Secunda momenti vsurpatio.

c Aliquādo) Aliquādo, significat tẽpus quoddā à præsenti momẽto disiunctũ, quod tamẽ ad aliquod prius, posteriusve momẽtũ claudatur, finitũq; sit Quomodo dicimus expugnatā aliquādo fuisse Troiam, aliquando mũdũ igni deflagraturũ. Cũ verò nullũ tẽpus à nobis sumi possit, quod hoc vocabulo nõ indicetur; siquidẽ nullũ est tẽpus quod nõ habuerit aliquādo, aut habiturũ sit p̃finitũ exordiũ, (quod de quouis determinato tẽpore etiā secũdũ Arist. verũ est) argu-

Aliquando. ποτέ.

Quæstio.

CAP. XIII.

MOmentum a autem præsens, temporis, vt dictum est, continuatio est. Præteritum enim, futurũq; tempus connectit, atque omnino temporis terminus est, siquidem huius principium est, illius finis. At hoc vt in puncto, quod manet, perspicuum non est. Diuidit autem potestate, & qua ex parte tale est, aliud semper est. Vt autem connectit, semper idem, veluti in lineis Mathematicis, in quibus idem semper cogitatione punctum non est, quandoquidem diuidentibus aliud est, quatenus autem vna est, idem omnino est. Sic & temporis momentum partim quidem est temporis diuisio potestate, partim terminus vt vtriusque & copulatio. Idem autem est, & per idem diuisio, & copulatio, ratio verò diuersa est. b Ipsum itaque nũc hoc vno modo dicitur, alio verò cùm tempus huic propinquũ fuerit. Veniet nunc, quoniam hodie veniet: venit nunc, quoniam hodie venit: quæ autem Ilij acta sunt, non nunc, neque item inundatio nunc facta est, non quod tempus vsque ad ea cõtinuatũ nõ sit: sed quod procul abest. c Aliquando autem tempus est terminatum ad prius, atque posterius momentum: vt aliquando capta est Troia, & aliquando erit inundatio. Oportet enim ad momentum esse terminatum. Erit ergo tempus quoddam ab hoc ad illud certa præditum quantitate, atque etiam ab hoc fuit ad præteritum. Quòd si nullum est tempus, quod non sit aliquando, tempus omne finitum erit. Nunquid igitur deficiet, an non? siquidem motus semper est: aliudne igitur, an idem sæpius? Perspicuũ est, vt motus est, sic & tempus esse: si enim vnus, idemq; est, vnum, idemque erit tempus, quòd si non vnus, non erit. Quo-

Text. 121.

Text. 122.

Text. 123.

Text. 124.

ātgumentum id esse inquit ad temporis finitatem comprobandam. Quod si nullum› quasi obiter & ex occursu in quęstionē vocat vtrū ne tempus aliquo termino circunscribendum omnino sit, an non. Item si tempus infinitis seculorum ętatibus duraturum sit, an idem semper, vel potiùs aliud, atque aliud recurret. Quam controuersiam diluit aiens eandem esse, quoad hoc, temporis & motus conditionem; proindeque vt motus non ad numerum, sed speciem idem remeat, ita & tempus. Ad posteriorem respondet nunquam esse defecturum tempus, quia semper est in fine & principio, quatenus quodlibet eius momentum est terminus pręteriti, & exordiū futuri, ita vt tale momentum re quidem ipsa vnum sit, ratione autē diuersum, secuti curuū & inflexū in circulo. Hac de re in 8. huius operis vbi ostendemus hoc argumento, & alijs, quibus Aristoteles temporis & mundi ęternitatē asserere conatus fuit, nihil omnino cōfici.

Tēporis & motus eandem esse conditione quo ad finem.

Text. 125. *Quoniā autē momentū, finis ac principiū tēporis est, quāquā nō eiusdē, sed exacti finis; futuri principiū, vt circuli in eodem cauum, & inflexum habet, ita & tempus in principio, & fine semper est. Ob eamque causam, aliud semper videtur esse, quandoquidē momentum non eiusdem principium est, & finis: simul namq; & secundum idem essent opposita; quo fit, vt non deficiat, siquidem in principio semper est.* d *Ipsum autem, iam, pars est futuri temporis, præsenti momento indiuiduo propinqua: quando ambulabis? iam, quia tempus, in quo est ambulaturus, propinquum est. Atque etiam præteriti temporis à præsenti momento non multum distans: quando ambulasti? iam. Ilium autem iā captum esse non dicimus, quod à præsenti momento nimis distet. Ipsum verò, nuper, est id, quod præsenti momento propinquum est, atque præteriti temporis pars est. Quando venisti? nuper; si tempus præsenti momento fuerit propinquum? Quod verò longiùs abest, olim dicitur. At subitò id dicitur, quod in tempore ob paruitatem sub sensum non cadente, immutatur.* e *Mutatio autem omnis vim de statu dimouendi natura habet: omnia verò in tempore oriuntur, & occidunt. Iccirco alij sapientissimum dixerunt. Paro autem Pythagoricus (rectiùs dicēs) insipientissimū, quod oblitione in eo capiantur. Perspicuum ergo est interitus potiùs, vt etiam antea diximus, causam per se esse, quàm generationis; siquidem mutatio de statu dimouendi per se vim habet, generationis autem & ipsius esse ex accidenti. Cuius rei argumentum sufficiens est, quod cùm nihil oriatur, nisi moueatur quodammodo, & agat, tamen occidit, quamquam nihil moueatur, atque hunc occasum tempori tribuere maximè consueuimus: at neque hunc ipsum tempus affert: sed accidit vt in tempore hæc quoque fiat mutatio. Tempus itaque esse, & quid sit, quotque modis ipsum, nunc, dicamus, & quid, aliquando, quid nuper, quid iam, olim, & quid repētē, dictum est.*

d Ipsum autem iam› Iam, significat tempus pręsenti momento vicinum seu prætéritum sit, seu futurum. Quare si quis tempore, quod post momentū, pręiens subsequatur, scribere statuit, iam se scripturum inquit. Nuper, designat partem temporis pręteriti, instanti pręsēti proximā. Itaque latiùs patet, Iam, quam nuper. Olim, significat partem temporis prętériti à pręsenti instanti admodū remotam. Sic dicimus homines olim ritu belluino in syluis vixisse. Deniq; Subito, fieri dicitur id, quod quam breuissimo tempore mutationem aliquam subit.

Iam. ἤδη

Nuper. ἄρτι

Olim. πάλαι

ἐξαίφνης Subito.

e Mutatio autem omnis› Quod supra dixerat, apertiùs exponit videlicet cur tempus interitus magis, quàm generationis causa perhibeatur. Vnde cùm Simonides tempus sapientissimum appellasset, quod eo sapientiam homines adipiscantur, eum Paro Pythagoricus vituperauit, insipientissimum potiùs vocans, quod eo omnium rerum memoria intercidat. Causa igitur cur rerum occasus tempori ascribi solcat, est, quia tempus est numerus mutationis; mutatio verò per se rem è suo statu deducit. Licet enim formę in materiam prędente motu inferantur; priùs tamen quę in sunt abolentur, priusque subiectum ad internecionem rapitur. Non quasi hęc ab ipso tempore efficiantur, sed quia eo in-

Simonides tempus sapiētissimum appellauit.

Paro Pythagoricus insipientissimū.

Cur retũ corruptionẽ tẽpori attribuamus.

eo intercurrente fiunt. Accedit etiam quod cùm generationis causa sępe manifesta sit corruptionis verò, pręsertim naturalis, quam senectus inuehit, vulgo lateat, fit inde vt rerum occasum ad tempus referamus.

Lege Aristotelem initio lib. 4. Meteororum & 1. de gener. vbi veram ac germanam interitus causam disquirit. Quod etiam prestat Simplicius hoc loco.

Capitis decimiquarti Explanatio.

Omnem motum esse in tẽpore.

QVibus a hunc in modum} Quod capite duodecimo strictim asseruerat, videlicet motum in tempore esse, id nunc vberiùs explanat, monstratque in hunc modum. Omnis motus mutatiové (Nam hęc duo pro eodem vsurpat hoc loco) potest esse alio motu celerior, aut tardior. Igitur omnis motus est in tempore. Consecutionem probat quia cum spatia, per quę mobilia feruntur, sunt ęqualia, & motus ęquabilis sibique similis, id celeriùs moueri dicitur, quod prius ad spatij metam peruenit id tardiùs quod posteriùs. Quare cum prius & posterius designet tempus, sequitur omnem motum in tempore esse. Appellat verò hìc motum ęquabilem eum, qui non est modo velox, modo tardus. Alioqui si mobile velox celeritatem, quam itet arripuit, inhibeat; fieri poterit vt serius terminum prehendat, quam mobile tardum.

CAP. XIIII.

QVibus a hunc in modum pertractatis perspicuum est mutationem omnem, & quidquid mouetur necessariò esse, & moueri in tempore. Celerius enim & tardius in omni mutatione reperitur, quum in omni ita videatur. Celeriùs autem moueri id dico, quod cùm per idem interuallum æquabili mouetur motu, in id, quod subiectum est prius mutatur, vt in latione, si vtrunque in orbem, aut vtrunque rectà moueatur: eodemque modo in alijs. Prius autem & posterius in tempore sunt, quippe cùm prius, ac posterius dicamus, distantiæ, quæ à præsenti est momento, habita ratione, quod quidem momentum præsens præteriti, & futuri terminus est: ita cùm momenta præsentia in tempore sint, prius quoque & posterius inerunt: siquidem in quo est momentum, in eo etiam est, quæ ab ipso momento distãtia est. Contrario autem modo in tempore præterito, atque in futuro prius dicitur. Nam in præterito id prius dicimus, quod à præsenti momento abest longiùs, id posterius, quod propiùs accedit. In futuro autem id prius, quod propius est: id verò posterius, quod remotius. Cùm ergo prius in tempore sit, idque omnem motum consequatur, patet mutationem omnem, omnemque motum esse in tempore. b *Id verò etiam consideratione dignum est, quo nam modo ad animam affectum est tempus, & quæ causa sit vt in omnibus tempus esse, tum in terra & mari, tum etiã in cœlo videatur. An quia motionis affectio quædam est, aut habitus? quippe cùm numerus sit. Hæc verò omnia cùm sint, loco moueri apta sunt, tempusque & motus simul sunt & potestate, & actu.*

Text. 129.

Text. 130.

Quęstiones duę.

Sol. 2.

c *VTrum*

tempus, mensura motus sit, & affectio quędam, naturę societate cum eo coniuncta, ipsumvè consequens, ad res, quę vbilibet mouentur, necessariò pertinere, esseque in illis, vt mensuram in rebus, quas metitur.

Sol. 1.

c VTrum vero} Priorem controuersiam diluit aiens sublato animo, pariter & tempus sublatũ iri. Quod ex eo suadet, quia si id, quod numerãdi munus obit, non sit, vt q, nec id, quod

nume-

numeratur esse poterit: cum hęc mutuo sibi respondeant; at anima officio numerandi fungitur, tempus autem est numerus motus. Obijcit Boethus apud Themistium, sublato sensu adhuc sensile extabit, ergo & dempto numerante, numerus; animoque extincto tempus manebit. Occurrendum tamen sublato sensu actu & potestate, etiam tolli id, quod sub sensum cadit, quâ tale est. Quod de numerante, & numero similiter pronuntiari debet. Eoque videtur respexisse Aristoteles cùm docuit mansurum absque anima id, quod subiecto est tempus, idest motum, non tamen prout est quid numeratum. Adiecit autem verba illa, nisi anima ipsa causa motionum sit, propter dogma Platonicum, quo decernitur animam mundi omnia quoquouersum permeantem, generationum, motusque omnium causam esse.

Obiect. Boethi.

Dilutio.

Anima mũdi Platonica.

Text. 131. c *Vtrum verò si anima non sit, tempus esse possit, nec ne, meritò aliquis dubitauerit. Nam si id, quod numerare debet, esse non potest, nec numerabile quicquam esse poterit, quamobrem nec numerus, cùm numerus sit aut id quod numerat, aut quod potest numerari. Quod si aliud nihil nisi anima, & animæ mens numerare aptum est, fieri non potest, vt anima sublata tempus sit, nisi id, quod subiecto tempus est, vt si absque anima effici motus possit. Prius autem & posterius in motu sunt, tempus verò, hæc est, quatenus possunt numerari.* d *Ambiget verò etiam aliquis cuius nam motionis tempus sit numerus? an cuiusuis? siquidem generatio in tempore est, & interitus, & accretio, & alteratio, & latio. Cuiusque igitur motionis, quatenus motio est, numerus est. Quo fit, vt motionis continuæ simpliciter numerus sit, non cuiusdam. At fieri potest vt aliud quoque nunc moueatur, quorum motionis vtriusque erit numerus: aliudnè igitur tempus erit, duoque æqualia simul tempora? an non?* e *Tẽpus enim omne vnum similiter est, & simul, specie autem & quæ simul non sunt. Vt enim si sint hi quidem canes, illi autem equi, & vtrique septem, idem est numerus: sic & motuum, qui simul perficiuntur, idem tempus. Ac quanquam hic fortasse velox sit, ille tardus, & hic quidem latio, ille alteratio, attamen tempus idem est (siquidem & numerus æqualis) & simul alterationis, & lationis. Atque hanc ob causam, quod rerũ æqualium, & quæ sunt simul, vnus & idem vbique est numerus, motus quidem diuersi sunt & separati, cùm tempus vbique idem sit.* Text. 133. f *Quoniam autem latio est, & in ea conuersio, singulaque vno aliquo generis eiusdem numerantur, vnitates vnitate, equi equo, sic & tempus tempore aliquo definito.*

d Ambiget vero) Aliã proponit quęstionem vtrum tempus sit numerus vnius alicuius motus, an cuiuslibet motus. Ac primùm quod tempus numerus cuiusuis motus esse videatur, inde probat, quia omnis motus in tẽpore fit, vt inductione patet. Deinde in contrariã partem differit, quia fieri potest, vt simul duo corpora moueãtur: si autem tempus cuiusuis motus numerus sit, duo erunt tempora simul inter se æqualia, quod videtur absurdum.

Quæstio. An tempus sit numerus cuiuslibet motus.

e Tempus enim omne) Respõdet nõ dari simul duo tempora æqualia, quia omne tempus, quod simul & similiter est, seu in quo fiunt ea, quę simul fieri perhibentur, vnũ est. Quę autem simul nõ existunt, videlicet præteritum, & futurum vnum tantummodo specie sunt. Siquis verò admiretur quod vnum idemque tempus ad tot motus specie inter se discrepantes pertineat, eam admirationem tollit exemplo numeri, qui ad res numeratas dissimilium penitus naturarum accõmodari solet, vt cùm duos equos, & duos leones eodem binario numeramus.

Responsio.

Quod nã tempus sit cõmunissima mensura Tẽpus & motum se vicissim metiri. Primũ in vllo quoque genere, est mensura reliquorũ.

f Quoniam autem) Disquirit quod nam tempus omnium motuum, temporumque mensura & regula sit. Ad quam dubitationem profligandam sumit inprimis motum circularem, speciem quandam lationis esse, tũ monet vnumquodq; aliquo sibi propinquo, & congeneo numerari, vt vnitates vnitate, equos equo, tẽpus definita aliqua sui parte, vt die hora, mensem die. Subinde repetit, quod superiùs docuit, tempus motumque se vicissim metiri.

g Si igitur id quod) Propositam difficultatem expedit, decernitque id tempus esse numerum, siue normam aliorum, quod in motu maximè æquabili insidet; qualis est supremi globi conuersio, tum quia maximè nota, & vulgata est; tum quia inter motus principatum obtinet: id verò quod in quolibet genere primum est, reliquorum mensura habetur. Porro quod

quod ſupremi orbis circunuectio præ alijs motibus, alteratione inquam, decretione, & ſublunaribus lationibus, æquabilitatem ſortita ſit, planum eſt. Non enim inferiora corpora motus ſuos vniformi celeritate obeunt, ſed eſt quod repente, eſt quod pedetentim albeſcit; eſt quod breuiter, eſt quod tardè admodum incrementa ſumit; ſimilíterque in cęteris euenire conſpicimus. Sed hęc alibi fuſiùs, & enucleatiùs pertractanda.

Similitudo cauſa deceptionis.

h Quo fit vt ſphęra) Solet interdum rerum ſimilitudo, & cognatio in errorem inducere. Hęc cauſa fuit, vt quidam falſa veritatis ſpecie deluſi conuerſionem cęli tempus eſſe putarint. Aemulatur enim hic motus vim ac naturam temporis, dū omnes alios motus metitur, & in orbem redit. Quod tum ex ſe patet, tum ex ſermone hominū, qui rerum humanarum, & naturalium generationem, atque interitum ſubeuntium viciſſitudinem, motumque circulū appellant; propterea quòd more circuli in ſe reciprocātis verſatur. Quod etiam tempori conuenire, dierū, menſium, annorūq; recurſus palam oſtendit.

Metitur autem, vt diximus, & motus tempus, & tempus motum. Quod quidem ideo eſt, quòd motio tempore definitæ & motionis, & temporis quantitatem metitur. g *Si igitur id, quod primum eſt, omnium, quæ eiuſdem ſunt generis mēſura eſt, conuerſio, quæ æquabilis eſt, maximè menſura eſt, cùm ipſius numerus in primis ſit motus. Ipſa quidem alteratio, & accretio, & generatio, quæ æquabiles non ſunt, latio autem eſt.* h *Quo fit vt ſphæræ motus tempus eſſe videatur, cùm alios motus, atque etiam tempus hic metiatur. Ob hoc verò id quoque accidit, quod dici conſueuit. Inquiunt enim res humanas, aliaſque naturalem motum, ortumque & occaſum ſubeuntes, circulum eſſe, idque ex eo, quod hæc omnia tempore iudicantur, finemque & principium accipiunt quadam veluti circuitione. Nam & ipſum tempus circulus quidem videtur: hoc autem ideo rurſus videtur, quòd eiuſmodi lationis menſura eſt, eaque ipſum metitur. Proinde res eas, quæ oriuntur, circulum eſſe pronunciare, aliud nihil eſt, quàm tēporis circulum quendam eſſe dicere, atque hoc, quod conuerſio ipſum metiatur. Id enim quod menſura definitur, totum præter menſuram aliud nihil videtur, niſi plures mēſuræ.* i *Illud quoque rectè dicitur, ouium, & canum numerum, ſi æqualis ſit, eundem eſſe, denarium verò non eundem, neque ſecundum eadem ſquemadmodum nec triangula eadem eſſe id quod lateribus æqualibus, & quod inæqualibus continetur, quanquam figura eadem, cum vtrunque ſitt triangulum. Eadem enim eo dicuntur, cuius differunt, vt triangula trianguli differentia differunt: ideo triangula diuerſa, figuræ autem non diuerſæ, ſed in vna, eademque diuiſione, quippe cū figura ea quidem, quæ talis eſt, circulus ſit: quæ verò talis triangulum, cuius id, quod tale eſt, æquis lateribus continetur, id verò, quod tale, non æquis. Figura igitur eadem eſt, triangulum non idem.* Text. 54

Circulus res mortalium. κύκλος τὰ ἀνθρώπινα.

Aduerte celebre eſſe illud apud auctores, Circulus res mortalium. Cui etiam cōſonat illud, omniū rerū viciſſitudo. Quæ ſententia ſignificat in rebus humanis nihil eſſe perpetuum, nihil ſtabile, ſed omnia velut æſtuario quodam fluxu, refluxuque decedere, & accedere. Idem etiam in rebus naturę magna ex parte accidit, quarū eſt in primis iucunda viciſſitudo, procurante natura varietatem ad leuandum faſtidium. Lege Ariſtotelem 1. Rhetoric. cap. 11. & libro 7. Moralium Eudemiorum cap. 4. & in problemat ſect. 17. problem. 3.

Viciſſitudo iucunda.

i Illud quoque rectè) Docuerat ante non variari, multiplicariuè tempus diuerſitate motuum, quos metitur, idque ſimilitudine à numeris deſumpta illuſtrarat, idem nunc explicatiùs ediſſerit, aſſignatque rationem, cur decem hominum, & decem equorum eundem eſſe numerum dicimus, non eundem tamen denarium. Monet verò idem eſſe de numero, quod de figura pronuntiandum; cùm vtrobique idem eueniat. Porro dicimus duos triangulos, quorum alter laterum æqualium eſt, alter inæqualium eandem eſſe figuram, non eundem triangulum, quia illa dicuntur eadem eſſe in aliquo communi, quę in aliqua differentia id proximè diuidente conueniunt: illa autem diuerſa, quę differentijs proximè diuidentibus diſcre-

Non variari tempus diuerſitate motuū. Quęnam dicantur in aliquo cōmuni eadem eſſe.

diſcrepant. Quare cùm triangulus æquilaterus, & triangulus trium laterum inæqualium conueniant in differentia, quę figuram proximè ſecat, quęque triangulum in cõmune conſtituit, nimirum in triangulari, diſſideant autem differentijs quę triangulum in commune proximè diſpertiunt; vtique dicentur eadem figura, ſed non idem triangulus. Pari ratione cùm duo binarij in differentia proximè diuidente numerum, & conſtituente binarium conueniant, differant autem proprijs ſingularibus differentijs, quibus proximè binarius diuiditur, dicentur idem numerus; non idem tamen binarius.

Obiectio.

Sed contra hęc in promptu eſt obiectio. Socrates & Plato non ſolùm in natura animalis vnum ſunt, ſed etiã in natura hominis, ſiquidem vt Porphyrius in ſua Iſagoge cap. de ſpecie cõmuni Dialecticorũ approbatione, & conſenſu docuit, plures homines communione ſpeciei ſunt vnus homo. Non igitur regula, quam hîc tradit Ariſtoteles ad eadem, & diuerſa cognoſcenda, rectè ſe habet. Occurrendum tamen eſt cum Simplicio inferiora bifariam cum ſuperioribus comparari: vel conſiderando tantùm naturas ipſas ſuperiorum, vel differentias, quibus eæ proximè diuiduntur. Priori modo, de quo egit Porphyrius, Socratem & Platonem non in animali tantum, ſed in homine etiam vnum quid eſſe. Poſteriori, quem hîc expendit Ariſtoteles non eſſe Socratem & Platonem, vnum in homine; cum non conueniant in vna aliqua differentia, per quam homo diuidatur; eſſe tamen in animali vnum, quia in quadam eius differentia, nimirum rationis participe conſentiunt.

Quare & numerus idem eſt? cùm eorum numerus numeri differentia non differat? denarius vero non idem, quòd ea diuerſa ſint, de quibus dicitur? ſiquidem alia canes ſunt, alia equi. Ac de tempore quidem tum ipſo, tum his, quæ ad ipſum attinentia huius conſiderationis ſunt propria, dictum eſt.

Dilutio.

Philoſophicum axioma.

Nota hoc capite ad tex. 133. Philoſophicum illud axioma, primum in vnoquoque genere eſt cęterorum menſura. Quod vſurpat etiam Ariſtoteles 8. huius operis libro cap. 9. tex. 76. & 10. Metaph cap. 4. tex. 7. Nonnulli, in quibus eſt D. Thomas 1. p q. 2. art. 3. id ita enuntiant, vt dicant primum in quolibet genere eſſe cauſſam reliquorum. Cuius rei veritatem alibi excuſsimus.

1. huius oper. c. 7. q. 1. art 3.

QVÆSTIO I.

RECTÈ NE TEMPVS AB ARISTOtele definitum fuerit, an non.

ARTICVLVS I.

NON VIDERI RECTE DEFINITVM.

1. argum. Stratonis.

ITem Emporis definitionem ab Ariſtotele traditam hũc in modum impugnabat Stratõ Lãpſacenus Theophraſti diſcipulus. Tempus eſt quantitas cõtinua, numerus quantitas diſcreta: igitur tempus non eſt numerus, atque adeò nec numerus motus.

2. arg. Galeni.

Item. Eandem improbat Galenus hoc fere argumento. Prius & poſterius explicantur per tempus; ergo ſi per hæc tempus definitur; idem per ſe ipſum declaratur; quæ ratio definiendi circulum continet, & inepta eſt; cùm oporteat id,

Iege F. Mitũdulam lib. 6 c. 3. pro Galeno.

id, quod ad rem implicitam enodandam assumitur, illustrius esse; quod nulli rei sui ipsius comparatione conuenit.

5.arg. Plotini. Præterea. Ad hunc modũ Plotinus argumentatur. Mensura debet esse quid manifestum, vtpote qua ad rei cuiuslibet quantitatem etiam vulgo ostendendam vtimur: atqui tẽpus est quid obscurum, & motu ignotius. Non igitur motus mẽsura est. Adde quod tẽpus pendet à motu, vt à priori, & tanquam ab eo, in quo fundatur: mensura verò non pendet à re, cuius mensura est, sed è contrario res à sua mensura.

4.arg. pro Pythag. Quartò. Sic Pythagorei pro se opponent. Id censeri debet tẽpus, quod ad dimetiendas successiuarum actionum moras maximè aptũ sit: hoc autem non potest esse aliud, quàm ipsa sphæra cælestis, quatenus nunc in vna, nunc in alia parte spatij solem, ac reliqua sydera spectanda exhibet, quæ dum cernimus morarum interualla notamus: Ergo tempus nihil est aliud, quàm sphæra cælestis eo modo sumpta.

3.arg. Quintò. Cùm omnis motus corporum cælestiũ perfectissimam constantiam, & æquabilitatem habeat; non minùs constans, & æquabilis est lunæ, solis, ac reliquorum planetarum orbiumque conuersio; quàm motus primi mobilis: ergo non in sola prima sphæra, vt superiori cap. Aristoteles docuit, tempus insidet. Accedit sacræ paginæ auctoritas cap. 1. Geneseos docens posita fuisse luminaria in firmamento cæli, vt diuiderent diem, ac noctem, essentque in signa, & tempora, dies, & annos. Ad quem etiam locum Philo Iudæus in libro de mundi opificio, Factæ sunt, inquit, stellæ ad mensuras temporum. Nam solis lunæque & aliorum siderum recursus, dies, & menses, annosque conficiunt.

2.arg. Sextò. Tempus non solum est numerus motus; sed etiam quietis; igitur tempus non debuit definiri numerus motus dũtaxat; sed motus, vel quietis. Ancecedens probatur ex D. Augustino id asserente. 11. Confessionũ lib. cap. 24. hisce verbis. Etsi variè corpus aliquando mouetur, aliquando stat; non solum motum eius, sed etiam statum tempore metimur, & dicimus tantùm stetit, quantùm motum est, aut duplo, vel triplo stetit ad id quod motum est. Confirmatur quoque idem antecedens ex eo, quia sicuti nullum corpus nisi tempore mouetur, ita nullum momento; sed tempore quiescit, vt in libris, qui sequuntur, conspicuum fiet.

1.arg. Septimo. Nullum verum ens componitur ex ijs, quæ neutiquam esse possunt; sed tempus ita se habet, non est igitur verum ens, atque adeò non ei conuenit Aristotelica definitio. Minor suadetur, quia tempus constat ex præterito, præsenti, & futuro. At quod nullum horum possit esse probatur, quia præteritum iam euanuit, futurum non dum est; præsens autem non verè esse tempus suadetur ex D. Augustino libro proximè citato, cap. 15. vbi docet siquid intelligitur temporis, quod in nullas iam, vel in minutissimas momentorum

D. August.

partes

partes diuidi posit, id solum esse, quod præsens dicatur, quod tamẽ ita raptim à futuro in præteritum transuolat, vt nulla morula extẽdatur; nam si extenditur, diuiditur in præteritum, & futurum; præsens autem nullum habet spatium. Quo patet id, quod ex tempore præsens dicitur, esse solum momentum, quod neutiquam tẽpus est, sicuti nec pũctus linea. Eodẽ spectat illud Senecæ lib. 6. Nat. quæst. cap. vltimo. Nec quod futurum est meum est, nec quod fuit; in puncto fugientis temporis pendeo. Seneca.

ARTICVLVS II.

APPROBATVR, ENODATVRQVE temporis definitio ab Aristotele tradita.

ETsi tẽpus esse pro comperto habeatur, nemoque sit, qui illud in ore non habeat; siquidem passim vsurpamus hodie, heri, cras, nuper, & similia, tempus significantia: tamen eius naturã cognoscere perdifficile est. Quod significabant Aegyptij Philosophi depicta imagine serpentis caudam suam sub guttur attractam occultantis. Per spiras enim dierum, annorumque volubiles series, vt D. Cyrillus ait, designabant, per caudam verò occultatam, latentem eius naturam. Neque solùm difficile est quid tempus sit percipere, sed perceptum oratione explicare. Quo pertinet illud D. Augustini. 11. Confession. cap. 14. Quid est ergo tempus? si nemo ex me quærat, scio; si quærenti explicare velim, nescio.

Tempus quã sit cognitu difficile. Aegyptij. Cyrillus. Augustinus.

Fuerunt igitur hac de re variæ antiquorum sententiæ, quas cõmemorauit Aristoteles c. 10. huius libri, Simplicius in sua digressione de tempore. Plutarchus lib. 1. de placitis cap. 21. Galenus in libro de historia philosophica cap. 34. Sextus libro 3. Pyrrhonic. suppositionum. Plato, vt eum Theophrastus, Eudemus, & Alexander cõtra Simplicium interpretantur, existimauit tẽpus esse conuersionẽ cælestis mũdi. Sic enim in Timæo scripsit. Nox igitur, & dies ad hũc modũ, & ob has generata sunt causas, nempe vnius sapientissimæ cõuersionis circuitus. Mensis autem quãdo luna lustrato suo cursu solem consecuta est; annus vbi sol suũ totum confecit, & peragrauit orbem. Cæterorum autem siderum ambitus ignorantes homines, præter admodum paucos, neque nomen appellant, neque inter se numero commetiuntur. Itaque vt sic dicam, nesciunt hos siderum errores id ipsum esse, quod rite dicitur tempus, multitudine quidem infinita sed admirabili varietate præditos. Alij arbitrati sunt tempus esse amplissimam sphæram totius vniuersi, cuius opinionis Pythagoras auctor fuisse creditur, licet Archytas eius occasionem Pythagoreis dedisse existimetur, vtpote qui, Simplicio referente, docuerit tempus naturæ vniuersi dimensionem esse. Eratho-

Philosophorum placita de natura tẽporis.

M. Alb. hoc loco tract. 3. c. 2. Mirãdula lib. 3. de exam. vanit. cap.

Platonis opinio.

Sententia Pythagoræ ab Archyta.

Erathoſtenis. Plotini. ſtenes autē tēpus definiebat ſolis iter. Plotinus deniq́ue vitam animæ in motu tranſeunte ex alia in aliam vitam.

De alijs opinionibus Damaſcij, Stratonis, Iāblici, Procli legem Simplicium.

Cæterùm omnes hæ definitiones parum appoſitæ ſunt, vel quia nimis obſcuræ, vel quia rem ipſam non attingunt. Optimaq́ue habetur ea, quam Ariſtoteles ſuperiùs tradidit, videlicet. Tempus eſt numerus motus ſecundum prius, & poſterius. Vt autem ea clarior, illuſtriorq́ue euadat, ſingulas ipſius partes enucleatius exponemus. Prima eſt, numerus, aduerte igitur numerum, quod ad preſens inſtitutū attinet, diuidi à Peripateticis ex doctrina Ariſto. hoc in libro ad tex. 102. in numerum à rebus abſtractum, vt in binarium, & ternarium; & in numerum rebus concretum, vt in binarium lapidum, ternarium leonum. Item numerum concretum rebus duplicem haberi; vnum, qui ex partibus reipſa diſcretis coaleſcit; cuiuſmodi eſt binarius duorum hominum: alterum, qui conſtat ex vnitatibus non re, ſed cogitatione diſiunctis, vt ſi quis continuum aliquod in duo dimidia intellectu partiatur, & ex ijs binarium cōficiat. His poſitis, cùm Ariſtoteles tempus numerum vocat; numerum ſumit pro eo, qui rebus eſt concretus; id eſt, pro numero partium motus, ſeu pro partibus motus numeratis; itemq́ue pro numero, qui conficitur ex vnitatibus, non re, ſed mente ab ſe diuiſis: cùm dicat tempus metiri partes motus, quæ re ipſa continuæ ſunt, ſibiq́ue cohærentes; ſed tamen vt diuiſæ, ac ſeparatæ concipiuntur.

Definitio tēporis ab Ariſtotele tradita ōniū optima.

Dupler numerus.

A rebus abſtractus.

Rebus concretus.

Item concretus duplex.

Conſule D. Damaſc in Phyſic. c. 10. D. Auguſt. 12. de Ciuit. Dei cap. 15. Aegidium in 1. d. 19. q 2. art. 1. & d. 37. q 1. art. 3. M. Alb. in tracta. de quatuor coę. q. 3 ar. 11.

Altera particula eſt, motus, Pro cuius explicatione haud ignorādum eſt, quod præter alios ediſſerit S. Thomas in 2. d. 12. q. 1. art. 5. & opuſc. 48. in explicatione Categoriæ Quando. Argentinas in 4. d. 48. art. 4. q. vnic. Alenſis 2. p. q. 9. m. 9. D. Bonau. in 1. d. 37. n. 33. Gilbertus in Boetium de conſol. Caietanus 1. p. q. 10. art. vlt. & Capr. in 2. d. 2. q. 2. art. 3. videlicet bifariam tempus vſurpari: vno modo prout eſt numerus, ſeu menſura motus ſummè æquabilis, ac primi, qualis eſt conuerſio ſupremæ ſphæræ: altero quatenus eſt menſura cuiuſque motus, & in qualibet re actu motum ſubeūte inſidet. Iuxta priorem illam notionem tempus vnum tantùm eſt, ſicuti & vnū primum mobile: iuxta poſteriorem tot ſunt tempora, quot motus: iuxta priorem tempus eſt menſura propria, & interna motus primi mobilis; ſimulq́ue cōmunis & externa aliorum omnium motuū: iuxta poſteriorem tempus per ſe eſt menſura dumtaxat motus, cui ineſt. Secundum priorem ſumitur tempus Apoc. 10. cum Angelus iureiurando aſſerit non futurum tempus amplius, quia nimirū vt D. Thomas eo loco interpretatur poſt diem vniuerſalis iudicij non erit ampliùs tempus primi mobilis, ceſſante eius & aliorum corporum cæleſtium cōuerſione: ſecundum poſteriorem loquitur D. Auguſt. 12. de ciuitate Dei c. 11. vbi cōcludit ſi ante cælū & terrā fuerūt Angelici motus fuiſſe etiam tempus; & 11. Confeſſ. cap. 23. cùm ita ſcribit. Cur enim non potiùs omnium corporum motus ſint tempora? An verò ſi ceſſarent cæli lumina, & moueretur rota figuli non eſſet

Duplex tēporis vſurpatio.

Qua rātione vnum tantū ſit tēpus, vel plura.

D. Auguſt.

Duplicē hāc notionem tē poris aſſert etiam Scandunus 4. huius operis q. 28. Lauellus q. 23. etſi eam non videatur admittere D. Thom. opuſc. 36. c. 2. Auic. Alex. Themi. Auerr. Theophraſt. & Porphyrius, quos refert M. Albertus hoc loco tract. 3. c. 4.

esset tempus? Et paulò inferiùs. Nemo mihi dicat cælestium corporum motus esse tempora; quia & cuiusdam voto cùm sol stetisset, vt victor Iosue prælium perageret, sol stabat, sed tempus ibat. Ios. c. 10.

Igitur Aristoteles tempus priori duntaxat modo sumptum definijt, quòd illud præstantissimum sit, & in tota vniuersitate naturæ maximè notum. Commonefacit autem D. Thomas 1. p. q. 66. art. 4. si alius orbis cælestis à Deo fieret, qui cæteros suo complexu cohiberet, suoque motu circumuolueret, futurum vt in eius conuersione ponendum esset illud temporis indiuiduum, quod Aristotelica definitione explicatum est: id enim tunc omnium prima mensura foret. Quod tẽpus definierit Aristoteles.

Aduerte etiam præter hoc tempus singulare, dari aliud, vnum quoque in essendo, & vniuersale in mensurando, nẽpe tempus imaginarium, quod illo est antiquius, æquabilius, & vniuersalius. Antiquius, quia tempus primi mobilis cœpit cum eius motu; tempus vero imaginarium initio caret. Aequabilius, quia reliqua tempora, si spectentur præcisè comparatione motuum, quibus adæquantur, alia celeriùs, alia tardiùs fluunt, sicut & ipsi motus, paremque extensionem cum illis sortiuntur, vt progressu etiam dicemus; at tempus imaginarium æqua semper labitur velocitate; quia à nullo motu pendet. Vniuersalius, quia non alia tantùm, quæ sub temporis mẽsuram cadunt metitur, sed ipsius etiam motus primi mobilis, & eius durationis regula est. Verumtamen in eo longè deteriorem conditionem sortitur, quòd nequaquam sit aliquid positiuum & reale, sed imaginarium: non quasi in sola imaginatione tanquam figmentum consistat; sed quia vt in spatio imaginario, (de quo alibi,) dimensiones quasdam veris dimensionibus respondentes concipimus, ita & in huiusmodi tempore apprehendimus successionem quandam velut instantibus copulatam, quæ motus omnes & quietes, ac tẽpora ipsa metitur. Tempus imaginarium. Antiquius. Aequabilius. Vniuersalius.

Sequitur tertia definitionis particula, secundum prius & posterius, Pro qua item obseruandum est quamlibet Physicam lationem dupliciter secari posse: vel ratione subiecti, in quo inest, & cuius extensione protenditur, sicuti candor, cæteraque accidẽtia, quæ in corporibus hærent; vel secundũ propriã ac peculiarẽ ipsius motus continuitatẽ. Iuxta priorẽ modũ oẽs partes motus simul existũt, nec in eis vlla datur successio, aut prius & posteri⁹, sicuti nec in subiecti partibus. Iuxta posteriorẽ quẽadmodũ interim dũ mobile cietur, alias partes spatij priùs, alias posteriùs decurrit (idem suo modo intellige de cęteris motib⁹ cõparatione partiũ formarũ, ad quas tẽdũt) ita alias sui fluxus partes priùs obtinet, alias posteriùs. Has verò quia tempus mensurat, iccirco definitur numerus motus secundum prius, & posterius. Quod idem valet, ac si dicamus: Tempus est partes motus numeratæ, prout durant, quarum aliæ labuntur priùs, aliæ posteriùs. Lege Capr. in 2. d. 2. q. 2. art. 6. Ric. quodl. 3. q. 6. Physica latiõ bifariam diuidua est. Qua consideratione, partes motus existant simul.

Porro docuit tum Aristoteles hoc in lib. cap. 14. text. 131. tum D. Augustinus 11. Confess. cap. 28. tempus esse opus animæ, seu pendere ab anima; quia ipsum considerarunt non absolutè, sed prout in primo mobili ab anima limitatur, & præscribitur ad metiendos motus sublunaris mundi. Quopacto anima sumit diuersas partes eiusdem temporis, quæ sunt mensuræ durationum; verbi gratia, eam partem temporis, quæ consequitur vnam solis à puncto Orientis ad idem punctum circuitionem, eamque appellat diem, & eandem in viginti quatuor partes distribuit, quarum vnamquanque horam vocat. Quo liquet tempus definitum ab Aristotele non esse ens reale, nec per se contineri in quantitatis categoria; sed esse ens rationis; cùm illa sectio & limitatio, sola mentis actione fiat: licet alioqui tempus absolutè spectatum (quicquid senserit Aphrodisæus, Galenus, & alij his multò antiquiores, quorum meminit M. Albertus in sūma de quatuor coæquæuis quæst. 3. art. 10.) ens reale sit; cùm motus, sublata omni apprehēsione intellectus, in suo esse persistat, atque adeo realem, propriamque sibi durationem vendicet; quæ non est alia, quā tempus. Quare Parisienses articulo. 199. errorem censuerunt affirmare tempus nihil esse in re, sed in sola mentis notione; tempus videlicet, quod est duratio simpliciter sumpta. Ita patet quo pacto definitio temporis intelligenda sit.

Quod tempo pendeat ab anima.

Lege M. Alb. in sum. de 4. coeu. q. 3. art. 10. Auerr. cō. 131. D. Th. ibi dem & opus. 44. Sonc. 5. Metap. q. 24.

Tempus absolute spectatū esse ens reale. Articulus Parisiensis.

Idē latè probat Greg. in 2. d. 2. q. 1. cō sulo etiā Hen. Gand. quodl. 3. q. 10. d. Th. in 1. d 19. q. art. 1.

ARTICVLVS III.

SOLVTIO ARGVMENTORVM, quæ initio proposita sunt.

Sol. 1. NVnc primi articuli argumentis occurramus. Ad primum dicendum est tempus, spectatum prout est in rebus, esse continuum; prout est in mente, seu quatenus ab intellectu diuiditur, modo superiùs explicato, esse quidpiā discretum: Aristotelem autem hac posteriori vsurpatione tempus definijsse. Consule M. Albertum hoc loc. tract. 3. cap. 5. Auerroem com. 109. D. Th. Simpl. & Themist. tex. 100. & 101.

Qua consideratione tempus sit continuū, qua discretum.

Sol. 2. Ad Secundum, Prius & posterius in definitione tēporis non explicari per tempus. Nam hæ particulæ, vt suprà declaratum fuit, designant partes motus, prout successiuè fluunt, & à nobis numerantur secundum successionem vnius post aliam. Vbi patet prius & posterius non explicari per tempus.

Solut. 3. Ad tertium, Tempus secundum suam naturam esse quidpiam ignotius motu; cùm motus sensui per se pateat, atque omnium oculis sese vltro ingerat; non ita verò tempus: sed enim id non obstare quo minùs tempus secundum rationem mensuræ notius sit motu, qui ab eo mensuratur; quatenus deprehendimus hunc & illum motum

tum velocem aut tardum esse; quia paruam, aut longam moram facit. Ad reliquam eiusdem argumenti partem dicendum, licet tempus quoad suum esse à motu pendeat, motum nihilominùs pendere à tempore, vt à mensurante: nec esse absurdum duo aliqua ab se mutuò pendere diuersa consideratione.

Quo pacto tempus pendeat à motu, motus a tempore.

Ad quartum, Concedenda est propositio, ad assumptionẽ verò dicendum, sphæram cœlestem prout sidera circũuehit, & ea nobis videnda præbet, nihil facere ad dimetiendas mutationes, earumque moram notandam, nisi ipsius mundi cœlestis conuersio quoad sui durationem spectetur. Quare non rectè Gregorius Ariminensis in 2.d.2.q.1.art.1. hoc potissimum argumento adductus cõtendit nihil esse aliud tempus, quàm ipsum cœlum; aduersus quem lege differentem Capreolum eodem loco quæst.2.art.3.vbi indignè fert susceptum fuisse ab illo patrocinium eius opinionis, quam Aristoteles ante duo annorum millia stultitiæ nomine improbauit, vt cõstat ex cap. 10. huius libri tex.94.

Sol.4.

Reijcitur opinio Greg.

Ad quintum, Et si omnes cœlestium corporum motus, pro sua quisque ratione, sint æquabiles, atque in ijs etiam tempus insit, primum tamen ac nobilissimum tempus insidere in motu omnium maxime æquabili, sibique simili, qualis est motus primi mobilis teste Aristotele 8. huius operis cap. 10. text. 83. & lib. 2. de cœlo cap. 6. text. 36. licet istiusmodi tempus à motibus inferiorum orbium distinctionem, & varia appellationum discrimina sortiatur. Etenim à motu solis distinguitur in annos, à motu lunæ in menses, aliasque id genus durationum mensuras. De quibus lege, si placet, Macrobium lib. 2. in somnium Scipionis cap. 11. Aduerte tamen cùm in 1. Geneseos dicuntur luminaria cœlo affixa, vt sint in tempora, nõ sumi ibi tempus pro mensura motus, quod Græcè dicitur χρόνος, sed prout designat oportunitatem ad res faciendas, vt ad serendum, nauigandum, aliaque eiusmodi, quæ diuersis anni temporibus fiunt, Græcè καιρός, Hebraicè Mogadin.

So.5.

Tempus primi mobilis vt varias appellationum differentias sortiatur.

Ad sextum, Tempus esse per se mensuram motus; quietis autem ex accidente, vt Aristoteles asseruit cap.12. huius lib. tex.118. quatenus videlicet quies est priuatio motus. Nam ea quæ per se habitui conueniunt, ex accidente priuationi accommodãtur. Vt cùm aspectus per se sit luminis, ex accidente est tenebrarum. Quod enim, tempus solius motus, non autem quietis per se mensura sit, ex eo cõuincitur; quia tempus metitur rem secundum prius & posterius, à quorum vno ad alterumest trãsitus; at hæc in quiete non insunt, nisi facta ad motum relatione, atque adeò ex accidente. Ob hanc igitur rationem Aristoteles non per quietem, sed per motum tempus definijt; cum vnumquodque per id, quod per se illi conuenit, definiri oporteat.

Sol.6.

lege M. Albertum in tract. de 4. coequis q.3.art.11. ad vlt.

Cur tẽpus nõ definiatur per quietem, sed per motum duntaxat, etsi illam quoq; metiatur.

Ad vltimum, Concessa maiori, neganda est minor, dicendumque alium existendi modum vendicare res successiuas, alium permanẽtes;

Sol.7.

Quó pacto res succesiuę existant.

tes: etenim hæ constant partibus simul existentibus; illæ partibus, quæ cùm in perpetuo fluxu consistant, ita se habent, vt non nisi vna intereunte alia succedat. Itaque fatendum est partes temporis non existere simul; negandum nullo modo existere. Et vero è tribus tẽporibus, præterito, præsenti, & futuro; præsens dicitur actu existere; non quod eius partes cohæreant simul, sed quia ita præteruolant vt tamen copulentur præsenti instanti, quo etiam modo extitit id, quod iam effluxit, & existet, id quod futurum est. Cùm autem D. Augustinus loco citato nihil temporis præsens appellare vult præter id, quod in eo diuidi non potest, quod est momentum, paulo presiùs, nomen præsentis vsurpat: Seneca verò de præsenti instãti loquitur.

Lege M. Albertum hoc in lib. tract. de tẽpore c. 7. Capr. in 2. d. 2. q. 2. art. 3.

ARTICVLVS IIII.

VBERIOR EXPLICATIO SVPERIORIS argumenti; & quod tempus non existat per sola instantia.

Videri tempus per sola momenta existere.

QVoniam ea, quæ de tẽporis existentia paulò ante diximus, non nihil habent difficultatis, illustranda à nobis hoc loco sunt. Ac primùm videbitur alicui tempus per sua duntaxat momenta existere. In primis quia celebre est apud Philosophos nihil simul esse dum fit. Quare cùm tempus per successionem perficiatur; consequens est vt dum successiuè fluit, non sit, sed per sola momenta. Secundò, quia cùm omnes passim in ore habeant nihil nos è tempore præter instans habere; communis hominum consensus videtur totã temporis existentiam in instantia includi. Pro quo etiã facit, quod esse cuiusque rei est à forma, momenta verò sunt partes formales temporis, reliqua vicem materiæ obtinent.

1. arg.

2. arg.

3. arg.

Tempus non simpliciter existere per momenta.

Existentia est idem re cum eo, cuius existentia est.

Instãtia sunt velut partes formales tẽporis.

Asserẽdum tamen est tempus absolutè ac simpliciter non per instantia, sed per suas partes successiuas actu existere: esto aliquo modo dici queat existere etiam per instantia. Huius assertionis prior pars, quam statuit, præter alios, Durandus in 2. d. 2. q. 4. hisce rationibus ostenditur. Existentia cuiusque est idem re cum ipso: sed existentia instantis non est idem re cum tempore; quia cùm sit idem cũ instanti, instans et tempus essent realiter idem, iuxta axioma illud philosophicum, quæcunque sunt eadem in vno tertio, sunt eadem inter se. Igitur existentia instantis est alia ab existentia temporis. Item quodlibet momentum est insectile, ac totũ simul, similiterque ipsius existentia; tempus autem est diuiduum, & successiuum, itẽq; existentia illius: ergo existentia instantis non potest esse existentia temporis, alioqui res successiua existeret simul, quod à naturã

ſucceſsiui longè abeſt. Quod ad poſteriorem partē aſſertionis ſpectat, ex eo illa confirmatur; quia cùm inſtantia ſint quaſi partes formales temporis conſentaneum eſt vt dum illæ exiſtunt, dicatur per ea tempus exiſtere; præſertim ſi loquamur de exiſtentia præfinita, & totaſimul, qualis habetur in tempore ſola exiſtentia indiuiſibilis, quæ eſt inſtantium.

Argumenta verò, quæ noſtræ concluſioni aduerſabantur, nihil conficiunt. Nam dictum illud, nihil eſt dum fit, intelligi debet nō de ſucceſsiuis, vt annotauit Auerroes 3. huius operis com. 57. D. Thomas in 2. d. 1. q. 1. art. 2. Capr. in 2. d. 2. q. 2. art. 3. nec etiam de permanentibus, quæ momento fiunt. Quod enim momento fit ſimul eſt ac fit; ſed de ijs permanentibus, quæ per motum efficiuntur, de quibus ait Ariſtoteles 8. huius operis cap. 8. tex. 69. tunc primò eſſe, cùm datū eſt vltimū inſtans eius temporis, in quo fiebant. Item illud, è tempore nihil habemus præter inſtans, ſic interpretādum eſt, vt nihil è tempore præfinitum, & determinatum, ac ſimul habeamus, præter inſtans, quo ea pars temporis, quæ immediatè præcedit, & ea, quæ proximè ſubſequitur, inter ſe copulantur: etenim tempus præſens ex his partibus conflatum haud dubiè indefinitum eſt, ſicuti & partes ipſæ, vtpote quæ incertæ extēſionis ſunt, ideſt, non tam exiguæ, quin minores.

Quo pacto intelligendū nihil nos habere è tēpore pręter inſtās.

Quod poſtremò obijciebatur, vnumquodque habere eſſe, ideſt, exiſtentiam à forma, difficultatem inuoluit de cauſa exiſtentiæ, quā primo huius operis libro explicuimus. Nec eſt quod hoc loco actū agamus. Negandum eſt exiſtentiam tribui à ſola forma, licet forma vt in compoſito naturali principem locum tenet, ſic ei potiorē exiſtentiam conferat. At enim hoc ipſum de formis proprijs duntaxat intelligi debet, non de ijs, quæ per analogiam tantùm, ac ſimilitudinem, formæ dicuntur, cuiuſmodi ſunt inſtantia reſpectu temporis. Quod hactenus de exiſtentia temporis diximus, aſſerendū quoque ſuo modo erit de exiſtentia motus; cùm in vtroque par, atque eadē ratio ſit.

Exiſtētia nō tribuitur à ſola forma.

QVÆSTIO II.

VTRVMNE TEMPVS à motu diſtinguatur.

ARTICVLVS I.

NON ESSE MOTVM ET TEMPVS res diuerſas, eſto ex natura rei differant.

NON

Status quęstionis.

NON excitamus controuersiam de tempore primi mobilis comparato ad aliorum corporum motionem, cuius externa mensura est; sic enim nemo dubitat re ipsa inter se distingui tēpus & motum; cùm in subiectis re diuersis hæreant. Intelligenda est ergo quęstio de quolibet tempore respectu eius motus, quē intrinsecus metitur. Sunt

Opinio existimantium differre tē us realiter à motu.

1. arg. qui asserant tempus ita sumptum esse rem à motu diuersam. Primū quia si eadem res essent, cùm tempus mensuret motum, à se ipso tē-

2. pus mensuraretur, quod est absurdum. Secundò, quia tempus videtur esse soboles motus, tum quia est passio illius, docēte Aristotele 5. Metaph. cap. 13. tex. 18. tum quia prius & posterius in tempore gignitur ab eo, quod prius & posterius in motu est; fieri autem ne-

3. quit vt soboles idem re sit cum progenitore. Tertiò, quia Aristoteles hoc in libro cap. 10. tex. 94. coarguit eos, qui motum sphæræ, tempus esse contendebant, & cap. 12. tex. 118. disertis verbis docet motum non esse tempus.

Conclusio. Suadetur prior pars cōcl.

Nostra tamen conclusio sit, tempus non distingui re à motu; distingui tamen ab illo ex natura rei. Prior pars huiusce conclusionis suadetur, tum quia nulla ratio, aut necessitas cogit tempus à motu re ipsa distinguere: tum quia si eo pacto disiderent, posset vtrūque sine altero diuinitus conseruari, quod nemo concedet: tum quia tempus definitum est ab Aristotele numerus motus secundum prius, & posterius, idest partes ipsæ motus numeratæ, quatenus durant. Altera verò pars conclusionis inde patet quia tempus est du-

Suad tur posterior pars. ratio motus, & eius mensura, atque eo natura posterius; itemque partes motus copulantur mutatis esse; partes autem temporis instantibus. Postremò quia sæpe temporis extensio parua est, motus verò magna; si videlicet longa spatia locorum celeriter decurrantur; & è contrario sæpe motus extensio breuis est, temporis autem lōga; si breue spatium tardè conficiatur. Nec contra hanc rationē est quod Aristoteles 11. capite huius libri docuit, magnitudinem, motum, & tempus inter se æqualia esse: loquitur enim ibi de extensione, quam tempus obtinet ex parte termini per motum acquisiti; nō de ea, quæ ipsi tempori propria, & germana est, qua adæquatur durationi imaginariæ, vt in explicatione contextus admonuimus.

Diluuntur argumenta.

Argumenta verò initio proposita nullam aduersus traditam cōclusionem vim habent. Licet enim tempus & motus idem re sint;

1. cùm tamen ex natura rei differant, ea distinctio sat est vt vnum alterum mensuret, nec tamen se ipsum propriè metiatur. Item licet

2. tempus motū supponat, ipsumque veluti quædam natiua proprietas consequatur, non proinde tamen illius soboles rite, ac propriè censebitur, cùm non propriè dicatur ab eo gigni, aut produci. Ari-

3. stoteles autē non eos reprehendit, qui tempus idē re cū motu cœli faciebāt; sed qui nullū prorsus inter hæc discrimen esse opinabātur.

ARTI-

ARTICVLVS II.

QVONAM MODO TEMPVS ABEXistentia continuitatis motus differat.

SVperiori articulo ſtatuimus diſcrimen inter motum & tempus: proximum eſt vt quonam modo tempus ad exiſtentiam continuitatis motus ſeſe habeat, ſcrutemur. Sūt qui inter hæc nihil omnino diſcriminis eſſe putent, idemque de aliarum rerū duratione, & exiſtentia abſolute decernāt. In his ſunt Scotus in 2. d. 2. q. 2. & in quodl. q. 6. & in 2. d. 2. q. 2. Baſſolius ibidem q. 1. art. 3. Ochamus in 2. q. 10. Gabr. d. 2. q. 1. Quibus ea potiſsimùm fauēt argumenta; quod nihil aliud eſt rem durare, quàm exiſtere; nec aliud eſt rem quampiam eſſe breuis aut prolixæ durationis, quàm eſſe breuis, aut prolixæ exiſtentiæ. Item quia ſi exiſtentia, & duratio eſſent diſtincta ex natura rei, eo pacto diſtinguerētur inter ſe creatio & conſeruatio; cuius oppoſitum in 8. huiuſce operis libro oſtēdemus. Aſſumptum probatur, quia creatio tendit in rem ſub eſſe exiſtentiæ; conſeruatio verò fertur in eādem quatenus iam durat.

Qui putēt tempus, & exiſtētiā continuitatis motus neutiquā differre. 1. arg.

2.

Tertio, quia ſi duratio ab exiſtentia differret tanquam eius menſura, eſſet quidpiam ea poſterius, ſicque exiſtentia non probè diceretur à Philoſophis vltimus modus, ſiue poſtrema actualitas cuiuſq; vltra quam nihil iam ampliùs rei productæ adueniat. Tandem quia nec rerum, nec rationum formalium eiuſdem rei multitudo abſque neceſsitate inuehēda eſt: nulla autem videtur eſſe neceſsitas ob quā duratio, & exiſtentia cuiuſquā inter ſe vllo pacto diſtingui debeāt.

3.

4.

Lege Capr. in 1. dg. q. 1. ar. 1. cōcl. 3. & in eadem q. art. 3. ad. 3. Gerardi contra 1. concl.

Nobis tamen veriſimilior videtur ſententia Richardi in 2. d. 2. q. 1. art. 1. circa primū principale, Maironij q. 2. Argētinatis q. 1. art. 1. & aliorum putantium durationē differre ab exiſtentia, non quidē realiter (Alioqui poſſent ambo diuina ſaltem virtute ab ſe mutuò diſiuncta conſeruari) ſed tamen ex natura rei: atque adeo tempus, de quo in hac diſceptatione priuatim quærimus, ex natura rei diſtingui ab exiſtentia continuitatis motus. Primū quia ratio exiſtētiæ in eo tantū conſiſtit, vt res ſit extra ſuas cauſas: duratio vero ſignificat protenſionē, ſeu morā rei in ſuo eſſe, cū nimirū res vltra inſtans durando protenditur vel ſaltem importat menſuram ſuperuenientem exiſtentiæ; quod in omnem rem conuenit, ſiue per vnum duntaxat momentum duret ſiue diutiùs perſeueret.

Diſſolutio quæ poſitę dubit.

Durationem differre ab exiſtentia.

Probatur.

Deinde ſic idem inſtitutum comprobatur; exiſtentia Dei, & eius æternitas, quæ eſt duratio diuini eſſe, diſtinguuntur virtute inter ſe. Aeternitas enim eſt attributum, quod vt cūque demōſtrari poteſt à priori per immutabilitatē; eſſe verò eſt ipſa Dei natura, ſub indeque nequit à priori demonſtrari, vt D. Thomas prima parte quæſtione 2. art. 2. ac cæteri ferè Theologi communi conſenſu tradunt, ergo exiſtentia & duratio in rebus creatis nō idē omnino erunt; ita vt nullā inter ſe admittant diſtinctionē. Probatur conſecutio, quia abſurdū videtur hæc extra Deum in maiorem colligi vnitatē quàm

in ipso Deo: cùm res quò longiùs à fonte, ac principio sui esse recedut, eò magis degenerent à simplicitate, & in multitudinẽ abeant. Lege Henri. Gand. in sũma art. 1. q. 4. & art. 23. q. 2 M. / lb. in 1. d. 8. tra. 22. Dur. cad. d. q. 2. Aegid. ibidẽ. 2. princi. q. 2. art. 2.

Existẽtia nõ habet in prędicamẽtis locum

Vltimò idẽ speciatim de tempore hunc in modũ concluditur. Si tempus neutiquã differret ab existẽtia, cùm hæc ex vnanimi philosophorũ placito, non habeat in categorijs locũm, sequeretur tẽpus haud rectè in serie quantitatis, vt propriam illius speciem collocari, quod tamen Aristoteli, & cõmuni sententiæ repugnat. Nec satisfacit huic argumento Bassolius in 2. d. 2. q. 1. art. 3. aiens tempus non esse durationẽ motus, sic enim reijceretur à prædicamentis; sed esse motus extensionẽ; eoq; modo inter species quantitatis reponi. Nõ inquam satisfacit, quia negat tempus esse durationem motus, quod omnis Peripatetica schola confitetur. Ex dictis collige essentiã, existentiam, & durationem, quæ tria in qualibet re creata nexu quodam inter se colligata reperiuntur, eum seruare ordinem, vt essentia prior sit; secundũ locũ habeat existẽtia; tertiũ ac postremũ duratio.

Refellitur Bassolij responsio.

Tempus nõ esse durationem sententia minimè Peripatetica.

Noſtra igitur sententia hunc in modũ explicata, & stabilita, non erit difficile aduersariæ partis assertoribus respondere. Nanq; eorũ primo argumento negamus existere nihil esse aliud, quàm durare: cur autem id inficiemur constat ex discrimine inter durationem & existentiam á nobis tradito.

Diluuntur argumenta existimantiũ tẽpus non differre ab existẽtia motu.

Ad secundum neganda est consecutio, & ad eius probationem dicendum malè ibi assignari discrimen inter creationem, & conseruationem: vtraque enim tendit in rem sub esse existentiæ; sed creatio cum nouitate, conseruatio sine nouitate essendi, quæ diuersitas accidentaria tantùm est.

Quod ad tertij argumenti explicationẽ attinet, sunt qui effatum illud, existẽtia est vltima cuiusq; rei actualitas, non ita interpretãdum censeant, quasi existentia sit vltima ordine generationis, sed ita vt dicatur vltimus, ideſt, supremus gradus, quo vnaquæque res adornatur, & perficitur. Nos tamẽ qui arbitramur cum D. Thoma q. vnica de anima, art. 6. existentiam etiam ordine generationis postremam esse, respondemus existentiã dici postremã actualitatẽ, & modũ rei, quia vnaquæque forma & perfectio, habet sese ad existẽtiam vt potentia ad actum, quatenus potest secundum se existere & non existere, neque potentialitatem exuit dũ non stat actu sub exstitentia. Hoc vero modo etiam duratio ad existentiam comparata est in potestate ad illam, vt ad vlteriorem gradum, quatenus sumpta secundũ suã essentiã est indifferens vt ponatur in rebus. Quo fit vt existentia maneat vltimus modus rei, vt pote, cui ipsa quoque duratio præconcipitur, & á qua existens dicitur, cõmodata inuicẽ mutua appellatione, vt sicut existentia à durationẽ durans, ita duratio ab existẽtia existens nũcupetur. Verum quia in hac reciprocatione existentia modo præit durationẽ, modo subsequitur, respondendũ potiùs ideo existentiam dici postremã actualitatem, quia est id, per quod tandẽ res, quæ producitur, formaliter ponitur extra suas causas; licet eidem aliquid præterea superueniat, quod posterius sit.

QVÆSTIO III.

NVM PRÆTER TEMPVS ALIÆ ALIA-rum rerum durationes cõstituendæ sint.

ARTICVLVS I.

DE AETERNITATE, ÆVO, ET QVIbusdam alijs durationibus.



VM duratio sit mensura esse cuiusque rei; cùmque oporteat mensuram proportione respõdere ijs, quæ sub mensuram cadunt; docente Aristotele 10. Metaph. c. 3. tex. 4. fit inde vt pro diuersitate modi, quo res à suo esse deficere, aut non deficere possunt, diuersæ rerum durationes constituendæ sint. Porro autem quædam res sunt, quæ per nullam potentiam queunt in suo esse persistere, vel quia suopte ingenio sunt in perpetuo fluxu, & successione; quo modo sese habent omnes motus, quorum propria mensura est tempus: vel quia fieri nequit vt amplius quàm momento durent, cuiusmodi sunt mutata esse, quibus partes motus copulantur. Atque horum mensura est instans.

Omnis mensura debet esse congenea & accommoda mensurato.

D. Tho. opusc. de instantibus AEgid. in 1. d. 8. q. 2. & d. 19. q. 2.

Est res alia ab his omnino diuersa, nimirum Deus Opt. Max. qui in suo esse ita perseuerat, vt contradictionem implicet, ab eo deficere, atq; ad ipsum secundum nostrum modum intelligendi vtcũq; mensurandum (infiniti enim propriè ac per se mensura nulla esse potest) constituitur æternitas; quam Boetius lib. 5. de consolatione Philosophiæ prosa 6. hunc in modum definijt. Aeternitas est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio: hoc, est duratio omnino inuariabilis, atque independens. Vt paucis cõplectamur, quod multis explicant D. Thomas 1. p. q. 10. art. 1. alijque doctores in 2. sent. dist. 2. Vt enim solum diuinum esse omnino immutabile est & in se infinitè perfectum, nec aliunde pendens; ita propria ac reciproca eius duratio talis esse debet.

Hanc definitionem eisdẽ verbis tradidit Plotinus Enn. 3. lib 7. cap. 2. ex Timæo Platonis.

Aeternitas.

Duratio diuini esse.

Inter Deum, qui non potest non in suo esse persistere, & eaquæ nequeunt in suo perseuerare mediæ quædam res sunt, quæ possũt à suo esse aliquo modo cadere, & in eo aliquandiu permanere, quarũ duo sunt generales ac cõmunes gradus. Aliæ nanque per solam diuinam virtutem deficere possunt: & harum quædam sunt naturalis ordinis, quædam supernaturalis & quasi diuini. Ordinis naturalis, vt Angeli, & eorum naturæ facultates, itemque species eis congenitæ. Præterea animæ rationis participes, & earum immateriales potentiæ; itemque cœlestia corpora, & materia prima; quæ omnia mẽsurantur æuo. Potest autem definiri æuũ hoc modo æuũ est duratio seu mensura esse creati naturalis, stabiliter, ac perenni-

Duo generales & cõmunes gradus rerum.

Hac de re Cyrillus Alex. lib. 7. contra Iul. Anselm9 in Monologio cap. 2. D. Augu. de cognit. veræ vitæ c. 30 & 15. de Trini. c. 5. Lege D. Dionys. c. 10 de diuinis nomi. D. Augu. lib 83. quæst. 72. & 12 de ciui. Dei. c. 10. Richar. in 2. d. 2. q. 3. circa princip. D. Th. quodli. 10. q. 2. art. 1.

AEuum.

Quarũ rerũ sit duratio.

ter sese habentis. Dicitur, esse creati, ad remouendam æternitatem. Naturalis, ad remouendam mensuram rerum supernaturalium. Stabiliter, seu permanēter sese habentis, ad excludendas mensuras rerū successiuarū, & quæ raptim fluunt, vt tempus, quod mensurat motū; & instantia, quæ mensurant mutata esse. Perenniter, ad excludendas mensuras rerū permanentiū, quæ interitui subiacent, cuiusmodi est duratio substantiarum corruptibilium.

In quo nec successio nec partiū distinctio.

Res verò ordinis supernaturalis, quæ in altero propositæ subdiuisionis membro continebantur, sunt v. c. intuitiua cognitio diuinæ naturæ, beatifica dilectio cuiusque beati, & lumen gloriæ. Hæc verò aliam sui esse mensuram sortiuntur, nimirum æternitatem, vti vocant, participatā, quæ eo differt ab æuo, quod hæc sit duratio essentiæ rei supernaturalis, & quasi diuini ordinis. Illud verò rei naturalis.

Aeternitas participata quibus cōpetat.

Quod attinet ad alterum gradum rerum, quæ videlicet suapte natura deficere, & aliquandiū permanere possunt: hic tripartitam rerum continet varietatem. Nam quædam subiectæ sunt mutationibus ad interitum ducentibus, & tamen ipsæ quoad suum propriū esse aliquandiu perseuerant, vt substantiæ, quæ ortum, & occasum subeunt. Hæ verò si spectentur quatenus aliqua eiusmodi mutationum afficiuntur; mensurantur tempore; non per se, sed ex accidente. Si autem sumantur quoad suum esse duntaxat, tunc non tempore mensurātur, sed alia quadā mensura â tempore, & ab æuo distincta, & inter hæc media, quam Henricus Gandauensis quodlibeto. 5. q. 13. modum æui appellat. Nam quòd tempore, vt quidam putāt, non mensurentur, communis est Theologorum sententia, D. Toh. opusc. 44. Heruæi quodlibeto 2. q. 2. AEgidij in 1. dist. 19. quæst. 2. art. 1. ad 4. Scoti in 2. dist. 2. quæst. 4. Durandi ibidem q. 6. Capreoli in 4 d. 43. q. 1. art. 3. licet hi in assignanda prædictarum substantiarum mensura nequaquam inter se conueniant. Sanè quidem non mensurari illas tempore, si præcisè quoad suum esse spectentur, ea ratio probat; quia oportet mensuram rei mensuratæ accommodatam, & congeneam esse. Quare cùm substantia rerum corruptibilium ita sumpta non sit quidpiam successiuum; consequens est, vt tempore, quod successiuum est, non mensuretur. Neque obstat, quod Aristoteles hoc in lib. cap. 12. docet generabilia in tempore esse, eoq; mēsurari; loquitur enim de ijs prout motui, & quieti subiacent. Quod ipse eodem capite hisce verbis disertè explicat. Id vero, quod mouetur, & id quod quiescit, quatenus quidem id mouetur, hoc autem quiescit, tempus metitur, &cæt. Non inficiamur tamen admodum esse probabilem contrariam sententiam, quam tuetur Fonseca libro quinto Metaph. capite decimo tertio quæst. 12. sect. 3.

Subsātię corruptibiles qua duratiōe mē surentur.

Modus æui, quibus rebus accommodetur.

Vt vero cæteras mensuras persequamur; quædam formæ sunt quæ suapte natura per motum acquiri solent; sed enim postea quam cōparatæ fuerunt, permanere in suo integro esse qucūt, cuiusmodi

sunt

ſunt qualitates, in quibus per ſe alteratio verſatur; & quantitas ad quam per ſe tēdit accretio. Et hæc quidem ſi quoad illud eſſe permanens, ac fixum conſiderentur, menſurātur modo æui, ſicuti generabiles, caducæque ſubſtantiæ. Alia denique ſunt entia, quæ non neceſſario per motum comparantur, ſed plerunque mutatione aliqua momentanea; & tamen poſſunt in ſuo eſſe manere. Hæc verò aut naturalis ordinis ſunt, vt intellectiones, conceptus, itemque habitus ſcientiarum, & virtutum, aliaque huiuſmodi. Quæ omnia quatenus in ſuo eſſe indiuiſibiliter conſiſtunt, menſurantur etiam modo æui. Vel ſunt ordinis ſupernaturalis, vt gratia, fides, charitas, aliæque virtutes, & dona diuinitus infuſa. Atque hæc aliam vendicant menſuram, quæ modus æternitatis participatæ dici poteſt.

Modus æternitatis participatę.

ARTICVLVS II.

DE TEMPORE SPIRITALI CONTINUO, de tempore diſcreto, de inſtantibus naturæ.

Mensura mōtuum ſpiritalium.

QVæret tamē aliquis; cū ſpiritales formæ, v.c. habitus ſcientiarum, & virtutum, non ſolùm momento acquirantur; ſed poſsint etiam ſucceſsiua continuatione intendi, vt tertio huius operis libro ſtatuimus; num ad dimetiendos huiuſcemodi motus alia menſura adhibenda ſit. Cui dubitationi affirmatè reſpondemus: oportet enim eis attribui durationem ſucceſsiuam continuam, & ſpiritalem; ac proinde tempus quoddam diuerſæ rationis ab eo, quo motus Phyſici menſurantur. Quin verò ſi de ſupernaturalis, & diuini ordinis formis ſermo ſit, & eæ, quod fieri poteſt, per continuam ſucceſsionem, atque adèo per motum diuinitus infundantur, concedendum erit dari adhuc tempus aliud, quod eum motum dimetiatur. Etenim tanta diſtinctionis latitudo, quanta inter res corporeas & immateriales; & inter res diuini, & naturalis ordinis intercedit, non poteſt non aliam durationē, diuerſamque ſui eſſe menſuram vindicare.

Menſura mōtuum ſpiritalium ſupernaturalis, & diuini ordinis.

De tempore angelorū meminit d. Aug. 8. in geneſ. c. 21. & 12. de ciuit. Dei c. 15. De tēpore diſcreto D. Th. 1. ſent. d. 37. q. 4. ar. 3. & qdl. 10. ar. 4. S. Bonau. in 1. d. 37. Henricus quodl. 1. q. 13. Duran. in 2. d. 2. Aegidius in tract. de mēſura angel.

Sed illud præterea aduertendum eſt; plures intelligendi ſeu volendi actus eiuſdem Angeli, quorum vnus alteri ſuccedit, dupliciter ſpectari poſſe: vel ita vt vna aliqua ipſorum collectio ſumatur; vel vt ſinguli per ſe, ac ſeorſim expendantur. Igitur duratio totius collectionis appellatur tempus diſcretum. Tempus, quia cernitur in ea prius & poſterius, quatenus ex huiuſmodi actibus alij præeunt, alij ſubſequuntur: diſcretum, quia prædicti actus non continuè, ſed diſcretè ſibi inuicem ſuccedūt. Si vero ſingulatim conſiderentur duratio vniuſcuiuſque dicitur inſtans temporis diſcreti, ſiue momentanea ſit, ſiue non, modo hæc ſit vniformis. Vnde non erit difficile

Tempus diſcretum.

Inſtantia tēporis diſcreti.

videre

Discrimina inter tempus continuum, & discretum.

videre quantum inter tempus discretum, & continuum sit discrimi-
nis. Illud enim ex solis constat instantibus; hoc etiam ex partibus
continuè fluentibus; illud metitur actiones discretas; hoc conti-
nuum motum; illius instantia interdum insectilia sunt, interdum
non, siquidem potest Angelus eum intelligendi actum, quem in
hoc instanti elicuit, vel immediatè post inhibere, vel tota hora con-
tinuare; at instantia temporis continui carent omnino partibus,
quia raptim fluunt, & immediatè post euanescunt, vt mutata esse,
quorum sunt mensuræ.

Instantia naturæ.

Postremò nec illud ignorandum est præter instantia temporis esse alia, quæ instantia naturæ dici consueuerunt, quæ nihil aliud sunt, quam antegressiones quædam, quibus ea, quæ vtcunque ra-
tionem, seu modum causæ habent, vel alijs supponuntur, effectus suos seu quasi effectus, præeunt, esto omnia simul in eodem pun-
cto indiuisibili temporis esse incipiant aut conueniant. Quo pacto contingit in vnum, idemque tẽporis instans includi multa naturæ instantia: ratione quorum alia priora, alia posteriora natura voca-
mus, verbi gratia, eodem momento temporis Petrus est substantia, est corpus, est viuens, est animal, est homo, est denique Petrus. Ve-
rùm quia ex his prædicatis, vt quodque altius eminet, ita est causa inferioris, fit inde vt quodlibet in suo instanti naturæ præeat sibi inferius, ac priùs etiam, quàm illud, Petro cõpetat. Vnde patet in eo temporis instanti, quo Petrus genitus est, tot concurrisse instan-
tia naturæ ratione prædicatorum, quæ sibi in recta serie vendicat; quot ei superiora prædicata conueniunt. Et verò si natiuas cuiusque rei proprietates consideremus, cùm subiectum, earum fons, & causa sit; & aliæ aliarum interuentu oriantur, vt docet D. Thomas 1. p. q. 77. ar. 6. & 7. hîc etiam multa naturæ instantia in vno temporis mo-
mento inueniemus: ipsum nanque subiectum priùs natura est, quam proprietates; & ex his vnaquæque naturæ ordine antecedit eam, quæ ipsius interiectu dimanat, vt facultas cognoscẽdi appetẽdi vim.

De antegressione instantium naturæ Capr. in 3. d. 24 q. vnica ad calcem art. 3. Scotus 8. Metaph. q. 4.

Eodem instãti tẽporis cõcurrunt multa naturę instantia.

Obiect.

At obijciat tamen aliquis. Si Socrates sit priùs animal, quàm ra-
tionis particeps, sequi in aliquo instanti existere Socratem, nec ta-
men in eo esse hominem, quod nemo dixerit. Sed negandum est se-
qui id. Etenim vt annotauit Durãd. in 2. d. 1. q. 2. ex instantibus na-
turæ non rectè arguitur existere vnum sine alio; cùm eiusmodi in-
stantia non sint mensuræ durationum; sed potius signa quædam in-
dicantia non pendere vnum ab altero, posse vnum præconcipi sine altero, vt substantiam sine corpore, corpus sine viuente, particeps rationis sine Socrate.

Dilut.

Nonnulli quos refert Capr. in 2. d. 25. q. 1. ar 3. ad arg. Scoti cõtra 2. cõcl. negãt istiusmodi signa.

Haud nos præterit Theologorum nonnullos vt Scotum, Ocha-
mum, & Durandum in 2. d. 2. aliter durationum mẽsuras distribue-
re, aduersus quos disputare in præsenti supersedemus, ne dum men-
suras durationum quærimus, libri mensuram excedamus.

QVARTI LIBRI FINIS.

IN QVINTVM LIB. PHYSICORVM ARISTOTELIS

PROOEMIVM.



VEMADMODVM RATIO MOtus in naturæ rebus latiſsimè funditur, ita illius in Pgyſiologia contemplatio varia eſt, ac multis inuoluta difficultatibus. Quocirca hoc etiã libro, & ijs, qui ſequuntur, de eo agit Ariſtoteles. Cum verò libro tertio explicatum reliquerit quid ſit motus, & in quo ſubiecto inſideat; nunc reliqua ad eius conſiderationem ſpectantia perſequitur. Et in prima quidem huius libri parte tradit ſpecies motus: in ſecunda eius vnitatem, & diuerſitatem explicat: in tertia de eiuſdem contrarietate diſſerit. Libri ſcopus. Diſtributio.

Capitis primis Explanatio.

Μεταβάλλει δέ } id eſt, mutatur autem, ita incipit contextus Græcus, cùm verò particula, δέ, ſit nota continuationis, & ea, quæ ad calcem ſuperioris libri continentur, nullum cum ijs, quę hic tradontur, nexum habeant; ſunt qui putent hunc librum cum antecedente non coniungi, nec ab Ariſtotele hoc ordine fuiſſe compoſitum, vel certe, quod veriſimilius eſt, quędam initio deſiderari. Et vero dici poteſt quanquam prima verba huius, & extrema illius non cohęreant; cohęrere tamen prima huius, cum ijs, quę in illo, paulo ſupra de temporis & motus comparatione diſſeruntur.

b Aliud quidem } Vt ad ea, quę de motu, alijsque ad ipſũ attinentibus pertractanda ſunt, viam muniat, pręſumit in hac prima ingreſſione, decernitq; quot modis mutatio, id eſt, motus, (Nã hoc loco mutationis, & motus vocabulo indiſcriminatim pro motu vtitur) accidere ſoleat. Itaque triplicem motus diuiſionẽ tradit: ratione mobilis, mouẽtis, & formę, quę motu acquiritur. Prima diuiſio ita ſe habet. Eorum, quæ mouentur, quędam ex accidente mouentur: quędam per partem, quę tamen ſimpliciter moueri dicuntur: alia per ſe primo; ideſt nec ex accidente, nec merito partis alicuius. Primo modo accidentia omnia moueri dicimus, cum

Tripartita motus diuiſio.

CAP. I.

Text. 1. Omne autem, *quod mutatur,* b *aliud quidem ex accidenti mutatur, vtcùm ambulare muſicũ dicimus, propterea quòd hoc ambulet, cui accidit vt muſicũ eſſet. Aliud verò ſimpliciter dicitur mutari, quòd eius aliquid mutetur, vt quæ per partes dicũtur. Corpus enim ſanatur, quoniam oculus, aut thorax, quæ totius corporis ſũt partes. Eſt verò aliquid, quod nec ex accidenti mouetur, nec quòd eorum quæ in eo ſunt, aliud quidpiam, ſed quòd ipſum primò moueatur.* Atque

cum ſubiectum, cui inhęrēt, mouetur, vt album deambulare, quia Socrates deambulat. Secūdo modo Socratē ſanari, quia oculo ſanatur. Tertio, eūdē currere, quia curſus ei per ſe, ac primario ineſt. Subdit vero id, quod iuxta hanc poſtremam notionem, motum init, eſſe aliud & aliud. Quibus verbis, omiſſa Aurroïs & Simplicij interpretatione, qui eorum intelligētiam aſſecuti non ſunt, ſignificat id, quod per ſe mouetur, diuerſificare motuum variari, tum quia, alterationes generatim ſumpta, alterabile; ſanatione ſanabile vocatur: tum quia non omnia omnes motionem ſpecies ſubeunt. Mouetur enim loco cęlum, non alteratur, ſanatur animal, non lapis.

c Similiter autem res habet } Non abſimilis diuiſio aſsignari poteſt, ratione mouētis. Nam quod mouet, aut ex accidente mouet, vt cum muſicus ędificat: aut per partem, vt cum Socrates percutere dicitur, quia manu percutit, aut p ſe primo vt cum medicus curat. Sicut enim muſicæ ex accidente ędificatori conuenit, ita medico per ſe curatio.

Atque hoc eſt id, quod per ſe mobile eſt. Alia autem motione aliud, vt alterabile, & alterationis id, quod curari poteſt, aut quod caleſcere diuerſum eſt. c *Similiter autem res habet in eo, quod mouet. Nam aliud ex accidenti mouet, aliud per partem, quod eorum, quæ illius ſunt, aliquid: aliud per ſe primo, vt Medicus quidem meatur, manus autem percutit.* Text. 2.

d *Quoniam autem eſt id, quod primum mouet, & aliquid, quod mouetur, atque etiam tēpus, in quo, & præterea id, ex quo, & id quo (omnis enim motus ex aliquo eſt, & ad aliquid: nam quod primum mouetur, & id quo, & id ex quo, diuerſa ſunt, vt lignum & calidum, & frigidum, quorum aliud eſt id quod, aliud id quo, aliud id ex quo?) perſpicuum eſt motū in ligno eſſe, non in forma. Nam nec mouet, nec mouetur forma, aut locus, aut quantitas, ſed eſt id, quod mouet, & res, quæ mouetur, & id quo mouetur.* e *Magis enim ex eo ad quod, quàm ex eo, ex quo mutatio nominatur. Quapropter & interitus in nō ens mutatio eſt, tametſi ex eo quod eſt, id quod interit, mutatur, & generatio, in id quod eſt, quamuis ex eo, quod non eſt.* f *Ac quid motus ſit antea dictum eſt. Formæ autem, & affectiones, & locus, ad quæ mouetur ea, quæ mouentur, moueri non poſſunt, veluti ſcientia, & calor. Sed aliquis dubitabit num affectiones motus ſint: albedo autem affectio. In motum enim mutatio erit. Sed fortaſis albedo motus non eſt; ſed dealbatio.* g *Eſt autem & in illis id, quod ex accidenti, & id, quod per partem atque per aliud, & id quod primū, & nō per aliud: vt quod albeſcit in id, quod ſub intelligentiam cadit, ex accidenti mutatur. Accidit enim vt color ſub intelligentiam cadat. In colorem autem, quoniam coloris pars albedo eſt: Et ad Europam, quod Athenæ pars ſunt Europæ. At verò in album colorem per ſe.* Text. 3. Text. 4. Text. 5.

Quinque in omni motu inueniri.

Itaque

d Quoniam autem eſt id } Ambiguitatē habet hic locus, vt interpretum in eo explicando diſsidia oſtendant. Videtur tamen Ariſtoteles antequam tertiam partitionē ſubijciat, probare motu non eſſe in termino ad quem itur, nec in termino a quo: ſed in re, quę mouetur, vt libro 3. demonſtratum fuit. Id vero vt pateat, monet prius quinque in omni motu reperiri, id quod primū mouet, id quod mouetur, tempus in quo fit motus, terminum à quo & terminum ad quem. Deinde ſumit id quod primò mouet, itemque terminū à quo, & ad quem diuerſa eſſe. Quibus poſitis oſtendit motum non eſſe in termino ad quem, ſeu in forma, quia forma vt locus, aut quantitas: nec mouet, nec mouetur: Quin potius tria hæc id quod mouet, res quę mouetur, & id quò tenditur. in quouis motu tanquam diuerſa inueniuntur. Quare fieri nequit, vt & id quò tenditur, & id, quod motum recipit, idem ſit.

e Magis enim } Conciſè & obſcurè probat motum non eſſe in termino à quo hunc in modum. Magis congruit vt motus ſit in eo, ad quod tendit, quam in eo, à quo proficiſcitur, ſi in alterutro eſſe oporteat, ſiquidem mutationes, motuſque vniuerſi ab eo, in quod feruntur, appellationē obtinent: atqui motus, vt probatum fuit, non eſt in termino ad quē, ergo multo minus erit in termino à quo.

f Ac

f Ac quid motus) Probat rursus motum non esse in termino adquem ex ipsa motus natura & definitione. Nam motus est actus mobilis, vt mobile est, forma verò, quę acquiritur, vt qualitas, locus, quantitas, non sunt ipsum mobile, ac proinde nec in se motum recipiunt. Mouet autem dubitationem num prędictę affectiones sint motus. Respondetque non esse. Dubit. Nec enim albedo motus est; sed dealbatio, quę est albedinis acquisitio: alioqui si albedo esset Sol. motus, daretur ad motum mutatio, ex quo fieret vt res moueretur, cùm iam non mouetur; & vt res non moueretur, cum mouetur, quia haberet motum post adeptum terminum, & nō haberet motum ante terminum adeptum, sed dum est in via ad illum.

g Est autem & in illis) Tertiam affert partitionem desumptam à forma, quę motu acquiritur. Nam quę ad aliquam formā tendunt, quędam ratione illius ex accidente mouentur; quo pacto, id quod albescit dicitur ex accidente proficisci ad formā, quę sub intellectus notitiā cadit; accidit enim vt albedo, ad quam per se tendit, intellectu comprehendatur. Alia dicuntur moueri ratione partium, quomodo id, quod ad candorem pergit, dicitur proficisci ad colorem, quia candor est pars coloris subiecta. Alia denique per se primò mouentur: ita que id quod frigebit, per se primò ad frigus mutatur. Et quod albescit, ad albedinem. Motus partitio.

Itaque perspicuum est quemadmodum & per se, & ex accidenti, & per aliud quidpiam, & primum tum in eo, quod mouet, tum in eo, quod mouetur, intelligatur. Motum præterea non in forma esse, sed in eo, quod
Text.6. *mouetur, actuque mobile est.* h *Ac ea quidem, quæ ex accidenti est mutatio, prætermittatur, quod in omnibus sit, & semper, & omnium: quæ autem non ex accidenti, non in omnibus, sed in contrarijs, & medijs, & in contradictione. Cuius rei fidem facit inductio. Ex medio enim, vt ex contrario mutatur. Nam eo vt contrario vtitur, si cum vtroque comparetur, quippe cùm medium quodammodo extrema sit; Ideo & hoc cum illis, & illa cum eo collata quodammodo contraria dicuntur. Vt fidium media netæ comparatione graui sono, & hypatæ, acuto prædita est. Et fuscum cum nigro comparatum album est, cum al-*
Text.7. *bo nigrum.* i *Quoniam autem omnis mutatio ex aliquo est in aliquid (id quod nomen μεταβολὴ indicat, siquidem μετ' ἄλλό τι, ideſt post aliud aliquid, & hoc quidem prius, illud posterius declarat) quatuor modis mutari id quod mutatur, potest. Aut enim ex subiecto in subiectum, aut ex non subiecto in non subiectum, aut ex non subiecto in subiectum, aut ex subiecto in non subiectum. Dico autem subiectum id quod affirmatione declaratur.* k *Tres itaque ex his, quæ dictæ sunt, necesse est esse mutationes, eam quæ ex subiecto est in subiectum, & quæ ex subiecto in non subiectum, & quæ ex non subiecto in subiectum. Nam quæ est ex non subiecto in non subiectū, non est mutatio, propterea quod in oppositione non sit posita: nec enim in contrarijs est, nec in contradictione.*

h At ea quidem) Docet ablegandam sibi esse, & ab hac disciplina remouēdam mutationem ex accidente, quod è re quauis in rem quamlibet esse possit, vt ex albo in musicum, ac promiscuè in rebus omnibus visatur, quia nihil est, quod hisce mutationibus non subiaceat. Qua ratione è medijs vel ad media fiat mutatio.

i *Porro* Itaque eam solam mutationem hoc in loco tractandam, quę est inter contraria, media, aut contradicentia, sub quo vltimo membro priuantia complectitur. Exponit autem quo pacto è medijs, aut in media mutatio per se fieri possit, quia medium inquit cum altero extremorum comparatum ob eam, quam cum vtroque extremo conuenientiam habet, alterius extremi rationem subit, vt fuscum comparatione candidi, nigrum est, comparatione nigri, candidum; & in cytharę fidibus media collatione primę, grauis, respe- Medium cū vno extremo comparatum subit vicem extremi.

respectu vltimę, acuta dicitur.

i Quoniam autem omnis mutatio) Vt mutationis per se genera & partes explicet, constituit prius mutationem semper ex vno in aliud fieri, idque ait vel ipso mutationis nomine indicari. Nam μεταβολή, quod est mutatio, μετ' ἄλλότι hoc est post aliquid aliud significat, atque adeò vnum prius, alterum posterius. Cùm igitur mutatio sit ex vno in aliud (quandoquidem vt annotarunt Simplicius, & Auerroes, id quod eandem seruat dispositionem, non dicitur mutari) fit vt quot modis extrema hęc iungantur, totidem mutationum genera fingere liceat: nimirum aut inter terminos positiuos, aut inter negatiuos, aut inter terminum à quo negatiuum, & ad quem positiuum, aut inter terminum à quo positiuũ & ad quem negatiuum. Vocat autẽ terminum positiuũ subiectum, negatiuum non subiectum.

Quid sit mutatio.

Varia mutationum genera.

k Tres itaque) Relicta ea coniugatione, quę est inter terminos vtrinque negatiuos, quod ij nec contradicentẽ nec contrariam oppositionem seruẽt, statuit in cęteris tribus veram esse mutationem, nempe eam quę est inter vtrũque positiuum, vt inter calidum & frigidum, quę mutatio dicitur motꝰ. Eam quę est inter terminũ à quo negatiuum, & ad quẽ positiuum, vt cum ex non homine gignitur homo, quę vocatur generatio. Eam quæ est inter terminũ à quo positiuum, & ad quẽ negatiuum, vt cum ex homine fit non homo, quę appellatur corruptio.

l *Porro ea, quæ è nõ subiecto in subiectũ, in cõtradictione est mutatio, generatio est: ea quidem, quæ simpliciter, omninoque est, simplex: quædam verò cuiusdam, vt quæ ex nõ albo in album est, generatio huius est: quæ verò è non ente simpliciter in substantiam est, generatio simpliciter est, qua simpliciter fieri, non aliquid fieri, dicimus. Quæ autem ex subiecto est in non subiectum, interitus: simpliciter quidem is, qui ex substantia ad non esse: quidam autem is, qui in oppositam negationem, vt de generatione quoque est dictum.* m *Itaque si non ens multis modis* Text. 8. *dicitur, neque id moueri potest, quod in compositione, & diuisione positum est, nec item id, quòd potestate est, quod ei opponitur, quod simpliciter actu est (nam quod est nõ album, aut non bonum, moueri potest ex accidenti, cùm homo esse possit id, quod est non album, quod autem simpliciter non hoc est, nullo modo, siquidem quod non est, moueri non potest) si inquam res sic habet, fieri etiam non potest, vt generatio sit motus. Id enim generatur, quod non est. Nam etsi quàm maximè per accidens generatur, tamen de eo, quod simpliciter gignitur, non ens verè affirmatur.* n *Similiter verò & quiescere. Hæc autem omnia incommoda ex eo sequuntur, quod id, quod non est, moueatur, atque etiam si quidquid mouetur, in loco est, id autem, quod non est, in loco non est, quippe quod alicubi esset. Neque igitur interitus est motus. Nam quod cõtrarium est motui, aut motus est, aut quies. Generationis autem contrarium, interitus est.*

o *Quo-*

Diuisio generationis in generationẽ simpliciter, & in generationem secũdum quid.

l Porro ea) Subinde diuidit generationem, in generationem simpliciter, qua gignitur id, quod simpliciter ens est, nimirum substantia; & in generationem secundum quid (hanc vocat generationem huius) qua comparatur ens secundum quid, hoc est, accidens. Corruptionem quoque similiter distribuit in corruptionem simpliciter, qua mutatur aliquid è substantia in non substantiam, vt ex homine in non hominem; & in corruptionem secundum quid, qua quidpiam ab esse accidentario, in negationẽ eiusdem, vt ex calido in nõ calidum transit.

Generationẽ substantialẽ non esse motum.

m Itaque si non ens) Duplici ratione confirmat generationem substantialem non esse motũ, prius tamẽ edocet nõ ens trifariã accipi. In primis pro eo, quod in sola mẽtis notione soloq; intellectu cõponẽte, & diuidẽte, nõ verò in ipsis rebus inest, vt hominẽ esse belluã, aliaq; pure cõmentitia. 2. pro materia prima, quę appellatur non ens, quod non sit ens simpliciter actum

actum includens, sed pura potentia. Tertio pro negatione alicuius esse accidentarij, vt pro non albo. His positis ita disserit. Non ens primo modo moueri non potest, vt perspicuum est: nec etiam secundo, quia vt aliquid moueatur, oportet vt simpliciter sit. Nec denique tertio, nisi forte ex accidente, quatenus Socrates, cui non album accidit, mouetur. Id autem, quod gignitur, fit ex non ente secundo modo, ideſt, ex materia prima, quę est subiectum generationis: ergo id, quod gignitur, qua tale, non mouetur, proindeque generatio non est motus.

n Similiter vero) Altera ratio breuiter & obscure hunc in modum concluſa est. Ea, quę motus alios subeunt, possunt etiam per se lationem subire, & quiescere, atque adeo per se cõtinẽtur loco: at materia prima, quę est subiectum generationis, cum nõ simpliciter ens sit, nequaquam per se loco continetur. Nõ igitur per se moueri potest: atq; adeo generatio non est motus. Quod vero nec corruptio motus sit, probatur quia alioqui generatio ei contraria esset motus, aut quies; siquidẽ motui non nisi motus, vel quies aduersatur: generatio autem nec motus est, nec quies, vt ex dictis constat. Quare nec corruptio motus erit.

Corruptionẽ non esse motum.

Text. 9. o *Quoniam autem motus omnis mutatio est quædam, & tres sunt, quas diximus, mutationes, è quibus generatio, & interitus, quæ contradictione tenentur, motus non sunt, ea duntaxat mutatio, quæ è subiecto est in subiectum, motus sit necesse est. Subiecto autem aut contraria aut media. Nam priuatio contrarium ponatur, nudumque & album,* *Text. 10.* *& nigrum affirmatione declarantur.* p *Si igitur in substãtiam, & qualitatem, & vbi, & id, quod ad aliquid est, & quantum, & agere aut pati, categoriæ diuisæ sunt, tres sint motus necesse est, & eius, quod quantum est, & eius, quod quale, & eum qui in loco sit.*

CAP.

o Quoniam autem) Cum mutatio in tria membra superius distributa sit, pateatque motum primis duobus non comprehendi, reliquum esse inquit, vt ad tertium pertineat, quod est è subiecto in subiectum; siue ex vno contrario in aliud, ita tamen vt contrariorum nomine intelligantur non solum extrema vt candidum, & atrum, sed etiam media: imo & priuantia; non tamen quę substantię, sed quę accidentis priuationem inuehunt. Quod annotauit Simplicius: Priuatio enim substantię ad terminos generationis & interitus, non autem motus spectat.

p Si igitur in substantiam) Motum presse sumptum in tria membra partitur, pro numero categoriarum, ad quas motus esse potest. In eum scilicet, qui est ad quantitatem, & accretio vel imminutio dicitur. In eum, qui est ad qualitatem, vocaturque alteratio, & in eum, qui ad locum, seu vbi, quem lationem nominat. Recensuit autem hoc loco Aristoteles septem duntaxat categorias, quia vt Alexander apud Simplicium animaduertit, in cęteris planũ erat, non versari motum.

Diuisio motus presse sũpti.

Capitis secundi Explanatio.

IN a substantia autem) Explicatius declarat, quod ad calcem superioris capitis strictim asseruerat, nimirum ad tres duntaxat categorias esse per se motum, ad Quantitatem, Qualitatem, & vbi. Primumque inductione ostendit ad nullam aliam categoriam esse per se motum: deinde esse ad hęc tria. Quod ergo ad substantiam nõ sit, ex eo suadet, quia motus est è contrario in contrarium; substantia vero contrarium non habet.

Ad tres tantũ categorias esse motum.

b At neque in eo quod est) Ostendit neque ad relationem esse per se motum: quia nõ potest ad id motus esse, quod alicui absque eius mutatione accidere potest: at relatio ita se habet. Si enim Plato albedine prędituſ sit, Socrates nigredine, postmodum vero Socrates albescat; vtique Plato sine vlla sui mutatione Socrati similis fiet noua similitudinis relatione, quam antea non habebat. Monet autem dari ad relationem motum ex accidente; nimirum quia saltem in altero relatorum mutatur subiectum ad relationis fundamentum; vt in proposito exemplo, Socrates ad albedinem.

Non dari motũ ad substantiam.

Neque ad relationem.

Neq; ad motum.

c Nec sane eius) Aggreditur ad demonstrandum vnius motus alterum motum mutationemve non esse: atque adeo ad actionem, & passionem nullum motum dari. Quoniam autem bifariam intelligi potest vnum motum alterius esse, nimirum vel tanquam eius, in quo inhęret, vel tanquam termini a quo, vel ad quem proficiscitur; ostendit imprimis motum nequaquam esse alterius motus subiectum: siquidem fieri nequit, vt motus albescat, refrigeretur, aut loco moueatur, aut alios huiusmodi affectus, qui subiectorũ proprij sunt, sustineat.

d Aut quod subiectum aliud) Accedit ad alterius partis confirmationẽ, probatque nullum subiectum ex vna mutatione tanquã ex termino à quo in aliam mutationem moueri, nisi forte ex accidente, vt cum postlationem sequitur dealbatio. Prius tamẽ sumit motum esse mutationem è termino vnius speciei ad terminum alterius, vt à calido in frigidum; & hoc ipsum etiã in alijs mutationibus, quę motus non sunt, vt in ortu, & interitu reperiri; esto discrimen sit, quod hęc versentur inter contradicentes terminos, motus vero non nisi inter cõtrarios. Hoc posito ita videtur argumentari. Si, verbi causa, ęgrotatio tẽderet ab vna mutatione tanquã ex termino à quo, ad aliam tanquam ad terminum ad quẽ: cum termini debeant esse contrarij, tenderet simul ex sanitate ad ęgritudinem, & ad sanationem; sicque idem simul & sanitatis, & ęgritudinis motu afficeretur, quod repugnat.

Termini motus.

CAP. II.

IN a substantia autem motus non est, quod eorum quæ sunt, nihil substantiæ aduersetur. b At neque in eo quod est ad aliquid. Fieri enim potest, vt altero mutato, alterum verè dicatur, quanquam nihil mutatum. Ita eorum motus ex accidenti est. c Nec sanè eius est, quod facit, & patitur: nec vllius quod moueatur, aut moueat. Motionis enim motus non est, nec generationis generatio, nec omnino mutationis mutatio. Primum enim bifariam contingit motionis esse motionem. Aut vt subiectum veluti homo mouetur, quòd ex albo in nigrum mutetur. Num igitur & motus aut calefit, aut refrigeratur, aut locum mutat, aut augescit, aut imminuitur? At hoc esse non potest quippe cum eorum, quæ subiecta sunt, mutatio nullum sit. d Aut quod subiectum aliud quidpiam è mutatione in aliam speciem mutetur, veluti homo è morbo in sanitatem. At ne hoc quidem potest fieri, nisi ex accidenti. Nam ipse motus ex alia specie in aliam mutatio est: itemque ortus & interitus eodem modo, quanquam hoc interest, quod hæ mutationes in opposita sunt hoc modo, motus verò alio. Simul igitur ex sanitate in ægritudinem, & ex hac ipsa mutatione in aliã mutatur. Constat autem cùm ægrotauerit, fore vt mutatum sit in quanuis, quiescere namque non potest, & insuper non in quanuis semper, illaque ex aliquo in aliquid aliud. Quare sanatio, quæ oppositæ erit, erit ex accidenti: vt si ex recordatione in oblitionem immutetur, quoniam cui inest, illud mutatur, interdum quidem in scientiam, interdum in sanitatem. e Insuper si mutationis erit mutatio, & generationis generatio in infinitum res progredietur: necesse est autem & priorem esse si posterior erit, vt si generatio simplex aliquando orta est, & id quod fit, factũ est: quare quod fit simpliciter, non dum erat: sed aliquid quod fit iam, & fit. Et

Text. 11.

Text. 12.

Text. 13.

e Insuper si mutationis) Aliam hic subijcit rationem, quę interpretibus multum exhibet negotij. Nã & obscura est, & non eodem modo in exemplaribus inuenitur. Non enim, Simplicio referẽte, Aspasius, & Alexãder legerunt, vt vulgata habent exẽplaria. Rationis vis hęc videtur. Si mutationis vlla foret per se mutatio, verbi causa, si esset generatio generationis, daretur progressus in infinitum; hic esse non potest; ergo nec generationis generatio. Ma-

ior

ior suadetur, quia si istius generationis, qua ignis producitur, alia generatio est, erit & alia tertia, qua secunda gignatur, similiterque alia quarta, qua gignatur tertia, atque ita in infinitum. Quod vero hoc admittendum non sit, probatur, quia si detur vltima generatio, qua hic ignis producitur, oportet dari etiam primam, vnde hęc ortum habet. Nam si hęc generatio actu nunc fit per aliam generationem, certe hęc generatio non dum peracta est, quia quod fit, non dum absolutionem habet. Si autem hęc generatio non dum est, certe neque ipse ignis est. Rursus si secunda generatio per aliam efficitur, secunda illa non dum est: atque ita tres habet in cæteris. Si ergo non detur aliqua prima generatio, quæ vere absoluta sit, certe

Mutationis non esse mutationem.

nec dabitur hęc vltima generatio cõpleta; atque adeo nihil perfecte fieri, aut perfecte moueri vnquã poterit, quod & rationi, & experiẽtię repugnat. Itaque recte colligitur si detur vltima generatio qua hic ignis re vera producitur, dari etiam primã.

Et rursus hoc interdũ factũ est: quare nõdũ erat id, quod fit. Quoniam autem eorum, quæ infinita sunt, nihil est primum, primum non erit. Quamobrem nec quod haberet. Neque igitur

Text. 14. *generari, neque moueri, neque mutari aliquid potest.* i *Præterea eiusdem rei motus contrarius est, & quies, item generatio, & interitus. Quare id, quod oritur, tum cùm oritur, interit. Nec enim vt primum oritur, nec post: nam esse oportet id,*

Text. 15. *quod interit.* g *Oportet etiam ei, quod gignitur & mutatur, materiam subesse. Quæ igitur erit? veluti alterabile aut corpus est, aut anima. Ita igitur quod fit, motus, aut generatio.*

Text. 16. *Et rursus aliquid, ad quod mouentur. In huius enim ex hoc ad hoc motione aliquid oportet esse, & non motum, aut generationem, quo etiam tandem pacto erit? nõ enim generatio dis-*

Text. 17. *ciplinæ erit disciplina. Quare nec generationis generatio, nec alicuius aliqua. Præterea si tres sunt motionis species, harum aliquam necesse est esse subiectam naturam, & ea, ad quæ mouentur, vt ex necessitate lationem alterari aut ferri. Omnino autem cùm id omne quod mouetur, trifariam moueatur, aut ex accidenti, aut quod eius pars aliqua, aut per se, ex accidente duntaxat mutationem mutari profecto contingit: vt si is, qui sanatur, currat, aut discat. Eam verò, quæ est ex*

Text. 18. *accidenti, iam diu prætermisimus.* h *Quoniam autem nec in substantia, nec in eo, quod est ad aliquid, nec in eo quod est facere, & pati, motus est, restat in qualitate tantùm esse, & quantitate, & vbi. In his enim omnibus contrariorum repugnãtia inuenitur. Is igitur motus, qui est in qualitate, sit ἀλλοίωσις, hoc est, alteratio. Hoc enim commune nomen coniunctũ inditum est. Dico autem qualitatem non eam, quæ in substantia, (nam & differentia qualitas est) sed patibilem, ex qua pati, aut impatibile esse aliquid dicitur. Is*

Aduerte non repugnare sibi Aristotelem cum hic negat progressionẽ infinitam in generationibꝰ, quã alibi concedit posita mundi ęternitate. Hic enim agit de generationibus essentialiter subordinatis, quarum quęlibet cum antecedentibus ita connexa sit, vt nisi illę actu existant, esse non possit. Alibi verò eas tantũmodo statuit, in quibus accidentaria subordinatio inest, qualem habuissent hominum generationes si ab ęterno fuissent. hę vero non ita sunt affectę, vt posterior ab actuali existentia prioris dependeat.

Quem progressum infinitũ in generationibꝰ cõcedat, aut neget Aristoteles.

f Præterea eiusdem rei } præmittit interitum & generationem, motusq; omnes cõtinuos, & quietem his repugnantem ad idem pertinere; ita vt quod mouetur vno motu, non repugnet ei contrarium subite, & quiete contraria quiescere, alio tamen & alio tempore; si non per naturam, saltem per vim extrinsecus illatam. Hoc posito ita differit. Si generationis generatio foret, cùm generatio & interitus circa idem versentur, generationis esset interitus. Quod falsum esse patet. Nam vel generatio interiret antequam esset, vel postquam desijt, vel cum est. Non antequam esset, vel postquam desijt; quia id, quod non est, nequaquam interit. Non cum est, quia tunc generatur, vt aduersarij concedunt: Nõ igitur generationis corruptio dari potest.

Generationis nõ esse generationẽ.

g Oportet etiam } Sequuntur tres rationes, quibus concludit nec generationis generationem, nec mutationis mutationem esse, quod iam supra demonstrauerat. Prima est, quia omnis mutatio requirit subiectum, quod à mutatione ipsa diuersum sit, vt animam, vel corpus,

Non dari generationis generationem.

corpus, itemq; terminum ad quem proficiscitur. At si mutatio subiectum constituatur, quid nam rei sit tale subiectum, designari non potest: proindeque fictitium est. Secunda. Vt se habet generatio disciplinę ad disciplinam, ita se habeat oportet generatio generationis ad generationem; cum vtrobique sit ęqua ratio: at generatio disciplinę, non est disciplina: ergo nec generatio generationis, generatio est. Tertia. Si aliqua mutatio mutationis daretur, cùm tres sint mutationis species, illarum aliqua deberet esse subiectum, & moueri ad aliam tanquam ad terminum, sicque alteratio accresceret, aut moueretur loco.

Epilogus disputationis. h Quoniam autem} Exclusis categorijs, in quibus motus esse non potest, colligit ad tres dūtaxat motū esse: ad quantitatem, ad qualitatem, ad Vbi. Nā prętereā quod nihil obstat, quominus ad hęc motus proficiscatur; conuenit quoque eis idonea contrarietas. Deinde, quia vocabulorū ratio ad ipsarum rerum notionem assequendam contēnenda non est, quibus nominibus vnaquęq; ex prædictis speciebus appelletur, exponit.

Is autem, qui est in quantitate, communis quidem nomen non habet, vtriusque verò αὔξησις καὶ φθίσις, hoc est accretio, & imminutio, quorum is, qui ad perfectā est magnitudinem, accretio qui verò ex hac, imminutio. Qui autem est in Loco, & proprius & communis, nomine destituitur. Quod verò commune est, φορά, hoc est, latio nominetur, quanquam ea sola prapriè dicuntur ferri, in quorū potestate non est, vt cùm locum mutant, insistant, & quæcunque se ipsa loco non mouent. i *Mutatio autem, quæ in eadem specie ad magis est, & minus alteratio est. Qui enim è contrario in contrarium est motus, aut omnino est, aut aliqua ex parte. Ad minus quidem proficiscens in contrarium dicetur mutari: ad magis autem, vt ex contrario in ipsum. Nihil enim interest aliqua ex parte, aut omnino mutari, nisi quod contraria aliqua ex parte esse oportebit. Magis autem & minus esse, est contrarij plus aut minus ineße, & non ineße. Hos igitur tres motus tantum esse ex his perspicuum est.* Text. 19. Text. 20.

k *Immobile autem est tum quod omnino moueri non potest, vt sonus inuisibilis, tum quod multo tempore vix mouetur, aut quod tarde incipit, quod difficulter mobile dicitur, tum quod moueri aptum est, & potest, tunc autem cum aptum est, & vbi, & quemadmodum non mouetur, quod quidem solum inter immobilia ἠρεμεῖν, hoc est, quiescere nomino. Nam quies motui contraria est, quare priuatio eius erit, quod accipere aptum est. Quid igitur motus est, & quid quies, & quot mutationes, & quales sint motus, ex his, quæ dicta sunt, constat.* Text. 21.

Occurrit dubitationi. i Mutatio autē, quę} Ambigeret quispiam esset ne verus motus ea mutatio, qua res ab intermedijs in eādem speciē ad extrema cōmeat; vt è minus albo ad magis album. Hanc dubitationem tollit aiens verum esse motum, diciq́ue alterationē, loquitur enim de solis medijs qualitatum. Licet autem his nō cōueniat perfecta cōtrarietas, quę nimirum inter ipsa extrema, vt inter album & nigrum cernitur; conuenit tamen ea repugnantia, quę ad veri motus rationem sufficit, quę dicitur contrarietas ex parte: qualem habent illa, quorum vnum ad alterum extremorum plus vergit, vt magis, & minus album. Nanque id magis album dicitur, quod plus de albo, minus de nigro: id minus album, quod plus de nigro, minus de albo obtinet. Annotauit autem Porphyrius, etsi Aristoteles de ijs tantùm medijs, quę ex contrariarum qualitatum permistione coalescunt, expresse loquatur, inueniri etiam suo modo magis minusque in alijs, videlicet in accremento, & decremento, & in spatio.

Contrariorū eadē scientia. k Immobile autem} Absolutæ doctrinæ ratio poscebat, vt quia de motu egit, de quiete etiam disputaret, videlicet motui repugnante; cùm aduersariorum eadem sit scientia. Id hoc loco præstat, ita dilucidè, vt interpretatione non egeat.

Duo cōtraria in gradu remisso posse inueniri simul. Nota hic ad text. 19. sententiam Aristotelis docentis id esse magis contrarium, cui minus ineſt contrarij, vt magis calidum, quod minus frigoris admistum habet; similiterque id esse minus contrarium, quod de contrario plus obtinet. Quibus similia inueniuntur 4 cap. lib 3. Top. & 4. Metaph. cap. 6. tex. 27. Erunt enim hęc nobis vsui in libris de ortu & interitu ad re-

fellendum Gregorium Ariminensem, Durandum, Soncinatem & alios negantes posse duo contraria gradu remisso in eodem subiecto coalescere.

QVAESTIO I.

VTRVM NE MOTVS IN TRIBVS tantùm categorijs per se versetur, an non.

ARTICVLVS I.

VIDERI IN NVLLA È TRIBVS categorijs per se versari.

IN hac controuersia duo à nobis disquirenda sunt. Primum an motus tẽdat per se ad tres Categorias, Quantitatis, Qualitatis, Vbi. Deinde vtrum ad has tantùm per se tendat. Quod ad primum attinet, in partem negatiuam hæc argumenta sese offerunt. Quãtitas est coæua materiæ, eique ingenita à sua prima origine, ita vt à nullo agente naturali denuò producatur: ergo quantitas nullo motu per se acquiritur. Antecedens, præterquã quod olim in Pythagorica, & Academica schola, deinde etiam in Arabica magno consensu receptum fuit, probatur. Nam si quantitas efficeretur ab agente naturali; vel efficeretur ab vno tantùm, vel ab omnibus. Non ab vno tantùm, vt planum est. Si ab omnibus, oporteret igitur inesse cunctis commune aliquod principium effectiuum quantitatis; quod tamen non videtur dari in natura rerum: id enim vel esset ipsa quantitas, quæ tamen esse nequit, cùm non sit actiua: vel qualitas, quæ item esse non potest, cùm quantitas secundum naturam & originem prior sit omni qualitate, eique necessariò præiaceat tam quoad effectionẽ, quàm quoad esse operationemque. Secũdò suadetur idem antecedẽs, quia sicuti nullum agens creatum potest materiam primam producere; quia illam ad agendum necessariò supponit: ita nec quantitatem gignere valebit, cùm ipsam quoque prærequirat, tum ad excipiendam actionem, tum vt eius interuentu rem patientem contingat; siquidem omnis actio physica exposcit mutuum agentis, patientisque contactum, qui absque quantitate esse non potest. 1. argum.

Item verò quòd non sit motus ad qualitatem probatur, quia cũ omnis motus sit continuus, si ad qualitatem esset motus, posset qualitas continua nouorum graduum seu partium accessione intendi: quòd autẽ non possit ostenditur, quia sequeretur in fine incremẽti 2. arg.

Pythagorica, Academica, & Arabica scholę quãtitatem materię coęuã facere.

motu

motu peracto dari gradus infinitos qualitatis respondentes infinitis instantibus, quæ interfluente motu intensionis præterierunt: Item quia Aristoteles 8. huius operis libro cap. 3. tex. 23. palàm incusat eos, qui alterationem continuum motum fecere.

8. argum. Præterea non terminari motum ad vbi ita ostenditur. Situs & vbi non differunt inter se: atqui ad situm ex communi Peripateticorum sententia non est motus; ergo neque ad vbi. Probatur maior. Namque obtinere situm, vt stare aut iacere, nihil est aliud, quàm tali modo ipso vbi circumscribi: at obtinere quidpiam, & obtinere id tali modo, non videntur differre inter se, saltem discrimine ad diuersas categorias pertinente. Non potest igitur motus terminari ad vbi. Quibus patet non tendere motum per se ad tres categorias.

ARTICVLVS II.

VIDERI MOTVM IN PLVRIBVS categorijs versari, quàm tribus.

1. argum. CONtra verò quòd ad plures, quàm tres categorias sit per se motus hisce argumentis videtur confici. Generatio terminatur ad substantiam, vt docet Aristoteles lib. 2. huius op. c. 1. tex. 14. & lib. 8. cap. 7. tex. 62. & 1. de generatione c. 5. text. 25. atqui generatio, si sumatur vt est positiua & vera actio, est motus. Igitur motus tendit per se ad substantiam. Minor probatur ex eodem Aristotele 7. huius operis cap. 4. text. 34. vbi ait vnam generationem esse alia tardiorem, & velociorem. Cum ergo tarditas, & velocitas nulli mutationi præterquam motui conueniant, planè sequitur generationem in doctrina Peripatetica, si vt positiua, & vera actio est, expendatur, motum esse.

2. argum. Item siquid obstaret quo minùs ad substantiam motus daretur, esset defectus contrarietatis; siquidem omnis motus versatur inter contraria: sed hoc non obstat, ergo nihil. Probatur assumptio, quia ad motum non exigitur perfecta ratio contrariorum, alioqui non tenderet per se motus ad quantitatem, neque ad vbi, quibus nihil propriè, ac simpliciter contrarium est. Ac quod in substantijs qualiscunque contrarietas cernatur, patet ex eo, quia vt Aristoteles 1. huius operis cap. 5. text. 47. alijsque in locis docuit, quicquid corrumpitur habet contrarium, omnia verò composita sublunaria corruptionem subeunt.

3. argum. Deinde quod ad relationem motus sit probatur ex eo, quia iccirco id videtur negari, quòd relatio creditur aduenire subiecto nulla in eo facta mutatione: at quod non ita res habeat, & quod subiectum accessu nouæ relationis re vera mutetur, perspicue ostendi

potest.

poteſt. Primum quia nihil incipit aliter affectum eſſe, atque antea, niſi mutationem aliquam ſubeundo. Quid enim eſt mutari niſi aliter affici? quicquid autem nouam acquirit relationem, haud dubiè aliter afficitur; cùm denuò, verbi gratia, ſit pater is qui antea non erat. Quo pertinet illud D. Auguſtini libro vndecimo Confeſſ. capite ſeptimo. Quicquid non eſt, quod erat, & eſt quod non erat, moritur, & oritur. Item quia ſi res aduentu relationis non mutaretur, haud rectè Theologi poſt D. Ambroſium primo de Trinit. capite quinto & D. Auguſtinum quinto de Trinit. capite decimo quinto & decimo ſexto docerent propterea non poſſe Deo nouam relationem realem aduenire; quia ſequeretur diuinam naturam mutari. Rurſuſque idem confirmatur, quia quicquid ponitur in rerum natura habet aliquod productiuum; alioqui idem ſe ipſum educeret de non eſſe ad eſſe; quod fieri poſſe negat D. Auguſtinus primo de Trinit. capite primo, omne autem productiuum efficit rem per aliquam actionem (is eſt enim modus cauſandi efficientis cauſæ) Quare neceſſariò relatio fiet per aliquam actionem ſibi propriam; & quod inde conſequens eſt aduentu relationis ſubiectum mutabitur.

D.Aug. D.Ambr. D.Aug.

Magiſter in 1.d.30.c.1.D. Th.2. contra gent.c.12.

4 arg. quod multis argumentis conjunctis conſtat.

Poſtremò quod etiam ad alias categorias motus ſit, oſtenditur. Ad actionem, quia motus alterationis quo materia ad nouam formam recipiendam diſponitur, tendit ad generationem tanquam ad terminum ſibi à natura præfixum, quo adepto ceſſat.

Ad quando, quia motus ad candorem vno, eodemque actu fertur in ea, quæ à candore re ipſa non differunt, è quorum numero eſt duratio ipſa candoris, quæ in eo prædicamento ponitur.

Ad ſitum, quia domus ædificatio, quæ motus quidam eſt, in nihil aliud primò ſpectat, quam in collocationem & ſitum lignorum, lapidum, & cæterarum rerum, ex quibus domus coagmẽtatur; in ſitum, inquam, non eum duntaxat, qui ad totum, ſed qui ad vbi pertinet.

Denique ad habitum, quia motio, qua ſe quiſque induit verſatur in applicanda veſte, aut alio ſimili indumento, in qua applicatione paſsiuà quaſi informatione, propria huiuſce prædicamenti ratio conſiſtit.

ARTICVLVS III.

TOTIVS QVÆSTIONIS explicatio.

VT huic controuersiæ fiat satis nonnulla præfari oportet; è quibus illud sit primum. Motus nomen trifariam apud Aristotelem vsurpari consueuit. Interdum fuso significato, vt nimirum omnem mutationem continuam comprehendit, siue ea sit actus entis in potentia, qualis est adgeneratio substantialis, quæ est actus materiæ primæ, in quam successiuè inducitur forma eius substantiæ, quæ ex parte gignitur: siue sit actus entis in actu secundum formam substantialem, manentis tamen in potentia ad formam accidentariam, ad quam mutatur, qualis est omnis successiua mutatio, qua accidentaria forma acquiritur.

Triplex motus acceptio.

Prima.

Secundò capitur motus pro mutatione cõtinua successiua, quæ est actus entis in actu substantiali, siue inter contrarios, siue inter contradicentes terminos versetur, sicq; motus omnes ac solas mutationes accidentarias continuas comprehendit. Hoc modo accepit Aristoteles motum libro tertio huius operis capite secundo cùm ipsum definijt. In hoc etiam sensu illum vsurpauit cap. 1. huius libri textu octauo cùm probauit generationem substantialem non esse motum, quòd eius subiectum non sit ens simpliciter, sed materia prima, quæ est pura potentia; quod item repetit primo de ortu & interitu capite quarto textu vigesimo quarto aiens subiectum generationis substantialis esse materiam propriè sumptam; subiectum verò motus materiam in minùs proprio significato, seu vt iam est ens actu per formam substantialem.

Secunda.

Tertiò sumitur motus paulò pressiùs pro ea duntaxat mutatione successiua, quæ est actus entis in actu substantiali, & inter extrema contraria versatur, comprehenditq; eas mutationes successiuas accidentarias, quibus à contrario in contrarium pergitur. Atque hæc notio est, secundum quam Aristoteles motum expendit capite primo huiusce lib. textu septimo cùm mutationem generatim sumptam partitus est in ortum & interitum, atque in motum; rursusque generationem in substantialem & accidentariam.

Tertia.

Quo pacto acceperit Aristoteles motũ initio huius libri.

Deinde animaduertendum est contraria, quod ad rem præsentem attinet, tripliciter dici, primò ac proprijssimè ea, quæ sub eodem genere maximè distãt, eidemque subiecto vicissim insunt, nisi alterum insit à natura, vt ex capite de oppositis constat. Secundò numerantur inter contraria quilibet duo termini positiui, inter quos cernitur latitudo aliqua, vel graduum, vt inter summè calidum & summè frigidum: vel qualitatis mediæ, vt inter album & nigrum, inter quæ cadit cæruleus color: vel extensionis, vt inter quantum vnius cubiti, & quantum sex cubitorum, inter quæ conspicitur latitudo cubitorum quinque: vel formæ, quæ ratione vnius partis successiuè acquiritur, ratione alterius amittitur; quo pacto existentiam mobilis in principio, & in fine spatij

Contraria tribus modis dici.

inter-

interiacet latitudo existentiæ eiusdem mobilis fusa per intercapedinem, quæ successiuè acquiritur & abijcitur, dum mobile à principio ad finem pergit. Tertio denique appellantur contraria, non ea tantùm quæ primo aut secundo modo talia sunt, sed etiam priuantia, de quibus loquitur Aristoteles 1. libro huius operis capit. 5. text. 47. cùm docet rerum Physicarum principia contraria esse.

Denique attentè obseruandum est duas requiri & sufficere conditiones, vt aliquid per se motum terminet. Vna est vt habeat contrarium, quod semper supponatur existere in re motum subeunte, ita scilicet vt adeptio eius, ad quod per se motus fit, ab eiusmodi contrario, tanquam à termino, à quo proficiscatur, tendatque ad alterum contrarium, vt ad terminum ad quem. Hanc verò conditionem tradidit Aristoteles tum cap. 2. huius libri text. 10. vbi tamen contraria non quæuis sine discrimine, sed iuxta secundam acceptionem, de qua proximè egimus, intellexit. Secunda conditio est, vt id, quod motum terminat per se comparetur, neque subiecto absque mutatione adueniat, eaque non qualicunque, sed quæ sit vera actio & passio, qualis est illa, qua Socrates albescit, vel sanatur. Hanc etiam conditionem eodem capite, textuque inculcauit Aristoteles.

Quę conditiones requirantur in eo, quod motũ per se terminat.

Prima conditio.

Secunda conditio.

His ita constitutis, propositæ quæstioni respondendum est ad tres duntaxat categorias, Quantitatis, Qualitatis, & vbi, esse per se motum. Quæ conclusio cùm statuat esse motum ad tres categorias, nec ad plures tribus; vtraque eius pars suadetur. Prior hunc in modum. In illis tribus cernuntur duæ conditiones traditæ; siquidem formæ horum prædicamentorum seruant contrarietatem, de qua locutus est Aristoteles, neque subiectis absque eorum mutatione adueniunt, vt consideranti perspicuum fiet: ergo etc. Posterior verò ostenditur; quia in primis ad substantiam non est per se motus ob defectum prioris conditionis. Nec enim in substantijs datur contrarietas requisita ad motum, de quo hîc agitur; quia in ea non inuenitur per se latitudo motu percurrenda; cum intensiuam non admittat; extensiuam non habeat nisi per accidens, nempe ratione quantitatis. Nec est etiam motus ad relationem, quia cum verbi gratia, Socrates albescit, fit ei similis nix, nullam propriam mutationem niue subeunte. Eadem ratione neque est motus ad motum, atque adeò nec ad actionem, & passionem, quia hæc comproducuntur, acquirunturve productione, siue acquisitione formæ, quæ motu acquiritur, quo fit vt non adueniant subiectis mutatione per se ad ipsa directò pertinente. Similiter ob eandem causam neque ad Quando, Situm, & Habitum est per se motus, vt ex argumentorum dissolutione planiùs constabit.

Resp̃so ad propositam quęst.

Cur non sit per se motus ad substantiam.

Neque ad relationem.

ARTICVLVS IIII.

OCCVRRITVR PRIMI articuli argumentis.

Sol.1.arg. PRimi articuli argumenta hunc in modum diluenda sunt. Ad primum negandum est antecedens cum D. Thoma 1.p.q.76. art.6. M. Alberto in summa de homine in tract. de nutritiua. Durando in 1.d.8.secunda parte dist.q.4. Capr.in 2.d.18.q.1.art.1. concl.6. Cai.ad c.7.libri de ente & essent. q.vltima Heru.quodl.2. quæst.10. Ferrariens.4. contra gent.cap.81.& alijs. Ad priorem verò eius confirmationem dicendum quantitatem produci à quolibet genitore compositi naturalis non vi ipsius quantitatis; vel etiam qualitatis, quæ immediatè attingat ipsam quantitatem: sed quatenus à tali progenitore efficitur compositum, cuius tum formam, tum materiam, vt in 1. huiusce operis diximus, vtramque suo modo, naturali consecutione quantitas sequitur. Ad posteriorem respondendum, esto nullum agens creatum possit materiam primam efficere, (quia, vt alias rationes omittamus, cùm materia prima sit primum subiectum necessariò ante se ipsam deberet supponi ad agentis creati actionem in se recipiendam) posse tamen quantitatem producere; quia in ipso generationis momento habet subiectum, in quod agat, nimirum materiam primam, in qua, veteri quantitate cum reliquis accidentibus pereunte, noua quantitas gignitur, vt commune omnium materialium accidentium receptaculum, atque adeò prius naturâ, seu origine, quàm illa omnia: ac cùm toto tempore ante instans corruptionis perseueret quantitas rei, quæ interit, eius interuentu dabitur inter agens & patiens mutuus ille contactus, sine quo actio Physica non procederet.

Quantitas à quo producatur.

C.4.q.1.ar.1.

Sol.2. Ad secundum, quod alterationis continuitatem demoliri nitebatur, reiecta sententia quorundam D. Thomæ sectatorum, qui soli motui locali continuitatem dant, qui alibi ex professo refutabuntur, dicendum, etsi quantitas continuo motu acquiratur, non proinde in fine motus dandam esse in subiecto qualitatem infinitè intensam, quia esto præterierint infinitæ partes motus, quibus infinitæ partes qualitatis acquisitæ fuerunt, eæ tamen partes non efficiunt actu infinitum, cùm non sint æquales vni certæ, & non communicantes. Licet etiam infinita sint instantia in tempore, verbi gratia, vnius horæ, quo durat alteratio; quia tamen trãseunt per modum vnius finiti temporis, fit vt qualitas non euadat infinitè intensa. Quod vberiùs explicauimus lib. 3. ad cap. 8. q. 1. art 5. ad 3. Intellige etiam in instanti alterationis continuæ nihil acquiri, sed in acquisito esse dari quod immediate antea acquirebatur.

Capr. in 1. d. 17. q. 2. art 1. Soto. 8. Metaph. q. 22. Fauelli. 8. huius op. q. 7.

Cur in fine alterationis non euadat qualitas infinita.

Ad

Ad locum Aristotelis dicendum mentem institutumque Philolophi ibi, vt Græci, alijque graues interpretes exponunt, solùm esse, res non perpetuò alterari, sed ab eo motu interdum quiescere.

Illud autem hîc obiter aduertimus; etsi qualitates secundum partes proportionales suæ intensionis in infinitum diuidi queant, tamē quia infinita sub nulla arte sunt, redegisse Philosophos quasi ex pacto ob suas disputationes eiusmodi partes seu gradus in numerum quendam certum. Vnde ponunt octo gradus caloris octo frigoris, similiterque aliarum eiusmodi qualitatum. Et vero possent plures vel pauciores gradus numerare, si prædictas qualitates in minutiores, vel maiores partes secuissent.

Vnde orta sit apud Philosophos diuisio qualitatum in certū numerū graduum.

Ad tertium neganda est maior, & ad eius probationem concedēdum id, quod ea concluditur, videlicet vbi & situm non distingui inter se realiter, sed modo tantùm. Verùm non rectè ex eo colligitur situm, & vbi non distingui prædicamentis; cùm figura non differat à quantitate, nisi vt modus rei à re, & tamen ad diuersa prædicamenta pertineant. Vtrum autem situs & vbi, vsu duntaxat populari an philosophico, duo prædicamenta re vera constituant, suo loco expendemus.

Sol. 3.

ARTICVLVS V.

RESPONDETVR AD ARGVMENTA secundi articuli.

AD primum vero argumentū eorum, quæ ostendere nitebantur motum terminari per se ad plures, quàm tres categorias, concedenda est maior, negāda minor. Etenim generatio pro momentanea formæ introductione est positiua & vera actio vt sentit Scotus in 2. dist. 2. quæst. 4. & 9. & in 3. dist. 4. quæst. vnica, Durandus in 1. dist. 4. quæst. 1. & in 2. dist. 1. quæst. 2. Capreolus in 2. d. 13. quæst. vnica art. 3. ad argum. contra 1. concl. Ferr. 2. contra gent. cap. 17. Sonc. 7. Metaph. quæst. 22. Marsil. 1. de gener. quęst. 2. art. 2. Auer. 4. huius operis com. 129. Simpl. hoc in lib. com. 8. Quam sententiam Peripateticam esse in 1. de ortu & interitu, vbi hac de re ex professo disputari solet, ostendemus. Quare ad confirmationem minoris dicendum non accepisse eo loco Aristotelem generationem pro sola introductione substantialis formæ in materiam, quam vbique docet terminari ad substantiam, sed pro alteratione præuia simul cum introductione talis formæ, vt interdum vsurpat: quod annotarunt præter alios Auerroes tum alibi, tum 8. lib. huius operis comm. 55. & Mag. Albertus 1. de generat. tract. 1. cap. 21. Porro autem quemadmodum generationi secundum posteriorē sensum spectatæ, non conuenit tarditas & velocitas nisi ratione alteratio-

Dilut. 1.

Generatio sūpta pro momentanea introductione est vera actio.

Duplex vsus patio generationis.

rationis; ità nec competit ad substantiam terminari nisi ratione momentaneæ alterationis.

Dilut.2. Ad secundum dicito vt motus ad substantiam non detur, sufficere defectum contrarietatis, non quidem perfectæ; nec enim ea requiritur ad motum, sed qualis fuit à nobis superiùs explicata. Itaque non sat est oppositio priuatiua, quæ substantiæ competit, quæque in ortu, & generatione cuiusq; rei interuenit, vt substantia per motum acquiratur.

Dilut.3. Duplex mutationis acceptio. Ad tertium respondendum est mutationē quod ad præsēs institutum attinet, bifariam sumi. Vno modo latè, sicque mutari dicuntur quæcunque in se varietatem aliquam recipiunt, qualiscūque ea sit: & hoc pacto fatendum est mutari quicquid nouam relationem realem acquirit, vt prior pars propositi argumenti concludit: etsi ab huiuscemodi etiam mutatione, diuina natura longè absit. Alio modo presse, ac propriè p ea mutatione, quæ est vera actio, & passio. De hac verò loquitur Aristoteles cùm ait relationē acquiri absq; subiecti mutatione, vti superiùs exposuimus. Ad posteriorem igitur partem argumenti, qua ostendi videbatur hanc quoq; mutationem subire ea, quibus noua relatio aduenit, respondemus cum D. Thoma de potentia Dei quæst. 7. art. 8. ad 5. relationem habere effectricem causam; sed hanc esse id, quod producit fundamentum, verbi causa, albedinem, quæ fundamentum est similitudinis inter duo alba, eandemque actionem terminari ad fundamentum per se ac primò, secundario ad relationem, quatenus hæc ab illa tanquam abradice pullulat. Adde etiam nonnūquam relationem aduenire subiecto absque vlla actione, quæ tunc ad illud terminetur, vt patet in relatione similitudinis, quam Socrates iam antea candidus sortitur cùm aliud subiectum denuò fit album.

Quæ nā sit relationis causa efficiens.

Consule etiā D. Th. in 3. d. 2. q. 2. art. 2. quæstiunc 3. Caiet. in d. 30. q. 1. art. 1. & in 3. d. 5. q. 1. art. 3. Soto lib 5. Metaph. q. 15 art. 6 M. Alb. hoc loc. tract. 1. c. 5.

Dilut.4. Ad ea, quæ vltimò obiecta sunt, dicimus motum, quo alteratrices qualitates calor, frigus, humor, siccitas comparantur suapte natura ordinari ad generationem, in eamque sæpe desinere: non tamē vt in terminum intrinsecùm, sed tanquam in id, quod alterationi succedit. Quod ad durationem spectat omissis alijs solutionibus, quæ afferri etiā possent, respondemus etsi motus eodem actu in terminum, & in eius durationem contendunt, non ferri tamen per se in durationem, sed quatenus duratio idem re ipsa est cum termino.

Situs nō cōparatur p se, sed acquisitione vbi. Quod asserendum quoque est de situ, qui non per se comparatur, sed acquisitione vbi, ad quod motus localis fertur; non autem ad modum illum, in quo ratio situs posita est. Idemque existimandum de ratione formali prædicamenti habitus; quæ ad motum localem, quo sibi quisque vestes applicat, non per se spectat.

Capitis

Capitis tertij Explanatio.

Pa Ost hęc autem } Hęc est altera huius libri pars, in qua de vnitate, & diuersitate motus Aristoteles disserit. Ad vberiorem verò intelligentiam eorum, quę pertractanda sunt, quędam sibi explicanda proponit, quę Simplicius congruere ait cum ijs quę de motu in tertio libro tradita sunt. Declarat ergo inprimis quę dicantur esse simul, non quidem spectata tota vocabuli amplitudine; latè enim patet, vt constat ex libro categoriarum in capite de modis simul; sed quæ duntaxat loco simul esse dicantur. Ea igitur loco simul esse perhibentur, quę in vno primo, seu adęquato loco sunt: quo pacto se haberent duo corpora si se mutuò penetrarent, quod tamen naturę viribus fieri nequit: separatim verò sunt, quę diuersis continentur locis. Vel aliter, & ad Aristotelis mentem appositè, ea dicuntur simul, & in vno primo loco esse, quę locum nulli alteri communicāt: sed per se tātùm occupant; quo pacto sphęrę cęlestes in cęlesti mundo insunt. Nec enim in illo alia sūt corpora, pręter sphæras ipsas.

Quid sit esse simul.

Prior explicatio.

Posterior explicatio.

CAP. III.

Pa *Ost hæc autē dicam⁹ quid sit simul, & quid separatī, & quid tangere, & quid intermediū, & quid deinceps & quid hærens, & quid cōtinuū, & quibus singula hæc cōgruere apta sūt. Loco igitur simul esse ea dicuntur, quæ in vno primo sunt loco, separatim autem quæ in alio.* b *tangere ea, quorum extrema sunt simul. Intermedium id, quò res, quæ mutatur, prius peruenire apta est, quàm ad id, in quod vltimo mutatur, cùm natura continenter mutatur. Ad minimum autem in tribus est intermedium, quandoquidem contrarium mutationis extremum est.* c *Continenter autem mouetur quod nihil aut minimum intermittit, non quidem temporis (nihil enim prohibet eum, qui nihil intermittit, atque etiam continuò post summam chordam infimam sonare) sed rei in qua mouetur. hoc autem in mutationibus locorum, atque alijs etiam perspicuum est.* d *Contrarium verò in loco, quod recta linea plurimum distat. Minima enim terminis clausa est, mensura autem quod terminatum est.* e *Deinceps verò id sequitur, inter quod (cùm aut natura, aut situ, aut aliquo alio sic definitum post principium tantū sit) & rem eam, quam deinceps sequitur, nihil eorum, quæ in eodem sunt genere, intermedium est. Dico autem vt linea, seu lineæ inter lineam, aut inter vnitatem vnitas, seu vnitates, aut inter domum domus. At aliud intermedium esse nihil prohibet. Nam quod deinceps est, aliquid deinceps sequitur, & posterius quiddam est. Non enim vnum duo deinceps sequitur, neque secundam diem calendæ deinceps sequuntur, sed hæc illas.*

Text. 22.

Text. 23.

Text. 24.

Text. 25.

b Tangere ea } Docet ea se tangere, quorū extrema sunt simul, id est, ita vt inter ipsa nihil sit interiectum. Intermediū autem dicit esse illud, in quod necesse est id, quod continenter cietur, priùs deuenire, quam extremū attingat, quo pacto aer intermedius est inter ignē, & aquam.

Quę se tangant.

Intermediū quid.

c Continenter autem } Ex ijs quę proximè docuit occasionem arripit explicandi quidnam sit continentèr moueri; atque idem esse, ac nihil, vel minimum intermittere, non quidem temporis, sed rei in qua motus fit, idest, magnitudinis. Quę verba in diuersos sensus ab interpretibus accipiuntur. Quidam inquiunt sententiam esse Aristotelis ad prędictam continuationem nihil referre si intercedat quies media, dummodo nihil, aut prope nihil medij spatij relinquatur. Vt in hunc modum singula intelligantur, id continuè mouetur, quod nihil, aut parum magnitudinis decursu pręterit, siue tempus intermittat, siuè non. Nihil enim, inquit, prohibet eum, qui intermittit, videlicet aliquid temporis, continuè moueri. Nihil item vetat nullam quietem interponi, & tamen motum non esse continuum; vti accidit, cùm quis in musico instrumento post summam

Quid sit continenter moueri.

Prior interpretatio.

mam chordam, quam Græci ὑπάτην vocant, non pulsatis medijs imam quatit, quę νέατη dicitur.

Posterior interpretatio.

Alij volunt docere Aristotelem id tantùm moueri continuè, quod nihil intermittit temporis, licet spatij aliquid prętereat, vt is qui prędicto modo citharam pulsat; eri que tunc verborum sensus, id continuè mouetur, quod nihil intermittit, nisi id minimum quiddam sit. Minimum inquam non temporis, hoc enim omni ex parte continuum esse oportet, sed rei, ideſt, magnitudinis. Fit enim interdum, vt is qui non intermittit, ideſt, qui nullam interponit temporis quietem saltuatim ab vna chorda ad aliam transeat, qui tamen motus continuus censetur.

Germanus sensus.

Hanc posteriorem explicationem secutus est D. Thomas. Verùm cùm motus absolutè cõtinuus vtranque continuitatem & spatij & temporis requirat, vt progressu dicemus, videtur Aristoteles hoc loco de ea tantùm cõtinuitate agere, qua cõmunis hominũ sermo motum continuum vocat, cuiusmodi est is, quem nulla quietis intercapedo rũpit. Atque hoc pacto insilientiũ equorum motus cõtinuos appellamus.

Id autem hæret, quod cùm deinceps sequatur, tangit. Quoniam autem mutatio omnis in oppositis est, oppositaq; sunt & contraria, & contradicentia, & nullum contradicentiũ est medium, perspicuum est in contrarijs medium esse. e *Continuum autem est quod cohærentis alicuius habet rationem. Dico verò tum esse continuum cùm vtriusque termini, quibus se contingunt, vnum & idem facti fuerint, atque (vt nomen significat) contineantur, quod esse non potest, si extrema sunt duo. Hoc autem definito, manifestum est continuũ in his esse, ex quibus vnum aliquid contactu aptum est existere. Atque vt vnum est id quod continet, sic totum vnum erit, vt aut clauo, aut glutine, aut tactu, aut re rei adnascente.* g *Manifestum autem est primum esse id, quod deinceps est. Nam quod tangit necesse est esse deinceps, quod verò deinceps non omne tangere. Quamobrem deinceps esse his conuenit, quæ ratione sunt priora, vt numeris, tactus autem minimè. Ac si quid continuum est, necesse est tangat, si autem tangat, continuum nondum est. Non enim si simul sint, vnum esse eorum extrema necesse est, sed si vnum, necesse est etiam simul esse. Ita ortu copulatio postrema est. Tangant enim se necesse est extrema si copulari debeant: Quæ autem tangunt non omnia copulantur. At in quibus tactus non est, copulationem non esse constat.* h *Quare si punctum est & vnitas, qualia ponunt separata, idem esse non possunt. Illis enim tangere congruit, vnitatibus autem deinceps esse.*

Text. 26.

Text. 27.

Text. 28.

Text. 29.

Extrema motus cõtraria.

d Contrariũ verò) Quoniam extrema cuiusque motus cõtraria esse docuerat, strictim exponit quo pacto se habeat contrarietas in lationibus, Ait ergo ea loca esse contraria, quę recta linea plurimũ inter se distant. Maximam verò distantiam ideirco à recta linea, non autem à curua sumendã esse; quia oportet mensuram certũ quid esse, ac definitum, cuiusmodi est linea recta, quę inter duo pũcta ex æquo producitur. Est enim omnium breuissima, cũ tamẽ inter eadẽ duo puncta infinitę obliquę dispari magnitudine duci possint. Qua de re Euclides initio elementorum, & ibidem Clauius.

Maxima distantia cur à recta linea sumi debeat.

Quid sit sequi deinceps.

e Deinceps verò) Ea deinceps sequuntur, inter quę nihil eorum quę in eodem genere sunt, medium cadit, vt vna linea aliam deinceps sequitur, quia inter eas non est alia linea. Multifariam verò accidit vnum sequi aliud deinceps, nempe situ, natura, aut alijs etiam modis, verbi gratia tempore, perfectione. Situ deinceps sequitur domus domum; natura ternarius binarium, tempore calendas nonę; perfectione humana natura mentes à materia liberas. Explicat item quidnam dicatur hærens, seu contiguum; aitque hęrens esse quod ita deinceps sequitur, vt tangat id quod sequitur. Quia vero de intermedio egit subdit, in contrarijs dari intermedia, vt cęruleum inter album & nigrum: non tamen inter contradicentia. Qua de re fusius in cap. de oppositis & lib 4 Metaph. cap. 7.

Multis modis dici sequi deinceps.

Hęrens quid sit.

f Continuum autem est) Continuum dicit habere rationem cohęrentis; quia continua esse non possunt nisi quę cohęrent sibi mutuò, non quouis tamen modo; sed ita vt in vnum coalescant. Quod vel ipsa, inquit, notatio nominis ostendit. Dicitur enim συνεχὼς, ideſt

conti-

cōtinuum, quasi σαωέχηται, ideſt quasi ea, ex quibus eſt, re aliqua cōtinentur, ita vt ſint vnum. Definit igitur continua ea, quorum extrema vnum ſunt, quo pacto ſe habent duę partes eiuſdem lineę, quę ad vnum commune punctum copulantur. Verùm ſi continuum non ita preſsè ſumatur, tribus modis poterunt aliqua dici continua. Primò admodum impropriè ea, quę clauo aut glutine inter ſe iunguntur. Deinde minùs impropriè duo extrema, quę abſque alio vinculo ſibi mutuò cohęrent, vt videre eſt in ſtirpibus, quę inſeruntur. Tertiò propriè, ac ſimpliciter quę in vnum communem terminum cocunt, ſeu quorum extrema vnum ſunt. Primam continuitatem vocat, Auerroes artificioſam, ſecundam naturalē, tertiam Mathemeticam.

Quit ſit cōtinuum.

Tribus modis dici continuum.

g Manifeſtum autem eſt) Comparat inter ſe eſſe deineeps, tangere, & continuum propriè ſumptum; doceteq; eſſe deinceps latiùs patere, quàm reliqua. Nam omne quod tangit deinceps eſt, non cōtra; ſiquidem numeri ſunt deinceps, nec tamen vna ſpecies numerorū aliam contingit. Deinde aſſerit tangere communius quid eſſe, quàm continuum: nam quidquid continuum eſt tangit, nec tamen retro commeant; contigua enim tanguntſe, nec ſunt continua quia eorum extrema non ſunt vnum, ſed multa; euadent tamen continua ſi eorum extrema vnum fiant. Hinc colligit continuum & natura, & ortu poſtremum eſſe.

Ac illorum medium aliquod eſſe poteſt (nam omnis linea inter puncta media eſt) harū non eſt neceſſe. Nullum enim
Text. 30. *inter binarium, & vnitatem medium eſt. Quid igitur eſt ſimul eſſe, & quid ſeparatim, & quid tangere, & quid inter medium, & quid deincpes ſequi, & quid cohærens, & continuum, & quibus vnumquodque horum conueniat, dictum eſt.*

h Quare ſi punctum) Docet punctum & vnitatem ſiue ſeparata ſint, vt quidam finxere, ſiue non, haud quaquam idem eſſe: ponitque inter illa diſcrimen, quòd vnitatibus conueniat deinceps eſſe, non verò tactus, qui tamen punctis competit, quatenus per ipſa ſeſe lineę contingunt. Prętera quod inter puncta eiuſdem lineę ſemper aliquid interiectum ſit, nimirum linea: in vnitatibus verò aliter res habeat nec enim inter vnum & duo cadit aliquid.

Diſcrimē inter vnitatem & punctum.

Capitis quarti Explanatio.

Motus a autem multis modis) Accedit iam ad vnitatem, diuerſitatemque motus explicanda m. Ac primùm ſtatuit motum totidem modis dici, quot vnū: nempe vnum genere, vnum ſpecie, vnum numero. Ii motus ſunt vnum genere, qui ad formas eiuſdem categorię proficiſcuntur, vt omnes alterationes: ij vnum ſpecie, qui in formas eiuſdem ſpeciei deſinunt, vt omnes dealbationes. Quod ſi aliqua detur forma, quę ſimul ſpecies & genus ſit, ideſt, quę ſit ſpecies ſubalterna: tunc motus, quibus ad eam pergitur, non vnū quid ſpecie abſolutè dicētur, hoc eſt, eiuſdē ſpeciei infimę, ſed ſubalternę. Ponit autem exemplum ſpeciei ſubalternę μαθησιν, ideſt, diſcendi; exiſtimandi, aſſentiēdive actū, ſub quo, tanquam ſub genere continetur actus ſciendi incōmune, ſub hoc verò ſimiliter varij actus ſciendi ſpecie diſtincti.

De vnitatē & diſtinctione motuum.

CAP. IIII.

Motus a *autem multis modis vnus dicitur, quippe*
Text. 31. *cùm vnum multis modis dicamus. Ac vnus quidē genere eſt ex categoriis figuris. Lationes enim ōnes genere vnum ſunt. Alteratio autem à latione genere diuerſa eſt. At ſpecie vnus eſt, ſi cùm genere vnus ſit in individua quoque fuerit ſpecie, veluti cùm ſint coloris differentiæ, diuerſæ ſpeciei ſunt dealbatio, & denigratio.*

b Sed dubitare aliquis) Priùs quam ſtatuat qui motus vnus numero cenſeri debeat, diligentiùs expendit an id, quod de vnitate ſpecifica motus aſſeruit, cum veritate conſen-

consentiat, argumentaturque in contrariam partem. Nam si vnitas specifica termini sufficeret ad constituendum motum specie vnum; sequeretur motũ circularem, & rectum, cùm vterque ab eodem puncto ad idem punctum per diuersas lineas fit, eiusdem esse speciei, sequeretur item volutationem, & ambulationem ad eandem speciem infimam pertinere, si ab eodem loco ad eundem contendant. Quod absurdum videtur. Hanc quęstionem dissoluens ait lationes non solum à terminis, sed etiam à medio recto, & circulari, siue obliquo distinctionem capere. Quare cùm rectum & obliquũ, circularevè specie differant, etiam cõuersionem, & motum rectum inter se specie distingui.

Lationes vnde accipiant distinctionẽ.

Omnes enim dealbationes specie eadem continentur, omnes item denigrationes; sed non denigrationes, & dealbationes. Omnes itaque dealbationes specie vnum sunt. Quod si quædam species simul, & genera sunt, manifestũ est specie vnum esse quodammodo, at simpliciter specie vnum non esse. Vt discendi actus, si scientia species quidem sit existimationis, & scientiarum genus. b *Sed dubitare aliquis potest, sit ne specie motus vnus, si idem ex eodem in idem mutetur: vt punctum vnum ex hoc loco in hunc locum semel atque iterum. At si ita est conuersio idem erit atque recta latio, & volutatio idem atque ambulatio. An definitum motum diuersum esse, si id, in quo, specie diuersum sit? quod autem in orbem est, specie à recto differt. Genera itaque, ac specie motus vnus, ita se habet.* c *Simpliciter autem vnus est motus, qui essentia vnus est, & numero. Is verò quis sit si diuiserimus, manifestum fiet. Tria enim numero sunt, ex quibus vnum motum esse dicimus: id quod, & id, in quo, & quando. Dico autem id quod, quoniam aliquid, quod moueatur, vt hominem, aut aurum esse necesse est. Et hoc in aliquo moueri vt in loco, aut in affectionibus. Et quando: in tempore enim res omnis mouetur. Quorum, in re, in qua res mouetur, positum est, vt genere quidem aut specie sit vnus, vt autem cohæreat, in tempore. At vt simpliciter vnus in his omnibus. Nam & id, in quo, vnum & indiuiduum, veluti speciem esse oportet: rursus, quando, vt tempus vnum, & non intermitti: & id, quod mouetur, vnum esse, non ex accidenti, vt album nigrescere, & Coriscum ambulare: vnum autem est Coriscus, & album, sed ex accidenti. Neque commune. Nam simul possunt homines duo eâdem curari curatione, vt ea, quæ est lippitudinis: at non vna est nisi specie.* d *Verùm si Socrates eâdem alterationis specie, sed in alio, atque alio tempore alteretur, si id, quod interijt, vnum numero fieri rursus potest, erit vna & eadem: sin minus, eadem quidem, sed non vna erit.*

Text.32. Text.33. Text.34. Text.35. Text.36.

Qui motus sit absolutè vnus.

c Simpliciter autem vnus } Declarat quinam motus absolutè vnus sit, hoc est vnus numero. Porrò cùm in quolibet motu tria concurrant, res mota: forma, quę acquiritur; tempus, quod consumitur; statuit tria hęc ad vnitatem numeralem motus simul requiri: ita vt forma, ad quam acceditur, sit vna numero; & vt tempus vnum sit, hoc est, vt nulla fiat temporis intermissio, quę fit interiecta quiete. Itaque si Coriscus albescat ad duos gradus alboris, ibique subsistat; postea verò repetito motu alios duos gradus comparet, nõ erit vna numero dealbatio. Pręterea necesse est, vt res mota, siue subiectum, sit vnum non ex accidente, sed per se, non cõmune, sed singulare. Sicut enim communis natura ratione subiectarum partium, in quibus continetur, diuersas vno tempore mutationes subire potest: quãdoquidem albescente Socrate fit homo albus, nigrescente simul Platone, fit niger; ita vt motus vnus numero habeatur, non sat est communis naturæ identitas, sed oportet vt ad eandem rem singularem pertineat.

d Verùm si Socrates } Rogaret fortasse quispiam, si Socrates eandem alterationem alio atque alio tempore subeat, num eadem numero alteratio censenda sit.

Dubit. Responsio.

e Sed

sit, an non. Huic respondet si fieri possit, vt quod semel euanuit, redeat, eiusmodi alterationem posse eandem numero esse: quasi dicat specie tantùm modò eandem futuram, non autem numero, quia quòd semel interijt, idem numero reuiuiscere impossibile est.

e Sed dubitatio hæc } Aliam mouet quæstionem superiori non absimilem: videlicet (vt D. Thomas interpretatur) sit ne eadem numero valetudo, vel quęuis alia affectio, qua quis diu potitus est, an non. Videbitur enim alicui non posse eandem esse: quia cùm subiecta, quibus accidentia inhęrent, perpetuò labantur, & fluant, vt Heraclitus, alijq; antiquitatis philosophi tradidere, vtī quę si eadem numero valetudo diu integra & incolumis perseuerat, nihil videtur causę esse, cur etsi intereat non eadem numero regeneretur. Dubit.

Text. 37. e *Sed dubitatio huic similis existit, vtrum sanitas vnius essentiæ sit in corporibus, & omnino habitus, atq; affectiones. Ea enim, in quibus est, moueri, & fluere videntur. Quòd si vna & eadem est ea, quæ mane, & quæ nunc sanitas inest, cur cùm intermissam rursus sanitatẽ*
Text. 38. *receperit, hæc & illa vna numero non erunt? Eadem enĩ ratio est,* f *sed hoc differunt, quod si duo, propter hoc ipsum vt si numero vnus, etiam habitus necesse est. Vnus enim actus numero vnius numero est. At si habitus vnus est, non etiam actus vnus esse alicui fortasse videbitur. Nam cum ambulare desierit, amplius non est ambulatio, sed erit si rursus ambulet. Itaque si vnus & idem est, posse vnum & idem sæpius interire, & esse. Atque hæ quidem dubitationes à præsenti consideratione sunt alienæ.*

f Sed hoc differunt } Tanta obscuritate hic locus tenetur, vt quibusdã corruptus, & mutilus videatur. Simplicius verba quędam de suo adijcit; Auctoęs in eius sẽsu eruẽdo laborat, ac tribus allatis explicationibus, nihil proficit. Videtur tamen Aristotelis mens esse, licet ex formarum, quę acquiruntur, multitudine, actionum motuumque diuersitatẽ arguere possimus, quia ad actionis motusque vnitatem, vnitas formę exigitur; ex formę tamen, quę acquiritur, vnitate, non licere actionis motusvè vnitatem colligere: quia ad vnitatem numeralem motus, non solùm formę, sed temporis quoque vnitas necessaria est. Quare esto eadem forma rediret, non iccirco eandem numero motum redintegrandum: re tamen vera formam, quę semel abolita est, reparari nõ posse. Hinc responsio ad propositam controuersiam, vtcunque ducenda erit; videlicet continuatam valetudinem, eandem numero esse; cum non ponamus eam intercidere, sed incolumen seruari, quemadmodum & subiectum idem manet, quantumuis Heraclitus, alijque instabilitatis rerum auctores contradicant. Solutio propositę dubitationis.

Text. 39. g *Quoniam autem continuus est motus omnis, siquidẽ omnis potest diuidi, eum etiam, qui simpliciter vnus est, necesse est continuum esse, & si continuus, vnum. Non enim omni continuari omnis potest: vt nec aliud quoduis cuiuis, sed quorum extrema vnum sunt. Extrema autem aliquorum quidem non sunt, aliorum verò sunt specie diuersa, & homonyma. Quo enim modo se tangerent aut*
Text. 40. *vnum fierent lineæ, & ambulationis extrema.* h *Cohærebunt quidem & qui non ijdem sunt specie, neque genere. Aliquis enim mox ac cucurrit, febricitabit: & vt fax ex successione, latio cohæret, non autem est continua. Positum enim est ea esse continua, quorum extrema vnũ sunt. quare cohærent, & deinceps sequitur, quod continuatum sit tempus, continui autem quod motus: quod tum est, cùm vtriusque extremum vnum sit. Ideo*

g Quoniam autem continuus } Vberius exponit quæ ad numeralem vnitatem motus concurrunt, docetque licet omnis motus continuus sit, quandoquidem & diuiduus, nullius tamen partes vno communi termino copulari, prętерquam eius, qui vnus numero dicitur. Non enim inquit, quęlibet res continuari possunt; sed eę solùm, quorum extrema inter se coalescere aptę sunt, & in vnum euadere. Nimirum quędam terminos, siue extrema non obtinent: alia etsi habeant, eiusmodi tamen sunt, vt coire nequeant, veluti linea, & deambulatio, cęteraque id genus specie differentia. Quod & de motibus Quęnam res inter se continuari possit.

bus inter se comparatis asserendum est. Nam qui naturam specie dissidentem sortiuntur, continuari inter se non possunt, vt cursus & febricitatio.

Motus specie distincti possunt cohærentes dici.

h Cohærebunt tamen) Etsi motus genere, aut specie differentes inter se continuari nequeant; nihilominus cohærentes dici possunt: admonet; si tamen vnus alterum subsequatur, nec media quiete intercipiantur. Minus enim ad cohæsionem, quàm ad continuitatem exigitur. Quod Simplicius hoc loco non animaduertit putans omnes motus, qui inter se cohærent, in vnum coagmẽtari posse, & cõtinuos reddi. Cui Themistius, alijque interpretes, imo & Aristoteles palam repugnat.

Ad cõtinuitatem motus quę requirantur.

i Ideo motus) Tria inquit necessaria esse vt motus rite continuus dicatur, in primis vt sit idem motus specie. Secundò, vt sit idẽ mobile, Tertio, vt sit idẽ tempus, nec vlla quietis mora intercedat. Ex his si vel vnum desideretur, non erit motus continuus: sicuti non erant cursus illi recursus, quos equites obibãt Athenis in Pirẽo tẽdam candẽtem alij alijs vicissim dantes accipientesque in certaminibus. Nam quãquam hi motꝰ, siue facium, quę deferebantur, siue equitum deferentiũ, nec interstitio naturę & speciei, nec intermissione temporis, abiuncti erant, subiecto tamen distinguebantur.

i Ideo motus, qui simpliciter continuus, vnusque est specie, idem sit, & vnius, & in vno tempore necesse est. Vno quidem in tempore, ne motionis vacuitas sit media. Nam in interuallo quiescere necesse est. Multi igitur, & non vnus motus sunt quorum quies media est. Quare si aliquis motus statu intercipitur, is neque vnus, neque continuus est. Intercipitur autem si tempus est intermedium. Nec verò qui specie vnus non est, quanquam tempus non intermittatur. Nam tempus quidem vnum est, specie autem motus alius. Vnum enim motum specie quoque vnum esse necesse. Hic autem vt simpliciter vnus sit necesse non est. Text. 41.

Quis igitur vnus sit simpliciter motus, dictum est. k *Is item qui perfectus est, vnus dicitur, seu genere sit, seu specie, seu essentia, perinde atque in cæteris, perfectum, & totum vnius est. Fit autem interdum vt imperfectus quanquam sit, vnus dicatur, modò continuus fuerit.* Text. 42.

Bonũ, vnũ, totum.

k Is item qui perfectus) Omissa Auerrois interpretatione, quę verum sensum non attigit; docet planè Aristoteles alia quoque ratione motum dici vnum, videlicet quatenus perfectionem suę naturę debitam & congruentem habet. Nam bonum siue perfectum, & vnum, immo & totum, perpetuò esse in his, alijsque id genus rebus comitantur. Quod videtur Aristoteles ex Pythagorę & Platonis disciplina arripuisse, vt annotauit Alexander Simplicio referente. Lege, si placet, quę hac de re in commentarijs librorum de cœlo ad primum cap. lib. 1. scripsimus. Quia verò interdum motus terminorum, ad quos proficiscuntur, absolutionem non obtinent, vt si Plato albescere incipiat, nec tamen ad perfectum candorem euadat; commonefecit, nihil obstare hanc imperfectionem, quominus quilibet absolutè vnus numero appelletur, si modò continuus sit.

l Aliter etiam præter eos, qui dicti sunt, motus vnus dicitur, qui æquabilis est. Nam is, qui non est æquabilis, quodammodo vnus non videtur, sed is magis, qui est æquabilis, vt recta linea. Inæquabilis enim flectilis est. Videntur autem differre intensione, & remissione. At verò in omni motu æquabilitas inest, & inæquabilitas. Nam & alteratio æquabilis esse potest, & latio super æquabili, veluti circulo, aut recta linea: ac in accretione, & imminutione similiter. m *Inæquabilitatis autem differentia ex eo interdum est, in quo mouetur.* Text. 43. Text. 44.

De æquabilitate motus.

l Aliter etiam præter) Alium vnitatis modum subijcit, quo motus vnus dicitur, qui æquabilitatem seruat. Vt enim is, qui modo tardior est, modo celerior, ob hanc partium dissimilitudinem minus est vnus: ita qui toto decursu sibi consentit, & vniformitatem habet, magis vnus censetur, sicuti linea recta magis videtur vna, quam obtorta, at varijs flexibus sinuata; quodammodo plurium linearum rationem obtinet. Hanc autem vnitatis intensionem,

Motus

rem, remissionemvè in omnes motus conuenire posse ait Aristoteles: non quod motus cęlestium sphęrarum velocitatis incrementa, aut decrementa subire queant: id enim in libris de cœlo negat, sed quia non alijs tantùm motibus, sed etiam ei, qui circulo fit, ex se non repugnet eiusmodi varietas. Lege Auerroem hoc loco.

m Inęquabilitatis autem) Duas affert causas inęquabilitatis motuum. Alteram, quod magnitudo super quam res mouetur, inęquabilis sit, cuiusmodi est via tortuosa, & anfractibus impedita. Alteram, quę ab ipso modo sumitur; quod, vt Themistius exponit, motor ipse modò acriùs, modò pigriùs rem motam incitet. Motuum inęquabilitatis duę causę.

Motus namque æquabilis, nisi in magnitudine æquabili, esse non potest, vt motus, qui in flexa linea, aut anfractu fiunt, aut alia magnitudine, cuius partes omnes inter se aptæ non sunt. Alia est non loci ratione, nec temporis, nec eius ad quod est, sed modi. Nam celeritate, & tarditate interdum definitur. Cuius enim eadem est celeritas, is æquabilis est, cuius non est, inæquabilis. n *Ideo celeritas, & tarditas nec species sunt motus, nec differentiæ, cùm species omnes comitentur.* o *Quare nec grauitas, nec leuitas, quæ ad idem, vt terræ ad se, aut ignis ad se.* p *Inæquabilis igitur, quia continuus, vnus est, sed minus, vt lationi flexæ accidit. Quod autem minus est, ob mistionem contrarij semper est. At si potest fieri vt omnis motus æquabilis sit & non æquabilis, qui diuersæ speciei inter se cohærent, vnus & continuus non erunt. Quomodo enim æquabilis fuerit is, qui ex alteratione, & latione coalescit? congruere nanque inter se deberent.*

Text. 45.

n Ideo celeritas) Ex ijs, quę hactenus docuit, nonnulla infert consectaria. Primum est celeritatē, & tarditatem nec species motuũ esse, nec eorum differentias; quod ex eo concludit, quia in omni motu promiscuè reperiri queunt; cùm tamē nullius speciei, aut differentię ratio incerta & vaga esse posśit. Celeritatē & tarditatē non esse motuum differentias.

o Quare nec grauitas) Hoc est alterũ consectarium; quod variè intelligitur ab interpretibus. D. Thomas ait sententiam illius esse, grauitatem & leuitatem non idem valere, quod tarditas, & velocitas: quia hę in omnes omnium corporum motus indiscriminatim competunt, illæ verò minimè: quandoquidem grauitas ijs tantùm, qui deorsum: leuitas ijs, qui sursum vergunt, accommodatur. Hęc expositio videtur vim afferre verbis Aristotelis. Germanior est, quã alij afferunt, vt sit sensus quemadmodum tarditas & celeritas non sunt species motuum, aut differentię motuum specie diuersorum; ita nec specie distingui grauitatem, qua aliquid in locum infimum celeriter tendit, à grauitate, qua ad eundem locum aliquid tardè mouetur; qualis grauitas inest duabus terrę portionibus, quarum vna plus habet ponderis, quam altera. Atque hoc significant verba illa, terrę ad se, Quod de ignis leuitate similiter explicandum est.

p Inęquabilis igitur) Docet inęquabilitatem non impedire quominùs motus possit censeri vnus, si continuus sit, licet minùs participet vnitatem, quam ęquabilis & sibi vndique similis: ille enim ratione disparitatis in diuersas partes quodammodo contrarias secari potest, quia id, quod minus est, admistionem habet contrarij, vt minus album admistionem nigri. Tum quędam repetit ad vnitatem & continuationem spectantia, quę iam ex dictis liquent. Inęquabilitas non impedit continuitatē motus.

Obserua in hoc Capit. ad tex. 41 pronuntiatum illud Aristotelis, differentia specie non posse inter se continuari. Quod verum est non in motibus solùm, de quibus hoc loco agitur, sed etiam in temporibus. Respondent enim sibi mutuò continuitas motus & temporis in eadem re. Nec obest quod in primo mobili continuantur tempus pręteritum, pręsens, & futurum. Non enim hęc differunt inter se specie, sed accidentario tantum discrimine (non secus ac duę partes eiusdem motus, quarum alia velox est, alia tarda) alioqui tempus primi mobilis non diceretur à Philosophis vnum numero; cùm ea, quę specie differunt, numero etiam differre oporteat. Diximus, in eadem re, quia perseuerante continuitate temporis primi mobilis, interfluunt plurimi motus inter se discreti & disiuncti. Quid verò de cõtinuatione aliarum rerum, quę in fluxu non consistunt, pronuntiandum sit, non est huius loci explicare. Differẽtia specie non continuari.

QVAESTIO

QVAESTIO I.

VTRVM MOTVS DISTINGVANTVR specie per terminos, in quos feruntur; an non.

ARTICVLVS I.

ARGVMENTA IN PARTEM negatiuam.

1.arg. pro parte negat.



NON distingui motus per terminos hunc in modum videtur probari. Motus referuntur ad terminos, vt ad fines, in quos tendunt, & quorum gratia sunt, sicuti & actus omnes: sed à fine nequeunt speciem sortiri: ergo non distinguuntur specie per suos terminos. Assumptio probatur, quia specifica distinctio cũ pertineat ad rei quiditatem, absoluta est ab existentia; at causalitas finis, sicuti & efficientis, importat ordinem ad existentiam, vt alibi diximus: ergo etcæt. Lib. 2. huius op. c. 7. q. 17. art. 3.

2.arg. Secundò. Actiones non distinguuntur per terminos; ergo neque motus; cùm in vtrisque eadem sit ratio. Probatur antecedens, quia si per terminos distinguerentur, cùm actio in commune non habeat formam vnam, quam respiciat, non esset quid vniuocum, sicuti neq; motus, qui ob eam causam analogum est.

3.arg. Tertiò. Termini à quibus motus proficiscuntur, faciunt per se ad variandos, & distinguendos motus: ergo ab ijs etiam motuum distinctio sumenda erit. Antecedens ostenditur; quia alioqui nullum foret discrimen inter motum, simplicemq́ue mutationem: cùm non aliter hæc à Philosophis inter se distinguantur, nisi quia terminus à quo motuum, est aliquid positiuum, simplicis verò mutationis negatiuum quidpiam. Nam, exempli gratia, motus dealbationis est progressio à nigro, vel cæruleo in album; mutatio verò ad albedinem ex se tantùm est progressio à non albo in album. Confirmaturq́ue idem assumptum ex Aristotele libro 7. huius operis cap. 1. text. 5. vbi tripartitam motus varietatem explicans, eum motum censet specie vnum, quo ab eodem ad idem specie tenditur.

ARTICVLVS II.

PRIMA ASSERTIO, QVA PROPOSITÆ quæstioni respondetur.

Sit

SIt tamen prima assertio. Motus distinguuntur inter se specie per terminos ad quos tendunt, non autem per terminos, à quibus proficiscuntur. Prior huiusce assertionis pars non solùm est Aristotelis hoc in libro cap.4.text.31. sed vt commune axioma in Philosophorum scholis celebratur. Potest autem illustrari ex eo, quia terminus comparatur ad motum, vt actus seu forma ad potentiam. Quare sicuti forma lapidis propriam differentiam, & speciem lapidi indit; ita & terminus motui, qui in ipsum fertur; nisi quod forma lapidis, (sicuti & aliæ formæ Physicæ) lapidem intrinsecè componit, terminus verò non ita sese ad motum habet; licet hic in ordine ad illum, tanquam ad suum obiectum, & causam formalem externam, intimam differentiam speciemque sortiatur.

Cõsuled. Th. 2. cõtra gent. c.17 M. Alb. hoc in loco trac.3.c.1. Scotus in 1. d. 13. q. vnica. Ferr. q.4. huius lib.

Commune effatũ in Philosophia motus distingui p terminos, ad quos tendunt.

Præterea à quo res accipit nomen & definitionem, ab eodem etiam speciem sumit: at motus, teste Aristotele hoc in libro cap.1. text.4. & cap.5. text.48. nomen accipiunt à terminis, in quos tendunt; vocatur enim refrigeratio à frigore, dealbatio ab albedine; itemque refrigeratio non nisi per frigus, dealbatio non nisi per albedinem definitur, similiterque res habet in cæteris: ergo motus distinguuntur specie per terminos, in quos feruntur.

Terminꝰ est causa formalis externa comparatione motuum.

Posterior pars assertionis, quam statuit D. Thomas 1.p.q.25.art. 1. & q.45. art.1. & alij, facilè suadetur. Primùm quia fieri non potest, vt vnus motus specie à duobus specie distinctis, & inter se contrarijs vnitatem capiat: at terminus à quo, & terminus ad quem specie differunt, vt docet Aristoteles 1. de cælo. c.8. tex.86. & inter se contrarij sunt, vt idem ait hoc in lib.c.5.text.49. & lib.8. c.7. text.62. Quod etiam confirmatur testimonio eiusdem Aristotelis cap.4. huius lib. text.31. vbi asserit motum eundem specie esse eum, quo ad formam eiusdem speciei pergitur; ideoque omnes dealbationes in speciem vnam conuenire.

Mótus nõ distingui per terminos à quibus proficiscuntur.

ARTICVLVS III.

SECVNDA ASSERTIO; ET ARGVmentorum, quæ initio adducta sunt, explicatio.

ANtequam secundam assertionem statuamus, prænotandum est mutationem, quod ad hunc locum spectat, dupliciter sumi. Interdum latè & in commune, nonnumquam strictè. Mutatio priori modo sumpta, vt colligitur ex doctrina Aristotelis 1. huius lib. text.7. est qua res aliter se habet nunc, ac priùs, siue ea mutatio versetur inter terminos positiuos, cuiusmodi est progressio ab albo in nigrum; siue commeet à termino positiuo in negatiuum, vt ab albo

Duplex vsurpatio mutationis

albo in nõn album, siue à negatiuo in positiuum, vt à non albo in album. Mutatio posteriori modo accepta eas tantùm mutationes comprehendit, quæ progrediuntur à termino à quo negatiuo in terminum ad quem positiuum. Quopacto locutus est Aristoteles de mutatione hoc in lib. c. 5. text. 51.

Diserimẽ inter motum & mutationem priori modo sumptam.

Igitur si mutatio priori consideratione spectetur, planum est quid inter eam, & motum sit discriminis. Differt enim à motu vt commune analogum à suo membro, cùm mutatio ita accepta sit commune quid multiplicis naturæ suo amplexu coercens motum, generationem, cæterasque mutationes. Si autem posteriori modo expendatur, dubium controuersumque est num specie differat à motu. Et quidem parti affirmatiuæ probabilitatem affert diuisio illa, cuius paulò ante mentionem fecimus, inculcata ab Aristotele cap. 1. huius libri text. 7. vbi inter cæteras mutationes enumeratur tanquam species ab alijs distincta ea mutatio, quæ est à termino negatiuo ad positiuum.

2. assertio.

Nihilominùs sit secunda assertio. Motus non differt specie à mutatione posteriori modo sumpta cùm ambo in eundem terminum feruntur.

Probatur.

Probatur, quia cùm Socrates è candido fit niger, abiectio illa candoris, quæ motum ad nigredinem comitatur, distinguitur re ipsa à tali motu. Quare poterat hic sine illa, saltem diuinitus, dari: & tamen non foret alterius speciei, nec enim ideo propriã amitteret naturam. Igitur ex eo, quòd motus à termino positiuo, vel negatiuo progrediatur, non sortitur diuersam speciem. Idemque patet in generatione. Nec enim generatio equi, alterius esset speciei ac modò est, si immediatè ante equinæ formæ introductionẽ nulla in materia extitisset forma, cui intereunti recens forma succederet. Illud tamen in confesso est, si mutatio soluens à termino negatiuo momentanea sit, esto ad eundem terminum feratur, ad quem motus; distingui inter se specie; non quidem ob differentiam termini à quo; sed quia altera progressio continua est, altera momentanea. Quin verò si rem ad amussim rationis exigamus, prædictæ mutationes haud dicendæ sunt simpliciter eundem terminum ad quem vendicare; sed eundem quoad realitatem, nonquoad modum. Nam idem candor alium modum sortitur cùm motum; alium cùm momentaneam terminat mutationem; hanc enim terminat vt quid raptim, & momento acquisitum; illum vt quid successiuè, & temporis fluxu comparatum.

Dubit.

Quæres igitur quandoquidem motus, & mutatio ita sumpta non

Respõsio.

differunt essentia, quidnam inter ea sit discriminis. Respondemus distingui inter se accidentariò, ac penes connotata: quia motus secundum suam propriam notionem, saltem ordinariè, comprehendit abiectionem termini à quo positiui; non quidem primò aut tanquam significatum, sed secundaria ratione, & vt quidpiam connotatum, mutatio autem, verbi gratia, dealbatio ex se importat solam

nudam

nudam ac simplicem progressionem à non albo ad album.

Neque huic nostræ sententiæ officit quod Aristoteles loco superiùs citato mutationem, profectam à termino à quo positiuo, quasi speciem à cæteris diuersam recensuit. Non enim consilium ei fuit tripartita illa diuisione, ea duntaxat, quæ inter se propriè specie dissident, complecti. Adde cùm sub illo membro, è non subiecto in subiectum, non paucæ momentaneæ mutationes, quæ à motu, vti diximus, specie differunt, contineantur; neutiquam hac etiam ex parte id membrum vacare, sed ad prædictam diuisionem absoluendam necessariò adhibendum fuisse. Si quis autem quærat num abiectio prioris formæ, & acquisitio nouæ sint duo motus. Occurrendũ erit esse duos; cùm habeant distinctos terminos. Verùm formæ abiectionem non esse motum realem & positiuum, sed negatiuum dũtaxat, vt proxima quæstione ostendemus.

Explicatur locus Aristotelis.

Dubit. Sol.

Reliquum est vt argumentis initio propositis occurramus. Ad primum concessa maiori propositione; quod ad minorem attinet, respondendum est motus accipere speciem à terminis, non prout causalitatem finis exercent, quod rectè probat argumentum; sed vt habent rationem causæ formalis extrinsecæ; modo superiùs à nobis explicato in confirmanda prima assertione.

Diluuntur argumenta initio quæstionis opposita. Dil. 1.

Ad secundum, dicendum actionem tendere ad formam in commune, non absolutè; sic enim non esset quid vniuocum, sed vt sortitur vnum quendam peculiarem modum, quem declaramus per esse ab agente: quod in motu non cernitur.

Dilut. 2. Cur actio in comm ne sit vniuoca, nõ autem motus.

Ad tertium quid respondendum sit cõstat ex dictis. Fatemur enim differre motum à simplici mutatione, quòd illa à termino negatiuo; hic à positiuo proficiscatur; non ita tamen vt hæc distinctio ad cõstituendam differentiam specificam inter motum, & inter mutationem successiuam, cùm circa eundem omnino terminum versantur, satis sit. Quod verò attinet ad locum in argumento citatum dic Aristotelem inibi non vniuersim de motu eiusdem speciei locutũ fuisse. Namque licet pronuntiarit motus omnes, quibus ab eodem ad idem specie pergitur, sub eadem specie concludi, non proinde censuit omnes eiusdem speciei motus requirere terminum à quo eiusdem speciei.

Dil 3. Non omnes eiusdem speciei motꝰ exigũt terminũ a quo eiusdẽ speciei.

QVÆSTIO II.

QVO PACTO MOTVS, QVI IN QVANtitate versantur, à terminis, in quos tendunt, speciem accipiant.

ARTICVLVS I.

OPINIO EXISTIMANTIVM ACCRE-tionem & decretionem esse duos motus positiuos distinctos specie.

NVnc sigillatim scrutemur qua ratione tres illæ motuum speCies in Peripatetica doctrina peruulgatæ, nempe motus ad quantitatem, alteratio, & latio à terminis, in quos tendunt, speciem sortiantur. Atque vt ordiamur ab eo, quo ad quantitatem itur, consueuit is in accretionem, & decretionem seu diminutionem diuidi: sed est inter philosophos disceptatio num decretio vera speMateria continenter à re viuente dilabitur. cies motus sit. Quippe Socrates exempli gratia, interim dum viuit, ac nutritur, nouas materiæ partes sibi copulat; simulque ob actionem tum circunflui aeris, aliarumque causarum occurrentium, tum maximè caloris humidum depascentis, continenter ab eo materia dilabitur, & cum ea simul quantitas; atque ita perpetuò acquirit nouam quantitatem, veteremque deperdit. Huc orta dubitatio est vtrum in hac, alijsque id genus imminutionibus interueniat motus aliquis realis & positiuus, qui decretio vocetur, cuius terminus sit quantitas Socratis; quæ antea rationem habebat partis, nunc verò rationem totius. (videlicet quia prius sub decem digitis erat, nunc sub octo duntaxat.) an verò talis motus positiuus non detur, sed pura tantùm corruptio abeuntis quantitatis. Multi prædictum moPrimum arg. oppositę opi. tum positiuum tuentur. In primis ob auctoritatem Aristotelis, cuius ea sententia esse videtur. Nanque ad initium huius libri, cùm in primo capite mutationum varietatem explicuisset, numerassetque mutationes terminatas ad negationē substantiæ, quantitatis, qualitatis, & loci, quas corruptiones nūcupauit, alias quidē simpliciter, alias secundū quid; nihilominùs decretionē nō in hanc turbā negatiuā cōiecit; sed seperatim inter motus positiuos recensuit, tum alibi, tum textu. 18. sequentis capitis; adeò perspicuè, & ex professo, vt contrariæ opinioni nequaquam locus relinqui videatur.

Secūdū arg. Deinde corroboratur eadē sentētia ex eo, quia, vt p̄ter alios edisserit S. Thomas in 1. d. 17. q. vlt. art. 2. ad 2. & in prima Secūdæ q. 52. art. 2. & in 22. q. 24. ar. 3. ad veram motus rationem non oportet nouam realitatem per eum acquiri, satisque est eandemmet rem sub nouo modo comparari: si enim talis acquisitio per successionem fiat nihil ei deerit, quo minus actus entis in potētia, vt in potentia, ritè dicatur; atque adeò vt verè motus sit, & quidem positiuus ac realis, vtpote ad modum illum positiuum tendens. Nec debet in re proposita mirum videri quod quantitas remanens, vi defluxus nouum acquirat modum, sub quo positiuum decretionis motum terminet: Cùm videamus dissecto ligno, detractaque ab eo portione aliqua, id, quod in ipso antea pars erat, adipisci nouū modū, cuius merito

rito è non ſuppoſito fit ſuppoſitum, & ex ente incompleto completum.

Iuxta hanc opinionem dicendum eſt motum ad quantitatem diſtribui ab Ariſtotele in duo membra, ſeu duas ſpecies veras & poſitiuas nimirum in accretionem, & decretionem. Et hanc quidem ſumere ſpeciem à quantitate prout molem corporis ampliorem facit; illam ab eadem, quatenus molem corporis contractiorē reddit. Vbi aduertes accretionem, quæ in toto viuente adminiſtratur, non eſſe vnum aliquem motum per ſe; ſed eam, quæ in quolibet poro fit. Idemque ſimiliter ſuo modo de decretione dicendum eſſe: quod in libris de ortu & interitu exponetur.

ARTICVLVS II.

VERIORIS SENTENTIÆ explicatio.

ITA ſe habet ſententia de poſitiuo decretionis motu; quæ licet probabilis ſit; oppoſitam nihilominus magis veriſimilem iudicamus; videlicet tam decretionem quantitatis, quàm qualitatis remiſsionē eſſe motus eſſentialiter negatiuos. Vt enim accretio eſſentialiter eſt acquiſitio quantitatis, & intenſio qualitatis; ita decretio, & remiſsio eſſentialiter ſunt abiectiones, ſeu corruptiones quædam earundem formarum intrinſecè terminatæ ad ipſum non eſſe illarum. Quod autem peracto motu decretionis, ſeu remiſsionis, forma, quæ antea habebat rationem partis, ſortiatur rationem totius, id omnino extrinſecum eſt, & ex accidente ſe habens ad tales motus. Quod manifeſtiùs deprehenditur in ea remiſsione, qua vſque ad non gradum qualitas remittitur; vt cùm aqua ſeſe ad natiuum frigus reducens omnem prorſus calorem abijcit: ea enim remiſsio ipſo non gradu terminatur. Quare eſſentialiter remiſsionis terminus non eſt minor qualitas, ſed non qualitas, ſiue ex parte, vt accidit quando peracto motu remiſsionis manet aliquid formæ; ſiue in totum vt in propoſito exemplo. Ex quo planè concluditur, nec remiſsionem, nec decretionem eſſe motus acquiſitiuos formæ; ſed potius corruptiuos, & vt ſic loquamur abiectiuos, vt rectè ſentit Fonſeca. 5. Metaphyſ. cap. 13. q. 9. ſect. 4.

Decretio, & remiſsio ſunt abiectiones terminatę ad non eſſe quãtitatis, & qualitatis.

Terminus remiſsionis nõ eſt minor qualitas.

Deinde priuatim contra eos, qui in hiſce motibus diſtinctionem ſpecificam eſſentialem, ſiue logicam ponunt; facit illud, quod ſi decretio, & remiſsio eſſent motus per ſe, & intrinſecè acquiſitiui formæ minoris, non diſtinguerentur ſpecie accretio, & decretio, itemque remiſsio, & intenſio ſecundum eandem qualitatem; ſiquidem vterque motus oppoſitus eſſet per ſe acquiſitiuus eiuſdem

formæ ſpecificæ. Nec ſufficiunt in forma diuerſæ rationes maioris,& minoris ſeu partis,& totius ad inducendam ſpecificam diſtinctionem in illis motibus; quia huiuſmodi rationes ſunt accidentariæ, imò extraneæ,& quæ per ſe ad ſpecificam diſtinctionem motuũ multò minùs faciunt, quàm rationes naturalis, & non naturalis in loco; quæ tamen non ſufficiunt ad lationes eſſentialiter, ſeu ſpecie logica diſtinguendas, ſed accidentaliter tantùm, ſeu ſpecie phyſica, vt progreſſu patebit.

Vnum tantũ eſſe motũ realem ad quãtitatem.

Dicendum igitur vnum tantùm eſſe realem motum, ad quantitatem, nempe accretionem, qua videlicet quãtitas ſecundum ſe, nullo habito reſpectu maioris, minoris, æqualiſue, acquiritur; decretionem verò, qua quantitas deperditur, eſſe motum eſſentialiter negatiuum. Quòd ſi conſideretur vt accidentariò connotat minorẽ quãtitatem, quæ poſt decretionem manet, & extrinſecè illã claudit, erit quoddam compoſitum per accidens. Atque idem de remiſsione qualitatis ſuo etiam modo intelligatur. Nouus autem modus, quẽ quantitas aut qualitas poſt decretionem, remiſsionemvè manens comparat, vt ſcilicet quæ antea erat pars, tunc rationem habeat totius, reſultat abſque vllo prorſus motu, aut actione ad formam remanentem terminata, ſubſequiturque accidentaliter, & extrinſecè ipſum motum negatiuum, quo altera pars formæ corrumpitur, & abijcitur: ſicuti cùm aqua diuiditur in duas partes, vtraque pars ſortitur rationem totius abſque vllo motu ad ipſas terminato per ſolam reſultantiam ex diuiſione; quæ reſultantia mutatio quædam eſt imperfecta, nec pertingens ad rationem motus, etſi ſucceſsiuè fiat, vt in decretione.

Dilutio arg. pro contraria opinione.

Explicatur locus Ariſtotelis.

Neque hæc doctrina Ariſtoteli aduerſatur, vt contrariæ partis defenſores putant. Fatemur enim Philoſophum numeraſſe decretionem inter motus vtrinque clauſos terminis poſitiuis: id enim perſpicuis verbis loco, quem indicauimus, docuit: inficiamur tamen illum intellexiſſe, aut ſignificaſſe terminum ad quem poſitiuum decretionis eſſe illi intrinſecum & eſſentialem. Quare vt verè, ac Peripateticè philoſophantur qui aſſerunt terminum à quo poſitiuum non pertinere ad eſſentiam motus, quo ad incrementum formæ itur, ſed extrinſecus duntaxat & accidentariò, & quaſi connotatum quid ad illum ſpectare, vti ſuperiùs ſtatutum fuit; ita nunc aſſerimus terminum ad quem poſitiuum ſimiliter ſe habere ad motum tendentem in formæ diminutionem, abiectionemque.

Atque ita ſeruatur etiam analogia inter vtranque motus differentiam, quam aduerſa opinio non videtur conſideraſſe, nimirum vt ſicut motus tendens ad accrementum formæ non alium poſitiuũ terminũ eſſentialiter reſpicit, quã terminũ ad quẽ; ita è cõuerſo motus, quo forma minuitur, & abijcitur, nõ alium terminũ poſitiuum niſi terminũ à quo, eſſentialiter reſpiciat. Itaq; ſi decretio, & remiſ-

ſio

sio spectentur quoad suã essentiam præcisè, continentur in ea classe mutationum, quæ sunt à subiecto in subiectum in illa diuisione Aristotelis. Si autem expendantur vt etiam accidentariò, & extrinsecè connotant minorem formam remanentem; hoc modo pertinẽt ad aliud diuisionis membrum, quod est à subiecto in subiectum; sicuti etiam motus ad accremẽtum formæ tendentes tum ad hanc posteriorem classem, tum ad illam, quæ est à non subiecto ad subiectũ spectant, prout vel secundum essentiam præcisè, vel etiam quoad terminum à quo positiuum accidentariò cõnotatum, considerãtur.

Decretio & remissio ad quam mutationem in classem referant.

QVÆSTIO III.

QVA RATIONE MOTVS AD QVALITATEM pertinentes, à terminis, in quos pergunt, speciem sortiantur.

ARTICVLVS I.

QVORVNDAM SENTENTIA DE DISTINctione horum motuum ex parte qualitatis mediæ.

NIHIL opus est omnium in hac disceptatione referre sententias: sed pro certo habendum totidẽ esse motus ad qualitatem specie distinctos, quot sunt species qualitatum quæ per se motu acquiri possunt; id quod ex superiùs dictis, & ex doctrina Aristotelis cap. 4. huius libri facile deprehenditur. Nõ est tamen prætereunda ea controuersia, quæ hoc loco agitari solet, videlicet num varietas qualitatis mediæ specie distinctæ specificam distinctionem alterationis arguat. Hoc est, num eadem sit specie alteratio, qua, verbi gratia, per cæruleum, & ea qua per viridem ad nigrum colorem itur; an potiùs vtrobique duo insint motus specie diuersi; in priori tendẽtia vnus ad cæruleum colorem; alter ad nigrum: in posteriori, vnus ad viridẽ, ad nigrum alter.

Tot esse mõtus specie distinctos, quot qualitates specie differentes, quę per se motũ terminant.

Sunt qui existiment in hisce motibus nullam mediæ qualitatis rationem habendam esse, sed extremæ duntaxat; ideoque licet cæruleus color, per quem ad nigrum pergitur, à nigrore specie differat, Socratem tamen non plures quàm vnum specie motum decurrere, cùm ex albo per viride nigrescit. Occurrunt verò pro hac sententia

Opinio nõ distinguẽs alterationes ex mediis qualitatibus.

1. arg. tentia hæ potiſsimum rationes. Primùm, quia per quãcunque qua-
litatem Socrates ad nigrorem contendat, à principio motus dicitur
nigreſcere, omnes autem nigrefactiones ſunt eiuſdem ſpeciei, vt do-
2. arg. cuit Ariſtoteles cap. 4. huius libri, tex. 31. Secundò, quia motus, quo
lapis à concauo lunæ per omnia interiecta loca ad cẽtrum vergit, eſt
vnius ſpeciei, vtpote lapidi naturalis, & ab eadem grauitate oriun-
dus: ſed eadem ratio eſt in hoc motu, & in eo, quo ad extremũ co-
lorẽ proceditur; ergo ſicut illic acquiſitio medij non eſt motus ſpe-
cie diuerſus, ita neque hic erit.

ARTICVLVS II.

ADVERSARIA SENTENTIA, quæ veriſimilior habetur.

CONtrariam opinionẽ ſecutus eſt Auicenna, Albertus magnus, Burlæus, alijque nonnulli, quibus ſuffragatur Auerroes lib. 10. Metaphyſ. com. 23. vbi ait, ſi qualitates mediæ ſpecie differrent ab extremis, futurum, vt non eſſet mutatio vna ſpecie, qua ſubiectum ab vno extremo ad aliud per interiecta media fertur. Licet autem prior ſententia admodum probabilis ſit; hæc tamen veriſimilior eſt, probaturque in hunc modũ. Acquiſitio cuiuslibet co-
1 ratio. loris medij (quem hoc loco ſupponimus eſſe vnum quid per ſe) ſi
Colorem medĩ eſſe vnũ quid per ſe. ſeorſim ſpectetur, pertinet ad aliquam ſpeciem motus ab ijs, quibus extremi colores comparantur, diuerſam: ergo ſiue illã extremi coloris acquiſitio ſubſequatur, ſiue non; adhuc ſpeciem propriam retinebit, eritque motus alius ſpecie diſtinctus; alioqui à natura propria decideret, quod fieri nequit. Antecedens ſuadetur, quia ſi illa medij coloris acquiſitio per ſe ſumpta non haberet ſpeciem ſibi peculiarem; ſed tantummodo ad ſpeciem extremorum referenda eſſet, pertineret ad ſpeciem alterius extremi tantùm, vel ad ſpeciem vtriuſque. Non alterius tantùm; cùm ad vtrunque parem obtineat rationem; non vtriuſque, quia non eſſet vnum per ſe, ſed bicipitis naturæ, quod nec aduerſarij videntur admittere, ergo, & cæt.

2 ratio. Deinde eſto acquiſitio medij coloris ad extremum aſſequendum via ſit, quod tamen id haudquaquam impediat ne motus, qui circa extremum verſatur, ſpecie differat ab eo, qui in medium incumbit; probatur ſubiecto exemplo. Nanque introductio formæ embryonis via eſt ad introductionem animæ rationalis: at quis dubitet introductionem illam ab hac ſpecie diſtinguí? ergo cùm ſimiliter medius, & extremus color diſtinctam ſpecie naturam vendicent; quãtunuis illius aſſecutio ad huius acquiſitionem ordinetur; vtraque ſuæ ſpeciei gradum, diſtinctionemque ſeruabit.

Rationes vero in aduerſam partem adductæ hunc in modum ex-

plicandæ

plicandæ erunt. Prima si dicamus dealbationem bifariam sumi; vel aliquantulum strictè, quo pacto non dicitur Socrates albescere dum medio colore imbuitur, etsi eo acquisito ad acquirendam albedinem progrediatur; sed cùm alium duntaxat, atque alium albedinis gradū comparat: vel minus strictè, pro qualibet progressione ad albedinem, ita vt comprehendat etiam antecedentem motum ad colorem medium, quem albedinis acquisitio subsequitur. Priori igitur consideratione omnes dealbationes sunt eiusdem speciei; posteriori non ita. Aristotelès autem loco citato secundum priorem sensum dealbationem vsurpauit. Secunda item obiecto diluitur negando à globo lunæ vsque ad centrum mundi interijci plura loca, siue vbi, specie distincta, siue Logicè, siue Physicè; siquidem omnia sunt loca circunscripta, & respectu lapidis descendentis eandem rationem naturalitatis induunt, vt ex ijs, quæ proximè explicanda sunt, constabit; ideoque nihil mirum si motus lapidis totum illud sublunaris mundi interstitium decurrentis, sit vnus specie; & tamen motus ad medium & extremum colorem non ita se habeat.

Dilutio primi argu. pro cōtraria op.

QVÆSTIO IIII.

QVONAM MODO LATIONES à terminis, in quos feruntur, speciem capiant.

ARTICVLVS I.

CELEBRIS QVORVNDAM SENtentia in proposita quæstione.

IN explicanda specifica lationū differentia magna est varietas sententiarum. Nobis tamen consilium fuit duas duntaxat, quæ in scholis celebriores habentur, in medium proferre. Occurrit ergo in primis eorum opinio, qui arbitrantur prædictam differentiam sumi à terminis ad quos; idest à loco siue vbi, non materialiter, sed formaliter spectato, hoc est, nō ab ipso loco, vt superficies est corporis ambientis per se sumpta, sed prout habet diuersos modos terminandi secundum naturalem, aut non naturalem conuenientiam; quos modos appellant naturalitates. Adduntque capi simul eam distinctionem à virtute motrici eorundem corporum, grauitate nimirum, & leuitate, quarum impulsu corpora in loca sua deferuntur; ita vt motus, quo terra in subli-

Diuersi modi terminandi motum, qui locis conueniunt.

sublime tendit specie differat ab eo, quo ignis sursum euolat, tũ quia locus superior naturalis est igni, contra naturam verò terræ; tũ quia huius grauitas ab illius leuitate specie distinguitur.

Argumenta pro hac opinione.

Potest autem hæc sententia hunc in modũ comprobari. Ita se habent motus ad loca, vt actus ad sua obiecta, & ad fines: sed actus, vt est communis philosophorum sententia accipiunt vnitatem, & distinctionem à suis obiectis, & finibus spectatis secũdum formales rationes terminandi; ergo & motus. Probatur maior, quia motus est actus quidam, vt patet ex illius definitione tradita initio libri tertij, locus verò est obiectum, in quod motus respicit; & finis, in quem tendit, & quo adepto mobile quiescit.

Naturale aduersatur violento.

Secundò. Naturale, & violentum inferunt distinctionem specificam lationibus, cùm naturale, vt Aristoteles 1. de cœlo cap. 2. docet, contrarietur violento; contraria verò teste eodẽ in 8. huius operis cap. 8. tex. 64. specie inter se differant; atqui naturale, & violentum dicuntur per respectum ad diuersos terminos spectatos secundũ rationes illas terminãdi; itemque secundum principia, à quibus motus oriuntur; igitur lationum distinctio ab hisce duobus petenda est.

ARTICVLVS II.

PRÆFERTVR ALTERA OPINIO; ET argumenta, quæ pro contraria adducta sunt, diluuntur.

Conc.

ALtera sententia, quam magis probamus, duabus conclusionibus explicabitur. Prima conclusio sit. Lationes non distinguntur inter se specie penes rationes naturalis, & non naturalis; si de propria distinctione specifica loquamur. Hanc conclusionem statuit Toletus q. 2. huius libri, Albertus saxonia, q. 6. Sotus, q. 2. alijque nõnulli; probaturque ex eo quia si lationes differrent specie secundum prædictas rationes, æquo iure calefactio, qua ignis calefit, cùm à se ipso, vel ab alio igni ad perfectum gradum caloris, quẽ ami erat reducitur, specie disideret ab ea calefactione, qua aqua incalescit; quod tamen nec aduersarij concedunt, nec veritati consonat, vt ex superiori disputatione liquet. Assumptum probatur; quia illa calefactio est naturalis; hæc violenta. Sunt qui huic argumento satisfacere se putent aientes diuersam esse rationem in alterationibus, & in motu locali, propterea quòd qualitates, è quibus alterationes oriuntur, indiscriminatim se habeant ad progignendam naturalẽ, vel non naturalem qualitatem: principia verò motus localis determinata sint ad alterum tantùm, nempe ad certum terminum. Verum minimè satisfaciunt, quia discrimen illud, quod inter alterandi, & loco

Eius asserto-res.

Probatur.

Aduersariorũ responsio.

Refellitur.

mouendi

mouendi principia ſtatuunt; non ita ſe habet, vt inquiunt. Etenim quemadmodum lationis principium non eſt ex ſe indefinitum, ſed omnino determinatum, vt ſubiectum, cui à natura inſidet, ad natiuũ duntaxat locum prouehat; alienum autem ad non natiuum, vt patet in leuitate, quæ aerem in locum ſibi naturalem ducit, exhalationẽ verò, quæ terreæ naturæ, ac ſubſtantiæ eſt ad non naturalem defert: ita principium calefaciendi, v. g. determinatum eſt vt ignem aliaque ſubiecta, quibus à natura ineſt, non niſi ad ſtatum naturæ congruentem promoueat, aliena autem ſubiecta etiam ad ſtatum non naturalẽ. Atque id, quod de leuitate diximus videre etiam eſt in impulſu, qui è terræ forma promanat. Is enim terram ipſam ad centrum mundi vehit; aerem vero ſibi obuium deorſum trudit; ſed illam naturaliter, hunc contra naturam, ac per vim.

Adiecimus in concluſione, ſi de propria diſtinctione ſpecifica loquamur, quia naturalitates illæ, quemadmodum differentias quaſdam phyſicas, & adiectitias pariunt, ita dici poſſunt diuerſas lationũ ſpecies conſtituere, non logicas, ideſt, ex ſimplicibus differentijs eſſentialiter compoſitas, quæ ſolæ in philoſophia veræ ſpecies habentur; ſed phyſicas, ideſt, ex ipſa natura motus, & ex diuerſis cõditionibus illi accidentarijs conſtitutas, quo pacto homo albus, & homo niger accidentaria ſpecie inter ſe diſtingui perhibentur.

Diuerſa ratio naturalis vel non naturalis diſtinguit motus locales ſpecie Phyſica, non logica.

Quod de prędictis naturalitatibus aſſeruimus, pari quoque ratione intelligendum volumus de alijs eiuſmodi, quæ lationi accidunt; ſiue aliunde, ſiue ex parte ſpatij, vt fieri ſupra lineam rectam, circularem, aut ex his miſtam: omnes enim hæ accidentaria tantummodo inuehunt diſcrimina. Ac de huiuſmodi phyſicis ſpeciebus interpretandus eſt Ariſtoteles tam in hoc opere, quàm in libris de cœlo, & alibi; cùm vnicuique corpori ſimplici motum vnum ſpecie diſtinctũ attribuit.

Linea recta & circularis, & ex his miſta non faciunt eſſentiale diſcrimen in lationibus.

Secunda concluſio ſit. Lationes accipiunt ſpciem à terminis ad quos, materialiter ſumptis. Hanc aſtruit Scotus in 1. diſt. 2. quæſt. 7. & è iunioribus philoſophis non pauci; poteſtque ex eo oſtendi quia conditiones, & quaſi rationes formales, cum quibus termini lationum coniungi poſſunt non terminant eiuſmodi motus per ſe, ac ſecundum ſuam eſſentiam præcisè ſpectatos, ſed ſecundũ reſpectus illos phyſicos, & accidentarios, de quibus paulo ante diximus. Deinde ſi calefactiones omnes ſunt eiuſdem ſpeciei, quia tendunt ad calorem, qui eſt vnum quid ſpecie, cur non omnes lationes phyſicæ cùm ferantur in vbi vnũ ſecundũ ſpeciẽ, nõ conueniunt in vnam ſpeciem infimam? Itaque ſtatuimus quemadmodum vbi, qui eſt terminus lationis in commune ſumptæ in duas ſpecies infimas diuiditur, videlicet in vbi definitiuum, quod proprium eſt ſubſtantiarum materiæ expertium, & in vbi circunſcriptiuum, quod conuenit ſubſtãtijs materia prædita; ita lationem in duas infimas ſpecies diſtribui, nimirum, in eam, quæ ad vbi definitiuum, & in eam, quæ ad vbi circunſcri-

2. concl.

Probatur.

cunſcriptiuum tendit.

Solutio primi argu. pro aduerſaria opini.

Reſpondeamus nunc argumentis contrariæ opinionis quam probabilem eſſe non inficiamur. Ad primum concedimus motum localē habere ſe ad ſuum terminum vt ad obiectum; negamus tamen conuenire eiuſmodi termino aliquas formales rationes ſpecie diſtinctas, quæ per ſe poſsint attingi à lationibus, eisque ſpecificam diſtinctionem tribuere.

Sol. 2.

Ad ſecundum reſpondendum eſt naturale & violentū non conſtituere, aut inferre veras; ſed phyſicas tantùm ſpecies, & cōpoſita per accidens. Nec ſecundum Ariſtotelem motum naturalem aduerſari violento contrarietate logica cuiuſmodi in capite de oppoſitis definitur; ſed phyſica ex qua ſimiliter non logica ſed phyſica tantum diſtinctio ſpecifica colligi poſsit.

QVÆSTIO V.

VTRVM AD VNITATEM NVMERALEM motus exigatur, ſufficiatque vnitas numeralis rei motæ, tēporis, & formæ, quæ motu acquiritur.

ARTICVLVS I.

ARGVMENTA PRO PARTE NEGATIVA.

Argu. quod non requiratur vnitas rei motę.

AD excutiendum ſingulas partes propoſitæ dubitationis ſua occurrunt argumenta. Ac primū quòd ad vnitatem numeralem motus neceſſaria non ſit vnitas mobilis videtur oſtendi poſſe in ligno partim viridi, partim arido, quod vnico motu cietur; & tamen non eſt ſubiectum vnum numero; quandoquidem ea pars, quæ viret, ſpecie diſtinguitur ab ea, quæ aruit, cùm illa formam viuentis cohibeat, hæc non viuētis. Accedit ad id Ariſtotelis teſtimonium hoc in libro c. 3. tex. 23. vbi ait, ſiquis muſico ludens inſtrumento cùm primum ſummā chordam, quā Græci ὑπάτην vocant pulſauit; mox ad infimā, quæ νεάτη dicitur, tranſeat medijs non pulſatis, eum motum ſi eodem fiat tempore continuum eſſe, & tamen chordæ non ſunt vnum ſubiectum, ſed plura.

Argu. quod non requiratur vnitas formę.

Deinde quòd non requiratur vnitas formæ probatur, quia motus lapidis à lunæ globo vſque ad terram eſt vnus numero; cùm nihilominùs loca intermedia plura ſint, vt pote ſuperficies ignis, aeris, & aquæ. Item, quia ſi terra ſecundum totam diametrum eſſet ab vna vſque ad alteram ſuperficiem perforata, lapis, qui eo foramine deſcen-

deſcenderet, aliquantulùm progrederetur extra centrum, delatus vi impulſus, qui longo viæ tractu magnum incrementum cepiſſet: tum deinde ad cētrum repedaret nulla interpoſita quiete. Quare is motus foret continuus, atque vnus numero, & tamen forma per eum cōparata nō eſſet vna; ſed plures: aliud enim vbi omninò diuerſum acquireret deſcendendo ad centrū, aliud aſcendendo, ergo, &c.

Item quòd nō rectè exigatur vnitas temporis, ſuadetur. Nam vel hîc temporis nuncupatione intelligitur tempus, quod eſt propria mēſura motus primi mobilis, & communis omnium motuum regula, vel intelligitur tempus, quod eſt propria atque inſita menſura cuiusque motus. Si primum ridiculum videtur, cùm eiuſmodi tēpus neceſſario ſit vnū ſingulare in tota vniuerſitate motuum. Si poſterius, nihil opus fuerat ad ſingularitatem motus plura exigere, quàm iſtius modi vnitatem numeralem. Nam vbicunque hæc vnitas conſpicitur neceſſarium eſt concurrere idem mobile, eandemque formam, atque ita eundem motum ſingularem. Arg. quod nō ſit neceſſaria vnitas temporis.

Denique quòd præter tria illa aliquid ampliùs requirendū ſit cōuinci poteſt ex eo, quia cùm effectus ab vna cauſa productus, ab alia cauſa naturali idem numero produci nequeat, vt in 5. Meta. lib. oſtēditur, non poterit idem ſingularis motus non eundē numero motorē flagitare. Quod certè Ariſtoteles 8. huius operis libro cap. 6. text. 49. perſpicuis verbis teſtatur. vnus, inquit, motus à mouente proficiſcitur vno, & vnius mobilis eſt. Nam ſi aliud atque aliud mouebit, totus ipſe motus non continuus, ſed deinceps erit. Quod iterum inculcat 10. eiuſdem libri capite. text. 82. Itaque nō videtur negandū in diſciplina peripatetica ad vnitatē numeralē motꝰ exigi, numeralē vnitatē motoris. Arg. quod plūra ſit exigēda

ARTICVLVS II.

EXPLICATIO CONTROVERSIÆ & dilutio argumentorum ſuperioris articuli.

D.T. & Cōm hoc loco. Saxonia q. 5. Som. & Toletus §. 3.

IN hac diſceptatione aſſerendū in primis cum Ariſtotele eſt, ad vnitatē numeralem motus requiri tria illa, nimirum vnitatem mobilis, formæ, & temporis, ita vt ſi vel mobilia diuerſa ſint, vel forma, quę acquiritur varietur, vel poſt inchoationem motus vlla quietis mora intercedat, non iam idem numero motus maneat. Cæterum quod ad motoris vnitatem ſpectat, bifariam intelligi poteſt eam requiri. Vno modo vt nō poſsit eſſe idem numero motus, qui nō habuerit motorē ſimpliciter vnū numero. Altero, vt motus, qui ab hoc motore editur, ſiue is ſit vnus numero ſimpliciter, vt Socrates, ſiue duo ſubeūtes vicē vnius, vt inquam eiuſmodi motus non poſsit idem numero ab alio motore effici. Si igitur ſecundum priorem ſenſum loquamur, dicēdum eſt non requiri ad vnitatem numeralem motus vnitatem numeralem motoris. Nam motus, quo duo homines funē trahunt, eſt Concluſio. De vnitate motoris.

ſimpliciter vnus numero cùm tamen motor non ſimpliciter vnus ſit, ſed plures habentes vicem vnius. Si autem res ſecundū poſteriorem ſenſum expendatur, aſſerendū erit requiri etiam vnitatē motoris, vt vltimum ſuperioris articuli argumentum concludit. Nec mirū quod Ariſtoteles hoc in libro non fecerit expreſſam huiuſce vnitatis mentionem; nimirum quia id de induſtria reſeruabat ad ſeptimū, & octauum librum; vbi accuratè cōmonſtrare decreuerat nihil à ſe ipſo moueri poſſe, & omnem motum proprio motore indigere.

Sol. argumētorū pro aduerſaria parte.

Argumenta verò, quæ ſuperiùs propoſita ſunt ita diſſoluētur. Ad primū dicendū erit, lignū ex parte viride, & ex parte aridum non eſſe vnū quid continuū, ſed contiguū duntaxat, atq; adeò nec eſſe vnū numero ſubiectū, vt probat argumentū, ideoq; nō poſſe vnum numero motū ſubire, ſed plures, quātumlibet ſenſus eorū diſtinctionē, & varietatē non dignoſcat. Ad teſtimoniū Ariſtotelis de motu fidiū, omiſſis interpretum cōtrouerſijs circa lectionē, explicationēq; eius loci, dicendū cum citharædus poſt ſūmam chordā relictis intermedijs trāſit ad infimam, poſſe cōſiderari vel motū ipſum manus, quæ ab anima mouetur; vel motū chordarū, quæ manu quatiuntur; & illū quidem motū eſſe vnum numero; poſteriorem verò non item, Ariſtotelemq; non de hoc, ſed de illo tantùm loqui.

Motus lapidis à lunæ cō cauo ad centrū vnus numero.

Ad aliud circa formā, quæ motu acquiritur, reſpondemus, ex noſtra opinione, quæ ſtatuit motū non terminari per ſe ad ſuperficiem corporis ambientis; ſed ad vbi, quod eſt idē cum quantitate rei motæ nihil referre quod lapis à cōcauo lunæ deſcendēs aliā atq, aliā induat ſuperficiē. Etenim in toto eo ſpatio vnū cōtinuū vbi acquirit. Quod ſpectat ad motū lapidis per terræ meatū deſcendētis, ſunt qui dicant totum lapidē perrecturū aliquantulùm vltra centrū donec vaneſcat impulſus quo rectà fertur, deinde rediturū ad centrū, vt in argumēto ſumitur. Alij, ad quos libentiùs accedimus, affirmant nō egreſſurum lapidē ſecundū ſe totū è cētro, ſed ſecundū aliquam portionē, quantū, videlicet, opus fuerit, vt ſe quoad ſui ponderis æquilibriū in centro componat. Nam cū totus ille impulſus eo ſpectet, vt lapidē in meditullio totius vniuerſi cōſtituat (non enim hic de impetu à proiectore impreſſo ſermo eſt) vbi primū lapis eo fine potitus fuerit, ceſſabit confeſtim impetus, nec vlteriùs promouebit. Verùm eſto concedamus totū lapidē à centro receſſurū, nec cùm redierit, in puncto reciprocationis quieturū eſſe; (qua de re in octauo libro diſſeremus) non iccirco aſcenſus ille à centro, & deſcenſus, vnus numero motus erit; ſed interrumpetur in eo inſtanti, quo deſcēſus inchoabitur: dū enim mobile ſecundū eandē lineam rectā pergit, idē ſpatiū, idemq; vbi cōtinuatione quadā acquirit: non ita verò dū rurſus per eandē lineā regreditur, cum in partes ſpatij oppoſitas tendat. Itaq; idē cenſendus erit numeromotus, quo lapis etiam extra centrum excurrit, nō tamē quo ad centrum regreditur; ceſſabitque continuitas in inſtanti, quo aſcenſus ille à centro terminabitur, ſiue per ſe, ſiue ex accidente aſcē-

De motu lapidis perträſectis centrum.

ſus

sus appellari debeat. Nec vero ad discõtinuãdos motus, intermedia quiete opus est vt in. 6. libro dicemus.

Ad id, quod de vnitate numerali temporis quærit, dicendum est appellatione temporis nec intelligi tempus primi mobilis, nec expresse designari tempus, quod motum illum singularem priuatim dimetitur, sed tãtum significari eum motum, qui vnus numero censendus sit, ita affectũ esse debere, vt nulla mediæ quietis mora interpoletur. Ad vltimum quid respondendum sit, patet ex dictis.

Capitis quinti Explanatio.

a Efiniendum autem) In extrema parte huius libri disputat Aristoteles de motuum inter se contrarietate & quiete eisdem oppositis; ac primùm quinque modos enumerat, quibus motus inter se contrarij videri possint, vt ex ijs veram contrarietatem eligat. De cõtrarietate motuum inter se.

b Non est autem) Docet eos, quos quarto loco recensuit, qui nimirum ita affecti sunt, vt terminus à quo vnius, termino ad quem alterius aduersetur (quo pacto se habent motus à sanitate, & motus in morbum) non esse inter se contrarios, cùm idem sit motus, quo Socrates ægritudine liberatur, & quo sanitatem comparat.

c Nec is, qui ex contrario) Motus, quos secundo loco recensuerat excludit, non quod verè contrarij non sint, sed quia non ideirco contrarij censeri debent, quod ex contrarijs proficiscantur, sed potiùs quod in contraria tendãt, idque ex eo confirmat, quia à contrarijs terminis progressus dari potest, & ad terminos inter se contrarios, & ad medium; qui autem ex cõtrarijs ad idem medium proficiscuntur, contrarij non sunt, vt perspicuum est. Deinde quia soluere à contrarijs est cõtraria abijcere; ad ea verò terminari est ea assumere; contrarietas autem ex ijs quę assumuntur pensanda est. Denique quia motus sicut à terminis, in quos desinunt, nomen accipiunt; ita vt ex ijsdem contrarij, vel non contrarij iudicentur, consentaneum est.

d Restat igitur) Asturus paulò post de prima contrariorum cõiugatione, superesse nunc ait motus tertio, & quinto loco dispositos, nimirum eos, qui in contraria desinunt, & qui ex contrarijs in contraria tendunt; docetque isthęc membra ad vnum duci, quatenus motus, qui quos tendũt. Motus accipiunt nomen à terminis, in

CAP. V.

Text. 46. *a Efiniendum autem est qui motus sint contrarij eodemque modo qui status, sed primum diuidendũ est, vtrum motus, qui ex eodem ei, qui ad idem, contrarius sit, vt qui è sanitate ei, qui in sanitatem, quales etiam generatio & interitus videntur esse, an is, qui ex contrarijs, vt qui è sanitate ei, qui ex morbo, an qui in contraria, vt qui in sanitatem ei, qui in morbum, an is, qui ex contrario ei, qui in contrarium, vt qui è sanitate ei, qui in morbum, an qui ex contrario in contrarium ei, qui ex contrario in contrarium, vt qui ex sanitate in morbũ ei, qui ex morbo in sanitatem. Aut enim horum modorum vnum, aut plures esse necesse est. Nam aliter*

Text. 47. *opponi non possunt.* b *Non est autem ei, qui in contrarium contrarius is, qui ex cõtrario, vt qui ex sanitate ei, qui in morbum. Vnus enim, atque idem est, quanquam ratio eorum non eadem, perinde atque nec ratione idem est, ex sanitate mutari, & in ægritudinem.*

Text. 48. c *Nec is, qui ex contrario ei, qui ex contrario. Nam simul accidit ex contrario, & in contrarium, aut medium. Sed de hoc post dicemus. In contrarium autem mutari contrarietatis causa magis videtur, quàm ex contrario. Nã hoc quidẽ liberatio est à contrarietate, illud verò assũptio. At*

qui in contraria desinunt, à contrarijs etiam oriuntur, siquidem hoc interest inter mõtum & mutationem, quod motus à contrario, mutatio à contradicente inchoetur. Quod à nobis in progressu enucleatiùs declarandum erit.

Qui motꝰ inter se contrarij sit.

c Cùm autem mutatio } Affirmat eos duntaxat motꝰ contrarios esse, qui ex contrarijs terminis in contrarios tendunt, vt ægrotatio, & sanatio. Aegrotatio nanque ex sanitate in egritudinem, sanatio ex egritudine in sanitatem abit. Cuius rei causam, vt annotauit Simplicius, ab ipso fonte accersit. Nam cùm motus sit mutatio è subiecto in subiectum, hoc est, ex termino affirmato in affirmatum, qui sibi mutuò aduersentur; consequens est vt ij motus inter se contrarij habeantur, qui ex cõtrarijs in contraria proficiscuntur.

At verò etiam quæque mutatio ex eo magis dicitur, in quod mutatur, quàm ex eo, ex quo, vt sanatio, ea, quæ in sanitatem: ægrotatio, ea, quæ in ægritudinem. d *Restat igitur is,* Text. 49. *qui in contraria, & is, qui in contraria, ex contrarijs. Fortasse quidem accidit, vt qui sunt in contraria, ex contrarijs etiam sint, sed ratio fortasis non eadem. Dico autem vt is, qui in sanitatem est, & is, qui ex morbo. Item is, qui ex sanitate, & is, qui in morbũ.* e *Cùm autem mutatio à motu differat (ea enim mutatio motus est, quæ ex subiecto aliquo est in aliquod subiectum) is motus, qui è contrario est in contrarium, ei contrarius est, qui è contrario est in contrarium, vt qui è sanitate in ægritudinem, ei, qui ex ægritudine in sanitatem.* Tex
f *Inductione autem etiam constat quæ contraria esse videantur. Morbo enim corripi, & sanari, contraria. Item discere, & in errorem trahi non à se. Sunt enim in contraria. Nam vt scientiam & per se, & per alium licet nanciscì, ita & scientia aberrare, ac decipi. Latio etiam, quæ in superum locum, ei, quæ in inferum. Hæc enim in longitudine sunt cõtraria. Item ea, quæ dextram versus, ei, quæ sinistram, cùm hæc in latitudinem contraria habeantur. Rursus quæ in locũ anteriorem, ei, quæ in posteriorem. Nanque & hæc in altitudine contraria sunt.* Text. 50. *Quæ autem mutatio in contrarium* Text. 51. *solum est, vt album fieri, non ex aliquo, motus non est, sed mutatio.* g *In quibus autem contrariũ non est, ea mutatio, quæ ex eodem, ei, quæ ad idem, contraria est. Ideo generatio interitui contraria est, & abiectio assumptioni. Hæ verò mutationes sunt, non motus. At motus, qui sunt ad medium (in* Text. 52. *quibus contrarijs medium est) vt ad contraria esse ponendum est. Medio enim vt contrario motus vtitur, ad vtrunuis fiat mutatio, veluti è fusco quidem ad album perinde est, vt è nigro, & ex albo in fuscum, vt in nigrum: ex nigro autem* Text.
in fuscum, vt in album. Nam medium ad extremorum vtrunque, vt antea quoque est traditum, quodammodo dicitur. Motus igitur motui hoc modo contrarius est is, qui è contrario in contrarium, ei, qui è contrario in contrarium.

Capi-

f Inductione autem } Exemplis illustrat cuiusmodi sint contraria, quę contrarios motus constituunt. Inter quę numerat scientiam & errorem; licet hęc ad motum physicum non pertineãt. Cùm autem scientia & error bifariam comparentur; aut traditione alioũ, aut inuẽtione propria; errorem ex nobis, scientię ex nobis; errorem ab alio, scientię ab alio aduersarĩ inquit. Sumit verò errorem non pro negatione, aut priuatione scientię; sed pro eo, quem vocant prauę affectionis. Qua de re in libr. posterioris analyt.

g In quibus autem } Docet licet prima oppositionum coniugatio non contineat eam contrarietatem, quę motus contrarios reddat, sufficere tamen ad constituendas mutationes contrarias. Itaque cùm duę mutationes ita se habent, vt terminus à quo vnius sit terminus ad quem alterius, contrarię sunt, vt interitus & generatio hominis, hęc enim tendit ex non homine in hominem, illę ex homine in non hominem. Postremò subijcit in quibuscunque

buſcunque contrarijs inueniuntur media, ita dijudicandos eſſe motus contrarios ſicuti ij qui ad extrema proficiſcuntur; quandoquidem vt ſuperiùs dictum fuit, medium ad vtrũlibet extremum comparatum ſubit vicem alterius extremi.

ij Medium cõparatum cum vno extremo ſubit vicẽ alterius.

Capitis ſexti Explanatio.

49. Sa Ed cùm motui) Differit de contrarietate inter quietem, & motum, & quietes ipſas inter ſe, atque inprimis admonet alia ratione quietem motui, alia motum motui aduerſari. Quies enim cùm ſit priuatio motus, non niſi priuatiuè motui opponitur, motus autem perfecta contrarietate tenetur. Igitur aliquot aſſertiones ſtatuit. Prima eſt.

De oppoſitione motus & quietis.

1. aſſertio.

Non quęuis quies cuilibet motui contraria eſt; ſed motui ad vnũ aliquod genus pertineti quies, quę in eodem genere eſt, vt lationi quies à latione. Secunda aſſertio. Motus, inquit, cùm in duobus ſubiectis verſetur, hoc eſt, è ſubiecto in ſubiectum, ſiue è termino contrario in contrariũ tendat: non aduerſatur motus quieti, quæ eſt in termino ad quem, ſed quę eſt in termino à quo, vt motus, quo ignis in ſublime fertur, contrarius eſt quieti, quæ in loco infimo tenebatur, non quam in loco ſupero obtinet; & motus quo aqua incaleſcit, quieti quę eſt ſub frigore, non quę eſt ſub calore.

2. aſſertio.

CAP. VI.

Text. 53. Sa *Ed cum motui non ſolum motus contrarius eſſe, verum etiam quies videatur, hoc ipſum definiendum eſt. Contrarius enim ſimpliciter eſt motus motui: ſed & quies opponitur. Priuatio enim eſt. Fit autem, vt & priuatio quodammodo contraria dicatur, ſed talis tali: vt ei, qui eſt ad locum, ea, quæ in loco. At hoc ſimpliciter nunc dicitur. Vtrum enim quieti, quæ in hoc eſt, motus opponitur,*

50.

Text. 54. *qui ex hoc ipſo, an is, qui ad ipſum? Cùm igitur motus in duobus ſubiectis verſetur, perſpicuum eſt quietem eam, quæ in hoc eſt, ei, qui ex hoc in contrarium eſt, aduerſam eſſe: ei autem, qui ex contrario ad hoc eſt, eam quæ in contrario. Sunt verò & ipſæ ſimul inter ſe contrariæ. Nam ſi cum motus ſint contrarij, quietes quoque non opponantur, abſurdum eſt.* b *Sunt autem eæ, quæ in contrarijs. Vt quæ in ſanitate eſt quies ei, quæ in morbo, & motui, qui è ſanitate in morbum: ei enim, qui ex morbo eſt ad ſanitatem, à ratione abeſt, cùm motus ad id, in quo ſtetit, quietis potiùs ſit generatio, aut ſimul cum motu fieri contingit. Hanc autem aut illam eſſe neceſſe eſt, ſiquidem quæ in albedine eſt quies, ei non aduerſatur, quæ in ſanitate.* c *Quibus autem non ſunt contraria, in his mutatio, quæ ex aliquo eſt, ei opponitur, quæ ad*

51.

52.

Text. 55. *idem eſt: motus vero non eſt, vt ea, quæ ex ente ei, quæ ad ens. Ac ſtatus quidem horum non eſt, ſed mutationis vacuitas. Et quidem ſi non ens ſubiectum aliquod ſit, mutationis vacuitas, quæ in ente eſt, ei contraria erit, quæ in non ente. Quod ſi non ens non ſit aliquid, dubitauerit aliquis cui aduerſetur ea, quæ in ente eſt, mutationis vacuitas, & an ſit quies. At verò ſi hoc ſit, aut non omnis quies motui contraria eſt, aut generatio, & interitus ſunt motus.*

b Sunt autem eę) Tertia aſſertio. Quies in locis contrarijs ſunt contrarię inter ſe; ſimiliterque motus, quibꝰ ab eis, vel ad eas itur, inter ſe contrarij ſunt. Eſt enim inquit à ratione alienum, vt quietes quorum motus contrarij ſunt, non inter ſe quoque mutuò depugnent.

3. aſſertio.

c Quibus autem non eſt contrarium) Agit de contrarietate quietum, quę eſt vbi non cernitur vera ratio motus, ſed mutationis duntaxat: repetitque id, quod ſuprà docuerat de contrarietate earum mutationum, quę fiunt in terminos, quibus nihil eſt contrarium. Monet verò, non dari propriè ſtatum, ſiue quietem mutationum ſed ἀμεταβλησίας, ideſt mutationũ vacuitates. Nam ſi iſtiuſmodi ceſſatio à mutatione dicenda eſſet quies; nõ omnis quies

De contrarietate quietum.

quies motui aduersaretur; quod à communibus philosophorum placitis abhorret, qui id quiescere dicunt, quod moueri aptum est. Vel certè generatio in motibus numerari deberet, quod superiùs confutatum fuit. Non est tamen negandum prędictam vacuitatem quieti similem esse.

d Contraria verò aut nulli] Docet illam vacuitatem mutationis aut nulli esse contrariam, vt si non ens, quod enti, in quo ipsa est, contrarium est, subiectum aliquod non sit, aut si aliquod subiectum sit, mutationis vacuitati aduersari, quę in ipso est non ente, aut si hoc non videatur concedendum, certè aduersari interitui, qui ex ipsa est, & illi perinde contrariatur, vt motus, qui ex aliquo, quieti, quæ est in illo. Atque vt interitus est ex talis mutationis vacuitate, ita generatio est in illam.

Quęstio.

e Sed dubitauerit] Vt aliam motuum contrarietatẽ, quę ex ratione naturalis & violenti ortum habet, aperiat, in quęstionem vocat, vtrum sicuti in lationibus quędam naturales sunt, vt cũ ignis sursum euolat; aliæ contra naturã, vt cùm idem in infimum locum trudi tur: ita idem quoque in cęteris motibus, atque etiam in generationibus accidat. Ac primùm disputat in partem negatiuã singulatim expędendo mutationum genera, in quibus nullam videtur inuenire rationem cur nõ omnes secundũ naturã existimari debeant.

Constat igitur si hæc motus non sunt, quietem dicendam non esse. Simile autem quiddam est & mutationis vacuitas

d *Contraria verò aut nulli, aut ei, quæ in non ente, aut interitui. Nam hic ex ea est, cùm generatio sit ad eam.* e *Sed dubitauerit aliquis cur in mutatione, quæ ad locum pertinet, tam status, quam motus & natura sunt, & præter naturam: in cæteris verò minimè: vt alteratio alia sit natura, alia præter naturam: nihilo enim magis natura, aut præter naturam sanatio est, quàm ægrotatio, nec dealbatio, quàm denigratio. Similisque ratio accretionis est, & imminutionis. Nam neque inter sese contrariæ sunt, neque accretio accretioni, quasi vna sit naturalis, alia præter naturam. Eadem verò est generationis, & interitus ratio: neque enim generatio natura est, interitus autem præter naturam, cum senescere sit naturale: nec generationem vnam naturalem cernimus, aliam præter naturam.* f *At si quod vi est, præter naturam est, interitus quoque interitui erit contrarius, ei videlicet, qui natura est, is qui vi, vtpote præter naturam. Sunt igitur & generationes violentæ, & non fatales, quibus naturales aduersãtur.* g *Atque etiam accretiones, & imminutiones violentæ, vt eorum accretiones, qui ob delitias celeriter pubescunt, & ea frumenta, quæ cito adolescunt, quanquam non compressa.* h *At quomodo res habet in alteratione? An similiter? quædã enim violentæ, quædam naturales esse possunt. Vt cum in diebus non dijudicantibus alij liberentur, alij in dijudicantibus, illi præter naturam alterantur, ij natura.* i *Erunt autem interitus inter se, non solum generationi contrarij. Et quid sanè probibeat? aliquo enim sunt modo. Etenim sunt, si alter quidem sit iucundus, alter molestus.* Qua-

Text. 56. Text. 57. Text. 58. Text. 6

Quid sit viõlentum.

f At si quod vi est] Vt propositam controuersiã diluat sumit quidquid per vim fit, id præter, seu cõtra naturam esse. Nam quod per vim fit, habet principium mouens extra se. Quod verò eiusmodi est, violẽtum dicitur. Hoc posito respondet dari etiam in reliquis mutationibus alias naturę consentaneas, alias contra naturam, ac violentas. quod exemplis patefacit. Primumque in generationibus ait fatales, idest, in quibus ordo à natura constitutus seruatur, naturales esse. Quę verò aliter fiunt, esse violentas. Huiusmodi est, inquit D. Thomas productio ranarum, aut serpentum, qui artificio aliquo procreantur; vel intempestiuus rosarum, aut fructuum ortus, qualem perhibent fuisse in hortis Adonidis, quos aqua calida ad eum finem cultores irrigabant. De quibus hortis meminit Plato in Phędro, & Plutarchus in libro de sera numinis vindicta. Naturalem verò corruptionem vocat Aristoteles v. g. in homine eam, quę absque externa vi accidit, vt cùm quis senio cõfectus interit. Quod si quis obijciat Aristotelẽ 2 lib de cęlo cap. 6. text 37. affirmare senectutem, aliasque affectiones, quę ducunt ad interitum esse contra naturam; quare nullum interitum esse naturalem.

Corruptio naturalis quę.

Obiectio.

Dilutio.

Occur-

Occurrendum erit dici quidem eiusmodi affectiones contra naturam quatenus perniciem moliuntur subiecto, quod ad se tuendum & perpetuandum ingenitam propensionem habet. Verùm id non impedire quominùs secundum eam considerationem, quam diximus, quamque hic pertractat Aristoteles, corruptiones quędam naturales vocari possint.

g Atque etiam accretiones) Natura has incrementi, & decrementi leges homini statuit (quod cęteris etiam viuentibus suo modo conuenit) primò augescit, non tamen subitò, sed pedetentim, & per gradus vsque ad floridam ętatem, in qua statum obtinet, hoc est, defluentis materię iacturam ex ęquo resarcit; deinde in ętate extrema succumbente iam calore minus reparat, quam dilabatur, sicque paulatim arescit corpus, & imminuitur. Igitur cum hic naturę ordo, ac modus seruatur, accretio, & decretio naturales appellantur: cum vero secus accidit, non naturales. Euenit autem secus, v. g. grassante morbo, qui nutritorię facultatis munia impediat, seu retardet, vel etiam nimio cibo & deliciarum affluentia, ob quam homines citius pubescunt, & ad corporis magnitudinẽ non dum ętati congruentem euadunt. Consule Galenum in Aphoris. Hippocratis lib. 3. aphor. 27. & lib. 11. de vsu partium à fine. Incrementi & decrementi leges.

Quare non simpliciter interitus interitui contrarius, sed
Text. 59. *vt alter eorum talis est, alter talis.* k *Omnino igitur motus & quietes eo, qui dictus est, modo aduersantur, vt qui in superum est locum ei, qui in inferum, cum loci contrarietates hæ sint. Natura autem in superum fertur ignis, in inferum terra: & ipsorum lationes sunt contrariæ. At vero ignis naturaliter in superum, præter naturam in inferum. Et quæ naturalis eius est motio ei contraria est, quæ*
Text. 60. *est præter naturam. Similisque ratio quietis est: nam quæ in supero loco est quies, motui in inferum contraria est. Ac terræ quidem quies illa est præter naturam, cùm motus sit naturalis. Quamobrem motui status contrarius si qui est præter naturam, ei, qui est natura: nanque & motus eiusdem hoc modo est contrarius. Alter enim natura, est, seu in superum locum, seu in inferum, alter præter*
Text. 61. *naturam.* l *Est autem dubitatio an omnis quietis, quæ non semper est, generatio sit, & an hæc ipsa, via sit ad statum. Eius igitur, quod præter naturam quiescit, vt terræ in loco supero, quietis erit generatio. Itaque cùm vi sursum ferebatur, in statum ibat: sed quod ad statum tendit, celeriùs perpetuo videtur ferri: quod autem vi contrario modo, quod igitur ad quietem venit, quiescit. Præterea ad statum ire, proprie dici, aut omnino esse videtur ad locum proprium naturaliter ferri, aut certe id simul cum illo euenire.*
Text. 62. m *Dubium verò est an status, qui hic est, motui, qui hinc, aduersetur. Nam cùm ex hoc mouetur, aut etiam abijcit, adhuc habere id, quod abijcitur, videtur.*

h At quomodo res habet) Docet dari etiã alterationes naturales, & violẽtas naturales eũ, v. g. egroti diebꝰ criticis cõualescunt, violentas autem cũ extraordinarie valetudinem recipiunt. Dicuntur autem dies critici seu diiudicantes, in quibus morbi fit crisis siue iudicium vt septimus, quartus decimus, & alij in quibus disceptantibus quodammodo inter se morbo & natura cui nam lis adiudicanda videatur medici decernunt, qua de re Hyppocrates in 1. Epidemiarum, & Galenus in libro de crisibus. Alteratio nãturalis quę.

Vt ea, quę hoc loco de motu naturali & violento Aristoteles docuit, apertiora fiant, nonnulla aduertenda erunt. Primum sit. Violentum, vt traditum est in. 3. lib. Eth. capi. si propriè sumatur esse id, cuius principium est extra, eo, quod patitur, non conferente vim, adde, sed renitente. Secundum, propriam rationem motus violenti non in lationibus duntaxat, sed in alterationibus quoque cerni, quanquam in lationibus magis fit conspicua; quandoquidem cũ lapis externa vi sursum propellitur, reflectatur ascensui eius forma naturali conatu, & impulsu, quo deorsũ nituntur sed enim etiã cũ aqua ab igne calefit, eius forma calefactioni actiuè repugnat, per ingenitam ad frigus inclinationem, & quantum potest frigus suum actiue cõseruãdo, & in ignẽ agẽdo. Tertiũ, Aristotelẽ hoc loco nomẽ violẽti laxioti significato vsurpasse; eũ appellet violẽtã eã accretionẽ, qua quis alimẽto vberiori vltra modũ excrescit ad quã tamẽ cõstat eundẽ, ꝓpriã cõferre vĩ, dũ opera altricis facultatis cibũ coquit, & in se cõuertit. De motu viõlento.

l Erunt autem interitus) Docet corruptiones duas, quarum altera naturalis sit, altera violenta,

violenta, inter se contrarias esse: non quidem perfecta contrarietate, sed quatenus vna iucunda est; vel saltem minus molestat, quam altera. Itemque has contrarias esse generationi: quandoquidem omnis generatio fertur in esse, & omnis interitus tendit ad non esse, qui termini inter se repugnantes sunt.

K Omnino igitur motus) Quopacto contrarietas in motu & quiete secundum rationem naturalis, & violenti insideat, diserte explanat aiens motum in superum locum esse aduersarium motui in locum infimum, quia sursum, & deorsum sunt locorum differentiæ inter se repugnantes, & vterq; eorũ motuum alicui corpori naturalis est. Ignis enim suopte impetu ascendit; terra etiam naturaliter ad imum vergit. Proindeque vt ille per vim deorsum agitur, ita hęc per vim sursum appellitur. Itaq; motus naturalis, & violentus contrarij sunt inter se; & quietes similiter. Nã quies in loco supero est contraria motui ad locũ infimum, & consentanea motui ad locũ superũ; item vero quies in loco supero aduersaria est quieti in loco in imo; & è cõuerso.

Motus naturalis & violẽtus contrarij.

Ita si hæc quies ei motui, qui in contrarium est, aduersetur, simul erunt contraria. An aliqua ex parte quiescit, si adhuc manet? Omnino autem ea res, quæ mouetur, partim illic est, partim in eo, ad quod mutatur. Itaque motus motui magis contrarius est, quàm quies. Et de motu quidem, & quiete, & quomodo vtrunque vnum sit, & quæ inter se aduersantur, n dictum est. Dubitarit autem aliquis de eo, quod est, tendere in statum, si ijs motionibus, quæ sunt præter naturam, quies opponatur. Et quidem si non opponatur, absurdum est, manet enim, sed vi. Quare aliquid non semper quiescit, sine quietis generatione. Sed constat aliquid fore. Nam vt præter naturam aliquid mouetur, sic præter naturam poterit quiescere. Quoniam autem aliquibus motus conuenit natura, & præter naturam, vt igni, is qui sursum est, natura, qui deorsum, præter naturam, vtrum hic contrarius est, an qui est terræ? Ipsa enim naturaliter fertur deorsum. An constat vtrunque, sed non eodem modo? Verum hunc, vt qui natura est ei, qui natura? Qui autem est ipsius ignis in superum locum ei, qui in inferum, vt qui naturalis est, ei, qui præter naturam? Similiter autem & in statibus. At fortasse quies aliqua ex parte motui opponitur. Cùm enim ex hoc mouetur, & abijcit, id habere adhuc videtur, quod abijcitur. Quare si hæc quies motui, qui hinc est in contrariorum, aduersetur, simul erunt contraria. An aliqua ex parte quiescit, si adhuc manet? Omnino autem eius, quod mouetur, pars alia ibi est alia in eo, ad quod mouetur. Quocirca motus motui est magis contrarius, quàm quies. Quis igitur motus vnus simpliciter, & de quiete, & motu, quomodo vtrunque vnum sit, & quæ aduersentur dictum est. Text. 63.

l Est autẽ dubitatio) Dubitationem proponit nũ quies, quę non semper est, sed modo conuenit rei, modo non conuenit generetur, eiusq; generatio via ad statum dici debeat. Primum igitur negatiuam partem controuersię ex eo ostendit, quia alioqui sequeretur cũ lapis in sublimi loco tenetur, & quiescit, dari eius quietis generationem, ac cũ idem lapis sursum tendit, in statũ ire, quod absurdum est: quã quidem omnia quę ad statum eunt, quanto ad illum magis appropinquant, tanto maiori impetu feruntur: & quanto ab eo lõgius recedunt, tanto eunt tardius. Quod si quis fateatur nullã dari talis quietis generationẽ, in aliud absurdũ nõ minus graue incidet, nimirum potiri quiete aliquid, quod tamen ad quietem non venit.

Dubitatio.

Præterea ad statum) Rursus in contrarium disputat, quia ad statum ire, aut est in proprium locum natiuo impetu contendere, aut cum eo iungitur. Quo fit, vt quietis violentę generatio, si propriè loquamur, via ad statum appellari non possit. Hunc in modum Aristoteles adductis vtrinque argumentis quęstionem pertractauit, cuius solutionem Auerroes dilatam ab eo putat, Simplicius vero datam credit cum docuit τὸ ἵστασθαι, hoc est ire ad statum ijs tantum proprie conuenire, quę naturaliter cientur. Itaque sententia Aristo-

Responsio.

Aristotelis est id, quod moueri potest, & à motu cessat, revera quietem habere, & cum ad locum, in quo à motu cessare debeat, contendit, revera ad quietem ire. Verumnulli competere ἵστασθαι id est ad statum seu quietem ire, si vis & proprietas Græci vocabuli spectetur, nisi tendat ad locum, in quo tranquillè, & ad naturam suam congruenter, consistat. Quod quidem tunc solum corpora obtinent cum proprio, sibique à natura designato loco potiuntur.

m Dubium verò est} Ex ijs quę paulo ante sunt tradita, dubium exoritur. Enimverò si quies in loco aliquo motui, quo ex eo disceditur, aduersaria est, vtique videntur duo contraria eidem simul conuenire: quandoquidem id quod albescit, non confestim totam albedinem accipit, aut totam nigredinem pellit, sed sensim, & gradatim, sicque interim dum mouetur vtriusque extremi partem obtinet. Quare etiam id quod locum mutat, partim mouebitur, partim quiescet. Respõdet Aristoteles ita esse, non quasi in eodẽ simul insit motus & quies simpliciter; sed quies ex parte, quatenus dũ mobile ab aliquo loco recedit, adhuc partim in illo est. Dubitatio. Responsio.

n Dictum est} In quibusdam græcis exemplaribus hic est huius libri finis: quamobrem ea quę sequuntur, nec ab Argyropilo versa fuere, nec à Porphyrio, aut Themistio explicata. Ea tamen enarrat Simplicius, non vt ab Aristotele scripta, sed vt à Theophrasto, aliove eius interprete in commentarijs tradita, quę deinde librariorum incuria in textum irrepserint.

o Dubitarit auem} Quoniam duę paulo antea explicatę controuersię ijsdem fere verbis hoc loco repetuntur, nec in eis noua occurrit difficultas, hic libri explanatio finem habeat.

FINIS QVINTI LIBRI.

IN SEXTVM LIB. PHYSICORVM ARISTOTELIS.

PROOEMIVM.

VEteres Peripatetici, vt in proœmio huius, & superioris libri testatur Simplicius, totũ Auscultationis Physicæ opus in duas partes distribuebant, asserentes in primis quinq;, vel, vt Porphyrio & quibusdã alijs placuit, in primis quatuor libris, cõmunia rebus omnibus naturæ pronuntiata contineri; in reliquis verò agi de motu. Non quòd in alijs etiã, excepto primo & secundo, non fuerit de motu disputatũ; sed quia in illis infiniti, loci, vacui, & temporis tractatio maiorẽ partem vindicarit; in his autem ea, quæ ad motum spectant, seorsim & vberiùs tradantur. Igitur in prima huius libri parte demonstrat Aristoteles motũ ex partibus diuiduis constare, non ex indiuiduis, vt Philosophi quidam opinati sunt, qui atomos, hoc est, insectilia corpuscula inuexere. In secunda parte docet quot modis secari motus queat. In tertia, quæ sit etiam quietis diuisio. In postrema Zenonem insectatur, & quædam eius, atque aliorum Philosophorum argumenta dissoluit.

Capitis primi Explanatio.

Continuum non constare ex indiuisibilibus.

QVONIAM autē a } Probat nullum continuum ex indiuiduis partibus coalescere, vt perspicuum euadat motum qui continuum quoddam est, ex indiuiduis non cōponi. Ac primùm à magnitudine exorditur hunc in modum. Si linea v. g. ex indiuiduis, id est ex punctis conficeretur, aut puncta essent continua in linea, aut contigua, aut deinceps; sed nullo horum modorum affecta esse possunt; igitur continuum non conficitur ex indiuiduis. Assumptionem probat, primùm, quoad priores duas partes. Etenim continua dicuntur, quorum extrema sunt vnum; contigua verò, quorum extrema sunt simul: cùm ergo indiuidua non habeant extrema; siquidem vacant partibus; certè neq; continua esse poterunt, nec contigua.

b Præterea necesse est } Suadet rursus indiuidua non esse contigua. Nam cùm ea, quę contigua sunt sese tangāt, vel puncta se contingerent secūdum se tota, vel pars vnius partem alterius; vel vnum totum alterius partem: atqui istiusmodi contactus non potest effici posterioribus duobus modis, quia indiuidua carent partibus, nec etiā primo modo, quia ex omnibus punctis vnū tōtum punctū emergeret; cùm tamen continuum multis partibus, quarum vna extra aliam sit, cōstare debeat. Nullo igitur pacto indiuidua cōtigua esse queunt.

ARISTOTELIS Physicorum.

LIBER SEXTVS.

CAPVT. I.

Text. 1. *QVoniam autem continuum & quod tangit, & quod deinceps est, sunt, vt prius definitum est, cōtinua quidem quorum extrema vnum sunt, tangentia quorum simul, deinceps quorum nihil eiusdem generis medium est, fieri non potest vt ex indiuiduis aliquid constet, vt linea ex punctis, si linea continuum est, pūctū autem indiuiduum. Neque enim pūctorum extrema vnū sūt, cum indiuidui non sit hoc quidem, vltimum, illud verò alia quædam pars: neque etiam simul, cum rei, quæ partibus vacat, nullum sit extremum: extremum nanque, & id cuius est extremum, diuersa sunt.* Text. 2. *b Præterea necesse est puncta ea, è quibus est continuum, aut continua esse, aut se vicissim tangere. Eadem autem in omnibus indiuiduis est ratio. Ac continua quidem esse non possunt propter rationem, quæ iam dicta est. Tangit autem res quæque aut tota totam, aut pars partē, aut totum partem. Sed cum indiuiduum partibus vacet, vt totum totum tangat, necesse est. Continuum verò non fit, cum totum totum tangit. Aliam nanque atque aliam partem habet continuum, & in ea diuiditur, quæ hoc modo sunt diuersa, atque loco abiuncta.*

Puncta non sequi deinceps.

c At nec punctū } Probat tertiam partem, nimirum puncta non sequi deinceps, quia ea deinceps sequi dicuntur, inter quę nihil eiusdem generis intercedit: at inter quęlibet duo puncta cadit linea, in qua necessariò insunt puncta.

c At

d In indiuidua etiam diuiderentur } Alia ratione concludit continuum non coalescere ex indiuiduis partibus. Nam vnumquodque ex ijs constat, in quę diuiditur; continuum autem non in partes indiuiduas sed diuiduas secari potest. Quoniam verò sumpserat inter quęcūq; duo pūcta esse lineā, & omne cōtinuū secari in ea, quę infinitè diuidi possunt, vtrūq; ratione cōfirmat. Primū, quia cū ostensum sit, puncta in linea neq; continua esse, neque cōtigua, oportet inter ipsa aliquid cadere, quod aliud esse, quàm linea, non potest. Posterius, quia si continuū,

diui-

diuideretur in partes indiuiduas, vnum indiuiduum tangeret aliud in continuo; quod fieri non posse ex dictis constat. Assumptum probat, quia partes continui sunt sibi cohęrentes, & continuatę; proindeque necesse est earum extrema vnum esse.

c Eiusdem autem rationis } Docet magnitudinem, motum, & tempus reciprocari inter se quoad cōpositionem ex diuiduis vel indiuiduis, & quoad sectionē in hęc ipsa. Itaq; vel omnia vel nullū horum ex indiuiduis confici, & in indiuidua secari posse. Nam quòd magnitudo, super qua fertur mobile, non possit constare ex indiuiduis, quin similiter ex iis motus coalescat, ex eo demonstrat, quia partes motus & magnitudinis respondent sibi mutuò, seque vicissī adęquāt, quod probat sumpta magnitudine A, B. C. & D. E. F. vt partibus motus.

Magnitudinē motum, & tēpus qua consideratione reciprocētur inter se.

c *At nec punctum punctum, nec momentum momentum deinceps sequitur, vt longitudo ex eis, aut tempus constet. Nam ea deinceps sequuntur, quibus nihil est generis eiusdem interiectum. Inter puncta autem semper est medium, videlicet linea, & inter momenta tempus.* d *In indiuidua etiam diuiderentur, siquidem in ea diuiduntur, ex quibus vtrunque est. Sed nullum continuum in ea potest diuidi, quæ partibus vacant: aliud autem inter puncta, & momenta genus nullum esse potest. Nam si erit, aut diuiduum fore, aut indiuiduum palam est. Et si diuiduum, aut in indiuidua, aut in semper diuidua: hoc vero est continuum. Perspicuum vero etiam est continuum omne in semper diuidua diuiduum esse. Nam si in indiuidua, indiuiduum tanget indiuiduum. Etenim continuorum extremum vnum est, & tangit.* e *Eiusdem autem rationis est & magnitudinem & tempus, & motum ex indiuiduis coalescere, & in indiuidua diuidi, vel nullum. Quod ex his patet. Nam si magnitudo ex indiuiduis componitur, etiā motus, qui per eā fit, è paribus indiuiduis motibus constabit. Vt si A, B, C. magnitudo ex A, B, C. indiuiduis sit, motus quoque D, E, F, quo mobile, G, super A, B, C. mouetur, vnāquanque partem habet indiuiduam.* f *Quod si præsente motu, necesse est aliquid moueri, & si aliquid mouetur, necesse est motum adesse, ipsum quoque moueri, ex indiuiduis constabit. Igitur, G, per, A, motu, D, est motum, per, B, motu, E, per, C, motu F.* g *Si igitur necesse est id, quod è loco aliquo ad aliquem locum mouetur, ad eum locum ad quem mouetur, cum mouetur, non simul moueri, & motum esse (vt si Thebas quispiā proficiscitur, nō potest hic Thebas proficisci simul & profectus esse) per, A, quod partibus vacat, cui D, motus aderat, ipsum G, mouebatur. Quare si post transijt, quàm transiret, diuiduus erit. Tum enim cum transibat, nec quiescebat, nec transierat, sed erat in medio. Sin vero simul transit, & transiuit id, quod proficiscitur, tum, cum proficiscitur, illuc profectum, motumque erit, quo mouetur.*

Text. 3. Text. 4. Text. 5. Text. 6. Text. 7.

f Quod si pręsente } Cùm impossibile sit dari motum, quin aliquid moueatur, vel aliquid moueri, quin detur motus, probat similiter fieri non posse vt magnitudo, quæ motu percurritur, ex indiuiduis sit composita; quia sequeretur, ipsū quoq; moueri ex indiuiduis conflari. Quod ex eo planum est, quia motus, & moueri, vna eademque res sunt, nec nisi ratione inter se differunt, vt alio loco declaratum fuit. Quare si motus ex indiuiduis coalescat, oportebit etiam vt moueri re ipsa ex eisdem constet.

Motus & moueri vt differant.

h *Quod*

g Si igitur necesse est } Probat motū, seu moueri non constitui ex indiuisibilibus: neque partes motus D. E. F. esse indiuisibiles, pręmissa tamen hypothesi, quòd impossibile sit aliquid moueri simul, & motum esse ad aliquem locum. Deinde sumit priorem partem motus, qui fit super magnitudine A. B. C. quę pars dicitur D. respondetque. A. parti magnitudinis indiuisibili. Tū, moueatur, inquit, mobile. G. motu. D. super. A. aut cū mouetur, nōdū motu est, partēq; transijt, aut simul mouetur, & motū est. Hoc posterius dari non potest; quia repugnat. Igitur prius mouebitur, quàm sit motum; atque adeò motus D. non erat indiuisibilis.

Motū, & moueri non constitui ex indiuisibilibus.

h Quod si per totam } Quod demonstrauit in parte motus, demonstrat in toto motu constante partibus D. E. F. diceret enim fortasse quispiam mobile G. per singulas partes magni-

magnitudinis A. B. C. motum esse,& non moueri; sed toto motu,& per totam magnitudinem primò moueri; deinde esse motum. Hoc refellit, quia sequeretur motum non constitui ex motibus, sed ex terminis motus, quę dicuntur mutata esse, quod tam est impossibile, quàm tempus constitui ex momentis, aut lineam ex punctis. Quod verò id consequatur planum est, quia si mobile. G. motum est per partes. A. B. C. & per nullam earum mouetur; cùm motus non sit nisi aliquid moueatur, vtique partes motus D. E. F. quę partibus magnitudinis adęquantur, nullo pacto erunt motus: quare constabit motus ex non motibus.

Termini motus sunt mutata esse.

i Quare fiet vt ad profectionis } Aliud incommodum est, quòd profectum quidpiam erit ad aliquem locum, non proficiscendo: sequetur enim delatum esse mobile. G. per partes. A. B. C. quod tamen per eas nunquam potuit dici moueri.

k Quod si necesse est } Tertium incōmodum est, quòd aliquid simul mouebitur, & quiescet. Nā si. G. per partes. A. B. C. nō mouetur, ergo quiescet, cùm omne corpus aptū moueri, aut mouetur aut quiescat, & tamē illud ipsum mouebitur, quia per totā magnitudinē cietur.

l Atque etiam si indiuiduę } Quartum incommodum est, quod præsente motu nō mouetur res, ut motus ex nō motibus cōficiatur. Etenim erit pręsens motus, quia motum est indiuiduum, & per totam magnitudinem res mouetur, at si in partibus non mouetur, in tota etiā magnitudine non mouetur; proindeque motu pręsente non mouebitur.

h *Quod si per totam A. B. C. aliquid mouetur, & motus, quo mouetur, est D. E. F. atque per partem A. quæ partibus vacat, minime mouetur, sed motum est, motus profecto non ex motibus constabit, sed ex terminis motus, & motum quippiam erit, quod non mouebatur, quippe cum A. partem transiuerit, non transeundo.* i *Quare fiet, vt ad profectionis finem aliquid peruenerit, quod tamen nunquam profectum est. Nam per hanc partem profectum est, non proficiscendo.* k *Quod si necesse est rem quācūque aut quiescere, aut moueri, in singulis autem. A. B. C. partibus quiescit, aliquid erit, quod continue quiescet, simulque mouebitur. Nam per totam A. B. C. mouebatur, & in singulis eiusdē partibus quiescebat, quāobrem & in tota.* l *Atque etiam si indiuiduæ partes motus D. E. F. sint motus fiet, vt præsente motu non moueatur, sed quiescat. Sed si non sint motus, ex non motibus motus constabit.* m *Vt autem longitudinē & motum, sic tempus indiuiduum esse, & ex indiuiduis momentis constare necesse erit. Nam si omnis possit diuidi, & quod æque est velox in minori minus transit, diuiduum quoque erit tempus.* n *At si tempus, in quo per longitudinē, quæ est A. aliquid fertur, diuiduum fuerit, ipsa quoque, A. longitudo erit diuidua.* Text. 8. Text. 9. Text. 10.

CAP.

Tempus, magnitudinem & motum reciprocari quoad compositionem.

m Vt autem longitudinem } Demonstrat eandem esse rationem temporis, quę est magnitudinis, & motus, quoad eorum constitutionem ex indiuiduis. Sit enim magnitudo. A, B, C, cuius omnes partes diuiduę sint, parteinque, A, mobile G, in tempore, A, decurrat. Cùm igitur, A, diuiduum sit, priùs mobile, G, eius partem conficiet, quàm totum, atque adeò in parte temporis, H, quandoquidem minus spatium minori tempore ęqua velocitate decurritur. Ex quo iam sequitur, A, diuiduum esse.

n At si tempus } Eadem ratione si tempus diuiduum ponatur probari etiam poterit magnitudinem ipsam, super qua motus fit, diuiduam esse. Nam si mobile certo tempore aliquam partem spatij conficiat ęqua velocitate, breuiori tempore portionem aliquam partis illius traijciet, atque ita iam eiusmodi pars diuidua erit.

Capitis secundi Explanatio.

Leges velocitatis & tarditatis in motu.

CA Vm autem } Persequitur institutum demonstrans eandem esse rationem in tempore, quę est in motu, & magnitudine quoad compositionem ex diuiduis, vel indiuiduis partibus. Desumit autem argumentum a lege velocioris & tardioris, sed enim tria quędam ad id pręmittit, ostenditque. Quorum primum est, velocius ęquali tempore

pore maius ſpatium tranſmittere. Secundum, velocius in minori tempore tranſire ſpatium æquale ei, quod tardius in maiori decurrit. Tertium, velocius in minori tempore maius ſpatium conficere, quàm tardius in maiori. Has hypotheſes vniuerſim ex eo veras eſſe probat, quia omnis magnitudo, quæ motu percurritur, poteſt in alias, atque alias magnitudines diuidi, cùm nullum continuum ex indiuiduis coaleſcat.

b Sit enim, A, mobile) Superiora particulatim oſtendit, inprimis id, quod primo loco propoſuerat, hunc in modum. Sit mobile velocius. A. mobile tardius. B. feraturque. A. ſuper magnitudine G. D. tempore F. G. quod ſit vnius horæ. Cùm ergo B. tardius feratur, quàm A. nõ decurret toto eo tẽpore eandem magnitudinem cùm id, quod tardiꝰ eſt, metam ſeriùs attingat, quare nõ accedet ad D. quod eſt extremum: ſicque velociꝰ eodem tempore maius ſpatium tranſierit.

CAP. II.

Text. II. *CAVm autem magnitudo omnis in magnitudines diuidua ſit Coſtenſum eſt enim nullum continuum ex indiuiduis conſtare) eſtque omnis magnitudo, continuum, neceſſe eſt, vt quod velocius eſt, vt quidam ipſũ definiunt, maiorem magnitudinem in tẽpore æquali, & æqualem in minori, atque etiam in minori ampliorem conficiat.* b *Sit enim A, mobile celerius mobili B. cùm igitur velocius id ſit, quod prius mutatur, quo in tẽpore (ſitque illud F, G.) A. ex G. in D. motum eſt, in eo mobile B. ad D, non dum acceſſit, ſed citra eſt. Quare in tempore æquali id, quod eſt velocius, plus conficit.* Text. 12. c *Atqui & in minori plus tranſit, quã hoc ipſum. Nam quo in tempore A, in D. peruenit, B, quod tardius eſt, perueniat in E. Igitur cum A, in D. in toto tempore F, G, peruenerit, certè in minori, quàm hoc ſit, veluti in F, K, perueniet in H, Ita C, H, magnitudo quam, Â, conficit, magnitudine C, E, maior eſt, & tempus F. K. tempore* Text. 13. *F, G, minus: maiorem itaq; in minori.* d *Perſpicuum autem ex his etiam eſt id, quod celerius eſt, in minori tempore æquale conficere. Cùm enim magnitudinem maiorem in minori tempore, quàm tardius tranſeat, idemq; per ſe ſumptum in maiori tempore maiorem quàm minorem, vt magnitudinẽ, L, M, quam magnitudinem L, N, maius profecto erit tempus P. S. in quo, L, N, tranſit, quàm tempus P, R, in quo L, M. Quare ſi tempus P, S, tempore P, T, ſit minus, in quo id quod tardius eſt magnitudinem L, M, conficit, etiam tẽpus P. R, tempore P, T, minus erit: eſt enim minus, quàm P, S, quod autem minore eſt minus, ipſum quoque eſt mi-*

Text. 14. *nus. Quare in minori per æquale mouebitur. Præterea ſi omne, quod mouetur, neceſſe eſt vt in tempore aut æquali, aut minori, aut maiori moueatur, & id quidem, quod in maiori tardius eſt, quod in æquali æque velox, quod autem eſt velocius, neque eſt æquè velox, neque tardius, id profectò quod velocius eſt, neque in æquali tempore poteſt moueri, neque in maiori.* Re-

De velocitate motuum.

c Atqui in minori) Oſtẽdit id, quod tertio loco poſuerat, nempè velocius minori tempore maiorem magnitudinẽ, quàm quod tardius eſt, conficere. Sumit verò eandem magnitudinem. C. D. ſupponitq; dũ, A, quod eſt velocius totã eã decurrit, B, quod tardius mouetur, ad E. tantummodo pertingere. Itemque tempore breuiori, quam illud ſit, verbi gratia, in tribus quadrãtibus horæ quę ſint F. k. minùs quàm F. G. quod vnam horã ponebamꝰ in ea magnitudine tranſire, & peruenire ad. H. C. E. H. D. quod inter. C. & D. eſt conſtitutum. Vnde colligit cũ magnitudo, C. H. quam confecit. A. maior ſit magnitudine. C. E. quam

tranſiuit mobile, B, & tempus. F. C. minus ſit F. G. maiorem magnitudinem minori tempore tranſire id quod eſt velocius.

d Perſpicuum autem ex) Demonſtrat quod ſecundo loco propoſuerat, nimirum id, quod velocius eſt, ęquale ſpatium decurriere minori tempore, quàm mobile tardius. Pręſumit autem duo, quorum alterum probatum iam eſt, nempe velocius tranſire maius ſpatium minori tempore, quàm tardius. Alterum, mobile velocius per ſe ſumptum, etiam nulla facta colla-

collatione cum tardiori, maius ſpatium in maiori tempore tranſire, quàm in minori: tum accipit pro maiore magnitudine. l. M pro minori. l. N. Pro maiori vero tempore, in quo maiorem tranſit, ſumit, P, S, pro minori, in quo minorem P. R. ita vt P, S, ſit verbi gratia, vnius horę. P, R, horę dimidiatę etcxt.

c Cùm autem omnis motus in tempore} Propoſitum fuerat Ariſtoteli oſtendere tempus eſſe continuum, conſtareque ex partibus infinitè diuiduis. vt ad id deducat oſtendit tempus, & motum ſecundum rationem diuidui & indiuidui inter ſe reciprocari, ſibique reſpondere. Ac primùm aliquot hypotheſes prę̃mittit, nimirum motum non in inſtanti, ſed tempore effici. item in quouis tempore motum dari poſſe. Et quidquid mouetur tum celerius, tum tardius moueri poſſe.

Motum non momẽto, ſed in tempore fieri.

f Hoc namque poſito} His conſtitutis ſuadet propoſitũ hac ratione. Omne id (mittamus literas, quę rem turbant) in quo qualibet parte data, poteſt dari minor, continuum eſt, & infinitè diuiduum; atqui magnitudo, & tempus ſunt huiuſmodi; ſũt igitur continua & in infinitũ diuidua. Secundò, idem confirmat, quia ſi vnũ, & idem mobile ęquabiliter motum toto aliquo tempore pertranſeat totum ſpatium, & medietate temporis medium, & in minori minus, conſequens eſt, vt tempus, & magnitudo eaſdem ſortiantur diuiſiones.

Reſtat igitur vt in minori. Quamobrem neceſſe eſt vt quod velocius eſt in minori tempore æqualem tranſeat magnitudinem. c *Cùm autem omnis motus in tempore ſit, & in omni tempore poſſit motus fieri, celeriusque & tardius quidquid mouetur, moueri, in omni tempore celerius & tardius licet moueri. Hæc autem cùm ſint, tempus quoque continuum eſſe neceſſe eſt. Dico continuum id, quod in ſemper diuidua eſt diuiduum.* f *Hoc namque poſito. continuo, tempus neceſſariò continuum eſt. Nam cùm demonſtratum ſit id, quod celerius eſt, in minori tempore æquale tranſire, ſit, A, magis velox, B, autem magis tardum, quod in tempore E, G, magnitudinem C, D, conficiat, manifeſtum eſt quod velocius eſt, eandem magnitudinem in minori, quàm id ſit, tempore tranſiturum. Tranſeat autem in tempore E, K, Rurſus cùm magis velox in tempore E, K, totam C, D, magnitudinem tranſierit, id quod tardius eſt, in eodem tempore minorem tranſibit. ſitque illa C, E, Cùm B, quod eſt tardius in tempore E, K, magnitudinem C, E, tranſierit, id quod velocius eſt, in minori tranſiuit. Quare tempus E, K, rurſus diuidetur. Eo autem diuiſo magnitudo quoque C, E, eadem proportione diuidetur. Quod ſi magnitudo, etiam tempus, & hoc ſemper erit, ſi poſt id, quod celerius eſt, tardius ſumamus, & poſt id, quod tardius, id quod celerius, atque eo, quod demonſtratum eſt, vtamur. Nam quod celerius eſt, tempus diuidet; quod tardius, longitudinem. Si igitur reciprocatio perpetuò verè ſit, atque cùm ſit ſemper diuiſio efficitur, omne tempus continuum eſſe manifeſtum eſt. Simul autem conſtat magnitudinem omnem eſſe continuum. Nanque iiſdem, & æqualibus diuiſionibus tempus & magnitudo diuiduntur.* g *Præterea ex rationibus, quæ afferri ſolent, conſtat, ſi tempus continuum ſit, magnitudinem quoque eſſe continuam, ſiquidem in temporis dimidio dimidium tranſit, & ſimpliciter in minori minus. Eædem enim erunt temporis, & magnitudinis diuiſiones.* h *Etſi alterutrum infinitum alterum quoque, & vt alterum, alterum.* Text. 15. Text. 16. Text. 17. Text. 18.

g Præterea ex rationibus} Tertiò, idem concludit teſtimonijs eorũ, qui de hac temporis, & magnitudinis ſectione diſputant: idem enim ſentiunt, idque comprobant argumento ab ijs, quę ęquè celeriter mouentur; quę ita ſunt affecta, vt magnitudinis, quam in toto aliquo tempore decurrunt, medietatem, in temporis illius dimidio pertranſeant, ac ſemper in minori tempore minorem partem magnitudinis. Quod nequaquam accideret niſi tempus & magnitudo eaſdem diuiſiones ſubiret.

Tẽpus & magnitudinem eaſdem diuiſiones ſubire.

Duplex infinitum.

Poteſtate.

h Etſi alterutrum infinitum} Docet tempus, & magnitudinem ita ſe habere, vt ſi alterum infinitum ſit, alterum quoque infinitum eſſe deprehendatur, ponitque duos modos infiniti, infinitum diuiſione & infinitum extremis. Infinitum diuiſione, quod etiam infinitum poteſtate

testate dicitur; est id, quod in infinitum diuidi potest. Infinitum extremis, quod item infinitum actu appellatur, est quod extremis, seu terminis caret; atque adeo pertransiri non potest. Potestate. Actu.

1 Quapropter & Zenonis ratio) Nitebatur Zeno motum tollere, quia si motus super aliqua magnitudine fieret, cùm in ea infinitę partes insint, sequeretur tempore finito infinita pertransiri, & tangi, quod fieri nequit. Huic argumentationi respondet Aristoteles, cùm Ratio Zenonis ad tollendum motũ. Responsio.

Vt si extremis infinitum tempus est, longitudo quoque extremis est. At si diuisione, etiam longitudo diuisione: si tempus vtroque est, magnitudo etiam vtroque. i *Quapropter Zenonis ratio falsum sumit, in tempore finito transiri infinitum non posse, aut infinitorum vnũquodque tangi. Nam & longitudo, & tempus, & omnino omne continuum infinita bifariam dicuntur: aut diuisione, aut extremis. Quæ igitur quantitate infinita sunt in tempore finito tangi non possunt: quæ autem diuisione, possunt.* Text. 19.

k *Nãque & tẽpus hoc modo est infinitum: quare in infinito infinitum transire, non in finito, & infinitis infinita tangere, non finitis contingit. Neque igitur tempore finito, infinitum licet transire, neque infinito finitum, sed si tempus sit infinitum, magnitudo quoque erit infinita, et si magnitudo, tempus. Sit enim finita magnitudo A. B. tempus infinitum, C. Sumatur itaque temporis aliqua pars finita C. D. In hac partem aliquam magnitudinis transibit. Transeat partem B. E. Hæc aut metietur magnitudinem A. B. aut deficiet, aut excedet: nam nihil refert: si enim æqualem magnitudinem magnitudini B. E. in tempore æquali transit, hæc autem totam metitur, totum tempus, in quo transibit, finitum erit. Nam in æqualia diuidetur, perinde atque magnitudo.* Text. 20.

l *Præterea si non omnem magnitudinem tempore infinito transit, sed finito etiam partem aliquam potest transire, veluti B. E. hæc autem totam magnitudinem metietur, & æqualem in æquali transit, finitum profecto tempus erit. Magnitudinem autem B. E. infinito tempore non transire, manifestum est, si tempus altera ex parte finitum sumptum sit. Nam si in minori partem transit, hoc finitum esse necesse est: cũ altera ex parte sit terminatum. Eadem autem demonstratio est si longitudo fuerit infinita, tempus autem finitum.* Text. 21.

m *Ex*

ijsdem diuisionibus tempus, & magnitudo diuidãtur, idẽque sit in vtroque infinitatis modus, non esse incommodum, id, quod ita est infinitum, vt extrema habeat, ad quę perueniatur, hoc est, infinitum non actu, sed potestate, percurri alio simili infinito, cuiusmodi est tempus. Certè hęc Zenonis tã absurda opinio nullo melius, quã experiẽtię ipsius argumento refellitur. Quod Diogenes Cynicus fecit, vt refert Simplicius hoc in libro commẽto 53. & lib. 8. commento 25. Nam cùm Zenonis rationes aliquando audisset, surrexit, nec aliter quã coram ambulando respondit. Diogenes vi Zenoni motũ tollenti respondent.

K Neque igitur tempore) Colligit ex dictis nec finito tempore infinitam magnitudinem, nec finitam infinito tã pertransiri posse, sed vtrinque vel finitatem, vel infinitatem requiri. Sit inquit magnitudo finita, verbi causa, decem cubitorum, & tempus, quod in ea consumitur, vt aduersarius concedit, infinitum. Sed ab huiusmodi tempore pars aliqua adimatur, nempe hora, in qua mobile partem aliquam magnitudinis conficiat, hęc pars magnitudinis habet finitam proportionem ad totam magnitudinem; ergo & hora finitam habebit proportionem ad tempus, quod in tota magnitudine consumitur. Quare non erat tempus infinitum, vt dicebatur. Theorema de motu.

l Pręterea si non omnẽ) Eadem fere ratione propositũ confirmat, nisi quod nõ totam magnitudinẽ, sed quandã eius partẽ sumit. Non posse igitur partẽ infinito tẽpore decurri huno in modum ostendit. Tempus, quod consumitur circa initium magnitudinis, negari non

Si ſpatiũ ſit infinitum neceſſario tẽpus fore infinitũ.

poteſt finitum eſſe, cùm inde incipiat, cùmque breuiori tempore pars, quàm totum conficiatur, ergo in fine eius partis decurſum erit tempus finitum, ac certum; non autem infinitum. Pari facilitate ait demonſtrari, ſi ſpatium infinitum fuerit, neceſſariò tempus fore infinitum, quod conſideranti patet.

Nullum continuũ indiuiſibile.

m Ex his igitur) In extrema parte capitis vniuersè oſtendit nullum continuum indiuiſibile eſſe, aut ex indiuiduis partibus conſtare. Summa rationis hęc eſt. Sit magnitudo ex tribus indiuiduis partibus compoſita, ſit tempus ex tribus partibus ſimiliter indiuiduis; ſintque duo mobilia alterum altero velocius proportione ſeſquialtera, ideſt, proportione, quę eſt trium ad duo: ſi mobile velocius in tempore ex tribus indiuiduis partibus conſtante totam prędictam magnitudinẽ tranſit, vtique mobile tardius eodem tempore duas partes, hoc eſt, duo indiuidua eiuſdẽ magnitudinis conficiet. Cùm autem partes temporis debeant partibus magnitudinis reſpondere, tempus in quo mobile velocius mouetur, neceſſariò diuidetur in tres partes indiuiduas magnitudinis partibus reſpondentes; rurſusque idem tempus ſecabitur in duas partes ęquales, quę reſpondeant duabus partibus, ex quibus conſtat magnitudo, per quam mobile tardum mouetur. Quare cùm tempus ex tribus tantum indiuiduis partibus compoſitum diuidi non poſsit in duas partes ęquales, niſi indiuidua pars diuidatur, aut fatendum erit indiuiduũ poſſe diuidi, quod repugnantiã inuoluit, aut continuum nec eſſe indiuiduum, nec ex indiuiduis partibus conſici, quod erat probandum.

Nullum continuũ cõſtare ex indiuiſibilibus.

Text. 27

m Ex his igitur, quæ dicta ſunt, perſpicuum eſt, nec lineam, nec ſuperficiem, nec omnino continuum vllum indiuiduum eſſe, non ob id ſolum, quod nunc traditum eſt, ſed etiam, quod fiat, vt res indiuidua diuidatur. Cùm enim in omni tempore velocius & tardius ſit, quod autem velocius eſt in tempore æquali maius conficiat, poteſt & duplicem, & ſeſquialteram longitudinem conficere, cùm hæc eſſe poſsit velocitatis proportio. Quod igitur velocius eſt, eodem tempore per ſeſquialteram delatum ſit, & magnitudines diuidantur, velocioris quidem in tria indiuidua, d. B. B C. C D. tardioris autem in duo, E F. F G. diuidetur itaque & tempus in tria indiuidua, cùm æquale in tempore æquali conficiat. Igitur in, K L. L M. M N. diuidatur. Rurſus cum id quod tardius eſt, E F. F G. tranſierit, tẽpus quoque in duas partes æque ſecabitur. Indiuiduum itaque diuidetur, & quod partibus vacat, non in diuiduo conficit, ſed in maiori. Quare manifeſtum eſt nullum continuum partibus vacare.

Text. 28

QVÆSTIO I.

VTRVM INDIVISIBILIA SINT entia poſitiua, & realia in continuo, an non.

ARTICVLVS I.

OPINIO EORVM, QVI EIVSMODI indiuiſibilia vniuerſim negant.

Hæc

HAEc quæstio in vtramque partem assertores habet. Ad negantē deflexere Durandus in 2.d.2.q.4. Ochamus in tract. de sacra Eucharistia c.1.& 2. & quodl. 1.q.9.& in sua logica cap. de quantitate, alijque nōnulli præsertim de Nominalium schola, & è recentioribus philosophis; qui nec in medio, nec in fine continui indiuisibilia positiua, & realia ponunt; sed totam indiuisibilium rationem meras negationes faciunt; affirmantque nihil aliud esse punctum, quàm negationem vlterioris longitudinis, lineam vlterioris latitudinis, superficiē vlterioris profunditatis; darique extremum punctum in linea idem esse, ac nullo iam modo vlteriùs lineam protendi; dari in media linea, idem valere, ac neutram medietatum lineæ longiùs procedere. Ita demum, quod erat huiusce opinionis consectarium, admittunt vnam tantùm esse speciem infimam quantitatis continuæ permanentis, nempe corpus. Additque Ochamus nec per diuinam potentiam prædicta indiuisibilia, vti vera ac positiua entia, dari posse: Aristotelem verò non ex sua, sed ex aliorū sententia, quæ ipsius ætate in Philosophorū gymnasijs percrebuerat, ea posuisse.

Opinio Durandi & aliorum.

Qui negant indiuisibilia esse quid positiuū.

Vnam tantū faciūt speciē quātitatis permanentis.

Quod ergo ita sentire oporteat hunc in modum suadetur. Primū, Nihil cogit eiusmodi indiuisibilia, vt quid reale & positiuū, in natura rerū cōstituere: nō sunt igitur eo pacto admittenda. Probatur assumptū, quia siquid cogeret maximè esset, quod sine illis non videtur partes continui inter se cohærere, & terminari posse; atqui possunt: non ergo ob id ponenda sunt. Probatur Minor, quia partes cādoris, v.g. & aliarum qualitatum habentium gradualem latitudinem vniuntur mutuò inter sese, & termino diffiniuntur; nec enim aut dissipatæ sunt, aut in infinitum abeunt: at neque candor, neque vlla qualitas indiuisibilibus constat. Adde quòd si Deus punctum extremum à linea separaret, vel linea maneret finita, vel infinita: nō infinita, vt luce clarius est; si finita, sequitur lineam se ipsa finiri. Non ergo linea puncto eget vt terminetur.

1. arg.

Secundò, Si darentur indiuisibilia, quæ continui partes copularent, & finirent: cùm in quolibet cōtinuo infinitæ partes insint; darentur in linea infinita puncta clausa duobus punctis extremis; atq; adeò existeret aliquid infinitum vtrinque terminatum: quod tamē fieri nequit; tum quia non datur infinitum in rebus creatis; tum quia claudi terminis est contra rationem infiniti, cuius quacunque parte sumpta restat alia sumenda.

2. arg.

Tertiò, Si in linea essent puncta infinita, sequeretur datis duobus circulis, vno maiori, altero minori, qui intra peripheriam maioris includatur, tot puncta esse in minori, quot in maiori, quod absurdū & ridiculum videtur. Probatur consecutio, tunc enim à singulis pūctis maioris circuli vsque ad centrum vtriusque procederent singulæ lineæ, quæ traijcerent circulum minorē, eumque secarent in pūcto.

3. arg.

Quarē cùm oporteret cuilibet puncto maioris circulí reſpondere aliud in minori, vtiq; totidem in vtroq; circulo puncta cōtinerētur.

4.arg. Quartò, Si in continuo eſſet linea, vel eſſet vna tantùm, vel plures. Non plures, cùm neceſſe ſit omnes lineas copulari inter ſe, ſiue mediatè, ſiue immediatè. Nam in quolibet triangulo, v. g. punctum angulare, quod claudit lineam vnius lateris copulat eādem cū linea alterius lateris; ſiquidem ambæ in idem punctum concurrunt, quod cæteris lineis pari modo accidit. Contra verò non eſſe vnam duntaxat lineam in quolibet continuo, probatur ex eo; quia talis linea eſſet infinita: efficeret enim in corpore infinitos circulos, vel æquales inter ſe, vel alios alijs maiores, vt conſpicuum erit ponenti ante oculos columnam rotundam, & lineam, quam gyratiuam vocant, quæ omnes partes illius colūnæ circūdet. Nō datur ergo linea in cōtinuo.

5.arg. Quintò, Nullum accidens reale abſolutum per ſolum motum localem gignitur (licet enim motus cauſa caloris dicatur, re vera tamē non ſua vi calorē parit, ſed per accidens, & quaſi ex occaſione, vt alibi diximus) Atqui per corporis ſectionem, quæ motus quidam localis eſt, nulla alia cauſa interueniente, incipiunt eſſe noua puncta, nouæ lineæ, nouæ ſuperficies. Ergo hæc non ſunt entia realia abſoluta.

6.arg. Sextò, Omne accidens verum ac poſitiuum requirit ſubiectum adæquatum & proprium, quo ſuſtineatur; ſed indiuiſibilia non habent propria & adæquata ſubiecta; cū in ſubſtantia nulla detur pars inſectilis, quæ ipſis reſpondeat. Ergo indiuiſibilia non ſunt vera ac poſitiua accidentia.

7. ex dictis philoſophi. Tandem ad hanc ſententiam corroborandam accedunt Ariſtotelis teſtimonia. Nā 8. lib. huius operis c. 8. tex. 63 & 69. videtur docere indiuiſibilia non actu, ſed poteſtate in cōtinuo reperiri & lib. 3. Metaph. c. 5. tex. 17. diſertis verbis ait ſuperficies eſſe in ſolido ſicut Mercurius in rudi lapide. Cum igitur Mercurius in rudi lapide non actu, ſed potentia inſit; fit vt neque ſuperficies actu ſint in cōtinuo. Item lib. de animalium motione c. 2. docet ſphæras cœleſtes nō poſſe (quod quidam aiebant) à virtute motrice polis inſidente circumvolui, quia poli indiuiſibilia quædam ſunt, nec eſt vlla eorum ſubſtantia. Præterea 3. de anima cap. 6. tex. 25. docet punctum priuatione cognoſci. Sentit igitur punctum non eſſe poſitiuum aliquid, ſed meram negationem. Adſtipulatur quoque huic opinioni D. Auguſtinus in lib. de quantitate animæ cap. 11. vbi ait longitudinem non in corpore inueniri, ſed ſola mente concipi. Quibus ſimilia repetit 7. ſuper gen. ad lit. c. 21.

Poli ſunt indiuiſibilia quędam.

ARTICVLVS II.

QVÆSTIONIS enodatio.

Con-

CONtrariam ſententiam amplexi ſunt nobiliſsimi quique antiquitatis philoſophi Pythagoras, Democritus, Leucippus, Plato, Xenocrates, Zeno, eiusque diſciplinæ alumni. Ex poſterioribus verò Philoponus 1. poſterioris Analit. cap. 4. Themiſtius & Simplicius 8. huius operis lib. c. 8. D. Thomas tum alijs in locis, tum præſertim opuſc. 36. c. 2. Scotus in 2. d. 1. q. 3. & d. 2. q. 9. Capr. ibi. q. 1. a. 3. Hiſpalenſis q. 2. art. 4. Soncinas lib. 5. Metaph. q. 20. Alēſis lib. 3. eiuſdem oper. c. 5. Theophilus 3. de anima ad text. 25. Burlæus 1. lib. huius operis ad text. 15. Sotus in prædicam. cap. de quantitate. Iulius ſcaliger exercit. 65. aduerſus Cardanum. Eſt tamen inter hos etiam Philoſophos non parum diſsidij. Alij enim ſola extrema indiuiſibilia concedunt, vt punctum in fine lineæ, lineam in fine ſuperficiei, ſuperficiem in fine corporis. Qui rurſus in diuerſam abiere ſententiam. Nam quidam prædicta indiuiſibilia per naturam in corporibus re ipſa dari putant: quidam puncta & lineas ſola diuina virtute exiſtere poſſe autumant, videlicet ſuperficie aut linea ab omni corpore diuinitus abiunctis & ſuo termino definitis. Alij tam extrema, quàm media indiuiſibilia corporibus actu ineſſe tuētur, hoc eſt, non ſolùm puncta lineam terminantia, ſed copulantia eius partes, eodemque modo medias lineas, ac ſuperficies actu exiſtentes. Præterea ſunt qui indiuiſibilia tum inter ſe, tum à mole corporea realiter diſtinguant: ſunt qui contra opinentur aſſerentes punctum non eſſe realitatem aliquam à linea diſtinctam, ſed modum quendam lineæ: ſimiliterque lineam modum ſuperficiei; ſuperficiem corporis.

Aduerſę opinionis aſſertores.

Vt D. Th. Capr. Scot. Alēſis. Sonc.

Burleus, Sot. & alij.

Diſsidia inter auctores huius ſententię.

Ex omnibus opinionibus, quas in hac diſceptatione retulimus, nulla eſt quæ ſuā nō habeat ꝓbabilitatē; nulla quā nō multæ vrgeant difficultates. Nos in tāta varietate aliquot admodū probabiles aſſertiones inprimis ſtatuemus, quarū doctrina facilior eſt ad explicādos & tuēdos alios in philoſophia locos, præſertim de actione vniformiter difformi; de inceptione & deſitione qualitatum in parte certa & incerta; de terminis alterātiū facultatū; de continuitate accretionis & aggenerationis. In quibus controuerſijs explicādis multa ex communi philoſophantium voce traduntur, quæ, vt inibi plana fiet, realibus indiuiſibilibus è continuo ſublatis, vix integra & ſalua eſſe queunt.

Sit igitur prima aſſertio. Superficies, lineæ, & puncta ſunt vera & poſitiua entia realiter exiſtentia in magnitudine. Hæc aſſertio hiſce argumētis probatur. Vt conſtat ex doctrina Ariſtotelis in Categorijs cap. de quantitate, & 5. huius operis cap. 3. text. 26. Continua dicuntur ea, quorum partes eodem communi termino copulantur; is autem terminus non poteſt eſſe aliquid diuiſibile; ſic enim non ſimpliciter ac ſecundum idem, ſed ſecundum aliam & aliam ſui portionem vtrique parti continui communis eſſet: eſt igitur quidpiam

Prima aſſertio.

1. eius ratio.

Quod punctum non sit negatio vlterioris extensionis.

piam insectile. Esse verò positiuum, quod aduersarij negant, ex eo ostenditur quia si punctum existens in media linea sit sola negatio vlterioris tendentiæ, iam eiusmodi punctum continuans inuicem duas partes lineæ non vnum erit, sed plura: sicut enim hæc pars re ipsa ab alia distinguitur, ita aliam habet negationem vlterioris tendentiæ distinctam ab ea, quæ alteri parti cõuenit. Ex quo fit vt prædictæ partes lineæ non possint esse continuæ; cùm interuentu vnius eiusdemque communis termini nequaquam sibi mutuò cohæreant.

2. ratio.

Secundò, Multæ qualitates in sola superficie insunt: ergo superficies est ens positiuum ac reale. Consecutio negari non potest, cùm fieri nequeat, vt in eo, quod ens reale non est, reale accidens sustentetur. Antecedens ostenditur, primùm quia figura, teste Aristotele lib. 3. Metaph. c. 5. text. 17. est in sola superficie, cùm sit eius terminus. Item quia corpora perfectè opaca in extima tantùm superficie lucem recipiunt: si enim eorum profunditatem lux peruaderet, non iam opaca; sed diaphana essent.

Figura in sola inest superficie.

3. ratio.

Tertiò, Ex Aristotelis sententia lib. 4. huiusce operis, cap. 4. text. 41. locus est finis primus continentis corporis: sed progredientibus à corpore contento nihil in continente occurrit, quod finis primus sit præter insectilem superficiem ipsius continentis: danda est ergo talis superficies. Probatur minor, quia si quid occurreret maximè esset moles corporea trinam habens dimensionem: at quod hæc non possit esse primus terminus ex eo patet; quia cùm versùs omnes partes in infinitum diuidi possit, nequit in ea sumi aliqua portio, cuius medietas non sit prior versùs contentum, itemque medietas illius medietatis, absque vllo termino. Adde quod si locus nõ esset superficies, sed profunditas continentis, cùm necessariò ea profunditas sit amplior maiorque corpore contento, iam locus excederet locatum, quod negat Aristoteles eodem cap. text. 30.

Locus non excedit rem locatam.

4. ratio.

Quartò, Vt constat ex cap. 3. superioris libri text. 22. illa dicuntur se tangere, quorum extrema sunt simul, hoc est in eodem situ: sed in duobus corporibus se tangentibus extrema, quæ simul existunt, non sunt ipsæ profunditates corporum, cùm eæ sese mutuò penetrare nequeant. Sunt ergo extimæ superficies eorundem corporum. Quare negandum non est dari ipsas in rerum natura.

5. ratio.

Quintò, Geometræ demonstrant de lineis & superficiebus veras ac reales affectiones, vt passim videre est apud Euclidem; ergo linea & superficies sunt vera ac positiua entia in continuo.

6. ratio.

Sextò, Non potest dari actio vniformiter difformis nisi dentur indiuisibilia realiter in continuo existentia, quibus qualitates excipiantur: danda igitur sunt. Antecedēs probatur, quia cùm, verbi gratia, lucidum corpus aerem illuminat, si lux certo gradu intensa non recipitur in aliqua parte indiuisibili aeris, iam ea pars secari poterit in duas æquales portiones, quarũ vtraque æqualem lucis intensionẽ habeat; quod repugnat actioni vniformiter difformi, vt planũ est.

Actio vniformiter difformis non patitur in parte diuisibili certam intensionem.

Septimò,

Septimò, Globus, seu corpus perfectè sphæricum tangit perfectè planum in puncto; dantur igitur puncta in continuo. Antecedens præterquam quod asseritur ab Aristotele 1. de anima c. 1. text. 13. & 3. de cælo cap. 8. tex. 69. demonstratur etiam à Mathematicis ex ijs, quæ tradit Euclides lib. 3. proposit. 16. Potestque id breuiter ostendi ex eo, quia si globus nõ in indiuisibili, sed in corpore ipsum planum contingeret, cùm planum non nisi plano adæquetur, iam globus non haberet figuram perfectè sphæricam, sed planam; quod globi naturæ repugnat. Huic argumento conantur ire obuiam aduersarij. Quidam negando contactum globi & plani realem esse. Alij asserendo globum tangere planum indiuisibiliter, sed tamen in parte diuisibili: ita nimirum vt designari non possit certa pars, quin per minorem ea tangat, facta in infinitum sectione per partes proportionales versus planum. Neutra tamen harum responsionum satisfacit. Non prima, quis enim putet globum ingentis magnitudinis, qui planum suo pondere realiter deorsum fert, non illud realiter tangere? Non secunda, quia aduersatur Aristoteli aienti locis paulò ante citatis globum tangere planum in puncto. Item quia Mathematicæ rationes, præsertim ea, quam retulimus, non solùm demonstrant globum tangere planum indiuisibiliter sed in indiuisibili: alioqui simpliciter ac re ipsa globus adæquaretur plano. Simile argumentum duci potest à contactu cylindri ad probandum dari lineam: sicut enim globus non tangit planum nisi in puncto; ita neque cylindrus nisi in linea.

Lege Scotum in 2.d.2.q 9.

Lege Greg. in 2.d.2.q.2. art. 1. concl. 3.

7. ratiõ.

Globus contingit planũ in indiuisibili.

Resposio aduersariorum.

Confutatio.

Postremò, quòd hæc fuerit Aristotelis sententia, multa eius loca testantur. Nam in Categorijs cap. de quantitate, & lib. 5. Metaph. c. 13. text. 18. diuidit magnitudinem in lineam, superficiem, & corpus, vt in veras species quantitatis, & lib. 13. cap. 2. asserit in corpore naturali inesse solida, superficies, lineas, atque puncta: & hoc lib. cap. 9. text. 86. indiuisibilia moueri ex accidente eo modo, quo partes motione totius agitantur: & 1. de anima cap. 4. text. 70. atque alibi sæpe ait puncta habere positionem in continuo; quæ omnia de indiuisibilibus negatiuis non verè dicũtur.

Vltima ratiõ ex testimonijs Aristot.

Sit secũda assertio. Indiuisibilia positiua, & realia dãtur actu nõ in fine cõtinui tãtũ; sed etiã in medio. Huiꝰ assertionis veritatẽ suadet in primis ea ratio, quòd indiuisibilia nõ solũ ad terminãdũ cõtinuũ; sed etiã, ac multo magis ad eius partes copulãdas, necessaria sũt: siquidem continuum definitur id, cuius partes communi termino copulantur. Deinde quia argumentum illud ab actione vniformiter difformi; & item illud à contactu plani, & globi, ac cylindri, euincunt eiusmodi indiuisibilia ponenda actu in medio continui. Vnde Aristoteles 1. de anima cap. 4. text. 71. In omnibus, inquit, corporibus puncta esse videntur, etiam infinita. & 1. de gen. cap. 2. text. 9. punctum vbiuis, atque omni in parte est. Quin verò quòd naturaliter nulla detur linea nullumve punctum in fine continui tantùm, patet

Secunda assertio.

Cõfirmatio.

Non dari lineas, aut puncta solùmodo terminantia.

patet ex eo quod nulla in corporibus inuenitur linea, quæ solùm terminet aliquam superficiem, nec eam cum altera parte eiusdem inuicem copulet: similiterque nullum punctum, quod aliquam lineam claudat, nec eam pari modo cum altera parte lineæ cõtinuet: siue ponamus id corpus esse perfecte cubicum, siue pyramidale, aut alterius cuiuslibet figuræ. Itaque ex omnibus indiuisibilibus solĩ externæ superficiei, quæ vndique corpus ambit, & claudit, conuenit esse re ipsa in fine continui tantùm; quia ita terminat continuũ, vt aliam eius vlteriorem partem cum priori non copulet; siquidem corpus post vltimam superficiem non vlteriùs protenditur.

Tertia assertio. Probatur.

Sit tertia assertio. Superficies non est idem realiter cum corpore, nec linea cum superficie, nec punctus cum linea. Hæc suadetur, quia si corpus & superficies essent idem re sequeretur quemadmodum duo corpora naturaliter sese contingunt, ac simul sunt interuentu superficierum; ita nõ repugnare quominùs naturaliter simul essent secundum ipsam molem corpoream; atque ita naturaliter daretur corporum penetratio. Consecutio ex eo ostenditur; quia cùm aliqua duo sunt idem re, vbi alterum naturæ viribus inuenitur, alterum quoque inueniri nihil vetat.

Quę sunt idẽ re posunt simul esse.

Secundò, Si superficies copulans hinc inde duas eiusdem corporis medietates, esset idem cum corpore, vel esset idem cum altera tantùm medietate, vel cum vtraque: non cũ altera; siquidem par atque eadem est vtriusque ratio: non cum vtraque; iam enim duæ partes corporis essent inter se idem realiter, iuxta illud philosophicum pronuntiatum, Quę sunt idem realiter in vno tertio inter se quoque idem sunt: Nullo igitur pacto superficies, & corpus in eandem realitatem conueniunt. Hoc idem argumentum fieri potest in lineis & punctis: vel enim linea copulans partes superficiei esset idem realiter cum vtraque parte illius; vel cum altera tantùm &c.

Quæ sũt idẽ in vno tertio, sunt inter se idem.

ARTICVLVS III.

SOLVTIO ARGVMENTORVM primi articuli.

Sol. primi arg. 1. art.

RElíquum est vt argumenta, quæ initio quæstionis proposita sunt, diluamus. Ad primum negandum est quod assumit, dicendumque indiuisibilia necessaria esse ob eas causas, quæ articulo superiori explicatæ sunt. Nec obest quod corpus, superficies, & linea ex se continua sunt: non enim id haberent nisi ex se, ac natura sua includerent indiuisibilia, quibus vt terminis communibus copularentur. Ad id verò, quod de partibus qualitatum obijcitur, respondendum indiuisibilia non requiri vt terminent, & copulent

pulent præcisè, aut quolibet modo; sed vt id præstēt situādo, ideſt, causando ordinem partiū, quod non habent partes graduales qualitatum, sed quantitatis dumtaxat, cui id proprium ac naturale est. Quod item opponitur de separatione puncti extremi à lineâ, dicēdum in primis nullum dari in corpore naturali punctum, quod lineam terminet, & cum altera lineæ parte non simul copulet, vti superiùs ostendimus: posse tamen id dari in linea diuinitus à corpore separata. Deinde respondendum si ab istiusmodi linea extremum punctum diuina virtute tollatur, mansuram eam infinitam, non positiuè, quasi in immensum fluxura sit; sed negatiuè, quia nimirum termino intrinseco circumscripta non erit; non vlterius tamen sese porriget.

Quo modo requirātur indiuisibilia ad terminādū & copulandū.

Linea sine extremo pūcto infinita negatiue.

Ad secundum, in quolibet continuo reperiri infinita puncta, absurdumque non esse duobus punctis ea claudi (siue ea duo solùm terminent, & non copulent, vt in linea diuinitus separata à corpore; siue vtrumque munus exhibeant: nam etiam inter quælibet duo puncta simul copulantia & terminantia, infinitudo punctorum continetur) id inquam absurdum non esse, quia genus hoc infiniti non propriè ac simpliciter infinitum est; cùm omnia illa puncta finitum quid, videlicet vnam finitam lineam componant. Respondeti etiam potest non repugnare infinitum claudi primo & vltimo, negatiuè, ideſt, primo, ante quod non sit aliud, dummodo vltra illud designari non possit secundum; & vltimo, vltra quod aliud non sit; modò tamen designari nequeat penultimum: sicque in punctis lineæ sese rem habere. Vel aliter; primum & vltimum punctum in linea non pertinere ad punctorum infinitatem, sed esse quodammodo extra illius sortem; quia eiusmodi infinitas non cernitur nisi vltra primum & citra vltimum; intra quæ nullum sumi potest, vltra quod & ante quod infinita non sint.

Sol. 2.

Altera Sol. eiusdem.

Tertia solutio.

Ad tertium, id, quod tanquam absurdum infertur, reuera absurdum non esse, nempe non plura esse puncta in maiori & in minori circulo: id enim infinito peculiare est, vt in eo maius & minus nō habeat locū, vt ex Scoto in 2. d. 1. q. 3. & alijs in tertio huius operis libro diximus.

Cap. 8. q. 2. art. 4.

Sol. 3.

Inter infinita non cadit maioris, aut minoris cōparatio.

Ad quartum, In quolibet continuo esse vnā tantùm lineā, vt probat argumētū. Neque tamē lineā gyratiuā colūnæ esse actu infinitā. Nā esto infinitis partibus eo modo æqualib⁹, vel etiā maioribus cōstet; omnes tamē sunt in cōtinuo per modum vnius, & vnū quid finitum componunt, vt in quæstione de infinito diximus.

Sol. 4.

Ad quintum, Explicanda est maior: si enim significet nullum accidens reale effici motu locali, quasi ipse motus sit eius productio, concedenda est: si contendat nullum accidens reale posse motu locali resultare, neganda. Secta enim linea resultant in extremitatibus duo puncta, quæ prius non actu, sed potestate existebant: peritque illud punctum, quod vtramque partem inuicem iungebat.

Sol. 5.

Resultare noua indiuisibilia sectione continua.

iungebat. Nec mirum quòd indiuiſibilia ita gignantur & intereant. Etenim cùm ſint termini quantitatis, neceſſe eſt vt quoties illa per diuiſionem partium terminationem variat, ipſa quoque ſecundum ſuum eſſe varientur.

Sol. 6. Ad ſextum, Indiuiſibilia non eſſe in ſubiecto adæquatè, quaſi eis reſpondeat ſubiectum indiuiſibile, cui inhæreant: ſed inadæquatè, hoc eſt, recipi in ſubſtantia, merito corporis, cuius partes formales ſunt. Itaque negandum eſt omne accidens requirere ſubiectū adæquatum, ac ſibi proprium.

Explicantur teſtimonia Ariſt. Nō rectè ab aduerſarijs citatum locum Ariſt.

Ad teſtimonia Ariſtotelis dicendum eſt haberi quidem loco illo octaui libri phyſicorum in continuo ineſſe dimidia infinita, non actu ſed potentia: verùm per hæc dimidia non intelligi ab Ariſtotele indiuiſibilia, ſed partes materiales continui, quas patet in continuo eſſe, non vt entia infinita actu, ſed poteſtate, quatenus continuum ſecari poteſt in infinitas partes abſque vllo termino. Pro explicatione verò alterius loci ex lib. 3. Metaph. aliorumque ſimilium animaduertendum eſt quædam puncta eſſe actu in linea, nimirū quæ lineæ partes actu copulāt & termināt; quædā poteſtate, videlicet quæ ſi linea diuidatur in ea reſultabūt, vt pauloante aſſeruimus; ſimiliterq; dicēdū de lineis reſpectu ſuperficiei, & de ſuperficiebus reſpectu corporis. Hoc poſito reſpondemus cùm Ariſtoteles ait puncta, lineas, & ſuperficies eſſe poteſtate in continuo, de ijs tantùm poſteriori modo ſumptis agere, hoc eſt, de illis, quæ per ſectionem reſultare queunt. In libro verò de motione animalium ait polos, qui puncta ſunt indiuiſibilia, non habere ſubſtantiam, ideſt, non eſſe de genere ſubſtantiæ, cui duntaxat motus per ſe conuenit: fuerunt enim, qui illa inter ſubſtantias reponerent vt ex lib. 13. & 14. Metaph. colligitur. Ad aliud ex 3. de anima dicito licet punctum priuatione cognoſcatur, non iccirco tamen puram priuationem eſſe; alioqui etiam nigrum foret priuatio, quia per candidi priuationem intelligitur, explicaturque, vt ibidem admonet Ariſtoteles.

Quędam indiuiſibilia eſſe actu in cōtinuo, alia poteſtate.

Quo ſenſu dixerit Ariſtoteles indiuiſibilia non habere ſubſtantiam.

ARTICVLVS IIII.

PROPONITVR ALIA SENTENTIA, quæ indiuiſibilia poſitiua & realia partim admittit, partim negat.

His ita pertractatis licet ea opinio, pro qua ſupra diſſeruimus, admodum probabilis ſit, & imprimis accommodata ad

modos

modos loquendi in scholis receptos, faciliorq; ad eos, quos antè retulimus in Philosophia locos expediendos: alia tamen sententia est non minus probabilis, quam Fonseca tuetur lib. 5. suorum commentariorum in Metaphys. cap. 13. quæst. 6. vbi statuit, licet superficies verè, ac physico more, idest, secundum entitatem positiuam, ac realē, sit actu in quolibet corpore, vt illius extremitas, eaque vna duntaxat; tamen lineam & punctum non esse actu in corpore vllo, nisi Mathematico more spectata. Primam partem huiusce assertionis probant secundum, tertium, & quartum secundi articuli argumentum. Altera pars de vnitate superficiei ex eo ostēditur; quia ad corpus vndique claudendum, circunscribendumque superficies vna requiritur: nec est cur alia præterea exigatur.

Lineã, & punctum nõ dari actu in corpore nisi consideratione Mathematica.

Tertia verò pars, quatenus asserit lineas, & puncta non esse actu, ac secundum reales entitates in medijs magnitudinibus, inde suadetur; quia istiusmodi indiuisibilia neque ad copulandum, neq; ad continuandum necessaria sunt, vt articulo primo disputabamus. Quæ ratio etiam conficit non dari in medio corpore actu, & more physico realem superficiem. Quod autem lineæ & superficies Mathematico more sumptę dentur actu in corpore, ex eo patet; quia Mathematici faciunt in corpore superficies plures, eas, quæ continent perfectos angulos; vt in tessera sex, in pyramide quinque. Secundum hanc verò notionem oportet aliquo modo dari actu lineas, quibus actu terminentur, & distinguantur eæ superficies; & aliquo modo puncta actu, quæ lineas actu terminent, & distinguant.

Non dari in medio corpore actu eu, physice superficiem realē.

Itaque vt summatim complectamur statuit hæc sententia è tribus indiuisibilibus, superficie, linea, puncto, solam superficiem, vti verum & positiuum ens dari actu in corporibus; lineam verò realem & positiuam, item puncta realia ac positiua (si tamen puncta vllam vendicant positiuam entitatem) non dari in corpore, neque actu, neque potestate physica, sed potentia logica duntaxat. Quod ex ijs, quæ mox subijciemus planum erit.

Solam superficiē tãquam ens positiuũ dari actu in corporibus.

Legitur apud graues auctores indiuisibilia non actu, sed potestate in media quantitate continua esse; quod ita intelligendum est vt eiusmodi potentia trifariam ad actum prouehatur: nimirum diuisione reali, figuræ conformatione, & designatione. Ac reali quidem diuisione sola superficies, quæ potentia in medio est corpore, viribus naturæ ad actum peruenit, cùm corpus secatur: sēper enim eam sectionem sequitur resultantia nouæ superficiei. Similiter etiam cum nulla sit implicatio contradictionis quominus superficies diuinitus à corpore abiuncta diuidatur licebit affirmare lineam contineri potentia logica in superficie secundum realem diuisionem. Item cùm non repugnet secari lineam diuinitus separatam à superficie; verè dicemus potentia logica; conti-

Quot modis reducãtur ad actum indiuisibilia in media quantitate.

Reali diuisione.

neri ſecundum realem diuiſionem in linea punctum, quod facta ſectione reſultabit.

Conformatione figuræ. Conformatione figuræ ducuntur ad actum lineæ, & puncta, cùm corpus omni carens angulo figuram perfectè angularem accipit; vt ſi ex corpore ſphærico fiat cubicum. Quandoquidem erunt tunc in eo corpore prædicta indiuiſibilia; non tamen ſecundum poſitiuam & realem entitatem; ſed tanquam negationes: lineæ, vt negationes vlterioris protenſionis ſuperficierum: puncta, vt negationes vlterioris protenſionis linearum. Quo pacto non verè & realiter, ſed conſideratione Mathematica ineſſe dicuntur in continuo.

Deſignatione. Denique deſignatione ducuntur ad actum lineæ, & puncta, cùm magnitudo omni angulo carens mẽte concipitur vt diuiſa. Sic enim apprehenditur linea vt terminans ſuperficiem diuiſam; & puncta, vt lineam terminantia. Sed cùm hoc totum cogitatione fiat, patet hoc etiam modo non ſtatui in magnitudine lineas, & puncta tanquam entia realia, ac poſitiua; ſed vt negationes, ſicuti paulo ante de reductione ad actum per figuræ conformationem diximus.

Reſpõdetur ad argumenta partis oppoſitę. Nec verò contrariæ partis rationes multum exhibent negotij huic ſẽtentiæ. Ad primam, quam pro confirmatione primæ aſſertionis adduximus, dicendum erit definitionem illam continui; videlicet continuum eſt, cuius partes communi termino copulantur, ab antiquis Geometris manaſſe, qui ad demonſtrationes conficiendas indiuiſibilia, non tamen realia & poſitiua, ſed qualia proximè ſtatuimus, in medio continui poſuere, tanquam ſigna ad ſectiones magnitudinis in infinitum protrahendas. Itaque ea definitio ſic erit intelligenda, vt partes continui dicantur communi termino copulari, vel actu, vel poteſtate, quæ poteſtas modis paulò ante explicatis ad actum reducitur. Nec poſitiua indiuiſibilia ad copulandum neceſſaria ſunt, cùm partes extẽſionis abſque vlla tertia entitate per ſe inuicem coeant, & vniantur. Nec item imaginaria indiuiſibilia conſtituuntur in medio, vt negationes vlterioris tendentiæ, ſed vt ſigna.

Secunda verò, tertia, & quarta ratio nihil aduerſus hanc ſententiam probant, cùm ſolummodo concludant dari actu, ac more phyſico in corporibus ſuperficies exteriùs ambientes.

Ad quintam reſpondemus affectiones, quas de lineis in continuo exiſtentibus, Mathematici demonſtrant, prout de ijs lineis præciſe dicuntur, non eſſe veras entitates; ſed eiuſdem conditionis; ac naturæ cum ipſis lineis.

Vt ſeruetur lex actionis vniformiter difformis abſque indiuiſibilibus realibus in medio cõtinui. Ad ſextam, abſque medijs indiuiſibilibus poſitiuis ſeruari poſſe legem actionis vniformiter difformis, ſi dicamus ad eam tuendam ſat eſſe in prima ſuperficie, verbi gratia, aeris illuminati tantum eſſe lucis, quantum in ſuperficie corporis illuminantis; cum eæ ſuperficies ſint ſimul; deinde progrediendo à prima illa ſuperficie aeris

versus finem, quancunque partem signatam minus lucis obtinere.

Ad septimam, omissis alijs solutionibus, dicendum globum, & cylindrum tangere planum in puncto, & linea; non positiuis & realibus; sed sola designatione existētibus in magnitudine: atque adeò eiusmodi còntactum esse negatiuum, quia fit non per extrema realia; sed negatiua duntaxat, eodemque eatenus prædicta corpora dicentur se tangere; quatenus à se mutuò non distant. Quapropter interuentu illius nullus impulsus plano corpori imprimetur, quantumlibet magna vi globus, aut cylindrus descendant; imprimetur tamen interuentn circumfusi corporis, verbi gratia, aeris, quem globus, & cylindrus deorsum trudent. De tactu glō bi & plani.

Ad vltimam respondendum erit quæcunque apud Aristotelem de lineis, & punctis tanquam de entibus positiuis actu existentibus in rerum natura leguntur; ea non vt ex proprio, sed vt ex aliorum sensu dicta accipi debere.

QVÆSTIO II.

VTRVM CONTINVVM EX SOLIS indiuisibilibus coalescat, an non.

ARTICVLVS I.

RATIONES PRO PARTE affirmatiua.

Qui partem affirmatur.

SVperiori disputatione probabile statuimus dari etiam in medio continui indiuisibilia, positiua & realia; proximum est, vt an ex ijs solis continuū componatur, disquiramus. Affirmatiuam partem secuti sunt olim Stoici Philosophi duce Zenonē, itemque Pythagoras, Democritus, Leucippus, & plerique eorum, qui Aristotelis ætate floruerunt. Nec desunt argumenta, quibus eorū sententia cōprobari videatur. Primum sit. Inter punctum, quod est initium lineæ, cæteraque omnia eiusdem lineæ nihil cadit. Igitur puncta proximè sibi cohærēt, atque adeo linea ex solis punctis conficitur. Probatur assumptum. Nam si est aliquid interiectum, vel est punctum, vel linea: non punctum, cùm extra omnium punctorum collectionem nullum sit punctum: nec etiam linea, quia necessariò in ea dantur puncta. Igitur inter primum punctum, cæteraque omnia nihil interiacet; ex quo sequitur 1. arg.

quitur nihil reperiri in linea nisi puncta.

2. Secundum, Immediatè post hoc instans existet aliquid temporis; sed id nihil esse potest nisi instans: ergo post vnum instans proximè sequitur aliud. Probatur assumptio, quia è tempore nihil existit præter instans.

3. Tertium, Ex doctrina Aristotelis 1. Top. c. 14. ita se habet punctum ad lineam, sicuti vnitas ad numerum: sed numerus ex solis vnitatibus conficitur: ergo & linea ex solis punctis.

4. Quartum, Indiuisibilia includuntur in coutinuo; &, vt Aristoteles 1. lib. Poster. cap. 4. docet, comparatione illius sunt prædicata per se primo modo: pertinent igitur ad eius essentiam; non vt forma, cùm vna res vnicam tantùm formam habeat; ergo vt partes integrantes, ex quibus dumtaxat conficiatur.

5. Quintum, Lignum, quod partim in aqua est, partim in aere, contingitur à duabus extremis lineis circularibus aquæ & aeris sese tangentibus: sed necesse est in ipso ligno duas quoque esse lineas immediatas, quæ illis duabus respondeant. Ergo lineæ sunt immediatæ in continuo.

6. Sextum, Tempus quod plures Angeli intellectiones metitur, constat ex solis instantibus: cùm intellectio Angeli momento fiat. Ergo nihil obstat, quominùs etiam nostrum tempus ex instãtibus, atque adeò ex solis indiuisibilibus componatur.

7. Septimum, Si continuum diuina virtute in omnem sui partem secari posset, dissolueretur in indiuisibilia: ergo constat ex indiuisibilibus. Probatur consecutio, quia vnumquodque ex ijs conficitur, in quæ dissolui potest.

8. Octauum, Geometræ supponunt punctũ, cùm mouetur, lineam gignere; lineam superficiem; hanc corpus. At ex motu, seu vestigio indiuisibilium non nisi ex indiuisibilibus constitutum relinqui potest. Igitur linea, superficies, & cotpus ex indiuisibilibus tantùm constant.

ARTICVLVS II.

CONCLVDITVR PARS negatiua.

Continuum non constare ex solis indiuisibilibus.

VErùm qui continuũ ex solis indiuisibilibus cõposuere multis locis ab Aristotele confutantur, vt hoc in libro, & alio quodam libello inscripto de lineis insectilibus, qui videtur esse non quidem ab Aristotele separatim editus, sed ex illius Exotericis collectus. Eandem sententiam improbat D. Aug. 11. de Trinit. c. 10. M. Alb. in lib de lineis indiuisibilibus c. 5. D. Thomas, Aegid. Burlæus, Themistius, Simplicius, alijque interpretes hoc loco, Scotus in 2.

Capr. in 2.d. 2.q.1. Soc.5. Metaph. q. 20.

in 2.d.2.q.9. Dur. q.4. Greg.q.2. Algazellus tract.1. suæ Metaph. Auic. 6. Naturalium.p.5. cap. 2. solet verò huius sententiæ falsitas multis rationibus demonstrari, è quibus aliquot in medium proferemus.

Prima conclusionis demonstratio.

Prima sit, Si linea cõstaret ex solis pũctis, sequeretur cõtra primã propositionem Euclidis 1. Elem. non posse supra quamlibet lineam rectam describi triangulum æquilaterum. Sit enim linea trium punctorum A. C. super quã describatur triãgulus æquilaterus A. B. C. Deinde signentur puncta media laterum D. E. Hoc posito aut illa puncta ab se distant, aut non distant. si non distant; ergo in illis finitur triangulus. Quare latera non erunt nisi duorum punctorum, quod repugnat hypothesi. Si verò distant aut per aliquid minus puncto, aut per punctum, aut per aliquid maius puncto. Primum dari non potest; alioqui punctum diuiduum esset. Nec secundum; quia tantùm distarent puncta D. E. quantùm A. C. proindeque lineæ A. D. & C. E. essent parallelæ, nec vnquam concurrerent. Nec tertium, sic enim magis distarent puncta D. E. quàm puncta A. C. Quare linea A. D. & C. E. non concurrerent versus puncta D. E. quod item hypothesi repugnat.

Demõstratio.2.

Secunda, Sequeretur non posse lineam quantumcunque minimam diuidi in tot partes eiusdem proportionis, in quot secta est linea maxima. Cuius oppositum demonstrat Euclides 6. Elem. prop. 10. Nam si linea magna sit, verbi gratia, quinque punctorum, & minor trium: maior diuidi poterit in quinque partes æquales; minor verò non nisi in tres; alioqui puncta diuidua essent.

Demonstratio.3.

Tertia, Sequeretur lineam intra latera trianguli æquilateri supra basim descriptam ipsa basi maiorem esse, cuius oppositum & per se patet & demonstratur ab Euclide prop. 21. lib. 1. Consecutio probatur; sit enim basis N. O. quatuor tantùm constans indiuisibilibus, supra quam describantur duo latera N. A. & O. A. æqualia inter sese, ita vt efficiant triangulum. Ducatur deinde linea inter puncta B. C. quæ quandoquidem diuidua est, vt sensu patet, duobus saltem indiuisibilibus constabit; infra hanc ducantur aliæ quattuor, vt in superiori figura. Tunc secunda linea nempe D. E. quia maior est, quàm prima, habebit saltem tria indiuisibilia. Tertia verò ob eandem causam continebit quatuor, quarta quinque, quinta denique sex. Iam igitur linea descripta supra basim intra latera trianguli erit maior.

Demõstratio.4.

Quarta, Sequeretur diametrum esse commensurabilem lateri, esseque ei æqualem, aut habere ad illud proportionem duplam, cuius oppositum constat apud Euclidem lib. 10. propos. vlt. Prior pars consecutionis probatur. Nam cùm diameter & latus sint lineæ finitæ, necessariò ex indiuisibilibus finito numero comprehensis fient. Quare cùm quilibet numerus cuilibet numero commensurabilis sit, diameter commensurabilis erit lateri. Præterea aliquid esse alteri

comen-

commensurabile nihil aliud est quàm dari aliquid, quod sit pars aliquota vtriusque. At si cõtinuum ex indiuisibilibus constaret, vnũ indiuisibile esset pars aliquota tum diametri tum lateris. Ex quo sequitur diametrum commensurari lateri. Posterior consecutionis pars sic ostenditur. Describatur quadratũ, & à quouis puncto vnius lateris ducatur recta linea ad punctum è regione positum. Tum ducatur diameter, vt in hac figura patet. Si igitur continuum ex indiuisibilibus fit, vel in diametro inter quæuis duo indiuisibilia duarum linearum, quæ ducantur à punctis immediatis vnius lateris ad puncta immediata alterius, interiectum est aliquod indiuisibile, aut nullum. Si nullum, iam diameter non pluribus constat indiuisibilibus, quàm latus; atque adeò lateri æqualis est: si aliquod, cùm eadem ratio sit, vt inter quaslibet alias duas lineas interpositum sit vnum indiuisibile, erit diameter duplo maior latere, quod erat probandum. Plures ad hanc rem stabiliendam rationes habes in libello de lineis insectilibus, quem M. Albertus ad finẽ huius paraphrasticè exponit; pluresque affert Alexander lib. 2. nat. quæst. & Scotus in 2. d. 2. q. 9. Gregorius Arim. ibid. q. 2.

ARTICVLVS III.

RESPONDETVR ARGVMENTIS in contrariam partem adductis.

Inter omnia puncta collectiue accepta nihil esse medium.

AD argumenta verò, quibus contraria sententia probari videbatur, respondendum est. Ad 1. quidem inter punctum, quod initium est lineæ, & cætera omnia diuisim sumpta interiectam esse lineam, & ex consequenti infinita puncta, quibus illa constat: at inter illud, & omnia alia collectiue accepta, nihil esse interpositum, vt probat argumentum. Verum non inde recte colligi confici lineam ex solis punctis, vel aliquod punctum esse alteri immediatum in eadem linea, quia tota illa punctorum collectio nullum habet, quod sit immediatum primo, & inter quod, & aliud non cadat linea.

Post instans non instans subsequi, sed tempus.

Ad 2. id, quod immediatè post hoc momentum existet, debere esse tempus, non momentum. Nam licet nihil temporis simul existat præter momentum: successiuè tamen aliquid existit, quod momentum non est, nimirum tempus.

Indiuisibilia pertinẽt ad essentialem definitionem continui.

Ad 3. non eodem prorsus modo se habere punctum ad lineam, quo vnitas ad numerum: alioqui sicuti punctum, ita & vnitas positionem haberet in continuo, quod negat Aristoteles in categorijs cap. de quantitate & 1. post. c. 23. Dicuntur igitur eodem modo se habere, quia sicut vnitas numeri, ita punctum principium est lineæ.

Ad 4. indiuisibilia dici per se primo modo de continuo, pertineque

reque ad essentialem illius definitionem & habere se vt formas respectu partium integrantium, quas copulant: quatenus interuentu indiuisibilium ea, quæ alioqui essent multa simpliciter entia, efficiunt vnumquid per se. Nec esse incommodum ex huiusmodi formis, quæ propriæ formæ non sunt, dari simul in vno continuo multas, immo infinitas.

Ad 5. duabus lineis circumfusi aeris & aquæ respondere in ligno vnam duntaxat. Nam cùm duæ illæ simul in eodemque situ maneãt, vtrique vna respondere potest. Nec absurdum est duo indiuisibilia in diuersis subiectis immediatè hærere; cùm inde non sequatur continuum ex solis indiuisibilibus confici.

Ad 6. tempus mensurãs intellectiones Angeli non esse cõtinuum, sed discretum, quod proinde nihil vetat quominus ex indiuisibilibus cõfletur, sicuti ex vnitatibus numerus. Ita AEgidius in tract. de mẽsura angelorum quæst. 9.

Nihil vetat tẽpus discretum constare ex solis indiuisibilibus.

Ad 7. Gregorius in 1. dist. 36. quæst. 1. & in 2. d. 2. quæst. 2. concedit posse continuum diuina virtute in omnem sui partem diuidi. Sed non rectè sentit, includitur enim in eo contradictio: siquidem tale continuum esset, ac non esset continuum: esset, quia ita ponimus; non esset, quia ex solis indiuiduis continuum ac diuiduum constare nequit. Occurrendum est igitur argumento, ex hypothesi impossibili, qualis est ea, quæ in illa conditionali propositione sumitur, cõsequi id, quod fieri non potest. Quare nihil mirum quod ex diuisione continui in omnem sui partem, si daretur, colligatur continuum constitui ex solis indiuisibilibus.

d. 35. & 36.

Reijcitur opinio Gregorij Arim.

Ad 8. non esse Mathematicorum sententiam ex fluxu indiuisibilium effici re vera aliquod continuum; sed vti eos eiusmodi fictione ad significandam diuisibilitatem lineæ secundum longitudinem dũtaxat; similiterque ad explicandas dimensiones allarum quantitatum continuarum.

Capitis tertij explanatio.

NEcesse est autem] Vt alia, quę ad sectionem motus spectant, persequatur, subijcit in hoc capite quędam Theoremata. Primum est nunc, seu momentum, est quid indiuiduum. Quod vt intelligas aduerte, nunc, siue momentum, bifariam vsurpari. Vno modo, pro eo, quod per se ac primò tale dicitur, quod quidem pręteriti temporis, & futuri extremum est. Altero, pro eo, quod non per se tale est, sed beneficio illius, quod per se est tale, quod quidem est tempus pręsens continens in se prædictum momentum. Hoc igitur loco agit Aristoteles de momento secundum priorem notionem sumpto. Declarat verò quonam pacto pręteriti, & futuri temporis extremum sit, aiens pręteriti aliquid esse, citra quod nihil sit futuri, & rursus futuri, vltra quod nihil sit pręteriti, idque esse, quod momentum Propriè vocamus.

Theoremata ad motũ spectantia.

Τὸ νῦν id est, momẽtum dupliciter sumi.

Idem momẽtum esse extremum præteriti, & futuri.

b Necesse est autem vtriusque) Probat idem momentum præteriti & futuri extremum esse, vnde planum relinquetur, esse diuisionis expers. Probat autem hoc modo. Nam si non esset vnum, sed plura: cùm duo indiuidua quantitatis immediata esse non possint, quia continuum non constat ex indiuiduis, necessariò inter illa tempus caderet: hoc autem fieri non posse inde liquet, quia cùm illud tempus tum ad præteritum, tum ad futurum spectet, iam aliquid præteriti esset in futuro, & aliquid futuri in præterito, quod absurdum est. Licet enim idem instãs ad vtrunque pertinere possit, vt communis terminus, tamen fieri nequit vt idem tempus, quod diuiduum necessariò est, ad vtrunque pertineat.

CAP. III.

NEceße a est autem & punctum temporis præsens quod non per aliud, sed per se, & primò dicitur indiuiduum eße, ac in omni tempore tale ineße. Est enim præteriti extremum quiddam citra quod nihil est futuri, & rursus futuri, vltra quod nihil est præteriti, Text.24. *quod quidem vtriusque terminum eße tradidimus. Hoc si tale per se, & idem demonstratum fuerit, indiuiduum quoque esse simul constabit.* Text.25. *b Necesse est autem vtriusq; temporis extremum idem punctum eße: nam si aliud sit, alterum quidem alteri consequens non erit, cum ex his, quæ partibus vacant, continuum non constet. Sed si vtrũque separatim fuerit, tempus erit intermedium. Omne enim continuum eiusmodi est, vt eius extremis interiectum aliquid sit, quod eiusdem nominis sit, & rationis. At si tẽpus intercedet, diuiduum erit, quandoquidem tempus omne diuiduum esse, demonstratum est. Ita temporis punctum præsens diuiduum erit: quod si diuiduum sit, aliquid præteriti in futuro erit, & aliquid futuri in præterito. Id enim quo diuisum fuerit, præteritum tempus atque futurum determinabit.* Text.26. *Nec verò per se præsens momentum erit, sed per aliud: eius enim quod per se est, diuisio non est.* Text.27. *Ad hæc momenti præsentis aliud præteritum, aliud futurum erit, nec idem semper præteritum, aut futurum: neque igitur præsens momentum idem, cum multis modis diuidi tempus posßit. Quapropter si hæc in præsens momentum cadere non posßunt, in vtroque idem momentum sit necesse est.* Text.28. *Atqui si idem sit perspicuum etiam est diuidi non posse. Nã si diuiduum sit, eadem rursus, quæ in priori euenient. In tẽpore igitur aliquid eße indiuiduũ, quod νῦν, hoc est momentum præsens esse dicimus, ex his, quæ dicta sunt, constat.* Text.29. *c Nihil autem momento moueri, ex his est manifestum. Nam si liceat, poterit & celerius in eo, & tardius moueri. Sit igitur N. temporis momentum, id autem, quod velocius est, in eo spatium A B. conficiat, quod tardius est, minus quàm A B. sit, in eodem conficiet, vt exempli gratia A C.* Quo-

Momẽto nihil moueri.

c Nihil autem momento) Secundum Theotema temporis momento nihil moueri potest, aut quiescere. Priorem partem suadet, quia si mobile aliquod tardius pedalem lineã momento conficiat, eandem mobile aliud celerius breuiori spatio decurret, quare iam momentum in duas partes secabitur, quod tamen insectile esse ostensum fuit.

Quid dicatur quiescere

d Sed neque etiã vt quiescat) Confirmat posteriorẽ partẽ eiusdẽ Theorematis, quia vt constat ex ijs, quę superiori libro sub finẽ quarti capitis dicta sunt, id tantũ quiescere dicitur, quod cùm aptũ est moueri, non mouetur. Probatũ est autẽ nihil posse momento moueri, quare neque momento quiescet. Deinde quia si quid quiescere, ac proinde etiam moueri momento posset, sequeretur idem mobile simul quiescere & moueri, quod procul dubio à vero abest. Probatur sequi. Nam si idem mobile primo quadrante huius horę cieatur, & in secundo quiescat; cùm idem punctum vtrunq; quadrantẽ copulet & id quod in toto mouetur tempore, in quouis ipsius, in quo moueri aptũ est, moueatur, & id

quod

quod quiescit, simili modo quiescat: fiet vt idem simul quiescere possit, & moueri.

e Id autem omne} Tertium theorema. Omne quod mouetur diuiduum esse oportet. Hoc ex eo probat quia quidquid mouetur partim est in termino à quo, partim in termino ad quem; quod autem ita se habet sectile est. Assumptum verò ostendit, quia cùm totum mobile est in termino ad quem, non iam ad illum mutatur, sed mutatum est, cùm verò totum est in termino à quo, non dum mutatur. Quare necesse est, vt dum mouetur, vtroq; participet. Omne quod mouetur diuiduum esse.

Quoniam autem id, quod tardius est, in toto momento per spatium, A C. motum est, in minori quàm illud sit, id quod est celerius, mouebitur. Quare momentum diuidetur. At est indiuiduum. Fieri itaque non potest vt
Text. 30. *temporis momento moueatur.* d *Sed neque etiam vt quiescat. Nam quiescere id dicebamus, quod aptum moueri, tum cùm aptum est, & vbi, & quemadmodum, non mouetur. Igitur cùm momento nihil moueri aptum sit, nec*
Text. 31. *item quiescere aptum esse manifestum est. Præterea si momentum in vtroque tempore idem est, fierique potest vt in horum altero toto motus fiat, in altero quiescat, atque id quod in toto mouetur tempore, in quouis ipsius, in quo moueri aptum est, mouebitur, & id quod quiescit, simili modo quiescet, fiet, vt idem quiescat simul, & moueatur. Ipsum enim momentum amborum temporum ex-*
Text. 32. *tremum est. Quiescere etiam id dicimus, quod nunc, & prius, & ipsum, & partes eodem modo se habent. At in momento prius non est, quare nec quiescere. Necesse est itaque id quod mouetur, & quiescit, in tempore moueri, atque quiescere.* e *Id autem omne quod mutatur, diuiduum sit necesse est. Quoniam enim ex aliquo in aliquid mutatio omnis est, cùm id quod mutatur, in eo fuerit, in quod mutatur, non vlterius mutabitur: cùm verò in eo est, ex quo mutatur, tum nec ipsum mutatur, nec partes. Eius itaque quod mutatur, aliquid necessario in hoc est, aliquid in altero: Nam neque vtroque, neque in neutro esse potest. Dico autem id, in quod in mutatione primùm mutatur, vt ex albo fuscum non nigrum. Non enim necesse est id, quod mutatur in alterutro extremorum esse. Constat itaque omne quod mutatur, diuiduum esse.*

Dubitatio. Hęc Aristotelis ratio magnam fecit difficultatem inprimis Theophrasto, deinde Alexandro, Themistio, Simplicio, Auerroi; Auempace, & alijs. Tum quia ex eo, quod mobile vnam partem formæ obtinet, alteram non obtinet, haud rectè concluditur ipsum mobile esse diuiduum, sed potiùs formam, quam comparat, diuiduam esse, partibusque constare. Tum quia multę sunt mutationes momentaneæ, vt generatio, & illuminatio. Auerroes, vt hunc nodum soluat, tres affert sententias, Alexādri, Themistij, & Auempace; quibꝰ impugnatis suam probat. Verùm tam illi, quàm ipse, videntur nobis à vera sententia deflexisse. Sed neque etiam placet expositio D. Thomę. Quibus ob breuitatem prętermissis vno verbo respondemus, Aristotelem hac demonstratione non omnes in vniuersum mutationes, aut etiam motus fuisse complexum, sed lationem duntaxat, in qua, citra vllam difficultatem aptè colligitur mobile esse diuiduũ, quia partim est in termino à quo, partim in termino ad quem; siquidem dum successione spatium decurrit, partes suas illius partibus adęquat. Nec obstant exempla qualitatum nempe album, fuscum, nigrum, quę non ad veritatem, sed ad rem illustrandam afferuntur. Responsio.

Capitis quarti explanatio.

Motum bifariam diuidi.

MOtus a autẽ bifariam) In hoc capite duę continentur assertiones. Prima est. Motus bifariam diuidi potest, nempe diuisione mobilis, & temporis. Prior pars suadetur. Nam motus, quo Socrates mouetur, diuiditur in eam partem qua caput, & in eam qua pectus, & denique in alias, quibus cętera eius membra cientur: cùm enim motus sic in toto insit mobili, vt partes vnius alterius partibus mutuò respondeant, consequẽs fit, vt motus diuisione mobilis secari debeat.

b Alia est ex tempore) Posterior pars assertionis ita probatur. Tempus omne diuiduum est in partes fluentes, seu successiuas, quarũ vna aliam antecedit: omnis autem motus in tempore fit: motus igitur diuisione temporis diuiduus est.

Omne tempus diuiduũ esse.

c Quoniam autẽ omne quod mouetur) Secunda assertio. Magnitudo, supra quam motus sit, motus ipse, moueri, forma ad quam tẽditur, tempus, & mobile eadem sectione diuidi possunt, eandemque finitatis, & infinitatis rationem sortiuntur. Monet tamen non omnia, quę motu acquiruntur, per se diuidua esse: quędam enim ratione mobilium dũtaxat diuidi queunt, vt qualitates quoad ipsarum extensionẽ spectatę. Probat verò assertionem primùm ex eo, quia motus, & moueri nõ nisi in tempore fiunt, & in minori tẽpore minor pars; rursusque in minori pars illius partis, atque ita in infinitum. Secundo quia si certo aliquo tempore forma acquiratur, eius dimi-

Non ōmnia quę motu cõparantur esse per se diuidua.

CAP. IIII.

MOtus a autem bifariam diuiduus est: vno modo tẽpore: alio ex partium eius, quod mouetur, motibus. Vt si, A. C. totum moueatur, etiam, A. B. & B. C. mouebũtur. Sit igitur partis, A. B. motus D. E. & partis, B. C. motus, E. F. necesse est totum, D. F. ipsius, A. C. esse motum, hoc enim mouebitur. Nam cùm vtrąq; pars vtroq; motu moueatur, alteriusq; motu nihil cieatur, totus motus totius erit magnitudinis. Præterea si omnis motus alicuius est, totus autem D. F. motus nec alterius partis est (vtriusq; enim est) nec vllius alius (cuius nanq; totius motus est, eius quoq; partium etiam partes sunt) partes autem, D. F. partium, A. B. C. sunt, non aliorum (plurium enim vnus motus esse non potest) totus profectò motus magnitudinis, A. B. C. erit. Insuper si totius alius motus est, vt, G. k. ab eo auferentur vtriusq; partis motus, qui motibus, D. E. & E. F. æquales erunt, cum vnius vnus sit motus. Quare si totus, G. K. in partium motus diuidetur, motus, G. K. motui, D. F. æqualis erit. Quod si aliquid restabit, vt, H. K. id nullius erit motus: nam nec totius, nec partium, porpterea quód vnius vnus sit neq; cuiuspiam alterius cum motus continuus aliquorum sit continuorum. Quod etiam eueniet, si ex diuisione superabit, quod fieri non potest, idem & æqualis sit necesse est. Hæc igitur diuisio ex partium motibus est, reiq; omnis diuiduæ eum esse necesse est. b Alia est ex tempore. Nam cùm motus ōnis in tempore sit, tempusq; omne possit diuidi, & in minori minor motus fiat, necesse est omnem motum ex tempore esse diuiduum. c Quoniam autem omne quod mouetur, in aliquo mouetur, & in aliquo tempore, & omnis rei, quæ mouetur, motus est, eædem & temporis, & motus, & ipsius moueri, & eius quod mouetur, & eius, in quo est motus, diuisiones sint necesse est, nisi quod non omnium, in quibus est motus, similiter, sed quantitatis per se, qualitatis ex accidenti. Sumatur enim, A, tempus, in quo mouetur, & motus B. Si igitur toto in toto tempore motum est, certe minori in dimidio. Et rursus eo diuiso, minori, quam ille sit, & ita perpetuo. Similiter si motus diuiduus est, tempus etiam diuiduum est Nam si toto in toto, etiam dimidio in dimidio, & rursus minori in minori. Eodem modo & ipsum moueri diuidetur. Sit enim, C. ipsum moueri, in dimidio igitur motu, minus erit toto, & in dimidio rursus dimidij, & ita perpetuo. Licet

Text. 33.
Text. 34.
Text. 35.
Text. 36.
Text. 37.
Text. 38.

dimidium, temporis medietate acquiretur. Item quia si totum mobile certo tempore aliquod punctum in spatio defixum per transeat, dimidiata parte eiusdem temporis dimidiũ mobilis dimidiatã partem eiusdem spatij decurret.

Licet autẽ etiam ipsum moueri, quod est in vtròque motu, C D, & C E, designando, totum in toto esse dicere. Nam si aliud, plura mouerì in eodem motu erunt, perinde atque antea in motus partium motum diuiduum esse ostendimus.

Text. 39. *Nam sumpto moueri in vtroque totum erit continuum. Nec secus longitudinem, & omnino id omne, in quo est mutatio, diuiduum esse monstrabitur, nisi quod quædam ex accidenti, quia id, quod mutatur, diuiduum est. Vno enim diuiso omnia diuidentur, similisq; ratio in omnibus erit quod ad id attinet, vt finita sint aut infinita.* d *Hoc autem omnia diuidi, & infinita esse, ex eo quod mutatur, consequutum est. Id enim quod mutatur statim id habet, vt diuiduum sit, & infinitum. Ac diuiduum quidem esse antea monstratum est, infinitũ autem esse in progressu innotescet.*

d Hoc autẽ omnia diuidi] Licet ea quę ante proposuit, diuidua sint, id tamen quod mouetur, eo pacto diuiduum esse inquit, vt reliqua eius merito, hoc est, illius diuisibilitate priùs constituta, ac supposita diuisionem accipiãt.

Capitis quinti Explanatio.

QVoniam autem omne, quod mutatur] Differit de ordine partium motus, quæ disputatio cum priori cohęret, statuit igitur tria quędam theoremata, quorum primum ita habet. Id quod mutatum est in aliquid, cùm mutatum est, necessariò est in eo in quod mutatum est. Hoc probat in omnibus mutationum generibus. Etenim semper id, quod mutatur, deserit id, ex quo progreditur, & assumit id, ad quod tẽdit. Nã quod gignitur acquirit esse, & deserit non esse, & quod corrumpitur, deserit esse, & est in non esse. Quę verò alias mutationes subeunt, in quibus mędiũ datur, paulatim incedunt, & quantum abijunt de termino à quo, tantum assequuntur de termino ad quem.

Theoremata de ordine partiũ motus.

CAP. V.

Text. 40. *QVoniam autem omne quod mutatur, ex aliquo in aliquid mutatur, necesse est id quod mutatum est, cùm primum mutatum est, in eo esse, in quod mutatum est. Nam quod mutatur, ab eo exit, ex quo mutatur, aut ipsum deserit. Et aut idem sunt mutari, & deserere, aut id quod est deserere ex eo quod est mutari, & id quod est deseruisse ex eo quod mutatũ esse cõsequens est,*

Text. 41. *cùm vtrunq; ad vtrunq; similiter affectum sit. Quoniã igitur vna mutationum ea est, quæ est in cõtradictione, cum ex non ente in ens mutatum aliquid est, non ens deseruit. Quare in ente erit, cũ rem omnem esse, aut non esse, necesse sit.*

b In quo autem primò] Alterũ theorema est. Id, in quo primo mutatum est id, quod est mutatum, in diuiduũ esse

Theorema de mutato esse. Durationẽ, in qua quid primo est mutatum, diuiduam non esse.

In oportet. Huius veritatem vt ostendat, sumit id vocari primò tale, cui aliquid conuenit, non ex eo, quod quidpiam ipsius tale sit; sed ratione sui adęquate. Tum argumento ducente ad incommodum ita disputat. Si talis dutatio diuidua esset, partibusque constaret, aut mobile in singulis eius partibus esset mutatum, aut in singulis mutaretur, & non esset mutatum, aut in altera mutaretur, & in altera mutatum esset. Si detur primum, sequitur mobile non fuisse in tota

tota duratione primò mutatum, priùs enim mutatum fuisset in priori eius medietate, quę est versus initium. Secundum autem dici non potest; siquidem loquimur de mutatione, in qua mobile mutatum est. Nec verò tertium; quia mobile solùm diceretur mutatum in tota illa duratione ratione partis, atque adeò non primò. Fieri igitur non potest vt ea duratio, in qua primò res ad certum terminum mutata esse dicitur, diuidua sit.

Theorema de mutato esse.

c Id autem, in quo aliquid} Tertium theorema. In fine motus datur primum mutatum esse, quod videlicet sit terminus, in quo totus motus finiatur, ex parte autem principij impossibile est dari primũ mutatum esse. Huius assertionis prior pars liquet ex eo, quia necessariò dabitur primũ non esse, quo motus successio claudatur, quod nihil aliud est, quam primum mutatũ esse ex parte finis. Posteriorẽ autẽ probat, primò, quia nihil dicitur mutatum esse, quin præcesserit motus: quare si daretur primũ mutatũ esse oporteret illud terminare primam motus partem. Hanc autem nõ dari indè suadet, quia neq; datur prima pars temporis.

Nisi antecedat motus nihil dici mutatum esse.

In mutatione igitur, quæ in contradictione est, id quod muta Text.42.
tum est, in eo erit, in quod mutatum est: quod si in hac, etiam in alijs; quandoquidem similis vnius ratio est, & aliarum. Quod etiam manifestum erit si singulas sumpserimus, siquidem necesse est id, quod ex aliquo mutatum est, alicubi esse aut in aliquo. Quoniam enim id, e quo mutatum est deseruit, necesse est autem alicubi esse, aut in hoc erit, aut in alio. Si igitur in alio, vt in, C. id sit, quod in, B. mutatum est, rursus ex, C. in, B. mutabitur. Nec enim cum ipso, B. cohærebat, nanq; mutatio continua est. Ita id quod mutatum est, tum cũ mutatum est, quod fieri non potest. Itaq; necesse est quod mu-
tatum est in hoc esse, in quod mutatum est. Patet igitur id Text.43.
quoque, quod factum est, tum esse cum factum est, & quod interijt non esse. De omni enim mutatione vniuersim dictum est, sed maximè in ea perspectum est, quæ est in contradictione. Quod igitur mutatum est, cùm primum mutatum est, in eo esse manifestum est. b *In quo autem primo id quod muta-* Text.44.
tum est, mutatum est, indiuiduum sit, necesse est. Dico autem primum, quod non ex eo tale est, quia aliud quiddam eius primum sit tale. Sit enim diuiduum, A. C. & in, B. diuidatur. Si igitur in, A. B. mutatum est, aut rursus in, B. C. certè in, A. C. mutatum primo non fuit. Quod si in vtroque mutatur (necesse est enim in vtroque aut mutari, aut mutatum esse) etiã in toto mutaretur: at erat mutatum. Eadem quoque ratio est, si in altero quidem mutatur, in altero mutatum est. Nam prius primo aliquid erit. Quare primum, in quo mutatum est, diuiduum non erit. Constat igitur & quod interijt, & quod Text.45.
genitum est, in indiuiduo hoc quidem interijsse, illud genitum esse. c *Id autem, in quo aliquid primum mutatum est, bifariam dicitur, aliud quidem in quo primo perfecta est mutatio; nam tum mutatum esse verè affirmatur. Aliud, in quo primo mutari incepit. Illud igitur primum, quod de fine muta* Text.46.
tionis dicimus, est, perfici enim potest mutatio, finisque est mutationis, quem indiuiduum esse, quod terminus sit, monstratũ est.

Omne, quod mouetur diuiduum esse.

d Nec igitur eius} Probat rursum non dari primum mutatũ esse ratione sũpta à mobili. Omne quod mouetur sectile est. Sit igitur prima pars motus in parte mobilis D. F. tẽpus verò, quod in ea consumitur, H. K. Tũc, si tota illa pars tãto tempore confecta est, dimidio illius temporis conficietur medietas, & rursus in dimidio dimidij illius temporis, medietas medietatis prędictæ partis mobilis, & ita in infinitum. Igitur ante quancunque partem mobilis fuit alia prior; & ex consequenti ante quodlibet mutatum esse præcessit aliud.

Non dari aliquid primũ, in quo res primò mutata est.

e Id autem quod mutatur} Probat nunc ex parte formę, quæ acquiritur, dari aliquid primum, in quod res primò mutata est. Sed cùm in quolibet motu tria repertiantur, subiectum, tempus, forma, quę acquiritur, & eiusmodi forma, aut sit qualitas, aut quantitas, aut locus: licet hęc tria in eo conueniant, quòd omnia diuisionem subeunt, siue per se, siue ex accidente: aut tamen quędam eorum id per se vendicare, vtpote quantitatem, & locum, quę per se sunt quanta:

quanta: alia per accidens; nimirum qualitates. Tum probat institutum in motu locali hoc modo. Sit mobile globus A. B. sit spatium, & locus ad quem moueatur, linea B. C. Aut igitur B. C. diuiduum est, aut indiuiduum. Si indiuiduum, igitur indiuidua erunt immediata. Nam qua ratione hęc pars indiuidua est, eâdem & quę sequuntur indiuiduę erunt. Quod si B. C. diuiduum sit, dabitur aliquid ante C. ad quod prius deueniat mobile, quam ad ipsum C. rursusque ob eandem causam in eo ipso aliquid prius inuenietur, & ita in infinitū. Quare fieri nō potest vt ex parte spatij, vel loci, detur primum, in quod res primò mutata sit. Idem similiter in accremēto, & decremento ostendi potest, & in qualitate; nisi quod hęc non per se, sed ex accidente diuidua est, idque significant verba illa, in solo qualitatis motu indiuiduum per se esse posse, non enim eorum sententia est, quam non nulli putant, videlicet in qualitatibus, quę alteratione acquiruntur, dari minimum quoad extensionem, quasi cū primū ignis in aquā agit, primo aggressu producat calorē in certa extensione, ita vt in minori pducere nequeat; quod alibi à nobis cōfutatum fuit: sed qualitatem, quę alterationis est terminus, esse indiuiduā per se, idest, non per se esse diuiduā, sicuti non per se cōtinua est, sed ex accidēte.

Quo pacto in solo qualitatis motu dicatur esse indiuisibile per se.

Quod autem de principio omnino non est, cùm mutationis principium non sit, nec temporis primum, in quo mutabatur. Sit enim primum A. D. hoc igitur indiuiduum non est. Nanq; accidet, vt temporis puncta inter se cohæreant. Præterea si in toto tempore C. A. quiescit (quiescere enim ponatur) etiā in A. quiescet. Quare si, A. D. partibus vacat, simul quiescet & mutatum erit: nanque in, A. quiescit, in D. autem mutatum

Text. 47. *est. Cùm autem partibus non vacet, necesse est, vt sit diuiduū, & in quouis ipsius mutatum sit. Diuiso enim A. D. si in neutra parte mutatum est, nec etiam in toto. Si autē in vtraque mutatur, etiam in toto. At si in altero mutatum est, non in toto primo. Quare in quouis mutatum sit necesse est. Constat*

Text. 48. *igitur non id esse, in quo primo mutatum est, cum diuisiones sint infinitæ.* d *Nec igitur eius quod mutatum est, aliquid primū est, quod sit mutatū. Sit enim D. F. ipsius D. E. quod primum mutatum sit (omne enim quod mutatur, diuiduū esse monstratum est) tempus autem, in quo D. F. mutatum est, sit H. K. si igitur D. F. in toto tempore mutatum est, in dimidio minus erit mutatum, & prius quam D. F. & hoc rursus aliud prius, & illo aliud, & ita perpetuò. Quare eius, quod*

Text. 49. *mutatur, nihil erit, quod primò mutatum sit. Nec igitur eius, quod mutatur, nec eius temporis, in quo mutatur, primum aliquid esse ex his, quæ dicta sunt, constat.* e *Id autem quod mutatur, seu quo mutatur, non similiter se habebit. Tria enim sūt, quæ ad mutationem attinent, id quod mutatur, id in quo, & id quo mutatur. Vt homo & tempus, & album. Homo quidem & tempus diuidua. Albi autem alia est ratio, nisi quod ex accidenti omnia sunt diuidua. Id enim diuiduum est, cui, vt quale, aut album sit, accidit. Nam neque in his erit primum, quæ per se non ex accidenti diuidua dicuntur, vt in magnitudinibus. Sit enim A. B. & ex B. in C. primum moueatur. Igitur si B. C. erit indiuiduum, ea, quæ partibus vacant, inter se cohærebūt: sin diuiduum, aliquid, in quod mutatum est, ipso C. erit prius, & illo rursus aliud, & ita perpetuo, quòd diuisio nunquam deficiat. Quare primum non erit, in quod mutatum sit. Similiter verò res habet & in quantitatis mutatione, cùm ea quoque sit in continuo. Perspicuum itaque est in solo qualitatis motu, indiuiduum per se esse posse.*

Obserua ad textum 45. generationem, & interitum fieri in instanti Quo, vt Alexander apud Simplicium ait, facilè diluetur sophistica ratio quorundam nitentium suadere Dionem, aut alium quempiam interire nunquam posse. Nam si interit, aiebant illi, aut interit cùm viuit, aut cum iam est mortuus. Non cùm viuit, quia tunc superstes est: non cùm fuit mortuus, quia toto illo tempore mortuus dicitur. Nunquam igitur. Occurrendum nec interire eo tempore, quo viuit,

Generationē & interitum esse in instanti.

Quò instanti dicatur res interire.

viuit, nec eo, quo iam mortuus fuisse dicitur; sed in instanti medio inter vtrunque tempus, quod est finis præteriti & initium futuri. In quo instanti non viuit, quia desinit in eo viuere per primum sui non esse.

QVÆSTIO I.

DETVRNE PRIMVM MVTATVM esse, & prima pars motus, an non.

ARTICVLVS I.

ARGVMENTA IN EAM partem, quæ affirmat.

1. arg.



De hac re M. Alb. hoc in 8. tract. 2. à cap. 3. Iauellus q. 9. Sotus q. 5. Toletus q. 4. Venetus ad text. 40.

Ari in motu primum mutatum esse hisce rationibus conabitur quispiam suadere. In primis cùm vnũ quodque corpus loco agitari incipit datur primum vbi, siue primus locus, quem acquirit, ergo & primum mutatum esse. Consecutio patet, quia forma ad quam mobile proficiscitur ex æquo respondet motui, atque ita si datur primum acquisitum esse, datur & primum mutatum esse. Assumptum ostenditur, quia si mobile sit vnius palmi, locus, quem primò acquirit, necessariò vnius etiam palmi erit.

2. arg. Deinde si initio motus non daretur primum mutatum esse; cùm motus nihil aliud habeat, quo finiri, terminari ve possit, præter mutatum esse; sequeretur motum versùs principium esse infinitum, quod non est admittendum: datur igitur aliquod mutatum esse à quo totus motus inchoetur.

3. arg. Præterea cùm canis è turri decidens in medio lapsu moritur, datur primum mutatum esse motus cadaueris, nempe illud, in quo cadauer generatur: ergo in aliquo motu datur primum mutatum esse. Antecedens suadetur, tum quia in eodem illo instanti datur vnum mutatum esse terminans motum canis, quod debet etiam motum cadaueris inchoare, cùm ibi nulla quies intersit; tum quia cuilibet instanti rei, quæ mouetur, respondet vnum mutatum esse, sicuti cuilibet parti temporis pars motus. Quare oportebit instanti, quo forma cadaueris inducitur, respondere aliquod mutatum esse.

4. arg. Quod verò spectat ad alteram controuersiæ difficultatem, qua de partibus motus quæritur; quòd detur prima motus pars hunc in modum videtur concludi. In spatio, quo motus fit, datur prima pars pedalis, verbi gratia, ante quam alia non fit: ergo & in motu dabitur prima pars, quam alia non præcat.

Rursus

Rursus in motu discreto datur prima pars; ergo & in motu continuo, cùm in vtroque par ratio videatur. Antecedens ostenditur, quia si Angelus hac hora mille intelligendi actus eliciat, eorum collectio erit motus discretus, vt constat ex ijs, quæ libro 4. disseruimus, & tamen in ea collectione erit prima pars, hoc est, prima intellectio, quam Angelus hac hora edidit.

Cap.14.q.3. art.2.

ARTICVLVS II.

QVÆSTIONIS DISSOLVTIO.

PRo explicatione controuersiæ haud ignorabis mutatum esse, si propriè sumatur, significare existentiam subiecti in tali statu formæ quæ acquiritur, vt eam prægressa fuerit aliqua pars motus, ratione cuius subiectum mutatum esse perhibeatur: quo fit, vt ea duntaxat indiuisibilia, quibus partes motus vtriusque inter se mutuò cohærent, vel quæ totum motum claudunt, propriè mutata esse censenda sint. Hoc posito sit prima concluſio. Motus versus initium non habet primum mutatum esse; ex parte verò finis plerunque habet, interdum non habet. Prima huiusce conclusionis pars liquet, tum ex ipsa definitione mutati esse, tum ex argumentis, quibus eam Aristoteles superiùs commonstrauit. Secunda facilè suadetur, quia plerunque mobile in fine motus adhuc viget, idēque numero perseuerat; atque ita in eo temporis momento, quo moueri desijt, vltimò mutatum esse dicitur. Tertia inde probatur, quia nonnunquam mobile, in eo momento, quo deberet vltimò mutatum esse, occidit, atque ita non terminatur in eo motus intrinsecè.

Quid sit mutatum esse.

1. concl.

Secunda concluſio. In motu nec datur prima pars versus initiū, nec vltima versus finem, quasi data qualibet parte versus initium nō possit in ea assignari alia minor, quæ ante illam fuerit; & data alia versus finem non queat in ea similiter designari alia minor, quæ vlterior sit. Hæc perspicua est, cùm quælibet pars motus sit continua, & quodlibet continuum infinitè secari possit, nec diuidendo absoluatur.

2. concl.

Argumenta verò, quæ initio proposuimus, sic diluentur. Ad primum explicabitur antecedens. Si enim intelligatur de loco nullam cōtinēte partē eius, à quo mobile abscedit, qui dicitur locus nō cōmunicās, admittēdū erit dari in motu locū primū, vti probat argumētū, sed tūc negabit cōclusio, nēpe dari primū mutatū esse. Etenim antequā mobile vni' pedis occupet spatiū pedale, quod proximè sequitur

Dilutio primi arg.

post pedalem magnitudinem, quam occupabat, necessariò priùs decurret infinita loca inter se communicantia. Si autem sermo sit de loco communicante cum eo vnde mobile profectum est, negandum erit antecedens. Nec id, quod ad eius confirmationem assumitur, momentum habet, vt iam ex dictis constat.

Dilut. 2. Ad secundum, negandum est motum ex parte principij nihil habere, quo claudi possit præter mutatum esse. Circunscribitur enim extrinsecùs statu illo, quem mobile in vltimo non esse motus possidebat.

Dilut. 3. Ad tertium, etsi recentium Philosophorum non nulli contra sentiant, negari tamen debet in proposito euentu dari primum mutatum esse motus cadaueris. Ad eam verò rationem, qua id probari videbatur, dicendum est, in eo temporis puncto, quo cadauer gignitur, dari non posse mutatum esse terminans motum canis: sicut enim cane intereunte non potest iam idem numero motus esse deficiente vnitate numerica mobilis, ita nec iam dari potest aliquod mutatum esse, quod ad eum motum pertineat. Ad posteriorem confirmationem respondendum est vnicuique instanti ad motum per se attinenti respondere vnum mutatum esse; instans autem, quo cadauer generatur, non attinere per se ad motum; sed esse durationem quãdam momentaneam completam alterius rationis ab instanti temporis; quia neque partes temporis copulat, nec terminat, sed generationẽ cadaueris seorsim dimetitur. Itaque huiusmodi instans neque ad motum canis, neque ad motum cadaueris intrinsecè pertinet, sed alterum terminat, alterum inchoat, vtrunque extrinsecè.

Instans, quo cadauer generatur est duratio momentanea completa.

Sic verò statuimus eodem modo se habere mutatum esse ad motum, quo instans temporis ad tempus: indiuisibilia enim temporis indiuisibilia motus sequuntur, & instans temporis est mensura mutati esse. Vnde sicuti non datur primum mutatum esse in motu, ita neque primum instans. At quod attinet ad punctum, cæteraque indiuisibilia quantitatis continuæ permanentis non eadem in ijs est ratio, quæ in indiuisibilibus quantitatis successiuæ. Namque, vt ex dictis patet, fieri non potest, vt subiectum, quod nõ dum motũ subijt, mutatum esse dicatur, proindeque nec potest motus à mutato esse incipere. Ad puncti vero rationem non requiritur, vt ipsum aliqua lineæ pars antecedat. quãuis re ipsa nullum detur punctum in linea, quod solum inchoet lineam, quasi non simul etiam terminet, vt alibi diximus.

Vt in motu nõ datur primum mutatum esse, ita nec primum instans.

Dilut. 4. Ad primum eorum, quæ proposita sunt circa partes, è quibus motus integratur, respondendum est dari quidem in motu primam partem designatam, vt pedalem, aut alterius mensuræ, non tamẽ primã absolutè; cùm quæuis designata contineat versus initium infinitas priores tum ipsa designata, tum inter se; ita vt ad aliquam omnino primam deueniri nequeat. Cap. 2. huius lib. q. 1.

Ad

Ad aliud respondemus propositam à nobis assertionem non intelligi de motu discreto, sed de continuo duntaxat, quod vt constat ex partibus in infinitum diuiduis; ita nullam exhibet sui portionem, qua non alia prior, ac minor sit. Dilut. 3.

Capitis sexti Explanatio.

Qa Voniam autem quidquid) Declarat quem ordinem habeant inter se partes motus. Ac primùm statuit huiusmodi theorema. Id quod in aliquo tempore mutatur primò, in qualibet parte illius temporis necessario mutatur. Ad quod illustrandum duplicem hypothesim pręmittit. Prima est omnem motum fieri in tempore. Secunda est, dupliciter dici quidpiam moueri in tempore: vel primo & per se, vel per aliud: quo pacto qui vno die albescit, eo mense cuius ille dies est, albescere dicitur, sed tamen per aliud.

Theorema tā d ordine partiū motus.

Omnem motum fieri in tempore.

CAP. VI.

Text. 50. Qa *Voniam autem quidquid mutatur, in tempore mutatur, mutari verò in tempore dicitur, & vt in primo, & vt per aliud, vt in anno, quod in die mutetur, id sane quod mutatur, quo in tēpore primo mutatur, in quacunque eius parte mutetur necesse est.* b *Et hoc quidem ita esse ex definitione constat. Nam primum ita definiebamus.* Text. 51. *Quod etiam ex his perspicitur. Sit enim A. C. in quo primo id quod mouetur, moueatur, & diuidatur in B. diuiduum enim est omne tempus: certè in tempore A. B. aut mouetur, aut non mouetur, & similiter in B. C. si itaque in neutro moueatur, in toto perfecto quiescet. Moueri enim non potest quod in nulla eius mouetur parte. At si in altero duntaxat mouetur, non in toto A. C. primo mouebitur, cùm per aliud motus sit. In quacūque igitur ipsius A. C. parte motum sit necesse est.* Text. 52. c *Hoc autem ostenso, manifestum est, quidquid mouetur prius necessariò motū esse. Nam si in tempore A. C. primo per magnitudinem K. L. motum sit, id quod æque celeriter mouetur, & simul incipit, per dimidium in dimidio mouebitur. Iam si æque velox per spatium aliquod eodem tempore motum est, reliquum quoque per idem motum sit necesse est. Id itaq; quod* Text. 53. *mouetur, motum erit.* d *Præterea si in A. C. toto tempore, aut omnino in quocunque motum esse quidpiā dicemus, quod ipsius vltimum punctum sumatur (id enim est quod terminat, & inter temporis puncta semper est tempus) in cæteris etiam motū esse similiter dicetur.* Di-

b Et hoc quidē ita esse) Demōstrat propositum, tum ex definitione primi, quę superiùs tradita fuit. Id enim censetur fieri primùm in aliquo, quod fit in eo secundum se, nō secundum aliquam eius partē. Tum hac ratione. Sumatur tēpus, in quo mobile dicitur moueri, diuidaturq; in duas partes, vel mobile in neutra mouetur, vel in vna tantùm, vel in vtraque. Si in neutra, certè in toto tēpore quiescit, si in vna duntaxat, iam non mouetur primum, cùm ratione vnius tantùm partis motū sit; si in vtraq; habetur institutum.

Quid dicatur effici primum in aliquo.

c Hoc autē ostenso) Ex ijs, quę proximè conclusa sunt, manifestum esse ait ante quanlibet motus partem pręcedere mutatum esse facta sectione à fine versus principium motus. Quod theorema inde concludit, quia si mobile fertur per totam magnitudinem in toto tempore, vtique in dimidio illius temporis, & magnitudinis mutatum est; rursusque si in dimidio mutatum est, in medietate illius dimidij etiam est mutatum, atque ita infinitè progrediendo.

Theorema.

d Pręterea si in A.) Probat idē theorema, quia id in quo aliquid motū esse dicitur, est momētū: quādoquidē vt motus in tēpore est, ita motū esse, in indiuisibili tēporis, quod est momentū.

Vt linea punctis, ita tẽpus momentis diuidi.

Quare cùm tempus momentis diuidatur, vt linea punctis, quoties tempus, in quo motus fit, secari poterit, toties mobile dicetur motum: atque adeò vt ante quanlibet partem temporis pręcessit alia, ita aliud indiuisibile temporis, aliudque mutatum esse.

e Præterea si id } Tertia est eiusdem theorematis confirmatio. In qua sumit quidquid continuè mouetur, in quocunque eius temporis, quo mouetur, aut moueri, aut mutatum esse, nisi intereat, vel à motu cesset. Quare cùm res momento cieri non possit, quia omnis motus requirit tẽpus, consequens est, vt momento mutata esse dicatur.

Dimidij autem extremum est diuisio. Quare & in dimidio motum erit, & omnino in partium quacunque. Perpetuo enim vna cum diuisione tempus est ab ipsis temporis punctis terminatum. Si igitur tempus omne diuiduum est, & inter temporis puncta est tempus, quidquid mutatur per infinita erit mutatũ. e *Præterea si id quod cõtinuè mutatur, & nec interijt, nec à mutatione cessauit, aut mutari, aut mutatum esse in quocunque necesse est, vt autem in puncto temporis mutetur, fieri nequit, in singulis punctis temporis necessario mutatum est. Quare si temporis puncta infinita sint, omne quod mutatur infinities erit mutatum.* f *Non solum autem id quod mutatur, necesse est mutatum esse, sed id quod mutatum est, antea mutetur necesse est. Quidquid enim ex aliquo in aliquid mutatum est, in tempore mutatum est. Sit nanque in momento ex A. in B. mutatum, in eo igitur momento, in quo est in A. mutatum non est: in A. enim & in B. simul esset. Quod enim mutatum est, cum mutatum est, in hoc non esse, priùs ostensum est. At si in alio, tempus est intermedium, quod momenta minime cohæreant. Quoniam itaq; in tempore mutatum est, tempus autem omne diuiduum est, in dimidio per aliud erit mutatum, & in illius rursus dimidio per aliud, atque ita perpetuò, ita vt antea mutaretur.* g *Præterea in magnitudine dilucidius erit id, quod dictum est, quod magnitudo, in qua id mutatur, quod mutatur, sit continua. Id enim quod mutatum est ex C. in D. mutatum ponatur. Igitur si C. D. indiuiduum sit, ea quæ partibus carent, inter se cohærebunt. Cùm autem fieri hoc non possit, necesse est id, quod intercedit, magnitudinem esse, & infinitè diuiduum: quare in illa priùs mutatur. Quidquid igitur mutatum est, antea mutetur necesse est. Eadem enim & in non continuis demonstratio est, vt in contrarijs & in contradictione. Nam id tempus, in quo mutatum est, sumemus, & eadem rursus dicemus. Itaq; necesse est id quod mutatum est, mutari, & quod mutatur, mutatum esse. Atque id quod est, mutatum esse, prius est eo, quod est mutari, & mutari eo priùs est, quod est mutatum esse, ac nunquam primum sumetur. Cuius causa est quòd quæ partibus vacant, alterum cum altero non cohæreat. In infinitum enim diuisio est: vt in augescentibus lineis, & quibus fit detractio.* Con-

Text. 54.

Text. 55.

Text. 56.

Text. 57.

Text. 58.

f Non solum autem id } Probauit ante quanlibet partem motus pręcedere mutatũ esse. Demonstrat nunc ante quodlibet mutatũ esse pręire motum. Prius tamen ostendit, quidquid ex vno contrario in aliud mutatur, vt ex albo in nigrum, tempore in illud mutari. Tum ita disserit. Omne tempus infinitè diuiduum est in minores partes; ita vt nullum sit momẽtum, cui nõ pręeat pars temporis. Igitur & in motu, qui tempore fit, idem accidet, ita vt quodlibet mutatum esse terminet aliquam partem motus, & partẽ illi9 partis terminet aliud, sicque in infinitum abeũdo.

Ante quodlibet mutatum esse pire motum.

g Pręterea in magnitudine } Quod paulo ante demonstratum fuit licet in cęteris mutationibus planè constet, tamen in ijs, quę magnitudine fiunt, hoc est, in lationibus, multò euidentius esse ait, propterea quod magnitudinem & continuam, & in semper diuidua sectilem esse, in confesso sit. Moueatur aliquid à C. in D. hęc cùm sint partes magnitudinis, non possunt iudiuidua esse, quia duo indiuidua forent immediata, proindeque necessariò inter illa cadit magnitudo, quę sit infinitè diuidua: atqui mobile priùs decurrit partem magnitudinis, quàm tot ã magnitudinẽ: oportet igitur quod mutatũ est à C. in D. priùs moueri quã mutatum sit.

Magnitudinem esse continuam, & sectilem in sẽper diuidua.

h Con-

h Constat igitur necesse) Quod detur motus ante mutatum esse, & mutatum esse ante motum procedendo à fine versus initium modo ante explicato locum habere inquit nō in solis lationibus, sed etiam in mutatione, quę est iter cōtraria, hoc est in alteratione, et quę inter contradicētia versatur, id est in generatione, & ĩcritu: quod similiter ex diuisione tēporis, quo hęc fiunt, concluditur. Accipit autem generationem & interitum simul cum antecedentibus alterationibus; alioqui non tempore, sed momēto fiunt.

Ante mutatū esse necessariò dari motum.

Text. 59.

h *Constat igitur necesse esse, vt id quoque quod factum est, priùs fiat, & quod fit factum sit, (si diuidua fuerint, & continua) non tamen semper id quod fit, sed aliud interdum, vt ipsius aliquid, veluti domus fundamentum. Eius autem, quod interit, atque interijt, similis ratio est: ei enim quod gignitur & interit, infinitum quoddam statim inest, quippe quod sit continuum. Nec fieri potest vt aut aliquid fiat, quod non priùs factum sit, aut factum sit quod non fiat. Eadem ratio est eius quod est interire, & interijsse: quamobrem constat id quod factum est, necessario antea fieri, & quod fit factum esse. Omnis enim magnitudo & omne tempus, diuidua semper sunt: quare in quocunque sit non erit vt in primo.*

QVÆSTIO I.

VTRVM NE ALIQVID IN INSTANTI moueri possit, an non.

ARTICVLVS I.

VIDERI POSSE.

INTER alia proximi capitis theoremata statuit Aristoteles motum puncto temporis fieri neutiquam posse. Verùm offerunt se argumenta, quibus id oppugnetur. Ac primùm quod corpora possint, hæc suadēt. Id quod in instāti cernitur, in instanti est: sed cùm videmus corpus aliquod loco moueri, cernimus motum in instanti; siquidem visio est momentanea actio. Igitur motus est in instanti. Secundò. Cùm res nouam relationem distantiæ acquirit, actu mouetur: sed in quolibet momento corpus acquirit nouam relationem distantiæ: cùm in quolibet instanti magis distet à termino à quo & minùs à termino ad quem. Ergo &cæt. Tertiò. Corpora glorioſa agilitatis dote affecta vtraque interualla pari celeritate pertingent, vt docet D. Augustinus in quæstionibus de resurrectione; mouebuntur ergo in instanti. Probatur consecutio; quia alioqui si tempus consumerent, lon-

Primū argū. quod possint corpora moueri in instāti.

2.

3.

longiorem moram traherent in ampliori, quàm in minori ſpatio trãſmittendo. Deinde planiùs idem confirmatur teſtimonio eiuſdem D. Auguſtini lib. 22. de ciuitate Dei cap. vlt. aientis, vbi volet ſpiritus, illic protinus futura corpora.

Argu. quòd ſubanſtię immateriales in inſtanti moueri queant.

Præterea. Immateriales ſubſtantiæ poſſunt in inſtanti moueri. Ergo ſaltem earum motus momento fiet. Probatur aſſumptum. Primũ, quia ideò ſol vbi primũ ſeſe exerit ſupra horizonta, totũ hemiſphærium momento illuſtrat, quia lumen non habet contrarium, à quo retardetur: at ſubſtantijs immaterialibus nihil contrarium datur. Item, quia propterea videntur corpora non poſſe in inſtanti locum mutare; quia conſtant partibus, quarum vna non niſi ſucceſsione temporis alterius locũ ſubit; at ſubſtãtiæ materiæ expertes carent partibus.

Argu. quòd ſaltem diuinitus poſsit effici motus in inſtanti.

Ad hæc; quod ſaltem diuina virtute quoduis mobile in inſtanti moueri queat, pobatur. Primùm, quia poteſt Deus in inſtanti tranſferre quoduis corpus hinc Romam; cùm ex eo nulla ſequatur contradictio. Secundò, quia in reſurrectione corporum, ex cõmuni Theologorum doctrina, momento eſt efformandum corpus Petri, verbi gratia, ſuisque organis diſtinguendum, atque inferenda in ipſum anima; in qua membrorum coagmentatione neceſſariò dabitur motus in inſtanti. Si enim cineres fuerint in materia rariori, ad idoneam & congruentem compoſitionem addenſandi erunt; ſimiliterque ſi in materia denſiori ſint, erunt extenuandi: addenſatio autem, & extenuatio, præter quam quod per ſe motus ſunt ad qualitatem, coniunguntur etiam cum motu ad locum, vt patet. Quare erunt ij motus in inſtanti. Poſtremò, quia quo motrix virtus maior eſt, & efficacior, eo celeriùs mouet; cùm igitur virtus diuina infinita ſit, infinita celeritate, atque adeò non tempore; ſed puncto temporis mouebit. In 4. ſent. d. 43.

ARTICVLVS II.

CONSTITVITVR PARS NEGATIVA quæſtionis, & argumentis in contrariam partem adductis ſatisfit.

Concluſio.

Probatio.

Aſſerendum tamen eſt cum Ariſtotele cap. 3. huius libri tex. 29. alijsque in locis, & communi Peripateticæ ſcholæ aſſenſu nullum motum in inſtanti poſſe fieri; etſi aliter viſum fuerit nonnullis, quos refert, impugnatque Durandus in 4. diſtinct. 43. quæſt. vltima, Richardus in 1. diſt. 37. quæſt. 3. circa 3. principale. Probatur autem noſtra hæc aſſertio hunc in modum. Motus, cùm ſit actus entis in potentia, vt in potentia, eſt continuus, habetque prius, & poſterius, & ex ſua natura ſucceſsionem vendicat: atqui ſucceſsio non poteſt dari in inſtanti; ergo neque motus. Secundò ſicut ſe habet mutatum

tatũ esse ad instans, ita motus ad tempus; ergo à commutata proportione sicut se habet mutatum esse ad tempus, ita motus ad instans: sed mutatum esse necessariò mensuratur instanti, nec potest mensurari tempore: ergo motus necessariò mensurabitur tempore; nec poterit instanti mensurari; atque adeò nec in instanti esse. Et hæ quidem rationes concludunt non solũ nõ posse facultate naturæ, sed nec diuina virtute motum in instanti dari; cùm nec motus essentia absq; successione, nec successio absque mora esse possit.

Lege Och. quodl. 4. q. 14. Cap. in 2. d. 6. q. vnica sõc. 12. Metaph. q. 43.

Diluamus igitur aduersæ partis argumenta; ac primùm ea, quæ ostendere nitebantur posse corpora in instanti moueri. Ad primum dicimus id, quod in instanti cernitur, in instanti esse. Nos autem nõ cernere motũ rei, seu potius rem prout motui subest, in instanti. Nec eiusmodi visionem actionem momentaneam esse: quemadmodũ nec eam, qua fixis oculis immotum lapidem aliquandiu intuemur. Si momentaneum propriè sumatur, videlicet pro eo, quod puncto temporis vel instanti durat, & immediate post euanescit. Itaque quod dici solet visionem in instanti fieri, eatenus verum est, quatenus ex natura earum visilium imaginum, quæ in instanti ad oculum perferũtur, & ex parte etiam ipsius potentiæ nihil repugnat actionem videndi in instanti elici. Diximus, Earum visilium imaginum, quia vt motus in instanti non est; ita fieri nequit, vt species modificata à motu, quæ ab ipso quoad sui productionem, conseruationemque dependet, in instanti gignatur; quod tamen secus euenit in ortu, traiectuque aliarum specierum, quas res fixæ, & immotæ ad aspectum iaculãtur: hæ nãq; vno & eodem momento à rebus exeunt, & oculo inuruntur. Porro autem ad quam mensuræ, seu durationis speciem pertineat ea duratio, qua motus, & item ea, qua immotus lapis eodem obtutu aliquãdiu retento cernitur, ex ijs, quæ octauo huius operis disquerẽda sunt, planum erit.

De hoc dub. Maironnus in 2. d. 8. q. 2.

Visio rei motę nũ fiat in instanti.

Quę imagines rerum visilium momento ad oculum transmittãtur.

Ad secundum respondemus, sicuti mobile non magis recedit à termino à quo, nec magis accedit termino ad quem, nisi in tempore; ita nec relationem maioris, minorisvè distantiæ, nisi tempore compatari; licet eam in instanti acquiri asseruerit Capreolus in 1. sentent. d. 30. quæst. 1. art. 1.

Quo modo acquiratur relatio distãtię.

Ad tertiam reiecta opinione Gregorij Ariminensis in 2. dist. 6. q. 3. art. 2. Maioris in 4. dist. 49. quæst. 8. & aliorum existimantiũ corpora glorioſa commeatura ab vno loco ad quemvis alium in instanti: dicendum est D. Augustinum verbis in argumento adductis tantũ significare corpora glorioſa incredibili celeritate versus omnem locorum differentiam sese motura: etsi non defuerint etiam qui ex loco illo 22. lib. de ciuitate Dei perperam collegerint, in potestate beatorũ fore sua corpora ad loca disita sine medio trãsferre; eo modo quo quisque nostrum cogitationem è terra ad cœlum non transeundo interiectum spatium, liberè traducit. Quorum sententiæ refragatur in primis ipsa corporum natura, quæ ad spiritus nobilitatem nunquam euadit;

Reijcitur opinio Gregorij, & aliorũ.

euadat: deinde quia nec si ad illam euaderet momento cieretur, cùm ipsi quoque spiritus motu tempus consumant. Item quia dum intellectus cogitatione, aut volũtas affectu ad res locorum interuallis disiunctas mutatur, neutiquam secũdum se ab vno loco in alium trãsmigrat. Nec enim rebus de quibus meditatur, aut quas appetit, re ipsa continetur, sed eatenus transire dicitur, quatenus actiones suas dirigit, appicatvè, à rebus vno in loco positis ad eas, quæ alibi existunt.

Ratio autẽ, qua probari videbatur immateriales substantias puncto temporis cieri posse explicabitur negatione antecedentis, ad cuius priorem confirmationem, relicta eorum sententia, qui putant illuminationem non momento, sed tempore quam breuissimo fieri, dicendum erit traiectionem luminis non ob id solum momento effici, quod lux contrarium non habet: (nam & substantiæ nihil est cõtrarium) sed etiam quia ita effunditur, vt non eadem lucis portio ab vna parte ad aliam transeat, sicuti accidit rei locum mutanti, quæ vna, atque eadem singulas partes spatij decurrit, eisque secundum se respondet. Quo fit vt nunc has, nunc illas successione decurrendo moram trahat, & tempus cõsumat. Ad posteriorem similiter respondendum, corpora non ob eam solùm causam ad motum obeundum tempus requirere, quia constant partibus, sed quia secundum suam substantiã respondent spatio, quod non nisi vnam partem post aliam transmittendo, conficiunt.

Ea verò, quæ suadebant saltem diuina virtute posse motum in instanti fieri, ita solues. Ad primum dicito posse Petrum, qui Conimbricæ est, Romæ, immo & in tota medij spatij intercapedine simul diuina virtute in instãti collocari; ità vt totum id spatium simul occupet accipiendo in his omnibus locis à Deo per peculiarem influxum idem esse, quod Conimbricæ habet, vt in 4. huius operis diseruimus. Verùm id non fiet per motum, quo ab vna parte spatij ad aliam subinde transeat; sed per momentaneam actionem, qua Petro esse, vti diximus conferatur. C.5.4.11.2.

Resurrectio corporũ momentanea.

Ad secundum dicendum in resurrectione corporum illam cinerum extenuationem, addensationemque exhibendam esse diuinitus in instanti, absque vllo tamen motu, aut transitu ab vna parte loci siue spatij in aliam: sed eo tantùm quòd Deus vel partibus cineris antea dilatatis conferet esse in spatio contractiori, desinendo illud cõferre, vbi antea conferebat; vel è conuerso, quod partibus antea addensatis tribuet esse in maiori earum abse mutuo distantia. Vrgebit tamen quispiam necessariò in illa addensatione ob quam cineres minorem locum occupabunt, vicinum corpus in instanti accursurum, ne detur vacuum. Ad hanc difficultatem, quam Sotus in 4. dist. 43. quæst. 2. art. 3. molestissimam vocat, respondet Scotus ibidem q. 5. concedendo id, quod intulimus. Sed non rectè; nec enim corpus vi propria locum in instanti mutare potest. Occurrendũ potiùs diuina

virtute

virtute prouidendũ esse, vt prædictum spatium confestim alio corpore occupetur. Non quod aliunde transeat, id enim non nisi tẽpore fieri potest: sed cui Deus conferat ibi esse in eodem instanti addensationis cinerum.

Ad tertium etsi virtus motiua diuina infinita sit, non posse tamen efficere infinitum impulsum, quia repugnat dari infinitum in rebus creatis: vel si id non repugnet, vt quibusdam videtur, repugnare tamen concurrere Deum cum illo (intellige secundum eius infinitatem: nam secundum aliquam finitam portionem, nihil obstat) ad ciendum lapidem. Quod vt planè intelligas aduerte quæstionem esse, si Deus infinitum impulsum lapidi imprimeret, & cum eo cõcurreret, num oporteret lapidem vi illius impulsus ab vno loco ad alium momentanea mutatione transire. Quidam ad negantem partem deflexere, eo potissimùm argumento, quod quantuscunq; impulsus extiterit semper lapidi occursura sit ea repugnantia, quæ ex intercapedine spatij oritur, quam vocant incompossibilitatem terminorum; siquidem vis motiua tantummodò efficax est ad transferẽdum mobile ab vno loco ad alium; non verò ad ipsum maiori spatio, quàm eius quantitas postulet, exæquandum. At si lapis vnius palmi spatium decem palmorum in instanti conficeret, oporteret eum, vt alibi ratiocinati sumus, in totis decem palmis simul existere, eisque ex æquo commensurari; quod neutiquam videtur admittẽdum. Quod si quis roget quantum temporis debeat lapis in traijciendo spatio consumere, respondent consumpturum minimũ tempus; adhuc enim, vt moueatur, non nihil temporis requirit ob rationem ante explicatam. Requiret tamen minimum, quia necesse erit tempus ab eo consumptum nullam habere proportionem cum eo, quo cætera mobilia finitam habentia grauitatem, deferuntur: quod minimũ quia nõ datur; siquidẽ quãtitas caret minimo, inde esse inquiunt quod nullum mobile infinito impulsu agitari potest.

Quæstiõ.

Quorundã responsio.

lib. 4. huius op. c. 9. q. 5. ad 4.

Cæterùm pleriq; omnes Philosophi, & interpretes Aristotelis aduersam opinionem tuentur ea innixi ratione; quia si virtus quo maior, eo celerius mouet, vtique infinita virtus celeritate in infinitum maiori, atque adeo momentanea ciebit. Quæ est ratio Aristotelis octauo huius operis capite decimo textu septuagesimo nono, sic enim probat non dari in magnitudine virtutem infinitam; quod item repetit primo de cœlo capite sexto textu quinquagesimo secundo.

Ex his duabus opinionibus neutrã absolutè amplectimur, neutrã omnino improbamꝰ, sed media ingressi via, ex vtraq; aliquid decerpimus. Videlicet arbitramur, si diuina potestate infinitus produceretur impulsus, isque secundũ totã suã vim ad transferendũ mobile ab vna parte in aliam cõcurreret; futurum ex ea hypothesi vt mobile traijceret, ac non traijceret spatium in instanti: non traijceret, vt

Legitima explicatio propositę quæstionis.

prioris ſententiæ argumentum perſuadet: traijceret, vt poſterioris ratio concludit. Quæ implicatio & repugnãtia ex hypotheſi impoſſibili ſequeretur. Licet enim demus poſſe à Deo infinitam vim motricem produci; non proinde tamen dabimus poſſe eam ex toto ad mouẽdum applicari, vt etiam in tertio huius operis libro ſtatuimus. Cap.8.q.2. Accommodaretur enim ad motum, ac non ad motum: ad motum, quia eſt vis motiua: non ad motum, quia citra omnem proportionem ad alias vires motiuas, mobile deferret, proindeque in inſtanti. Ex quo fieret vt magnitudo vnius palmi vi, ac merito ſolius impulſus æquaretur, & non æquaretur magnitudini decem palmorum; vinceretque ac non vinceret repugnantiam ex intercapedine ſpatij oriundam; & denique cieretur, & non cieretur in inſtanti. Nec refert quod Ariſtoteles ad tollendam è natura rerum infinitam grauitatẽ, alteram duntaxat prædictæ repugãtiæ partem intulit; videlicet fore in inſtanti motum: id enim ad propoſitum concludendum ſat illi erat. Cui tamen ſi obijceres ex infinita grauitate non ſequi rem motam, ſed mutatam fore in inſtanti; abſurdum vero nullum eſſe momento mutationem fieri: haud dubiè reſponderet per vim motiuam non quouis modo mutari rem; ſed mutari cum motu; rurſumq; per vim motiuam infinitam neceſſario deferri ſine motu: ſicque traduci, & non traduci rem in inſtanti: quæ ſunt duo implicationis mẽbra à nobis tradita.

Cur non poſſit infinito impulſus applicari mobili ad motum.

Nec verum eſt quod prioris ſententiæ auctores aiebant, videlicet ex infinito impulſu tantum ſequi moueri rem minimo tempore; non autem in inſtanti. Sicut enim impulſus infinitus nullam habet ad finitum proportionem; ita neque duratio, quæ dimetitur motum profectum ex infinito impulſu, vllam proportionem habere debet ad eã moram, quam trahit mobile finito impulſu agitatum. Quare cum quodlibet tempus finitum aliquam ſeruet proportionem ad aliud finitum tempus, ſequitur non recte ab eis dici motum, qui infinito impulſu fit, minimo tempore duntaxat peractum iri.

Capitis ſeptimi explanatio.

Theoremata ſpectãtia ad finitatem & infinitatem motus.

QVoniam a autem quidquid } Hactenus de ſectione motus diſſeruit; nunc de eiuſdẽ finitate, & infinitate theoremata quędã ſubijcit. Enimverò quẽadmodũ diuiſio ad rationẽ continui pertinet, ita finitum & infinitũ. Vt autẽ ſupra docuit diuiſionẽ in motu, magnitudine, tempore, & mobili inueniri, ita nũc infinitatẽ eiſdẽ ineſſe oſtẽdit. Primum theorema eſt. Infinito tẽpore finitũ ſpatiũ pertrãſiri non poteſt.

Finitum ſpatium non decurri tempore infinito.

Intel-

Intellige nisi finitum spatium identidem repetatur, vt in cœlestiũ globorum conuersione contingit. Quod Aristoteles comprobat primùm in eo, quod æquabili celeritate mouetur. Quæ demonstratio superiùs tradita fuit, ideoque eam Themistius in sua paraphrasi præterijt: nec verò nostram explicationem iam desiderat.

CAP. VII.

Text. 60. *QVoniam a autem quidquid mouetur, in tempore mouetur, & in maiori per maiorem magnitudinem, fieri non potest vt tempore infinito finitum aliquid transeat, modo non per eandem semper, aut per aliquid ipsius, sed toto & per totam moueatur. Ac illud quidem constat si æqua celeritate quidpiam moueatur, necessariò finitam finito transire. Nam sumpta parte, quæ totum metiatur, in tot æquabilibus temporibus, quot magnitudinis sunt partes, totam transibit: quare cum hæ finitæ sint, & singulæ quantæ, & omnes numero conclusæ, & tempus quoque erit finitum. Tantum enim toties erit, quantum est tempus partis multitudine partium multi-*

Text. 61. *plicatum. Atqui & nihil interest, si æqua celeritate non fuerit. Sit enim A B. interuallum finitum, quod infinito tempore transiuit, quod tempus infinitum sit C D. Si igitur necesse est id per vnam partem antequam per aliam motum esse, perspicuum est, in priori, posteriorive temporis parte, aliam atque aliam transiuisse. In maiore enim tempore, per aliam semper motum erit.* b *Idque non minus fiet, seu æquè celeriter mutetur, seu non æquè, & siue intendatur motus, siue idem persistat. Spatij itaque A B. sumatur A E. quod totũ A B. metiatur. Hoc igitur aliqua infiniti temporis parte trãsiuit. Nam infinito non potest quoniam totum infinito. Rursus si aliud tantum sumpsero, quantum est A E. tempore finito necesse est transisse: totum enim infinito. Ita igitur sumens cùm infiniti nulla pars sit quæ ipsum metiatur (ex finitis enim tam æqualibus, quam inæqualibus infinitum constare non potest, quod finita tam multitudine, quam magnitudine vnum quidpiam metiatur, idque nihil minus, seu sint æqualia, seu inæqualia, modo magnitudine finita, spatium autem finitum partes quantæ A E. metiantur) tempore profecto finito ipsum A B. transibit.* c *Eadem autem motus est, qui ad quietem est, ratio. Ita nec generari, nec interi-*

Text. 62. *re aliquid vnum semper potest.* d *Eadem ratione demonstratur finito tempore per infinitum moueri, aut ad quietem tendere non posse, seu æquabiliter, seu inæquabiliter moueatur. Nam sumpta aliqua parte, quæ totum tempus metiatur, magnitudinis quantitatem quandam, non totam in ea transibit: nam totam in toto.* Et

b Idque non minus) Probat idem in vniuersum, siue res æquabili motu cieatur, siue nõ. Supponit verò id, quod mouetur, priorem magnitudinis partem prius transire, quàm posteriorem, & longiori tempore maiorem decurrere magnitudinẽ, quàm breuiori. Ité finitum ab infinito mensurari non posse, & quodlibet finitum posse à finito absolui, atque adeò infinitum ex finitis, siue æqualia, siue inæqualia sint, minimè coalescere. Ex quibus positis demonstrationem adhibet à superiori nõ admodum dissimilem.

Finitum nõ posse mensurari ab infinito.

c Eadem autem motus est) Duplex est horum verborũ sensus. Aut enim vult superiorem demonstrationẽ parem vim habere in motu, qui ad quietem tendit, & in eo, qui non tendit ad quietem, de quo motuum discrimine superiùs disputauit, aut indicat eandem esse rationem in quiete, quę est in motu quo ad finitudinem, vel infinitudinem; cum motus & quies sub eandem mensuram cadant. Addit fieri non posse vt aliquid vnum semper gignatur, aut intereat; quia alioqui finita generatio, qualis cuiusque rei certę est, infinito tempore duraret.

Motum & quietem sub eandem mẽsurã cadere.

d Eadẽ ratione demõstratur) Demonstrat non posse mobile tẽpore finito infinitã magnitudinem

Infinitã magnitudinem non posse tẽpore finito pertransiri.

dinem pertranſire, & quietem aſſequi ſiue æqualibi, ſiue inęqualibi motu agitetur. Sumatur enim aliqua pars temporis, quę totum tempus, in quo mobile aliquam partem magnitudinis tranſinittit, metiatur: Tum cùm eodem modo ſe habeat pars temporis ad totum tempus, quo pars magnitudinis ad totam magnitudinem: ſi pars temporis, quod conſumitur in conficienda magnitudine infinita, totum tempus metitur, certè pars magnitudinis totam magnitudinem abſoluet. Quod à vero abeſt, cùm infinitum ablatione finiti abſolui nõ poſsit.

Infinitũ ablatione finiti non posse absolui.

e His autem demonſtratis } Propo nit alia theoremata, quibus mobile cum ſpatio, ſeu magnitudine, & tempore potiſsimũ confert. Statuit ergo fieri non poſſe, vt tẽpore finito res finita magnitudinẽ infinitam, vel res infinita finitam magnitudinem, vel res infinita infinitam magnitudinem conficiat. Horum primũ ex eo ſuadet, quia diuiſo in partes ęquales tempore, & mobile in qualibet parte finitum ſpatium decurrat, in toto tẽpore non niſi finitum abſoluet.

Et rurſus in æquali, alia, & in ſingulis ſimiliter, ſeu æqualem, ſeu inæqualem ei, quæ à principio: nihil enim refert, modo quæque finita ſit. Nam tempore conſumpto, infinitum nõ cõſumptum fore, manifeſtum eſt, quod & magnitudine, & numero detractio fiat finita. Tempore igitur finito infinitum non tranſit. Ac nihil refert vtrum altera parte, an vtraque magnitudo ſit infinita. Eadem enim ratio eſt. e *His autem demonſtratis perſpicuum eſt, nec magnitudinem infinitam tempore finito id, quod infinitum eſt, ob eandem cauſam poſſe decurrere. In parte enim temporis finitum tranſit, & in quancunque ſimiliter: quare in toto finitum.* f *Cùm igitur quod finitum eſt, tempore finito infinitum non tranſeat, nec infinitum finitum conſtat: nam ſi infinitum finitum, & finitum quoque infinitum tranſire neceſſe eſt. Nihil enim refert vtrum id ſit, quod mouetur, cum vtroque modo id quod finitum eſt infinitum tranſeat. Cum enim A. infinitum mouetur, aliqua ipſius pars finita, vt C D. erit in B. & rurſus alia, atque alia, & ita perpetuò. Quare ſimul fiet, vt infinitum per finitum motum ſit, & finitum infinitum tranſierit. Nec enim fortaſſe fieri poteſt, vt infinitum aliter per finitum moueatur, quàm quod finitum tranſeat infinitum, aut latione, aut metiendo. Quare cùm hoc fieri non poßit, profectò infinitum finitum non tranſit.* g *At neque infinitũ tẽpore finito infinitũ tranſit. Nam ſi infinitũ, etiam finitum, cum in infinito finitum inſit. Eadem etiam erit tempore ſumpto demonſtratio.* h *Cùm autem nec quod finitum eſt infinitum tranſeat, nec quod infinitum finitum, nec infinitum finito tempore moueatur, conſtat nec motum infinitum tempore finito fieri poſſe. Quid enim refert motum, an magnitudinem facere infinitam? Nam cum latio omnis in loco ſit, ſi vtrunuis infinitum ſit, alterum quoque eſſe neceſſe eſt.*

Text.63. Text.64. Text.65. Text.66.

Infinitũ nunquam conficit.

Mobile finitum conficere infinitũ finito tẽpore.

Nõ poſſe dari motum infinitum tempore finito.

f Cùm igitur quod finitum eſt } Ex ſuperiori ratione ſequitur ſecũdi theorematis confirmatio. Etenim fieri nequit vt infinitum mobile ſpatium finitum decurrat, niſi mobile finitum ſpatium infinitum tranſeat. Proindeq; neceſſe eſt ſi finitũ pertranſire debeat, vt ipſummet finitũ eius partes decurrat, & abſoluat, quod fieri nequit, cùm infinitum nunquã abſoluatur.

g At neque infinitum tempore finito } Probat tertium theorema, quia infinitum non poteſt ſpatium vllum tranſinitere, niſi aliqua finita pars ex ijs, quę infinito inſunt, illud pertranſeat. At finitum mobile non decurrit infinitum finito tempore.

h Cùm autem nec quod } Theorema aliud conſtituit, videlicet non poſſe dari motum infinitum tempore finito. Quod ex ijs, quæ paulo ante comprobata ſunt, colligit. Eadem namque magnitudinis, & motus ratio eſt; cùm hęc mutuò ſibi reſpondeant. Quare ſi infinita magnitudo finito tempore confici nequit, nec motus infinitus tempore finito eſſe poterit.

Capitis

Capitis octaui Explanatio.

CVm autem id ⟩ ἱστασθαι. quod Boetius vertit ſtare, eſt moueri non quolibet motu, ſed eo quo ad ſtatum itur. Quod ergo Ariſtoteles de motu indiſcriminatim oſtenderat, id nunc de eo, quo mobile pergit ad quietem, quę priuato nomine ſtatus dicitur, demonſtrare aggreditur. Primumque ſuadet omne, quod ad ſtatum tendit, moueri. Nam omne id, quod moueri aptũ eſt, tum cùm eſt aptum, & prout aptum eſt, aut mouetur, aut quieſcit. Cũ igitur id, quod ad ſtatum tendit, non quieſcat, nec ſtet, vt planum eſt (non enim ad quietem iret) conſequẽs eſt vt moueatur.

De motu, quo ad ſtatũ itur.

CAP. VIII.

Text. 67. *CVm autem id omne quod moueri aptum eſt, tum cùm aptum eſt, & vbi, & quemadmodum, aut moueatur, aut quieſcat, id quod ad ſtatum tendit, tum cùm tendit, neceſſariò mouetur. Nam ſi non moueatur, quieſcet: fieri autem non poteſt, vt ad quietem id proficiſcatur, quod quieſcit. Quo ſane demonſtrato manifeſtum eſt neceſſe*

Text. 68. *eſſe, vt in tempore ad ſtatum eatur.* b *Nam quod mouetur, in tempore mouetur, quod vero it ad ſtatum, moueri oſtenſũ*

Text. 69. *eſt, quamobrem in tempore ad ſtatum eat neceſſe eſt. Celerius item & tardius in tempore dicimus. Contingit autem vt ad*

Text. 70. *ſtatum celerius & tardius proficiſcatur.* c *Quod vero ad ſtatum tendit, in quo tempore ad ſtatum primo tendit, in quocunque illius ad ſtatum tendat neceſſe eſt. Nam tempore diuiſo, ſi in neutra parte ad ſtatum tendat, neque etiam in toto. Quare quod ad ſtatum tendit, ad ſtatum non tendit. Quod ſi in altera, non in toto primo ad ſtatum tenderet, cùm in hoc per vtranque partem ad illum tendat, vt de eo quod mouetur antea dictum eſt.* d *Vt autem non eſt in quo primo id, quod*

Text. 71. *mouetur, moueatur, ita nec in quo ad ſtatum tendat id quod ad ſtatum tendit. Nam nec ipſius moueri, nec ipſius ſtare aliquid eſt primum. Sit enim primum, A. B. in quo ad ſtatũ tendat. Hoc ſane partibus non vacare non poteſt, cùm motus in eo non ſit, quod partibus caret, propterea quòd ipſius aliquid eſt motum. Quod uero ad ſtatum proficiſcitur, moueri monſtratum eſt. At vero ſi diuiduum ſit, in quacunque eius parte ad ſtatum proficiſcitur, cùm prius monſtratum ſit in quo primo ad ſtatum aliquid proficiſcitur, in quocunque illius proficiſci. Cum autem tempus ſit in quo primo ad ſtatum proficiſcitur, & non indiuiduum, tempusque omne infinitè poſſit diuidi, in quo primo ad ſtatum proficiſcitur, non erit.*

e *Nec*

b Nam quod mouetur ⟩ Probat quidquid ad ſtatũ abit in tempore abire; tum quia motus omnis in tempore fit; tum quia motus, aut velox eſt, aut tardus: velocitas autẽ & tarditas important ſecum tempus. Quin uero quilibet eorũ motuum, quibus mobile ad ſtatum pergit, initio tardior eſt, in fine velocior, vt videre licet in motibus elementorum ad proprias, natiuasque ſedes adeuntium.

Motum aut velocem, aut tardum eſſe.

c Quod verò ad ſtatum ⟩ Probauit ſuperiꝰ id, quod primum in aliquo tempore mouetur, in qualibet illius temporis parte neceſſariò moueri. Id etiam nunc de motu, quo ſtatus petitur, eadem ratione demonſtrat, quę quia ſatis explicata iam fuit, non eſt tur actum agamus.

d Vt autem non eſt ⟩ Similiter concludit non dari primum in motu ad ſtatum contendẽtẽ. Vel enim id, in quo daretur, eſſet indiuiduum temporis, vel diuiduum; quorum neutrum eſſe poteſt. Non indiuiduum, quia non eſſet motus. Nec diuiduum, quia tunc priùs exiſteret in dimidio illius medietatis, proindeque non eſſet primum in illo ergo &c.

e Nec igitur primum eſt ⟩ Non dari primam quietis partem, ſeu primum, in quo id quod quieſcit, quieuerit, ex eo oſtendit, quia omnis quies in tempore eſt, non in puncto temporis.

Non dari primam partem quietis.

Quare

Quare vt non est prima pars temporis, ita nec quietis. Non dari verò quietem nisi in tem-
Nō dari quie tem nisi in tē- pore bifariam probat. Primùm quia nihil momento cieri potest: eadem vero quoad hoc in
pore. motu & quiete ratio inuenitur. Secundò quia id testatur vel ipsa quietis definitio: tunc enim rem obtinere quietem dicimus, cùm ita sese habet modo, atque antea; quæ duo temporis differentias inuehunt.

e *Nec igitur primum est in quo id quod quiescit, quieuerit.* Text.72.
In indiuiduo enim non quieuit, propterea quod motus in indiuiduo non fiat. In quo autem est quiescere in eodem est moueri, cùm quiescere dicamus, cùm id quod moueri aptum est, tum cũ aptum est, & in quo, non mouetur. Rursus quiescere dicimus Text.73.
cùm eodem modo nunc habet, atque priùs, vt non vno quodam iudicantes, sed duobus ad minimum. Quare partibus non carebit id in quo quiescit. Quod si partibus constet tempus erit, & in quacunque eius parte quiescet. Eodem enim modo, quo & in prioribus demonstrabitur: quare nihil erit primum. Cuius causa est quòd in tempore res omnis quiescit, & mouetur. Tempus autem primum non est, nec magnitudo, nec omnino vllum continuum, cùm omne in infinita diuidi aptum sit. f *Cùm autem* Text.74.
quidquid mouetur, in tempore moueatur, & ex aliquo in aliquid mutetur, fieri non potest vt in eo tempore, in quo per se, & non in aliquo illius quidpiam mouetur, ipsum in aliquo sit primo. Quiescere enim est aliquid, & vnãquanque eius partem tempore aliquo in eodem esse. Nam quiescere ita dicimus cùm in alio, atque alio temporis momento, & ipsum & partes in eodem esse vere affirmatur. Quod si hoc quiescere est, non potest profectò id quod mutatur, in aliquo totum esse in primo tempore. Nam tempus omne diuiduum est, quare in alia, atque alia eius parte, & ipsum & partes in eodem esse vere dicere licebit. Si enim hoc modo non erit, sed in vno tantum temporis momento, nullo tempore erit in aliquo, sed in temporis dũtaxat extremo. g *In ipso verò momento semper quidem in aliquo manet, non tamen quiescit, cùm nec quiescere momẽto liceat, nec moueri. Sed verum quidem est in ipso momento nõ moueri, atque item esse in aliquo. In tempore autem per quietem esse non potest: accidet enim vt quod fertur, quiescat.*

CAP.

Theorema.

f Cùm autem quidquid mouetur) Vt se præparet ad ineundum certamen cum Zenone Eleate Parmenidis discipulo, qui motũ è medio tollebat, hoc theorema statuit. Id quod in aliquo primo tempore mouetur, ita vt per se, non quia in aliquo illius, in eo moueatur, eo tempore, in quo primo mouetur, non est in aliquo, seu in aliqua parte eius, per quod primò mouetur. Priùs tamen sumit duo illa in hac disputatione sæpe inculcata, videlicet quidquid mouetur in tẽpore moueri & ex vno in aliud mutari. Tũ ita differt. Si id quod mouetur in quo primo tempore mouetur, in aliquo primo esset, vt in spatio, vel qualitate, cũ eiusmodi tẽpus necessariò foret diuiduum, vtique tam ipsum mobile, quam eius partes in quacunque parte illius temporis in tali spatio vel qualitate existeret, vt constat ex definitione eius, quod est esse primum in aliquo. Cùm igitur aliquo tempore in aliquo esse nihil aliud sit, quàm in eo quiescere, iam mobile in quo primo tempore mouetur, quiesceret, quod repugnat. Fieri ergo non potest vt id, quod mouetur in quo primo tempore mouetur, in aliquo primo sit.

Quicquid mouetur, ex vno in aliud mutari.

g In ipso verò momento) Commonefacit nihil obstare id, quod proximè docuit, quominus id, quod mouetur, in momento quod partium temporis est terminus, necessariò sit in aliquo, hoc est partem aliquam magnitudinis, vel alterius formę, ad quam motus est, in se cohibeat. Tametsi admittendum non sit in eo momento quiescere; quandoquidem vt motus, ita & quies tempus exigit.

Capitis

Capitis noni Explanatio.

ZEno autem) Ne Zenonem, qui motũ sustulit, indicta causa damnasse videatur, rationes, quibus in eam sententiam adductus fuit, in medium profert. Nec abs re huiusmodi controuersiam hoc loco suscipit, cùm eius profligatio pendeat ab ijs, quę hoc libro pertractantur, videlicet à compositione, diuisione, & finitate, vel infinitate magnitudinis, temporis, aliorumque ad motum concurrentium. Porro autem prima ratio Zenonis hnnc in modum concluſa erat. Si daretur motus sequeretur id, quod rapidisimo cursu fertur, vt iaculum in cursum, moueri simul & stare: sed hoc repugnantiã inuoluit. Nullus igitur motus datur. Maiorem ostendebat, quia omne mobile, cùm est in spatio sibi equali, aut mouetur, aut quiescit. Quod autem fertur singulis momentis est in spatio equali sibi. Quare iaculum dum fertur, quia singulis momentis moueri non potest, necessariò in ijs quiescet: atque adeò si in aliquo mouetur, simul mouetur, & quiescit.

Rationes, quib9 Zeno motum tollebat.

CAP. IX.

Text. 75. ZEno autem malè ratiocinatur. *Si enim inquit, quidquid est in sibi æquali, aut quiescit, aut mouetur, id autẽ quod fertur, in eo, quod sibi æquale est, in momẽto est semper, im-*
Text. 76. *mobilis certè erit ea, quæ fertur, sagitta.* b *Hoc verò est falsum, cùm tempus ex momentis indiuiduis non cõstet, vt neque*
Text. 77. *alia vlla magnitudo.* c *Quatuor autem Zenonis de motu sunt rationes, quæ difficultatem mouentibus præbent. Prima quidem, quæ motum ob id tollit, quod priùs ad medium, quàm ad finem id, quod fertur, peruenire oporteat, quam rationem an-*
Text. 78. *tea distinximus.* d *Secunda verò est, quæ Achilles nuncupatur, quæ eiusmodi est, quòd res, quæ celerrima est, id nunquam assequetur, quod tardissimo rapitur cursu. Id enim, quod persequitur, necessariò eo antè venire, vnde id, quod fugit, discessit. Ita fieri vt id, quo tardius est, reliquum aliquo spatio necessa-*
Text. 79. *riò perueniat.* e *Est autem hæc ratio eadem, atque ea, quæ ex sectione in dimidio ducitur. Sed differt, quod magnitudinẽ quæ sumitur, non in dimidia diuidit. Vt igitur tardius non attingatur ex ratione accidit. Ob idem autem euenit atque in diuisione in dimidia. Nam in vtraque accidit, vt ad finem non perueniatur, quoquo modo magnitudine diuisa. Sed in hac additur ne illud quidem, quod celerrimum est, (quod tragicè prolatum est, id quod tardissimũ est) persequẽdo.* f *Quãobrẽ solutio eadẽ sit necesse est. Quod autẽ cẽset, nũquã id attingit quod peruenit, falsũ est. Nã cũ præuenit quidẽ nõ attingitur, attamẽ attingitur si dabit, id quod mouetur, magnitudinẽ finitam transire. Hæ igitur rationes duæ sunt.* g *Tertia est quæ nunc dicta*
Text. 80. *est, quòd sagitta, quæ fertur, stabit: idq; ex eo efficitur, quòd sumatur tempus ex momẽtis constare. Quo non concesso, syllogismus non erit.* Quare

b Hoc verò est falsum) Propositam rationem paucis diluit negans tẽpus ex solis momẽtis cõstare, quo fundamento ea potissimũ innititur, sumit enim si iaculum in quolibet momento non moueatur, nec in tempore moueri. Neganda est ergo maior propositio, & ad eius probationem inficiandũ, mobile dũ est in spatio sibi equali quiescere. Namque singulis momentis est in spatio equali sibi, & tamen in ijs non mouetur, aut quiescit. Nec verò simul, aut respectu eiusdem mouetur, & non mouetur: mouetur enim in partibus temporis, quę per instantia copulantur: in ipsis autem instantibus neutiquam mouetur.

Respõsio ad rationem Zenonis.

c Quatuor autem) Zenonis rationes, quę plus negotij exhibebant, quatuor sunt. E quibus eam, quę proximè soluta est, paulò post tertio loco numerat Aristoteles. Nunc primam affert, quę huiusmodi est. Cùm in qualibet magnitudine infinitę insint partes, si quid motum

Ratio Zenõnis.

tum ſubeat finito tempore infinita pertranſibit; hoc autem fieri non poteſt; quia infiniti natur repugnat. Igitur nullum corpus verè motum ſubit. Huic rationi ſatisfactum ab ſe iam ante Ariſtoteles ait; videlicet cùm hoc libro docuit infinitum ſectione, quod non actu, ſed poteſtate infinitum eſt, tempore finito decurri poſſe. Enimverò cùm tempus continuum ſit, parique modo infinitum, eodem infinitatis iure, eiſdemque partium diuiſionibus ſibi mutuò reſpondebunt tempus & magnitudo. Nec contra naturam talis infiniti eſt hoc modo pertranſiri.

Tẽpus & magnitudo eiſdem partium diuiſionibus ſibi reſpõdẽt.

d Secunda vero eſt) Sequitur ſecunda ratio Zenonis, quam ipſe Achillem vocabat, ideſt, acerrimam ac fortiſsimam, qualis Achilles fuit. Veteres enim fortiſsimos quoſque Achilles appellabant. Vnde Lucius Siccius Dentatus, Romanus Achilles dictus fuit, quod centum & viginti prelijs cum hoſte congreſsus nullam haberet aduerſo pectore cicatricem. Hinc etiam apud Peripateticos vſus obtinuit vt ea ratio, qua maximè aduerſarius fidit, Achilles vocetur. Alij tamen, & vt nobis videtur rectiùs, hãc rationem Achillẽ appellatam inquiunt, quòd Achillis exẽplo vtatur, qui ob celeritatẽ curſus ab Homero ποδάρκης dicitur. Argumẽtabatur ergo in hunc modũ Zeno. Si vllus foret motus, id quod perniciſsimum eſt, vt Achilles, rem tardiſsimam vt teſtudinem fugientem aſsequi non poſſet; hoc autem ridiculum eſt; nullus ergo motus dari poteſt. Propoſitionẽ oſtendebat, quia ſi Achilles decuplo velocior ſit, quàm teſtudo, & cùm illam pſequi incipit vno ſtadio ab ea diſtet, interim dum ſtadium illud Achilles decurret, decimam alterius ſtadij portionem teſtudo conficiet, cuius decimę portionis metam priuſquam Achilles pertingat, rurſus teſtudo aliam decimam eiuſdem decimę portionis tranſmittet, atque ita in infinitum. Quo patet nunquam Achillem teſtudinem comprehenſurum.

Ratio Zenonis, quę Achilles dicta eſt.

Quarta verò ea eſt, quæ de ijs æqualibus molibus eſt, quæ in ſtadio æquali celeritate iuxta æquales contra mouentur, aliæ quidem à calce ſtadij, aliæ à medio. In qua effici arbitratur, vt duplo tempori dimidium æquum ſit. Text. 81. *Sed rationis fallacia in eo poſita eſt, quòd putet alterum quidem iuxta id, quod mouetur, alterum verò iuxta id quod quieſcit, æquali celeritate in tempore æquali æqualem magnitudinem transire. Quod quidẽ falſum eſt. Vt exempli gratia, quieſcentes ſint moles a a a a, ex quorum medio incipiant moles b. numero & magnitudine eis æquales. Ab extremo autẽ moles c ipsis b. pares numero, magnitudine, & celeritate. Fit igitur vt primum b. primumq; c. iuxta ſeſe mota ad extremum simul perueniat. Itaque c. moles, omnes a transierit: b. autem, dimidium. Quamobrem etiam fit, vt dimidium tempus ſit. Nam tempore æquali vtraque vnamquanque transiuit. Simul autem fit vt b. iuxta omnia c transierit, quod primum. o primumque. b in contrarijs extremis simul erunt æquali tempore (vt ait) in ſingulis b. atque etiam in ipsis a. tranſeundis conſumpto, quod tam b. quam c. æquali tempore iuxta a. transierint. Hæc igitur ratio eſt.* Text. 82. *Falſum autem ob id, quod dictum eſt, cõſequitur.* Text. 83. *vt neque in ea mutatione, quæ in contradictione eſt aliquid, quod fierĩ non poſſit, nos conſequetur. Vt ſi è non albo in album mutatur, atque in neutro eſt, nec album, nec non album eſſe.*

Non

e Eſt autem hęc ratio eadem) Propoſitam rationem ait Ariſtoteles eandem cum ſuperiori eſse, quatenus vtraque procedit à ſectione magnitudinis in ſemper diuidua; vtraque cõcludit nunquam ad finem magnitudinis perueniendum: differre tamen, quòd in illa, magnitudo in dimidia perpetuò ſecaretur; in hac verò non ſemper in dimidia, ſed in decimam partem, verbi gratia. Item quòd in hac tragicum quid, ac ſtupendum inferatur, videlicet tardiſsimum à celerrimò ſuperari non poſſe.

Quo differat proxima ratio à ſuperiori.

f Quam ob rem ſolutio) Quoniam hęc ratio à diuiſione magnitudinis in infinitũ ducta eſt, eandem, quam prior, explicationem habet, videlicet huiuſmodi infinita ſegmẽta non actu, ſed poteſtate magnitudini competere, atq; adeò vinci poſſe. Nec verum eſt celerrimum non comprehenſurum id, quod teſtudineo gradu incedit, cùm ſpatium quod tardum longiori tempore decurrit, velox breuiori conficiat.

Reſpõſio ad proximã rationem.

g Tertia eſt) Subijcit tertiam & quartam rationem Zenonis. omiſſa verò tertia, quę iam ſoluta

Alię rationes Zenonis.

luta fuit, superest quarta, ac postrema, qua assertores motus ad incõmodum adducere nititur, vt videlicet cõcedãt è duabus magnitudinibus inter se æqualibus, & quæ pari celeritate ferantur, vnã spatiũ duplo maius eodẽ tẽpore cõficere: atque adeo duplũ, & dimidiũ tẽpus, vt horã, & eius medietatẽ inter se æqualia esse. Disputabat autẽ Zeno in hũc modũ. Designetur spatiũ quatuor palmorũ, A.A.A.A. porrectũ ab oriẽte occidentẽ versus. Sumẽtur deinde duo mobilia, vnũ B.B.B.B. alterũ C.C.C.C. vnumquodque quatuor etiã palmorũ, & æqualis omnino velocitatis, alterũque eorũ, quod sit lapideũ, ineat motũ à principio spatij ab oriẽte versus occidentẽ; alterũ, quod sit ferreũ secundũ priores duos palmos sit intra prædictũ spatiũ, secundũ alios duos extra, ita collocatũ vt alterius cursum nõ impedia:, cõtingat tamẽ illud extima superficie, quiescatque opperiẽs occursum mobilis lapidei, sic vt in eo temporis puncto, in quo mobile lapideũ ad ipsum peruenerit, incipiat moueri versus orientẽ. Ponamus autẽ mobile lapideũ horã cõsumere in percurrẽdo toto spatio quatuor palmorũ, atque adeò mediam horã cõsumpsisse in medietate spatij trãseunda, semperque motũ versus occidentẽ vsque ad finem horæ continuasse.

81. *Non enim si totũ in vtrouis nõ sit, albũ aut nõ albũ esse nõ dicetur. Nãque albũ dicimus, aut nõ albũ, nõ quia totũ tale sit, sed quòd plurimæ aut principes partes. Idem autẽ nõ est, nõ esse in hoc, & nõ esse in hoc totum. Similiter res sese habet in eo, quod est, & in eo, quod nõ est, & in alijs, quæ sunt in cõtradictione. Nõ enim necessario in altero est oppositorũ, sed in neu-*

82. Text. 84. *tro semper ipsum totũ.* i *Rursus in circulo & sphæra, & omnino in his, quæ in se ipsis mouentur, propterea quod efficietur vt quiescãt. Nã tempore aliquo in eodem loco ipsa & partes*

Text. 85. *esse, quiescere itaq; & simul moueri.* k *Primũ enim nullo tempore in eodem loco partes sunt, deinde & totũ ad aliũ semper mouetur. Nõ enĩ eadem circũferentia est, quæ ab A. sumitur & quæ à B. & quæ à C. & cæterorũ quouis puncto, nisi vt musicus homo & homo, propterea quod accidit. Quare in aliam alia semper mutatur, & nunquã quiescet. Eodem modo & in sphæra, & his quæ in se ipsis mouentur.*

His positis ratio cõcluditur. Quã docunque duo mobilia pari velocitate æqualia spatia decurrunt, æquali tẽpore ea cõficiunt, sed mobile lapideũ, & mobile ferreũ, quę sunt æquè velocia, transmisere æqualia spatia; & tamẽ vnũ integra hora, alterum medietate horæ; ergo integra hora est æqualis dimidiatæ, atque adeò tempus duplũ est æquale dimidio. Assũptio probatur, quoniã mobile lapideũ confecit spatiũ quatuor palmorũ, vt ex hypothesi liquet, mobile etiã ferreũ, quia transmisit totũ mobile lapideũ, cõfecit etiã spatiũ quatuor palmorũ; siquidẽ hac lõgitudine illud esse posuimus: absoluit autem illud dimidiata hora, ergo dimidiata hora absoluit mobile lapideũ reliquã partẽ spatij, proindeque tẽpus duplũ manet æquale dimidio.

Hanc ratiocinationẽ ait Aristoteles esse captiosam, latereque fallaciã in spatio, quod decurritur: quia mobile lapideũ pertransijt spatiũ quiescẽs; mobile ferreũ traiecit spatiũ quod iebatur, nimirũ ipsum mobile lapideũ, at effatũ illud, Quęcunque duo mobilia &c ęt intelligi debet quando vtrunque mobile cum spatio quiescente confertur: tunc autem plus spatij decurrit mobile lapideum.

h At neque in ea) Subijcit rationes alias nõ quidẽ Zenonis, sed aliorũ, vt Psellus annotauit, quibus illi motũ à rebus auferre nitebãtur. Ac primũ quod nulla detur mutatio inter cõtradicẽtia ita suadebãt. Si subiectũ mutatur, intellige mutatione successiua, nec est in termino à quo, vt in nõ albo, nec in termino ad quẽ, vt in albo; vtique nec erit albũ, nec nõ albũ; cũ tamen de quolibet affirmare, vel negare liceat. Solutio est, cũ res pergit à termino à quo ad terminũ ad quẽ, vt cũ Socrates pedetentim albescit, semper alterã cõtradictionis partẽ veram esse, alteram falsam. Quia licet interim Socrates nec sit ex toto albus, nec ex toto nõ albus: vera tamẽ est altera pars aliatũ enuntiationũ, quę rite cõtradicẽtes sunt, præposita semel negatione etiã particulę ex toto, nimirũ Socrates est ex toto albus, Socrates nõ est ex toto albus. Est inquã vera posterior, quę negat Socratẽ omnes gradus albedinis assecutũ, quod prior affirmat.

Alia ratio ad tollendũ motum. Dilutio proximę rationis.

i Rursus in circulo) Omissa interpretatione Alexandri apud Simplicium, quę nobis minùs probatur, videtur Aristoteles proponere aliud argumentum tollentium motum: propterea quod si motus sit, fateri debeamus sphęram, & quæcunque in orbem aguntur, moueri simul & quiescere, quandoquidem ea quiescunt, quę in eodem loco aliquandiu manẽt:

Alia ratio.

quod enim è huiusmodi corporibus conuenit, cùm molem ad locum alium non traducunt.

Responsio. K Primũ enim } Respõdet in primis partes corporis, quę torquentur in gyrũ, mutare locũ dum alię alijs succedũt. Deinde ipsum etiã totum aliquo modo locũ mutare; quia sphęra, verbi gratia, nõ eandẽ semper circunferentiã, sed ratione diuersam obtinet. Nec enim eadem prorsus est, quæ incipit ab A. & in idẽ finitur, & quę inchoatur à B. in idemque desinit. Itaque licet sphęręę circunferentia subiecto vna sit, vt albũ & musicũ in Socrate, differt tamẽ consideratione, quia possumus in ea vbi libuerit initia, terminosque distinguere. Vnde concludit sphęram, & quęcunque in se ipsis mouentur, esto mole tota locũ nõ mutent, nõ tamẽ quiescere.

Capitis decimi Explanatio.

Problema. Solutio. HAIs demonstratis } Pertractat in hoc extremo capite, quod ab hoc loco cũ Perionio inchoamus, problema quoddã ad indiuisibilia pertinẽs; nimirũ vtrũne indiuisibile moueri queat? Declarat verò loqui se de indiuisibili quãtitatis, quale est punctũ, aut linea: moxque respõdet nullũ eiusmodi indiuisibile posse moueri per se, sed tantũ ex accidẽte, videlicet ad motũ magnitudinis, ĩ qua inest.

CAP. X.

HAIs *demonstratis dicimus id, quod partibus vacat, moueri non posse, nisi ex accidenti, vt si corpus, aut magnitudo in quo inest, moueatur, quemadmodũ si id, quod est in nauigio, nauigij latione, vel totius motu pars moueatur. Vacare autẽ partibꝰ id dico, quod quãtitate est indiuiduũ.* Text. 86.

Dubitatio. b Nam partium motus } Ambigeret quis nũ indiuisibilia moueantur, vt partes in toto. Hãc dubitationẽ vt diluat, inserit explicationem modi, quo partes mouẽtur, docẽs partibus bifariã cõuenire motũ, nimirũ aut per se, aut ratione totiꝰ, atque hãc diuersitatẽ palã conspici in motu sphęrę, quę etsi ęquabiliter in orbẽ agitetur, eius tamẽ partes alię tardiùs, aliæ citiùs ferũtur. Nam quę centro viciniores sunt, cũ circulũ breuiorẽ ęquali tẽpore cõficiant, tardiùs mouẽtur, quã quę ab eo lõgiùs absunt, quę eodẽ tẽpore circulũ maiorẽ peraguñt. Hic ergo motus ipsis partibꝰ proprius est, eisque per se cõuenit: & tamen eisdem ex accidente competit motus totius, quatenus in eo continentur.

Partibus bifariam conuenire motum.

Partium motus, qui ipsarũ per se est partiũ, & qui ex totius est motu, diuersi sũt. Ac differentiã quidẽ ipsã in sphæra maximè intueri aliquis possit. Earũ enĩ partiũ, quæ ad centrũ sunt, et quæ extra, totiusq; eadẽ celeritas nõ erit, quippe cũ vnus motus nõ est. c *Vt igitur diximus, id, quod partes nõ habet, ita cõtingit, vt moueatur, atque is, qui in nauigio sedet, nauigio ipso currẽte, per se autẽ nõ potest.* d *Mouetur enĩ ex A. B. in B. C. seu ex magnitudine in magnitudinẽ, seu ex forma in formã, seu in cõtradictionẽ: tẽpꝰ autẽ, in quo primo mutatur sit D. Certè necesse est, illud, quo tẽpore mutatur, aut in A. B. esse, aut in B. C. aut aliquid eius in hoc, aliquid in altero, quidquid enim mutatur, ita se habet. In vtroque sane aliquid eius nõ erit, partibus enim cõstaret. Nec verò in B. C. Mutatũ enim erit, sed mutari ponebatur. Quo igitur tẽpore mutatur, vt in A. B. sit, reliquũ est. Quãobrẽ quiescet. Nã tẽpore aliquo in eodẽ esse quiescere est. Id itaque quod partibus vacat, moueri nõ potest, nec omnino mutari. Vnico enĩ tantũ hoc modo moueri posset, si ex momẽtis tẽpus cõstaret. Nã sẽper in momẽto motũ esset & mutatũ, ita, vt nũquã moueretur, sed sẽper esset motũ. Hoc autẽ esse nõ posse ãtea mõstratũ est. Hoc enĩ tẽpus ex momẽtis est, nec linea ex pũctis, nec motus ex eius diuisionibus, quas κινήματα appellant. Nec enim qui hoc ait, aliud facit quã motũ, ex his quæ partibus carẽt, cõstare, quẽadmodũ sẽ tẽpus ex momẽtis, aut magnitudinẽ ex punctis.* Text. 87. Text. 88.

c Ex eisdem ex accidente competit motus totius, quatenus in eo continentur.

c Vt igitur diximus } Cùm indiuisibilia nõ sint partes magnitudinis, quasi magnitudo ex ipsis tanquã ex materia coalescat, admonet nõ posse illa moueri eo modo, quo partes; maximè cùm partibus non repugnet abiungi à toto, atque extrà per se moueri. Itaque indiuisibilia tantum mouentur, vt is, qui est in nauigio, motu nauis, hoc est ex accidente, & beneficio totius. Vbi aduerte non negare Aristotelem posse indiuisibilia in magnitudine existentia in se alterationem partiatim accipere; sed tantùm eis denegare alterationem eo modo, quo eã subeũt partes integrãtes, quę ita affectę sũt, vt à toto abiũctę propriũ, ac nõ iã toti cõmunẽ motũ obtinere queãt. De qua partiũ motione credit D. Thomas loqui Aristotelẽ hoc loco.

Respõsio ad propositam dubit.

d Mouetur enim ex A. B. } Probat iam non posse indiuisibile per se moueri, hunc in modum.

modum. Si indiuisibile lationem, aliumue motum subiret, vel interim esset omnino in termino à quo, vel omnino in termino ad quem; aut partim in vno, partim in altero. Si detur primum, non dum mouetur, si secundum, iam non mouetur; si tertium, necessariò diuiduum erit; siquidem eius, quod per se locum mutat, semper vna pars respondet vni parti magnitudinis, super quã fertur, alia alteri: & quod alteratione afficitur, potest secũdũ vnã partẽ priùs, secũdũ aliã posteriùs alterari, quod itẽ in accremẽto, & decremẽto perspicuè cernitur: quã oquidẽ indiuisibile, qua tale, nec minuitur, ne augescit. Quare fieri nequit, vt indiuisibile aliquẽ per se motum subeat.

Non posse indiuisibile per se moueri.

Text. 89. e *Ex his verò etiam manifestum est, nec punctum, nec aliud vllum indiuiduũ moueri posse. Etenim fieri non potest, vt quod mouetur, maius se prius transeat, quàm æquale aut minus. Quod si ita res habet, constat & punctum, aut æquale, aut minus prius transire. Cùm autem indiuiduum sit, fieri non potest, vt per minus ãtea moueatur. Quare per sibi æquale. Erit igitur linea ex punctis. Æquale enim semper transeundo, lineã totam punctum metietur. At si hoc esse non potest, ne id quidem esse poterit vt indiuiduũ moueatur.*

e Ex his verò etiã) Demõstrat idẽ theorema priuatĩ in motu locali hũc in modũ. Id, quod mouetur loco, priùs decurrit spatiũ æquale sibi, aut etiã minus, quàm maius. Igitur si pũctꝰ supra lineã per se ferretur, priùs trãsiret aliquid sibi æquale, aut minus, quod fieri nequit. Vel enim cõstaret linea ex solis pũctis, quibus sese adæquaret pũctũ eã traijciẽdo, vel aliquid minus pũcto in linea daretur, quod non minùs est absurdũ.

Indiuisibile non moueri loco.

Text. 90. f *Rursus si res omnis in tempore, & nihil in momento moueatur, omne autem tẽpus diuiduum sit, erit vtique tempus eo minus, in quo id, quod mouetur, æquale sibi spatium conficit. Id enim, in quo mouetur, tempus erit, quod in tempore res omnis moueatur, tempus ꝗ omne diuiduum esse antea fuerit monstratum. Si igitur punctum mouetur, erit aliquod tempus eo minus, in quo est motũ. Sed esse non potest, quod in minori minus necessariò conficiatur. Quare indiuiduum, in id, quod minus est, diuiduum erit, perinde ac tempus in tempus. vnico enim tantum modo moueri posse id, quod partibus vacat, & diuidi non potest, si in temporis momento indiuiduo liceat moueri.*

f Rursus si res omnis) Idẽ probat ratione sũpta à diuisione tẽporis. Nã cũ motus omnis in tẽpore sit, & omne tẽpꝰ in sẽper diuidua secari possit, licebit in quouis motu designare tẽpus minus eo, in quo mobile peragit spatiũ sibi æquale. Quare cũ minori tẽpori respõdeat minus mobile, vel minor eiusdẽ mobilis pars, iã indiuisibile diuiduũ erit, quod fieri nõ potest. Vnde cõcludit Aristoteles ea tãtum ratione potuisse indiuisibile moueri, si motus puncto temporis fieret. Tunc enim non oporteret partem temporis parti motus, aut partem motus parti magnitudinis respondere.

Omne tẽpus secari posse in semper diuidua.

Perinde enim est in momento moueri, & indiuiduum aliquod moueri.

Text. 91. g *Atqui & mutatio infinita nulla est. Etenim è quopiam in quidpiam omnis est, tam ea quæ in contradictione, quàm ea quæ in contrarijs. Quare earum, quæ in contradictione, affirmatio & negatio, terminus est, generationis quidem ens, interitus nõ ens. Earum autem, quæ in contrarijs, contraria: hæc enim sunt mutationis extrema. Ideo & omnis alterationis, cùm ex contrarijs quibusdam alteratio sit. Similiter accretionis & imminutionis: accretionis quidem terminus, eius est magnitudinis perfectæ, quæ cuiusque naturæ propria est, imminutionis autem ab eadem recessus.*

g Atqui & mutatio infinita) Demõstrauit cõtra Democritũ nullũ indiuisibile per se moueri posse, nũc cõtra Heraclitũ, qui omnia iugi motu versari aiebat, hoc theorema cõstituit. Nulla mutatio perpetua, aut infinita est. Quod ita probat. Nulla mutatio extremis contenta potest

Nullam mutationem perpetuam, aut infinitam.

Text. 92. h *At verò latio hoc quidem modo terminata non erit, propterea quod omnis in cõtrarijs nõ est. Sed quoniã id, quod diuisũ esse ita nõ potest, vt diuisũ eße nõ possit (multipliciter enĩ id, quod nõ potest, dicitur) nõ potest id inquã, quod ita nõ potest, secari, nec omnino id generari, quod genitũ esse nõ potest: nec profecto id quod mutatũ esse nõ potest, mutari in id*

Text. 93. *cõtinget, in quod nõ potest mutatũ esse. Si igitur quod fertur, in aliquid mutatur, in id quoque potest mutatũ esse. Ideo*

esse infinitã: atqui omnis mutatio extremis continetur; nulla igitur infinita esse potest. Minorem suadet. Namque generatio est inter non ens, & ens; corruptio inter ens & non ens; alteratio est inter qualitates contrarias, vt inter album & nigrum; accretio est inter quantitatem imperfectam & perfectam tanquam progressio ab illa ad hanc; decretio verò est ab hac ad illam discessus; item latio recta est inter superum & inferum, aliasque locorum differentias. Fieri verò nequit vt id, quod extremis clauditur, infinitudinem obtineat.

Quo pacto omnis latio sit inter contraria.

h At verò latio } Posset quis dubitare quo nam pacto latio omnis inter contraria sit & extremis coerceatur, præsertim cùm id non videatur motui circulari competere. Hoc vt explicet hypothesim quandam præmittit; nimirum, id tantum mutari, quod potest mutatum esse, verbi gratia, id posse albescere, quod album effectum esse potest. Hinc declarat quot modis ἀδύνατον,

Quot modis dicatur impossibile.

ideſt, impossibile sumatur; aitque sumi pro eo, quod vix, aut difficile, aut non recte, aut nullo modo esse potest. Tum affirmat si latio corporis alicuius nullum finẽ habere queat, omnino accidere non posse, vt eiusmodi corpus mutatũ sit:

Ideo motus infinitus non est, nec per infinitum feretur, quod fieri non possit, vt transeatur. Nullam igitur mutationem ita esse infinitam, vt terminis non sit finita, manifestum est. i *Verum dispiciendum est, an sic esse possit, vt vna eademq; tempore sit infinita: Nam si vna non fiat, nihil forsitan prohibet: vt si post lationem alteratio sit, & post alterationem accretio, & rursus generatio. Ita enim perpetuo tempore motus erit, sed non vnus, quod ex vniuersis vnus non fiat. Vt autem vnus tempore infinitus sit, præter vnum, fieri non potest. Atque hic quidem vnus est ipsa conuersio.* Text. 94.

quia id tantùm deferri potest, quod delatũ esse potest: quẽadmodum impossibile est diuidi, quod impossibile est esse diuisum, & generari, quod impossibile est esse genitũ. At enim cùm nihil mutetur, quod subinde non sit mutatum, necessariò motus omnis inter extrema, eaque repugnantia continebitur.

Quæstio. Responsio.

i Verum dispiciendum est } Quæstionem excitat num motus ita extremis claudantur, vt infinitudinem obtinere possint. Respõdet si loquamur de motibus specie diuersis, cuiusmodi sunt latio, alteratio, accretio, & decretio, nihil obstare quominus eis infinitudo insit, posita videlicet mundi æternitate. Potest enim altera io lationem subsequi, accretio alterationem; accretionem decretio: rursusque possunt ijdem motus in orbem regredi, seque alternis vicibus excipere. Si autem de motu, qui secundùm numerum vnus appellatur, agamus, censet Aristoteles dari quidem in singulis sphæris cælestibus motum vnum perpetuum, ac nunquam deficientem, qui ita vnus numero sit, vt ex multis circuitionibus constet. Qua de re octauo huius operis vberiùs disputandum erit, vbi dogma Aristotelis de mundi, & generationum, motuumque sempiternitate, confutabimus.

QVÆSTIO I.

VTRVM INDIVISIBILE PER SE moueri possit, an non.

ARTICVLVS I.

OPINIO SCOTI ET ALIORVM existimantium posse.

Cùm

De quo indiuisibili sit quęstio.

QVM indiuisibile duplex sit, alterum positionem habens in continuo, vt punctum; alterũ non habens, vt Angelus; proposita quæstio de priori duntaxat indiuisibili intelligẽda est. Neque verò in cõtrouersiã vocatur posse ne eiusmodi indiuisibile ex accidente seu ad motum continui, in quo est, moueri; perspicuum est enim posse. Tantùm igitur quærimus nũ puncta, lineæ, & superficies, si à subiecto separata cohærerent, per se lationem subire possent. Scotus in 2. d. 2. q. 9. eiusque nonnulli sectatores affirmatiuam tuentur partem. Ne autem Aristoteli, qui cap. 10. huius libri oppositum ex professo docuit, repugnare videantur, aiunt successionem continuitatemque lationis duplici ex causa prouenire, quarum vtramuis, vt aliquid continuè moueatur, sufficere contendunt: nempe aut ex parte spatij, quia continuum diuiduumque est; aut ex parte mobilis, quia scilicet res mota ex partibus sibi cohærentibus, & continuis constat. Etenim propterea quod mobile, siue diuisibile siue indiuisibile sit, priùs vnam spatij partem, quàm aliam conficit, iccirco in latione ratione spatij successio & cõtinuitas visitur: quia rursus mobile diuiduum priùs secundum vnam sui partem transmittit punctum aliquod fixum, quàm secundum alias, ideo ex parte mobilis in motu ad locum successio & continuitas inest. Aiunt igitur Aristotelem tantùm negasse indiuisibile posse per se continuè moueri ea continuitate, & successione, quæ à mobili desumitur: secundum hanc enim mobile partim in termino à quo, partim in termino ad quẽ esse oportet, vti idem Arist. superiùs ostẽdebat. Verùm nihil obstare quominùs indiuisibile eam motus continuitatem quæ ab spatio petitur, obtinere queat.

Sentẽtia Scoti, & aliorũ.

Lichetus in 2. d. 2. q. 9. Basolius ibidem q. 4. art. 2. Maironius q. 12.

Cap. 10 huius libri tex. 87.

Vt sibi Aristotelem conciliant.

Videtur autem hæc sententia probari posse. Primum ita, si corpus perfectè sphæricum supra aliud perfectè planum moueatur, indiuisibile illud, quo sphæricũ tangit planum, ciebitur continuè per totam lineam plani, sicuti & ipsum corpus sphæricum, in quo inest: sed eadem videtur esse ratio in puncto separato, si virtute diuina vel ab Angelo per eãdem lineam deferatur. Potest igitur indiuisibile per se moueri, & quidem motu continuo.

Eorum argumenta.

A motu globi per planũ.

Secundò. Si fieri non posset vt punctum separatum per se moueretur ex eo esset, quia deberet post vnum punctum spatij aliud ipsi immediatum contingere; proindeque continuum ex solis indiuisibilibus constare. Atqui hæc ratio si vim haberet etiam concluderet punctum corporis perfectè sphærici non posse ex accidente moueri: siquidẽ post vnum punctum spatij aliud priori immediatum contingere deberet. Nihil ergo impedit quominus punctum separatum possit per se moueri.

A motu puncti separati.

Tertio. Immediatè post hoc instans, quo punctus globi tangit planum, punctus globi mouetur; nec enim vllam quietis moram inter-

interponit. Igitur immediatè post cietur continuè. Nec satisfaciet qui dixerit moueri continuè ratione temporis, non ratione spatij. Nam partes temporis, & partes spatij, vt docet Aristoteles cap. 2. huius libri, mutuò sibi respondent. Quare si immediatè pòst pũctus globi mouetur tempore continuo; vtique partibus temporis continui oportebit respondere in plano partes cõtinuas lineæ, quas punctus decurrat.

A motu angeli ad indiuisibile collecti.

Quarto. Si Angelus sese ad punctum çolligat, poterit continuo motu ad locum alium demigrare. Ergo pari ratione indiuisibile quãtitatis continuo motu agitari poterit.

ARTICVLVS II.

VERÆ OPINIONIS explicatio.

Assertores partis negatiuę.

EA tamen sententia quæ negat indiuisibile posse per se moueri Aristotelica est & verior, quam sequitur Auerroes 4. huius operis comm. 32. & hoc in lib. comm. 86. AEgidius ad tex. 87. Alb. M. tract. 2. c. 1. Iandunus quæst. 13. Capr. in 2. d. 2. quæst. 1. & plerique alij. Ac primũ quod ita senserit Aristoteles inde patet, quia ad calcem tertij capitis docuit omne mobile diuiduum esse, & cap. 4. tex. 33. omnem motum sectione rei motæ secari, & 8. lib. cap. 5. tex. 40. quidquid mouetur continuũ esse, ac proinde in semper diuidua dispertiri posse. Quare non videtur dubitandum quin apud Aristotelẽ omnis motus tã ex parte spatij, quã ex parte rei motæ cõtinuitatẽ requirat. Accedit quòd si dum Aristoteles ait indiuisibile non posse continuo motu cieri, de sola continuitate mobilis, vt Scotus putat, loqueretur, certè non tot rationes ad rem adeò notam & perspicuam cumulasset. Quis enim motum rei indiuisibilis ex parte mobilis indiuisibilem esse ignorat?

Aristotelis testimonia.

Quidnã sit agitari continuo motu super magnitudine.

Deinde huius sententiæ veritas secundum se ita probatur. Rem quampiam per se ac ratione sui super tota aliqua magnitudine cieri, nihil aliud est, quàm per se ac ratione sui singulis ipsius partibus successiuè adæquari commensurarivè, cùm igitur indiuisibile non nisi indiuisibili exæquari valeat, ea duntaxat ratione defendi posset (vt Aristoteles ad tex. 88. argumentabatur) indiuisibile per se moueri, si magnitudinem ex indiuiduis tantùm partibus coalescere, & indiuisibilia in continuo immediata esse admitteremus, at neutrum horum admitti debet. Non igitur indiuisibile continuo motu cieri potest. Atq: hoc fundamento Aristotelica opinio potissimùm niti ita-

Fundamentũ Aristotelicę opinionis

bilirique videtur. Etenim quia id solum, quod est diuisibile, partibus magnitudinis adæquatur, opus est, vt omne, quod per se mouetur, dum mouetur, partim sit in termino à quo, partim in termino ad

quem;

quem: oportet item vt omne, quod per se mouetur, priùs spatium minus, aut æquale sibi, quàm spatium maius conficiat. Quæ erat ratio Aristotelis.

Addubitant hoc loco iuniores Philosophi, num saltem diuina vir tute fieri possit, vt indiuisibile continuè per se moueatur. Respondent plerique, nec sine probabilitate, posse. Nulla enim implicatio contradictionis videtur esse, vt Deus pũcto diuisibilitatem quãdam virtualem conferat æmulam eius, quam substantiæ materiæ expertes vendicant; ita nimirum vt quemadmodum Angelus, verbi gratia, etsi impartibilis sit, spatio tamen diuiduo coexistit; ita punctus licet in se partibus careat; nihilominus lineæ respondeat. Sanè verò si hæc diuisibilitas puncto diuinitus tribuatur, clarum est ex continuo illius motu non sequi lineã ex solis indiuisibilibus confici: quia tunc punctus non soli puncto, sed lineæ commensurabitur. Si autem petas quid nam id esse debeat, cuius beneficio punctus ea ratione sectilis efficiendus sit. Occurrendum, esse modum quendam supra illius ingenium & naturam; quẽ impossibilem non esse suaderi potest exemplo diuinæ Eucharistiæ, in qua corpus Christi modum quẽdam supra omnem naturæ vim à Deo accipit, per quem modum cuiuis parti specierum, quantumlibet exiguæ, totum respondet. Itaque vt corpus Christi sacramentaliter existens, parti specierum multo minori se respondet; ita fieri posse videtur, vt punctum, quoad sitũ, parti se maiori (etsi diuisibile cõparatione indiuisibilis non rite maior dici consueuit) hoc est diuisibili commensuretur.

Dubitatio.

Responsio.

Posse punctũ diuina virtute respondere magnitudini.

ARTICVLVS III.

DILVTIO ARGVMENTORVM primi articuli.

NVnc ea soluamus argumenta quibus probari videbatur posse indiuisibile per se moueri. Ad 1. dicendum est punctum globi non per se continuum motum subire, sed per accidens secundo modo, ratione globi, qui quidem respectu aeris ambientis, quem decurrit, continuè mouetur; non autem cõparatione plani supra quod fertur, quia non tangit in eo puncta continuè, quæ continua esse nequeunt: sed quemadmodum post quodlibet pũctum sequuntur infinita puncta discretè, ita post quodlibet tangit discretè infinita.

Dilut. 1.

Ad secundum concessa maiori propositione, neganda est minor, dicendumque si punctum per se continuè moueretur, futurũ vt per se adæquaretur magnitudini, quę tunc non posset non confici ex indiuiduis partibus: at cùm ratione globi continuè cietur, non requiri eius-

Dilut. 2.

eiuſmodi adæquationem, proindeque non ſequi vnum punctum aliud ſibi proximum contingere.

Dilut.3. Ad tertium reſpondendum eſt immediatè poſt inſtans, quo punctus globi tangit planum, moueri punctum continuè, vt paulò ante dicebamus, non ratione ſui, ſed globi, qui licet non ex parte plani, quod tactu diſcreto attingit; tamen ſecundum proprium ipſius vbi, & circumiectam ſuperficiem continuè fertur. Non oportet autē vt ipſi puncto aliqua pars continua reſpondeat: quia tunc ſolùm partes temporis & ſpatij ſeſe mutuò dimetiuntur, cùm id, quod mouetur, per ſe motum ſubit. Sed obijcies. Globus ex parte inferiori, qua planum tangit, non ceſſat à motu. Igitur non ſolum comparatione vbi, & ſuperficiei circumfuſæ; ſed etiam reſpectu plani, quod tamen per indiuiſibile duntaxat contingit, continuo motu fertur. Ex quo ſequitur ipſum etiam punctum per ſe continue moueri, cum globus non niſi illius interuentu tangat planū. Huic obiectioni, quæ in hac cōtrouerſia præcipui momenti videtur, occurrendum etſi globus ex parte inferiori, qua interiectu ſolius puncti planum tangit, non ceſſet pergere; haud tamen iccirco reſpectu eiuſdem partis, & comparatione plani continuè moueri. Ideo enim dicitur non ceſſare, quia nō intermittit contactus diſcretos: nec vllum prætcrit temporis momētum, cui ſuus contactus non reſpondeat.

Lege Auerroem 1. de cœlo comm. 32. Ochamū in 1 quodl. q. 9. Greg. in 2. d. 2. q. 2. art. 1. AEgid. 1. de gen. q. 8.

Obiectio.

Solutio.

Dilut.4. Ad quartū AEgidius in 1. d. 37. q. 2. Gregorius in 2. d. 2. q. 2. art. 2. D. Bonau. q. 3. Alenſis 2. p. q. 32. n. 3. Heruæus tract. de motu Angelorum, alijque nonnulli hypotheſim non admittunt, negantque poſſe Angelum ſeſe ad punctum colligere. Veriſimilior tamen eſt oppoſita ſententia, quam tuetur D. Thomas 1. p. q. 52. art. 2. & Scotus in 2. d. 2. q. 6. & cōplures alij cum Magiſtro in 1. d. 37. Nam cùm Angelus materiæ expers ſit, neque à corpore locovè pendeat, nihil officiet quominus ſeſe ad punctum contrahere poſsit. Hypotheſi ergo conceſſa inficiandum eſt poſſe tunc Angelum per ſpatium continuè moueri, cùm eadem abſurda ex continuo illius motu, quæ ex motu continuo puncti ſequantur. Quare qui concedunt poſſe ab Angelo punctum ſeparatum continuè deferri, debent id, ſi modò rectè ſentiant, intelligere de Angelo, qui per virtualem ſuam extenſionē diuiſibili ſpatio coexiſtat. Quo in euentu eodem pacto, quoad rationem continui & diſcreti, mouebitur punctum, quo mouetur dum in globo inſidet, nimirum diſcretè, ſi comparetur ad puncta quæ tāgit: & continue per accidens, quatenus defertur ab Angelo, qui per planum continuè mouetur. Licet hoc, præter alia, inter eum motū, quo Angelus, & eum, quo globus planum percurrit, diſcrimen ſit, quòd Angelus tactu virtutis tangat continuum: globus verò tactu quantitatis ſola puncta.

Marſilius in 2. d. 2. q. 2. a. 1.

Rich in 1. d. 37. in 2. prin. q. 2. Ochamq quodl. 1. q. 4. Gab. in 2. d. 2. q. 2. art. 3.

Poſſe Angelum colligere ſe ad punctum.

FINIS SEXTI LIBRI.

IN SEPTIMVM LIB. PHYSICORVM ARISTOTELIS.

PROOEMIVM.

NONNVLLI Aristotelis interpretes hunc librum tanquam subditicium, aut superuacaneum reiecerunt. Sed enim & stylus ipse, & ratio doctrinæ cum reliquo opere planè cõsentiens Aristotelicũ esse probant, vt ait Simplicius, Auerroes, D. Thomas, & alij. Neque officit quod huius, & octaui libri idem pene argumentum, & institutum sit. Videtur nãq; Aristoteles in hoc libro pictorum more futurum opus rudioribus lineis adumbrasse, vt eorum, quæ in octauo exquisitiùs tractanda erant, prænotione aliqua instructi singula postea facilius comprehẽderemus. Est autem hic liber in duas partes distributus. Prior continet theoremata quædam de principio motus, atque in id præcipuè incumbit, vt ostendat dari in rerum natura vnum primum motum, primumque motorem. Posterior mouentia, & mobilia quoad velocitatem, & tarditatem motus inter se confert. Non debet autẽ alicui mirum videri, quod hoc loco sermonem habeat Aristoteles de Deo, primoq; rerum principio, cuius contemplatio, ac scientia primi philosophi, qui supremas rerum causas, & communissima principia scrutatur, propria esse videtur. Etenim aliter Metaphysicus, aliter Physiologus de prima causa disputat. Ille enim primæ causæ naturam, & attributa sine respectu motus considerat; hic eiusdem contemplationem eatenus attingit, quatenus cœlestem efficit motionem, & omniũ naturalium causarum analysim in se terminat.

Capitis primi explanatio.

Theorema in Physiologia illustre.

QVICQVID mouetur) Aduertendū primo est in quibusdam exemplaribus hunc librum non ab hoc loco inchoari. Verùm nostra lectio, quam Simplicius sequitur, probatior est, & in vetustis codicibus inuenitur. Porro Aristoteles vt ad id, quod instituit, rem deducat, statuit in fronte huius libri illustre quoddam theorema, quo, vt ait Simplicius, reliqua Physiologiæ theoremata ad rem mouentem spectantia innituntur, videlicet Quidquid mouetur, ab alio moueatur necesse est. Loquitur autem Aristoteles de eo, quod per se, & primò mouetur, non quia aliquid eius cieatur. Disputat ergo in hunc modum. Quę extrinsecus agitantur, vt pulsa, siue proiecta, perspicuū est ab alijs moueri. Quod verò etiam illa, quę ab intrinseco mouẽtur principio, ab alio incitari non repugnet, ostendi pot est, primùm quia etsi motor oblitescat, nõ cõtinuò asserendum est idem esse mouens, & motum. Neque id impedimento esse debet, quo minus assentiamur rationi, quæ oppositum astruit.

Accipit ergo mobile A. B. quod primò, ac per se moueatur. Deinde mobile D. E. F. cuius pars D. E. moueat partẽ E. F. & dum mouet mòueatur, sic vt totum D. E. F. moueatur; & tamen lateat vtrũ D. E. moueat. E, F. an è conuerso. His positis, si quis, inquit, A. B. à se moueri putet quia totum mouetur, & nullus externus motor apparet, perinde erit, ac si existimet totum D. E. F. cuius vna pars alterã mouet, se ipsum primò, ac per se moueri; quia non cernitur vtra partium alteram moueat. Atqui hoc existimare ignorantię est: ergo & illud. Quare A. B. à se ipso primùm, ac per se nequaquam mouetur.

ARISTOTELIS Physicorum.

LIBER SEPTIMVS.

CAPVT. I.

QVidquid a mouetur, ab aliquo necesse est moueatur. Text. 1. *Nam si in se motionis principium non habet, ab alio moueri manifestum est. sin in se, sumatur A. B. quod moueatur, non ex eo, quia aliquid sui mouetur. Primum igitur censere A. B. á se moueri, quia & totũ & à nullo, quod extra sit, moueatur, simile est ac siquis cùm D. E. mouet E. F. & ipsum vna mouetur, ipsũ D. E. F. á se ipso moueri existimaret, quia non perspiciat, vtrum ab vtro moueatur, vtrum inquam D. E. ab E. F. an E. F. ab ipso D. E.* b *Præterea quod à se mouetur, ex eo, quod aliud à motione desinat, moueri nũquam cessabit. Si igitur, quod aliud fiet, moueri aliquid desinet, ab alio id moueatur necesse est. Hoc declaratio, id, quod mouetur, necesse est ab aliquo moueri. Cũ enim sumptũ sit A. B. moueri, diuiduum erit diuiduum nãque est quidquid mouetur. Diuidatur igitur in C. certè C. B. quiescente, A. B. necessario quiescet. Quòd si non quiescat, sumatur moueri. Igitur C. B. quiescente, mouebitur A. C. Quamobrem A. B. non per se mouetur, quod per se primo positum est moueri. Patet igitur B. C. quiescẽte, etiam A. B. quiescere, & tunc moueri desinere.* Text. 2.

At

b Præterea quod) Idem theorema apertiùs demonstrat præmissa hac hypothesi: nihil, quod à se ipso mouetur, ideo cessat à motu, quia aliud quid moueri desinit (siquidem eius motus ab alio non pendet) & quod inde consequens est, quidquid altero

quies.

quiescente à motu desistit, id neutiquam à se ipso mouetur. Deinde ita demonstrationem concludit. Sit A. B. quod per se primum mouetur; huiusmodi mobile, quoniam necessariò diuiduum erit, nec enim insectile motum physicum subit, diuidatur in se. Deinde ponamus quiescere primam eius partem, nimirum, A. C. aut igitur quiescente, A. C. totum A. B. mouetur, aut quiescit. Si mouetur; vtique non a se primùm mouetur: quādoquidem vna parte quiescente, & altera duntaxat mota, moueri dicitur. Si quiescit, facilè etiam conuincitur non moueri à se primùm; quia quod à se primùm mouetur, non quiescit propterea quod alterum moueri desinat, vt ex hypothesi liquet.

c Quoniam autem quidquid mouetur } Ex superiori theoremate, quod vniuersim astruebat quidquid mouetur ab alio moueri, particulatim colligit id, quod loco mouetur, non posse non moueri ab alio. Tum demonstrat in mouentibus non dari progressum infinitum, sed deueniendum tandem ad aliquod mouens primum, quod non iā ab alio motionem excipiat. Duo tamē priùs sumit. Alterum est, positis infinitis mouentibus & mobilibus, essentialiter subordinatis, necessariò omnia illa mobilia motum subire, eorum vno motum subeunte. Alterum est, vnumquodq; eorum mouentium determinatum à certis extremis, definitum motum vendicare. Cuius rei occasione nō nulla repetit ex ijs, quę de vnitate motus libro quinto disseruerat.

Cōditiō mōuentium quę essentialiter subordinata sunt.

At si quid, quòd aliud stet, quiescat, & moueri desinat, ab alio illud mouetur. Manifestum itaque est, cur ab aliquo moueatur quidquid mouetur. Diuiduum enim est quidquid mouetur, & parte quiescente totum quiescet.

Text. 3. c *Quoniam autem quidquid mouetur ab aliquo mouetur, necesse est etiam quidquid mouetur in loco, ab alio moueatur: itaque & quod mouet, ab alio, quandoquidem & ipsum moueatur, & rursus id ab alio. Non tamen in infinitum res abit, sed alicubi stabitur, & aliquid erit, quod*

Text. 4. *motionis princeps causa erit. Nam si non sit, sed in infinitum progressio sit, moueatur A. à B. & hoc à C. rursus C. à D. atque hoc modo in infinitum res abeat. Cum igitur id quod mouet, simul moueatur, constat A. & B. simul moueri. Nam cum B. mouetur, ipsum quoque A. mouebitur. Igitur & C. cum B. mouetur, & D. cum C. Ipsorum itaque A. B. C. & cæterorum cuiusque simul erit motio, & eorū vnumquodque sumere poterimus. Nam etsi à singulis singula moueantur, nihilominus numero vniuscuiusque est motus, & non infinitus extremis, quia quidquid mouetur, ex aliquo ad aliquid*

Text. 5. *moueatur. Fit enim vt aut numero sit idem motus, aut genere, aut specie. Ac numero quidem eundem motum eum dico, qui in eodem tempore ex eodem numero in idem efficitur, vt ex hac albedine, quæ est numero vna, in hanc nigredinem hoc in tempore, quod numero est vnum; nam si in alio non numero vnus erit, sed specie. Genere autem idem est motus, qui in eadem categoria aut substantiæ, aut alterius generis. Specie vero, qui ex eodē specie ad idē specie est, vt ex albo ad nigrū, aut ex bono ad malū specie non differens. Hæc autē, an-*

Text. 6. *tea quoq; sunt tradita.* d *Sumatur igitur ipsius A. motus, qui sit E. & motus ipsius B. qui sit F. itē motus ipsius C. qui sit. G. de-*

d Sumetur igitur ipsius A. motus } Probat non dari infinitam progressionem in mouentibus, quia alioqui sequeretur dari motum infinitum tempore finito, quod minimè fieri posse cap. 7. superioris libri demonstratum fuit. Consecutio autem ex eo probatur, quia licet singuli motus eorum corporum finiti essent, eorum tamen omnium collectio in motum quendam infinitum euaderet. Quare cùm positum sit illa omnia vno tempore moueri, consequens esset, vt dum mobile A. mouetur, omnia simul mouerentur, at mobile A. finito tempore motum absoluit, quia inter finitos terminos versatur: omnia igitur finito tempore infinitum motum conficerent.

Non dari progressū infinitū in mouentibus.

e At si quod primo in loco } Quia non videbatur absurdum infinita corpora finito tempore cieri, cùm eorum motus non vnus, sed simpliciter plures re vera futuri essent. Occurrit

Aristotele planiùs ostendens eius positionis absurditatem. Nam cùm nihil obstet quò minus illa infinita corpora, saltem quæ continua sunt, in vnum coire valeant, fiet vt vnum corpus infinitum ex illis coagmentatum vnicam infinitam motionem finito tempore conficiat. Loquitur autem de motione circulari, qua etiam ad breue tempus infinitum corpus moueri nõ potest, quin infinitum spatium conficiat, vt libro 3. ostensum fuit. De motu autem recto iccirco nullam facit mentionem, quia planum erat non posse illum cadere in infinitum corpus, eo quod locum, quò cedat, non habet: siquidem moles illa, quę ex infinitis corporibus emergeret, omnia spatia quoquouersum occuparet.

Planum esse non posse cadere motum rectũ in cõtpus infinitũ.

Aduerte Galenum referente Simplicio, itemque Auicẽnam quędam ex ijs, quę ab Aristotele in hoc capite afferuntur in reprehensionem vocasse, Galenum quidem id quod ad tex. 2. scriptũ est, videlicet nõ moueri per se mobile, cuius vna pars quiescat, altera moueatur. Nam si Socrates, inquit, per se moueri dicitur, quod anima, quę eius pars est, ipsum moueat, cur etiam non per se moueri dicendũ erit id, cuiꝰ vna pars mouetur? Auicenna autem secundam Aristotelis demonstrationẽ vituperat, aiens eam progredi ex hypothesi impossibili, quia sumit quiescere partem totius, quod per se primo mouetur, quod repugnantiam inuoluit.

Ratio Galeni contra Aristotelem.

Ratio Auicẽnæ cõtra eũdem.

Non erit tamen difficile hęc obiecta diluere. Nam Galeno occurrendũ est cum D. Thoma, & Commẽtatore, per se moueri, bifariam sumi. Nimirum vel aput distinguitur ab eo, quod mouetur ex accidente, qua ratione mouetur per se Socrates, etsi moueatur animæ beneficio: mouetur verò ex accidente album, quod Socrati inhęret. Vel, prout simul opponitur tam ei, quod ex accidente ad modum nunc explicatum, quam quod secundum partem, mouetur. Aristotelẽ verò per se moueri, vsurpasse non secundũ priorem sensum, de quo tantum Galeni ratio concludit, sed secundum posteriorem.

Dilutio rationis Galeni.

G, demũ motus ipsius qui sit, H. sumatur & tempus, in quo A. mouetur, & sit K. Eius igitur motus terminatus cum sit, terminatum erit & tempus K. & non infinitum. At in eodẽ tempore & A. & B. & cæterorum vnũquodque mouebatur. Accidit igitur vt motus E. F. G. H. infinitus finito K. tempore fiat, cùm eo in tempore, in quo A. mouebatur, omnia etiam, quæ deinceps posita sunt, quæ quidem sunt infinita, mouerentur. Quamobrem eodem tempore mouentur. Motus enim ipsius A. motui ipsius B. & aliorum aut æqualis erit, aut eo maior, nihil autem refert. Omnino enim infinitam motionem tempore finito accidit fieri, quod esse non potest. Ità igitur id, quod à principio demõstrari videbitur, quod nullum tamen incommodum accidat, haud quaquam demonstratur. Finito enim tempore infinitus motus esse potest, nõ idẽ tamẽ, sed alius, et alius, si quæ mouẽtur multa sint, ac infinita, quod in his euenit, quæ nũc sumpsimus. c At si, quod primo in loco, & motione corporea cietur, tangere id, quod mouet, aut ei esse cõtinuũ necesse est, vt in omnibus fieri conspicimus. vnũ namq; ex omnibus, aut continuum erit. Quod igitur esse potest sumatur, & sit magnitudo, aut continuum A B C D. eius autem motus E F G H. Ac nihil quidem refert, vtrum finitum sit an infinitum. Similiter enim finito tempore K. aut finitum aut infinitum mouebitur, quorum vtrumque ex his est, quæ esse non possunt. Constat igitur statum tandem esse & id, quod est ab alio moueri, in infinitum non progredi, sed aliquid esse, quod primum mouebitur. Nihil autem interfit, aliquo posito, hoc demonstrari. Eo namque quod esse potest, posito, nullum euenire incommodum oportebat.

Text. 7.

Text. 8.

Text. 9.

Arabi autem facilè resistet qui dixerit rationem Aristotelis nõ ita esse intelligendam, quasi absolutè sumat quiescere partem eius, quod per se primò totum mouetur, sed tantùm vti pronuntiato cõditionali, nempe si cuiuslibet rei motæ per se aliqua pars quiescat, totũ quiescere: ita vt proposita ratio hunc in modũ concludatur. Si quid moueret se per se primò, eius motus à nullo alio pẽderet: atqui motus cuiuslibet totius, quod mouetur, pendet ex partibꝰ, earumq; motibus: quia si ipsę quiescerẽt, totum quiesceret; non autẽ contra, siquidẽ potest vna pars moueri, nõ moto toto. Igitur motus non inest alicui habenti partes, a se primũ. Sed omne mobile partes habet. Ergo omne, quod mouetur, ab alio mouetur, ac per partes ei motus inest.

Respõsio ad rationẽ Auicennę.

QVAESTIO

QVÆSTIO VNICA.

NVM OMNE, QVOD MOVETVR, ab alio moueatur.

ARTICVLVS I.

VIDERI MVLTA A SE ipsis moueri.

De hac re Scotus in 2.d.2.q.1.& in 4.d.12.q.3. Aegidius quodl 8. q.12. Hericus Gād. quodl.10.q.9. Antonin. nd. 9.Metaph q 1. D.Th.1 p. q. 56 art. 1. Richa. in 1. d 3. in 6. prie. q 1 Aegidius in tract. de angelis q. 1 de cognit. Ang. Capr. D. Bo. Dur. Scotus in 2.d.3.

NEgatiuam partem quæstionis hæc argumenta suadent. Intellectus, & voluntas manant a substantia animæ rationalis tanquam à causa sua effectrice, vt est multorum Philosophorum sententia; & in eandem met animæ substantiam recipiuntur. Ergo idem omnino agit, & patitur; mouet, & mouetur. Primum arg.

Secundò. Intellectus mouet se ipsum actu intelligendi, & eundē actum sustinet; itemque cùm Angelus se ac vim suam intellectricē concipit, tam eius substantia (quod multi primi nominis Philosophi sentiunt) quàm intellectus ipse eiusmodi notionem efficienter edūt, & eandem recipiunt: ergo in huiusmodi actionibus causa agens non differt à patiente. 2.arg.

Tertiò. Multæ qualitates se ipsas intendunt; ergo idem à se ipso alteratur, atque adeò non omne, quod alterationis motum subit, ab alio motum accipit. Antecedēs probatur; quia calor ventriculi hyeme augescit, vt testatur non solū Hippocrates aphorismo. 15. sed experientia ipsa; ideo enim tempore hyemali melior fit decoctio, & acrior viget cibi appetentia. Nec satisfaciet, qui dixerit calorem nō à seipso augeri, sed per antiperistasim à frigore circumiacente. Non enim verisimile videtur posse calorem à qualitate sibi aduersa intēdi; cùm ea sit contrariorum natura, vt se potiùs demoliantur & intereimant. Præterea suadetur adhuc idem antecedens exemplo radiorum solarium, qui cùm per flexionem in se reciprocant, se ipsos intendunt: inde enim est, quod aer terræ vicinus à sole magis incalescit, & plus æstate, quàm hyeme; nimirum quia radij solares verno tempore per lineas magis accedentes ad perpendiculum retorquentur, & arctiùs coeunt, atque ita in eo flexu maiora lucis incrementa sibi afferunt, proindeque aerem calidiorem reddunt. Denique cōmune est axioma Philosophorum, traditum in libro de causis quam libet vim se ipsam colligētem atque vnientem, fortiorem, quàm diffusam 3.arg.

Cur hyeme decoctio melior, & acrior cibi appetentia.

Cur aer æstate à sole plus incalescit.

lege Asisio. le in problem. 13. pbl. 4.

fusam esse. Quod non alia ratione videtur accidere, nisi quia vna eademque qualitas se ipsam auget.

4. arg. Quartò. Aqua calida semotis impedimentis sponte redit ad natiuum frigus, idque successiua & temporaria mutatione; atque adeò motu proprie dicto; ergo aqua se ipsam refrigerat, & eademmet frigefactionem recipit.

5. arg. Postremò. Idem ostenditur in motu locali, quo mouetur cor; nõ enim id externa vi cieri potest: cùm omnis motionis fons, ac principium sit. Quare etiam motu ad locum potest aliquid à se ipso moueri.

ARTICVLVS II.

EXPLICATIO QVÆSTIONIS, ET primi, secundi, ac tertij argumenti enodatio.

Duò motionum genera.

AD huiusce controuersiæ explicationem, nonnulla prænotanda sunt, quorum primum hoc est. Motionum aliæ inhærent in rebus materia vacantibus, vt actiones volũtatis & intellectus. Secundum. Cùm Aristoteles hoc loco probandum suscepit, quicquid mouetur, ab alio moueri, de motione priori modo sumpta quæ physica nuncupatur, locutus est; siquidem sumit infinita corpora, quæ in vnam infinitam molem possint concrescere, & de illorum motu disserit.

De quo genere Aristoteles hoc loco disseruerit.

Tertium. Non hîc disquirimus, num aliquid à se ipso ex accidente moueri possit; constat enim posse; quandoquidem animantiũ formæ, motu, quem ipsæ edunt, pariter agitantur, vt Aristoteles docet lib. sequenti c. 6. tex. 51. Quartũ. Neq; in quæstionẽ vocamus, vtrũ id, quod mouet, ab eo, quod motũ excipit, supposito distingui oporteat. Nam quis nesciat, cùm arbor hausto alimento increscit, moueri à sua forma, à qua supposito non differt? Tantùm igitur petimus, an ne omne, quod per se mouetur, ab eo, quod mouet, re ipsa distinguatur.

Sensus quæstionis.

Prima concl. Sit prima conclusio. Omne quod motione physica mouetur, ab alio moueatur necesse est. Hanc conclusionem probat Aristoteles 8. lib. huius operis cap. 4. hunc in modum. Fieri nequit, vt idem, respectu eiusdem formæ, simul in actu & in potentia existat, verbi gratia, vt sit actu calidum & potentia calidum; alioqui simul esset, & nõ esset calidum; sed id, quod ad aliquã formam mouet, habet eam actu (nulla enim res educit aliam de potentia ad actum, quo ipsa caret) & quod mouetur, habet eam potentia; igitur non potest esse idem, quod mouet, & quod mouetur.

Eius 1. ratio.

Iterũ idẽ cõfirmat partim hoc libro, partim sequenti, loco cit. hac

ratione,

ratione. Corporum quædam facultate propria cientur, vt quæ anima pollent; quædã ab externo motore, veluti aqua, cùm deorsum vergit, aut lapis, cùm in sublime pellitur: sed tam hæc, quàm illa nõ à se, sed ab alio agitantur. Quicquid igitur mouetur, ab alio mouetur. Probatur assumptio, namque viuentia mouentur à suis formis: aqua & alia elementa, cùm naturalia loca petunt, ab ijs, à quibus progenita sunt; cætera denique ab externis motoribus, à quibus impulsum accipiunt, ergo &c. Tertiò, ostenditur eadem conclusio: quia omnis motio physica excipitur in materia, quæ cùm sit pura potentia, nullamque habeat efficiendi vim, non potest ad motionem eliciendam concurrere. Quare aliud est, quod eam immediatè elicit, nempe forma; aliud, quod immediatè recipit, (intellige, vt quo) idest materia, ac proinde non idem prorsus est, quod mouet & mouetur.

2. ratiõ.

3. ratio.

Ex Themistio, Siplicio & Alexãdro.

Illud hoc loco circa hanc conclusionem haud ignorabis, videlicet quanuis ad veritatem illius theorematis, omne quod mouetur, necesse est ab alio moueri, sufficiat dari distinctionem inter formam & materiam, quarum illa motum exequatur, hæc recipiat: Aristotelem tamen amplius requisijsse, vt constat ex ijs, quæ ab eo octauo huius operis libro. c. 4. text. 28. disputata sunt. Vbi admonet, oportere semper in rebus physicis rem mouentem esse quid compositum ex materia & forma, distinctum re ab eo, quod mouetur. Re, inquã, distinctum, vel omnino, quo pacto differt iaculator à sagitta: vel nõ omnino, sed ea saltem reali distinctione, quæ inter quamlibet partem integrantem, suumque totum intercedit. Et hac quidem ratione videre est in animali partem vnam ex materia & forma concretam, à qua motus omnes in corpus influunt, nẽpe cor.

Aristotelis placitum de distinctione rei mouẽtis, & motę.

Idem annotauit D. Tho. in quęst. de verit. q. 22. art. 3.

Ilud quoque aduertes, etsi prima ratio earũ, quas ad propositã cõclusionem stabiliendam ex Aristotele retulimus, tantummodo vim habeat ad demostrandum id, quod actione vniuoca mouetur, ab alio necessariò moueri: alias tamen rationes de omni actione etiã æquiuoca concludere. Quare minimè nobis probatur sententia Auerrois 3. de cælo cõm. 28. & quorundam aliorum existimantiũ fieri posse, vt idem actione æquiuoca à se ipso moueatur, nisi intelligant de eodem supposito ratione partium diuersarum, quo pacto aqua à se ipsa (non tamen vt à principali causa) ad natiuum frigus reducitur, vt pro gressu dicemus. Sed neque æquiuoca actione potest quiduis sine discrimine, ratione diuersarum partium, formæ scilicet & materiæ, à se pati. Piper enim licet uentriculum calfaciẽdi vim obtineat, se ipsũ tamen minimè calefacit. Non quia idem secundum eandem formam esset in actu & potentia, aut per eundem actum formalem ageret & pateretur; sed propter naturæ legem, qua cautum est, ne quid sibi ipsi interitum, aut incommodum per se afferat.

Reijcitur sententia Auerrois.

Lege Scotũ in 2. d. 2. q. 10 & 9. Metaph. q. 14. in. 1. d. 3. q. 7. Bargiũ, Lichetum, & Paulum ibidem, Gregor. in 2. d. 6. q. 1. ar. 3. Iãdunũ. 8. phys. q. 12. Anton. Andr. 9. Metap. q. 1.

Piper ventriculum, nõ se ipsum calefacit.

Sit secunda conclusio. Emanatione, qua spiritales potentiæ, vt intellectus & voluntas, à subiecto oriuntur, idem re est agens & patiẽs. Hanc suadet primum argumentum initio quæstionis adductũ, eãq; appro-

Secunda conclusio.

approbat Ferrarienſis ad cap. 23. libri primi contra gentes, addens etſi anima rationalis, dum intellectum, aut voluntatem ex ſe profundit, eademmet ſit, quæ producit, & recipit; apparere ibi tamen non nihil diſcriminis; quia nimirum producit, vt eſt actu; recipit verò, vt in potentia eſt. Sed hoc diſcrimen, vt patet, non ex natura rei prouenit, ſed ad ſolam rationem cogitantem pertinet. Porro cùm dicimus immateriales potentias produci, gigniue ab anima, ne puta effici illas ab anima, vti à cauſa integra, aut principali, ſed tãquam à cauſa minùs præcipua, ac velut inſtrumento generantis, quod generans vt primaria, ac præcellentior cauſa, eiuſmodi potentiarum quaſi partum edit. Quo fit, vt ſi de ſolo principali agẽte loqui velimus, adhuc ratum, firmumque maneat, nihil à ſe ipſo pati, ne his quidem emanationibus, quæ minus proprie actionis nomen vendicarunt.

Emanationes minùs propriè actiones dicuntur.

Sit tertia concluſio. Cum potentiæ immateriales, vt intellectus & voluntas ſuas eliciunt actiones, non idem re eſt, quod agit, & quod recipit. Probatur, Namque vt Aegidius quodl. 3. q. 16. & quodl. 5. q. 15. Capreolus in 1. d. 3. q. 3. & Ferrarienſis loco citato animaduertunt, actus intelligendi producitur ab intellectu & ſpecie, recipitur verò in intellectũ per ſe, ac nude ſumptũ; at intellectus abſq; ſpecie diſtinguitur re à ſe ipſo cũ ſpecie. Non dicitur autẽ intellectio recipi in ſpeciem, quia ſpecies non eſt principium paſsiuum, ſed actiuum dumtaxat. Præterea actus volendi efficitur à notitia, & à voluntate, & recipitur in ſolam voluntatem: voluntas autem per ſe, & voluntas vnà cum notitia intellectus, re ipſa diſtinguuntur. Itaque etiam in his agentibus aliud agit, aliud recipit. Licet id, quod ad intellectũ attinet, in ordinarijs duntaxat intellectionibus perpetuò verum ſit. Nam ſi de actu intelligendi, quo intellectus Angeli ſe ſuamque ſubſtantiam percipit, loqui velimus; is non recipitur in aliquo, quod re ipſa, ſed quod ratione tantum ab efficiente diſtinguatur. Siquidem intellectus Angeli & eius ſubſtantia, vti obiectum quoddam intelligibile (quod tamen non per imaginem ſui, vt cætera obiecta, ſed per ſe ipſum ad intellectionem concurrit) eiuſmodi actum eliciunt, eũdemque recipiunt, non iam vt obiectum, ſed vt ſubiectum ſunt; ſubſtantia quidem Angeli, vt ſingulare quoddam per ſe ſubſiſtens, cuius eſt actiones recipere & ſuſtinere, atque adeò vt quod; intellectus verò vt quo. Hanc autem diſtinctionem non realem eſſe liquidò conſtat. Alijs tamẽ veriſimilius videtur Angelũ neque ſui ipſius cognitionem ſine imagine intelligibili elicere poſſe. E quorum numero ſunt Henr. Gandau. quodl. 5. q. 4. & quodl. 15. q. 8. Marſilius in 2. q. 7. art. 1. &, vt videtur, Alenſis 2. p. q. 23.

Tertia concluſio.

Quod ſit ſubiectum intellectionis quo intellectus Angeli ſe, & ſuã ſubſtantiam intelligit.

Ex dictis patet ſolutio primi & ſecũdi argumẽti, quæ initio propoſuimus. Pro ſolutione tertij ſtatuendũ inprimis eſt nullam qualitatẽ per ſe, vel motu directo ab ſe ipſa poſſe intendi, alioqui idẽ reſpectu eiuſdem per ſe in actu ac poteſtate foret, quod ſuperiùs refutauimus. Deinde ad id, quod ex Hippocrate obiectũ eſt, reſpondemus calorẽ

Solutio 1. & 2. arg. ex dictis.

Sol. 3. arg. Cur ſtomachus hyeme calidior.

ventri-

ventriculi hyeme vberiorem esse, non quia calor in aliqua parte insidens, in eadem semetipsum per se intendat, sed (vt explicat Galenus lib. 1. comm. in Aphorismos Hippocr. & Fernelius in lib. de spiritu & innato calido c. 9. colligiturque ex doctrina Aristotelis multis in locis) quia circumiecti aeris frigus cutis spiracula restringit, & spiritus, qui caloris vehicula sunt, intus adigit & coercet, nec foras egredi sinit. Quo fit, vt tunc maior & spirituum, & caloris copia intus asseruetur. Contra verò æstate, quia calor ambiens, spiramenta laxat, & spiritus foras elicit, ac plurimum substantiæ dissipat, minus eiusmodi caloris intra corpus relinquitur. Vnde patet calorem nec à se secundum eandem partem intendi, nec vero à contrario, nisi per accidens, videlicet, vt ab impediente spirituum vitalium dispendia. Est autem hæc solutio diligenter obseruanda ad alia naturæ consimilia exempla, vbi calor introrsum adactus prædicto modo augescit; sic enim pruina, stirpium vaporem alioqui egressurum detinet, qui collectus inardescit, ac noua germina exurit. Sic aceruum tritici non ventilati vapor cohibitus putrefacit. Sic denique perniones enascuntur, aliaque id genus complura. Quod vero ad lucis intensionē spectat dicendum lucem per radium in se redeuntem, atque ita ex accidente, intendi à se; quatenus ea portio luminis, quæ in rectum porrigi deberet, impedita à corpore opaco, per radium reflexum cōpensat vlteriorem progressum. Quo etiam modo fieri solet vocis repercussio, siue echo, videlicet corporibus ob soliditatem, vocis traiectioni renitentibus, eundemque sonum renuntiantibus. Denique quod postremo additur virtutem vnitam se ipsa dispersa acriorem esse, id non ita accipiendū est, quasi qualitas se ipsam directo ac per se intendat; sed quia quò partes subiecti, in quo qualitas actiua inest, arctius vniuntur & coeunt, eo partes extensionis ipsius qualitatis, propinquius ad se inuicē accedunt, suasque partiales actiuitates magis coniūgunt, & conferunt; ideòque fortior prouenit actio. Quod in libris de ortu, & interitu copiosiùs explicatur.

Lege Arist. pbl. 29. sect. 1. & probl. 3. sect 3. & probl. 8. & 13. sect. 24. & 1. Meteo. c. 12.

Spiritus à frigore repercussi retro cō meant.

Vide Ciruelli 1. lib. Perspectiuę c. 2.

Lux in corpus opacum incidens cur reciprocet.

Virtus vnita cur sit acrior se dispersa.

ARTICVLVS III.

DISSOLVITVR QVARTVM ARGVMENTŪ, agiturq; de causa reducēte aquam ad natiuū frigus.

POstulat quarti argumenti difficultas, vt explicemus quanam vi aqua calida, semotis impedimentis, natiuam frigiditatem recuperet. Versantur autem ea de re septem, aut eo plures inter Philosophos sententiæ, è quibus nos quatuor duntaxat in medium afferemus. Prima est Burlæi ad initium libri secundi huius operis, qui eiusmodi reductionem à corpore ambiente fieri opinatur. Verum non rectè sentit, cū experiētia testetur amoto calefaciēte, & conseruāte calorē, aquā plus frigoris recipere, quā in corpore ambiēte insit. Neq; huius argumēti vim eludit Burlæus autumans circumfusū corpus posse in vberiorē frigiditatē, quā in se possideat, aquam

Has legito cū quod Fortunē sem in tract. de intens. & remiss. formarum p. 2. q. 1. & Sotum 2. huius opus q. 1.

Opinio Burlęi

Improbatur.

vindicare, quia aqua ad algorem recipiendum insitam habet à naturâ propensionem. Non inquam, eludit, quia quantumlibet patiens habile, ac promptum sit, semper actio à vincente esse debet, nec quicquam aut vltra vires suas, aut in sibi simile actionem transfundit.

Omnis actio est à vicente.

Secundò, quia nequaquaquam verisimile est aquam in vacuo ad suum frigus nõ esse redituram, cum ea reditio fiat gratia propriæ cõseruationis, quam etiam in vacuo expeteret, procuraretque.

Opinio Auerzois.

Secunda opinio, quam nonnullli Auerroi 2. de anima cõmento 1. attribuunt, nec improbabilem censet Caietanus ad art. 3. q. 54. primæ partis, est aliorum existimantium, cùm aqua incalescit semper in ea relinqui partes aliquas frigidiores, quæ se interius abdiderunt, quarum postea beneficio tota aqua natiuum frigus recipiat. Sed hi etiam perspicuè falluntur. Nam vel partes illæ frigidiores retinent frigiditatem summam, vel refractam, ac depressam. Primum dici non potest, quia & rationi & experientiæ aduersatur. Rationi; tum quia calor ignis in omnes partes aquæ potest peruadere, easque à summo frigiditatis gradu deijcere; tum quia nõ posset alioqui materia aquæ ad ignis generationem disponi, cùm tamen, docente Aristotele 2. de ortu & interitu cap. 4. text. 24. & 28. omnia elementa in se vltro citroq; commeent, & ex igni aqua, ex aqua ignis proximè generetur.

Refellitur.

Repugnat experientiæ.

Experientiæ, quia si quis in feruentem aquam manũ inijciat, nequaquam eiusmodi frigiditatem sentiet. Occurrunt tamen aduersarij frigus illud in aqua obliteścens, sensu non percipi ob nimij caloris permixtionem, præsertim cùm calor multò sit actuosior, & efficacior in agendo, quàm frigus. Hæc tamen solutio non satisfacit. Nam neque caloris abundantia, neque efficacitas impediet quo minus aqua ex consortio & societate partium summum frigus retinẽtium aliquantum tepescat. Quare si ita res haberet, vti inquiunt, nunquam aqua sensuũ iudicio calida sed ad summã tepida æstimaretur. Quod si dẽt secundum, videlicet illas aquæ particulas frigidiores non summum, sed depressum frigus seruare, sequitur aquam, quæ semel incaluit, & si nihil iam exterius obsit, nunquam ad natiuum frigus redituram, quod absurdum est. Consecutio probatur, quia illæ aquæ particulæ calore aliquo occupatæ nequibunt cæteras partes in intensiorem frigiditatem, quam ipsæ obtineant, vindicare; non obtinent autem summè intensam, sed refractam, vt fatentur.

3. opinio.

Tertia sententia est aliorum, qui putant, quemadmodum piperi insidet calor quidam virtualis, quo ventriculum excalfacit; ita aquæ, cæterisq; elementis inesse quatuor eiusdem nominis qualitates, quæ vim habeant ad restituendum igni calorem, aeri humiditatem, aquæ frigus, terræ siccitatem. Vnde eas ab hoc munere, seu virtute appellant virtuales. Itaque ab ijs putant reuocari elemẽta ad natiuum statum suarum qualitatum, cum ab eo deijciuntur. Horũ quoque sententia non videtur vera, refelliturque in lib. de ortu, & interitu, vbi ostenditur superuacaneum esse eiusmodi qualitates virtuales elemen-

In his sit Iauellus 8. huius operis q. 9.

Non placet.

elementis attribuere, quod ipsorũ substantiales formæ per se obire queant id, cuius gratia illæ à suis autoribus excogitantur.

Alij dixere aquam proximè reuocari ad natiuum frigus à sua forma substãtiali. Quæ sententia vera est, & tũ ex aliorum cõfutatione, tum per se fidem obtinet. Eamq; amplectitur Auicenna lib. 1. sufficientiæ c. 5. Henricus Gandau. quodl. 11. q. 6. AEgidius q. 16. quodl. 2. Capr. in 2. d. 6. q. 1. art. 3. Maior 2. de generat. q. 1. & in 1. d. 17. q. 12. Caiet. loco cit. Soncinas. 9. Metaph. q. 8. & alij. Probatur autẽ paucis hunc in modum. Calefactio illa non oritur à materia; siquidẽ hæc nullam in se efficiendi vim cohibet; ergo ab aliqua forma. Non à forma accidentaria, cùm ea non detur, vt ex dictis constat; ergo à forma substantiali ipsius aquæ. Porro id, quod de aqua asserimus, statuendum quoque est de cæteris rebus naturalibus, cùm qualitates naturæ suæ consentaneas, quas ingruente contrariorum vi amiserant, per se quasi post liminio recuperant. Sed illud iam hîc admonemus, quod in progressu fusius explicabimus; licet prædicta refrigeratio, aliæq; id genus emanationes à formis substantialibus proximè oriãtur, nihilominus ad ipsarum formarum progenitores tanquam ad principẽ causam referendas esse.

4. opin. quę vera est.

Vt Ferrariensis q. 1. huius libri Fonse. lib. 5. Metaph. c. 2. q. 6. sect. 5.

Probatur.

Emanationes proximè à formis substãtialibus pficiscuntur.

Quod si quis obijciat nullam substantiam creatam posse esse immediatum agendi principium. Occurrendum erit id non intelligi de illis qualibuscunq; actionibus, quibus proprietates à subiectis emanant, sicuti articulo superiori in secunda assertione diximus facultates animæ proximè ab ea fluere. Eodem igitur modo frigus, tanquã propria aquæ affectio ab ipsa immediatè oritur, tum quando primò aqua gignitur, tum quoties postea frigus amissum suapte vi recuperat. In qua tamen actione principale agens est ipsum generans.

Obiectio.

Dilutio.

Quæret item aliquis, quid causæ sit, cur aqua ab igni seiuncta, nõ se in frigiditatem summam vendicet. Cui respondemus haud dubiè vendicaturam, si omnia prorsus tam externa, quam interna impedimenta remoueantur. Interna, cuiusmodi sunt calidi vapores, qui in ea ex præterita calefactione remanent: externa, vt aer tepens, & exhalationes, quæ in eã recidunt. Vnde aqua, profundis puteis & terræ cauernis contenta, per æstatem frigidissima est: quod eo loco & tempore nihil fere eius ad naturalẽ statum reditionem interturbet.

Cur aqua ab igni semota non summe frigescat.

ARTICVLVS IIII.

QVINTI ARGVMENTI EXPLICATIO. Digressio de motu cordis.

AD vberiorẽ quinti argumẽti explicationẽ, libet de motu cordis pauca differere. Annotãdũ igitur 1. est diuinã solertiã ĩ partiũ humani corporis distributione imaginẽ quãdã politiæ, ac ciui-

Imago ciuitatis in corporis humani fabrica.

ciuitatis ſingulari artificio expreſsiſſe. Namque vti princeps in benè conſtituta ciuitate diligenter prouidet, vt ciuibus alimenta ſuppetant; vt ab iniuſta vi tuti, & incolumes ſeruentur; vt honeſtarum rerum cognitione inſtituantur: ita tres ſunt in corpore humano præcipuæ partes, quibus hæc munia perficiũtur, iecur, cor, caput. Etenim in iecore quaſi in colina, cibi è ventriculi promptuario, in quo ex parte decocti fuerant, tranſmiſsi inſtruuntur, perfectaque coctione elaborati cæteris membris pro rata portione diſpertiũtur. At in corde ſtationem obtinet appetitus iræ, qui quaſi belli dux hoſtilem vim repellit (quanquam nonnulli in corde affectum pauoris, iræ in felle conſtituunt; quò pertinet illud poetæ, exarſerat atro felle dolor; id eſt ira in felle efferbuerat) Itaque iræ appetitus in corde ineſt ex communiori Philoſophorum ſententia, cui adſtipulatur vulgata iræ definitio, ira eſt commotio ſanguinis circa cor, eſt autem ibi vt theſaurũ vitæ ſeruet, & ab aduerſariorum incurſu tueatur, ſicque totum animal defendat. Denique in regia capitis, tãquam in cœlo Deus, præſidet ratio, ac ſapiẽtia. Licet enim hæc in ipſa anima inſint; dicuntur tamẽ in capite inſidere, propterea quod illic excubent ſenſus omnes externi, rerum cognoſcendarum nuntij, & internæ ſentiendi facultates vtriuſq; intellectus famulæ, & adiutrices. Vnde Platonici caput animæ rationalis ſedem nuncuparunt.

Iecur colina.

Appetitus irę dux belli.

Virg. 8. Aen.

Cor foeę iræ

Irę appetitũ in corde ineſſe ſtatuit Hippocrates, Plato, Ariſtoteles, Theophraſtus, Galenus, Zeno, Chryſippus, Poſsidonius, cęteriq; Stoici.

Cur ratio dicatur in capite pręſidere.

Sed vt ad inſtitutum veniamus, eſſe quidem motum cordis iugẽ, ac perennem nemo non experitur. Aduertit autẽ D. Tho. in opuſc. 35. eſſe illum cœleſtium ſphæratum cõuerſioni perſimilem. Nimirũ quia & circularis & cõtinuus quodammodo eſt. Circularis, provt ab eodem ad eundem terminũ reciproca viciſsitudine conuertitur. Cõtinuus, quatenus dum animal viuit, neutiquam interrumpitur. Sed enim à ſimplicitate conuerſionis deficit, quia ex pulſu, tractuque componitur: à continuitate verò, quia inter pulſum & tractum, aliquam interijci moram neceſſe eſt. Porro autem quæ nam ſit huiuſce motus finalis cauſa conſtat inter Medicos, ac Philoſophos. Cõſtringitur enim, ac dilatatur cor, vt aer è vicino pulmone per reſpirationem attractus, & in cauitates admiſſus eius calorem ventilet, ac temperet, ne inflammetur & igneſcat, atq; vt vnà ſanguinem expurget, & excrementitiam fuliginem, ſiue igneum fumum è ſpiritibus concalfactis prodeuntem foràs euocet.

Motę cordis imitatur cœli conuerſionem.

Quo pacto deficiat à ſimplicitate motę circularis.

Lege D. Grego. Nyſ. in lib. de hom. opif. c. 30.

Quod tamen ad efficientem huius motionis cauſam ſpectat, non parua contentio eſt. Sunt qui eam fieri putẽt ab aliqua diuiniori cauſa, vt ab intelligentia. Decipiuntur tamen. Nam cùm hic motus maximè vitalis ſit, vtique in ipſo viuente cauſam habeat oportet, ſicuti & cæteræ rerum viuentium functiones. Quod etiam confirmat teſtimonium Ariſtotelis in libro de motu animalium prope finem, aſſerentis animal habere ſeſe, vt benè adminiſtratam legibus ciuitatem, in qua poſtquam ſemel ordo conſtiterit, nihil opus eſt externo duce, aut monarcho; ſed vnusquiſque ea, quæ ſuarum partium ſunt, ſtrenuè

A quonã efficiatur motę cordis prima opinio.

ſtrenuè obit. Quibus verbis indicat animantes non aliunde pendentem habere motus ſui rationem; ſed vbi ſemel progenitæ fuerint, ſuis ex ſe motibus cieri.

Alij opinati ſunt cor ab innato calore agitari. Non rectè. Siquidem calor non lationis, ſed alterationis duntaxat principium habetur, motus autem cordis, latio eſt. 2. opinio.

Alij ſe quæſtioni ſatisfacere putant, aſſerendo vnam cordis particulam cæteras concitare; ſed non ſatisfaciunt: adhuc enim explicandum ſupereſt, à quonam particula illa cieatur, à ſe, an ab alio; atque ita controuerſiam integram relinquunt. 3. opinio.

Aſſerendum igitur eſt cum D. Tho. loco cita. & communi Scholâ Peripateticorum cor ab anima ipſa moueri. Mouetur autem interuentu facultatis motricis, quæ in ipſo hæret. Nam cùm is motus maximè vitalis ſit, vt paulò antea dicebamus, neceſſe eſt, vt à principio vitæ, ideſt, ab anima proficiſcatur. Deinde cùm anima non ſit proximũ ſuarũ functionum principiũ, vtiq; aliqua indiget potẽtia, qua vt inſtrumẽto eũ motũ exequatur; hæc autẽ alia eſſe nõ poteſt, quã illa, quę ab hoc ipſo effectu nomẽ accepit; ideſt, motrix facultas. Quòd autem ea motio ab aliqua parte animalis ad cor nequaquam deriuetur, ex eo patet, quia cor cũ vitæ fons ſit, eſt id, quod in quouis animali primum mouetur; ab eiusque motu cæterarum partium functiones dependent; quare & animalis medium obtinet, non ſolùm, quia vt natiui caloris theſaurus in abditiori, & tutiori loco, ac tanquam in centro corporis reponi debuit à natura; ſed etiam quia vti princeps è regni medio cætera membra ſuo motu excitat, & impellit. Num autem motus cordis à generante, vt à principe cauſa, ab anima verò, vt ab inſtrumento ipſius generantis, oriatur, in quæſtione de motu grauium & leuium diſquiremus. Quarta & vera ſententia. Eius confirmatio. Cor vitę fõs. Nariui caloris theſaurus.

De ſede cordis lege Ariſtot. 1. de hiſt. animal. c. 17. & li. 3. de par. animal. c. 4. Galenũ lib. 3. de vſu partiũ c. 7. Ferneliũ 1. Phyſiolog. c. 16. Vegam in ſ. artis medicę c. 28.

Vtrunuis tamen dicatur rata manet diſtinctio inter mouens & motum. Namque ſi ponatur à generante moueri, liquidò id conſtat. Si ab anima, eius quoque opinionis facilis defenſio eſt; quandoquidem beneficio, ac vi vnius partis motum edit; ratione vero alterius, nempe materiæ, eundem recipiet, more animantium. Nam & ipſum, teſte Ariſtotele in libro de motione animalium, quaſi quoddam ſeparatum animal eſt. Atque ita ſiue hoc, ſiue illud aſſeramus, neutiquam ſecundum ſe totum mouere, aut moueri dicetur. Quanquam in animali datur vna pars integrans, à qua motus ad reliquas dimanat, nẽpe ipſum cor: in eodẽ autẽ corde, nõ neceſſe eſt diſtinguere alteram partem integrantem, quæ moueat, alteram, quæ moueatur; nec in eo locum habet pronuntiatum illud Ariſtotelis, cùm non ſit mobile perfectum, ſed ipſa pars integrans, à qua motus, in eiuſmodi mobili deriuatur: in qua proinde neceſſe eſt ea diuiſio terminetur; alioqui in infinitum res abiret. Cor' quaſi quoddam ſeparatum animal.

Hac de re Zimara in theorematis propoſit. 12.

Eſt etiam non parua diſceptatio, num prædicta cordis motio attribuenda ſit animæ ſecundum gradum vegetandi, an ſentiendi. Auerroes Quem gradũ animę motus cordis ſequatur.

roes 2. Collect. 7. & recentium medicorum nonnulli, eam ad vegetandi gradum referunt; videlicet, quod omnis sentientis animæ motio antecedentem cognitionem requirat, quam tamen non exigi à motu cordis palam est. Alij & quidem probabiliùs asseuerant eiusmodi motum consequi animam secundum gradum sensitiuum, primùm quia solis animantibus communis est; deinde quia exercetur ministerio potentiæ loco motricis, quæ ab anima sensitiua primò exoritur. Nec obstat, quod præeuntem notitiam non desideret. Id enim propterea est, quia vt paulo ante diximus, cor est veluti animal quoddam separatum, quod aliunde non dependet. Atque etjam cùm non ad reliquos solùm motus, sed ad ipsas quoque sensitiuarum virium functiones obeundas vim & spiritus impertiat; vtique opus fuit, vt directrici notitia minimè indigeret. Secus tamen res habet in progressione animalium. Hanc enim perspicuum est requirere phantasiæ apprehensionem, quæ appetitum excitet, vt interuentu motricis facultatis, in musculis potissimùm residentis, membra impellat. Ex dictis plana relinquitur quarti argumenti dissolutio. No enim cor à se ipso, sed ab anima cietur.

Cur nulla præcunte notitia cor moueatur.

Capitis secundi Explanatio.

PA Rimum autem mouens } Probat theorema aliud, quod superiùs attigerat; nempè id quod primo, idest, absque interuentu alterius, & non vt finis, sed actiuè mouet, simul esse oportere cum eo, quod mouetur. Cùm autem motuum species varię sint, à locali, qui omnium primus est, exorditur hunc in modum. Quęcunque loco mouentur aut a se ipsis, aut ab alijs, hoc est, à principio interno, vel externo mouentur; atqui siue hoc, siue illo pacto motus fiat; semper id, quod motum edit, cum re mota cohęret; igitur semper mouēs, & quod mouetur simul sunt. Priorē partem assumptionis; nimirum, semper id, quod ab interno principio cietur, motori esse cōiunctum, satis apertam esse ait. Vt autem posteriorē illustret, ac probet, ostendit quadrifariam posse quidpiā externa vi ad locū moueri, scilicet, tractu, pulsu, vectione, volutatione. Nā cæteri modi facilè ad hos reuocari possunt.

Quod mōuet primò, immediatū esse rei motæ.

Quōt modis possit quidpiam externa vi ad locum ferri.

CAP. II.

PA Rimum autem mouens non vt id, cuius gratia, sed vnde est, motionis principium cum eo quod mouetur, simul est. Dico autē simul, quod nihil inter ea intercedat. Hoc enim rei omnis quæ mouetur, & eius quæ mouet commune est. Cum autem tres sint motus, is qui in loco, & is qui in qualitate, & is qui in quantitate, ea etiam, quæ mouentur, tria sint necesse est. Qui igitur est in loco latio est, qui in qualitate alteratio, qui in quantitate accretio, & imminutio. Primum itaque de latione dicamus quod ipsa motuū sit primus. Quidquid itaque fertur aut à se mouetur, aut ab alio: quæ à se mouentur perspicuum est in eis id, quod mouetur, & id quod mouet simul esse, in eis enim primus mouens ineſt, quare nihil est intermedium. Quæ autem ab alio mouentur, quatuor modis motione cieantur necesse est. Text. 10.

b Etenim impulsio } Quatuor illos modos sigillatim explanat, simulque omnes ad duos reducit, videlicet ad pulsum & tractum. Deinde ita ratiocinatur. Omnis latio, quę ab externo oritur principio, ad pulsum, tractumque reuocatur: sed tam quod pellit, quàm quod trahit, proximum

Nam

proximum est ei,quod mouet,vt ex definitione pulsus, & tractus constat: quidquid igitur loco mouet rei motę proximum est.

c Nec verò inter) Idem ostendit in motu alterationis,nimirum semper id,quod proximè alterat,coniunctum esse ei,quod alteratur;idque inductione planum esse inquit. Ac priusquam rem apertiùs declaret,exponit ad quas nam qualitates spectet alteratio, & quę nam res alterationem subeant. Porrò qualitates,ad quas alteratio pertinet, sunt calor, frigus, humor, siccitas,raritas,densitas,alięque id genus;quę in tertia qualitatis specie constituuntur. idque significant verba illa. Hę sunt affectiones qualitatis subiectę,ideſt,vt Simplicius interpretatur,qualitatis sensibus obnoxię.

Alteratio in quibus qualitatibus versetur.

d Perinde autem de animato) Docet quęnam sint corpora alterationem subeuntia, aitque esse tam animata, quam inanima; tam partes sensu prędităs & sensus ipsos, quàm quę sensu carent. Verùm quia sensus haud propriè alterantur, nō simpliciter,sed quodāmodo eos alterari pronuntiat,videlicet quia corū functiones veram germanamque alterationem imitantur. Id quod ex eo ostēdit, quia sensio, siue sensus operatio, est motio per corpus,ideſt, actio organo corporeo exhibita, secundū quam sensus patitur,dum rei, quam sentit,imaginē sensionēque ipsam in se recipit; siquidem ōnis receptio passio quędam est; & quęcunque aliquid recipiunt, patiuntur: ac,alterari ea dicimus,etsi quędam eorum nōnisi trāslatitia alteratione immutentur.

Nam lationis,quæ ab alio est quatuor sunt genera,tractus, pulsus,vectio,volutatio, ad quæ omnes, quæ in loco fiunt motiones reducuntur. b *Etenim impulsio pulsus quidam est, cum mouens rem sequitur, quam à se pellit, expulsio autem cum mouendo non sequitur. At iactus cùm rem,quæ iacitur, vehementiori ciet motione, quàm illius naturalis motio sit, & illa eo vsque fertur,quoad motio euicerit. Rursus dispulsio & cōpulsio,expulsiones sunt & tractus. Namque dispulsio expulsio est,cùm vel à se,vel ab alio expulsio sit: compulsio autem tractus est,quod & ad se, & ad aliud tractus sit. Quare & quæcunque horum sunt species,vt motiones, quarum altera telam arctant & densant textores, altera radio eandem texunt: illa enim compulsio est,hæc dispulsio. Similiter & aliæ concretiones & discretiones. Nam illis demptis,quæ in generatione sūt, & interitu,omnes dispulsiones erunt,aut compulsiones. Simul autem constat concretionem & secretionem aliud quoddā motionis genus non esse. Nam in earū,quæ dictæ sunt, aliquas,oēs distribuuntur. Præterea inspiratio attractio est: expiratio pulsus. Similiter & excretio, & quicunque alij motus, quibus per corpus excernitur,aut sumitur aliquid. Alij enim sunt tractus, alij expulsiones. Reducendi sunt autem & alij,qui in loco fiūt, cùm omnes in hos quatuor incidant. Harum autem rursus vectio & volutatio,ad tractum & pulsum. Trium enim horum modorum aliquo vectio fit. Nāque quod vehitur ex accidenti mouetur, quia in aliquo, aut super aliquo sit, quod mouetur. Quod autem vehit, aut quod trahatur, aut quod pellatur, aut quod voluatur vehit. Ita fit vt trium communis omnium vectio sit. Volutatio autem ex tractu & pulsu constat. Necesse est enim id,quod voluit,aliud quidem trahere,aliud pellere, siquidem aliud à se abducit,aliud ad se adducit. Quare si quod pellit,& quod trahit cum re quæ pellitur,et trahitur,simul est, perspicuum est medium nullum esse inter id,quod motu, qui in loco fit,cietur, & id quod ciet. Quod ex definitionibus quoque manifestum est.*

Hic aduerte nomen Græcum αἴσθησις, latinè sensus tam actum sentiendi, quam facultatem,à qua is proficiscitur, significare,ideoque Aristotelem, vt eam tolleret ambiguitatem Namque apposuisse particulam,actu,aiens, sensus enim qui actu est, vt nimirum intelligeremus loqui ipsum de actu operationeue ipsius potentię sensitricis.

e Et omnibus quidem) Res alterationi subiectas eo inter se,quòd ad prędens institutum attinet,discrepare inquit,quod quęcunque alterationes inanimatis competunt,eędem animatis conueniant,non contra: (siquidem res animę expertes non afficiuntur sensuum alterationi-

tionibus) Item quòd inanimatę alterari se non sentiant, animatę verò, si sensu præditę sint, alterationes suas dignoscant, nisi forte eiusmodi alterationes ad sensus non pertineant, vt cùm albescunt; has enim latere non repugnat.

Id, quod alterat, coniũctũ esse alterato.

f Si ergo quod alteratur) Probat iam id, quod proximè, ac primò alterat, cum eo quod alteratur, coniunctum esse. Ac primùm id ostendit in alterationibus, quę ad sensus pertinent. Nam cũ verbi gratia, manus ab igne distante calefit, id quod proximè aerem alterat, est ignis; quod proximè alterat manum, aer: at igni hęret aer, & aer manui. Item cùm aspectus rei imaginem accipit, id quod primò aerem alterat, est color lumine affusus; id, quod primò aspectum alterat, est aer oculo contiguus: similiterque res habet in cęteris sensibus, & in rebus etiam inanimis.

Namque pulsus motus est, aut à se, aut ab alio ad aliud. Tractus autem ab alio ad se, aut ad aliud, cum trahentis motio, quæ res continuas inter se distrahit, velocior fuerit. Ita enim reliquum simul attrahitur. Fortasse autem & alius quidam tractus esse videbitur. Nam lignum trahit ignem, sed nõ hoc modo. Cùm autem fit tractus nihil interest vtrum is qui trahit moueatur, an maneat. Interdum enim trahit eo vbi est, interdum eo vbi erat. At fieri non potest, vt vel à se ad aliud, vel ab alio ad se non tangendo moueat. Illud igitur perspicuũ est, inter id quod motu, qui in loco fit, ciet, & id, quod cietur, nihil intercedere. c *Nec verò inter id, quod alteratur, & id,* Text. 11. *quod alterat. Quod ex inductione manifestum est. In omnibus enim ex his, quæ dicta sunt, euenit, vt quod postremo alterat, & quod alteratur sint simul. Hæc sunt affectiones subiectæ qualitatis. Id enim dicimus alterari, quod aut calescit, aut dulcescit, aut densatur, aut siccescit, aut albescit.* d *Perinde autẽ de animato hoc dicimus, atque de inanimato, & in animatis tam de sensibus, quàm de partibus non sentientibus. Alterantur enim & sensus quodammodo: sensus enim qui actu est, motio est, per corpus sensu ipso aliquid patiente.* e *Et omnibus* Text. 12. *quidem quibus inanimata, ijsdem animata alterantur: at quibus animatum, non hisce omnibus id, quod est inanimatum. Nam sensibus non alteratur, ipsumq; latet, cum afficitur, cum animatum non lateat. Nihil autem prohibet animatũ quoque latere, vt cum sensibus non alteratur.* f *Si ergo quod alteratur à rebus sensilibus alteratur, certe perspicuum est, id, quod postremo alterat, & quod primùm alteratur, in his omnibus simul esse. Nam huic quidem aer continuus est, aeri autem corpus. Rursus color lumini, lumen autem aspectui. Eodem modo & auditus & olfactus. Etenim mouens primum, rei, quæ mouetur, habita ratione, aer est. Similiter res habet in gustu, simul enim cum eo est sapor. Nec secus in rebus inanimatis &* Text. 13. *in sensilibus. Quare intermedium inter id, quod alterat, & id quod alteratur, nullum erit.* g *At neque inter id, quod augetur, & id quod auget. Nam quod primum auget, appositum auget, ita vt totum vnum euadat. Rursus imminuitur, quod imminuitur aliqua eius parte abscedente. Id igitur quod auget, & id quod imminuit, continuatum esse necesse est. Continuorum autem nullum est medium. Constat itaque inter id, quod mouetur, & primum postremumque eius, quod mouetur, ratione habita mouentem nullũ mediũ intercedere.*

g At neque inter id) Idẽ perspicuum est in ijs, quę accrementum & decrementum suscipiunt. Nã id, quod auget, & quod imminuit, simul sunt cum eo, quod auctionem, & diminutionem subit; cũ auctio fiat apponendo, diminutio vero detrahendo; quorũ vtrunque ei, quod augescit, & quod imminuitur, cohęreat oportet. Ita demum colligit Aristo. id, quod demonstrandũ proposuerat, nimirum inter id, quod primò mouet, & primò mouetur, nihil interiectum esse.

Id, quod auget & id, quod diminuit, cõiunctum esse cum augente, & diminuente.

QVAESTIO

QVÆSTIO I.

NVM OMNE, QVOD PRIMO MOVET, simul esse oporteat cum eo, quod mouetur, nec ne.

ARTICVLVS I.

QVIBVS ARGVMENTIS NEGATIVA pars quæstionis probari videatur.

COntrouersiam excitamus de eo, quod vt efficiens, siue corporea, siue non corporea ratione, motũ edit; non autem de eo, quod vt finis mouet: palam est enim non oportere finem attiguum, aut præsentem esse rei, quæ mouetur. Est autẽ sensus, vtrũ id, quod primò, idest absque alio agente intermedio mouet, proximum esse debeat ei, quod mouetur. Status quæstionis.

Pars negatiua hunc in modum videtur posse ostẽdi. Multa sunt in natura rerum, quæ absque medio actionem transmittunt in rem distantem; igitur non omne, quod primo mouet, coniunctum est ei, quod mouetur. Assumptum multimodis probatur. Nam magnes trahit ad se disitum ferrum. Fascinantes solo oculorum coniectu nocent. [a] Echeneis piscis prætereuntem nauem detinet, ac remoratur, vnde & remoræ nomẽ accepit. [b] Basiliscus visu & sibilo; [c] Catoblepas, seu, vt alij vocant, Catophepa etiam intuitu vsque ad mille passus hominem interimit. [d] Lupi cõspectus raucedinem inducit, vnde est illud Poetæ, Lupi Merin videre priores. [e] Torpedo manũ eius, qui se arundine, vel reti attigerit, stupefacit, adeò vt piscatores laxare arundines & retia cogãtur, atque ita diffugium ipsi patefacere. Primũ arg.

Secundò. Idem ostendi potest, exemplo lebetis, cuius fundus frigetur, aqua in ipso feruescente. Deinde quia si chartæ papyraceæ oleũ cohibenti ignis subijciatur, charta integra, oleum ita incalescet, & æstuabit, vt etiam oua in eo frigantur, quod argumento est ignem in aquam, & in oleum sine medio vim caloris trajicere. Eodẽ etiam pertinet, quod [f] naphtha (bituminis id gen⁹ est) ex aliquãto spatio ignẽ corripit, quod item accidit radici herbæ cuiusdam, quæ Aproxis appellatur. 2. arg.

Præterea Phãtasia residens in capite mouet appetitum sentitiuũ, qui quoad vim irascendi in corde; quoad vim appetẽdi in iecore sedẽ habet. Immo res etiã externas & distãtes sola imaginatio permutat, atque aliena qualitate imbuit, vt proditum est ab Auicẽna in lib. de anima sect. 4. cap. 4. à qua sententia non alienum fuisse perhibent Hippocratem Medicinæ principem: ergo saltẽ facultates cognoscẽtes possunt in remota primò agere. 3. arg.

[a] Aristotel. 2. histor. anim. c. 14. Plinius lib 9. c. 25.
[b] Albert⁹ hb. 25. de animal. Isidorus li. 2. Etym. c. 3. Solin⁹ c. 40.
[c] Plini⁹ lib. 8. c. 21. Solinus c. 43.
[d] Plini⁹ lib. 8. c. 22. Albertus lib. 22 de animal. Leuinus lib. 4. de occultis naturę miraculis ca. 12.
[e] Aristote. li. 9. de nat. animal. c. 37. Plinius lib. 32. c. 1. Cicero 2. de nat. Deorum. Albert⁹ lib. 24. de animal. Plutarc. in libro de animalium industria.
[f] Plini⁹ lib. 2. natural. Histor. c. 105. & lib. 24. c. 17.

4.arg. Postremo. Id ipsum probare licebit in ijs, quę proiectionis motū subeunt, quibus proiectores in progressu motus non adsunt; & in corporibus grauibus, ac leuibus, quæ vt. 8. libro patebit, ad naturalia loca à suis genitoribus deferuntur, quos tamen dum ea mouētur, iam interijsse non raro accidit.

ARTICVLVS II.

DIVERSÆ AVCTORVM SENTENTIÆ, & affirmatiuæ partis comprobatio.

MVlti optimæ notæ Philosphi ad negātem propositæ quæsti onis partem deflexere. Vt Auicēna loco superius citato, Alexander 1. Methaph. comm. 18. Scotus in 1. d. 37. q. vni ca, Ochamus ibid. Priscianus Lydus apud Theophilum 2. de anima ad text. 37. alijq; nonnulli. Scotus igitur (vt cæteros omittamus) contendit solem ex putri materia mures, aliaq; id genus imperfecta animalia sine instrumento medio progignere, atq; ita agere primò in remotum. Nam & si fateatur prius solem per intermedia corpora qualitates demittere, quibus materia ad excipiendam formam paretur; negat tamen eiusmodi qualitates, vllum ve accidens instrumentariam vim habere posse, qua sol formam sustantialem è materiæ gremio efficiēter excitet. Itaq; totam prędictorum animantium effectionem ad solem, vt ad causam effectricem immediatam refert, additq; (quod huius sententiæ consectarium erat) ex eo, quod causa agens primò, seu proximè alicubi operetur, non posse eius contactum, aut præsentiam argui, vt ex eo, quod Deus intelligentias, corpora cælestia, & materiam primam per se creet, conseruetq; non cōtinuò sequi diuinam substantiam vbiq; esse: licet id alio ex fonte, idest, ex ipsius immensitate colligatur. Quod si Scoto Aristotelis doctrinam contrarium hoc in loco asserentis obijcias, respondet Aristotelem intelligendum esse de causis physicis agentibus per qualitates, formas ve naturales actiuas, quæ non sunt principia agendi in remotū, nisi priùs vel ipsæ, vel aliquid in ipsis existēs in propinquū agat.

Gabriel in 1. d. 37. q. vnica Bassolus, Mairones & Lichetus ibidē.

Opinio Scoti.

Altera est sententia planè vera, & Aristotelica, asserens nihil omnino posse in rem distantē primò agere. Hanc amplexus est D. Tho. 1. p. q. 8. art. 1. & lib. 3. contragent. c. 68. Caietanus & Ferr. eisdē locis, Dur. in. 1. d. 37. q. 1. Capr. in 1. d. 37. quæst. vnica. Aegidius hoc loco, & complures alij. Probatur autem primò, quia si quidpiam in rem distantem immediatè operari posset, nulla ratio esset, cur vnicuiq; agenti certa virtutis sphæra præscripta esse à Philosophis diceretur; cur enim nō posset agēs in quācūq; distantiā actionē fundere, si ei nō necessariò decurrēdū sit mediū, in quo vim suā impēdat, paulatimque debilitet? Secundò, quia cū lux solis (vt aduersariæ partis auctores fatentur) corpora disiuncta non nisi per inter-

Aliorum sententia Aristotelica & vera.

Argent. in 1. d. 37. q 1. Sot. hoc in li. q 1.

Eius confirmatio.

media

media attingat, consentaneum est, vt idem quoque de ipso sole dicamus, nimirum non posse illum in sublunari mundo per suam substantiam quicquã immediatè gignere, sed necessariò exposcere actiuas qualitates, quarum instrumentaria, & effectrici vi ad gignendũ vtatur. Tertiò quia hæc præcipua videtur esse ratio, cur natura tãtopere vacuum horreat, ac corpora omnia tam sollicitè sese alijs agglutinent; nimirum quia inferiora non nisi per intermedia influentem è cælo vim excipiunt, nec disita corpora nisi per interfusa operari queunt. Denique idem confirmat D. Anselmi testimonium in Monologio cap. 22. vbi docet, ex eo, quod Deus vbique agat, colligi vbique Deum esse, quod docet etiam D. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto D. Hilarius 8. de Tri. D. August. 8. super Genes. c. 26. Immo id haud obscurè docuit diuinus vates psalm. 138. vbi cum dixisset, si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades; quibus verbis Deum vbique per essentiam esse indicarat, quasi huiusce rei argumentum afferens, adiecit. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera sua. Quò etiam spectat illud D. Pauli Act. 17. quanuis non longè sit ab vnoquoque nostrum; in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus.

Testimonijs patrum. Anselmi. Ambrosij. Hilarij. Augustini. Et sacræ paginæ. Psalm. Act. Apost.

Neque verò dubitandum, quin nostra hæc sententia Peripatetica sit; cum eam Aristoteles tum in hoc libro, tum in octauo tam multis rationibus ex instituto confirmarit. Illa verò Scoti interpretatio nequaquam admittenda est. Perinde enim habet, ac si quis dicat, ea, quæ priùs quàm agant in remotum, agunt in medium, debere prius in medium, quàm in remotum agere. Quod sane nugatorium est.

ARTICVLVS III.

DILVITVR PRIMA PARS PRIMI ARgumenti, agiturque de occulta vi magnetis.

De magnete Plato in dialogo qui dicitur Io. Theophrastus de lapidibus. Cicero 1. de diuinat. Lucretius lib. 6. Plinius lib 26. c. 16. & 36. & lib 20. c. 7. Alber. Mag. lib 2. Metaph. tract. 3. c. 6. Solinus c. 36. Cõeliator. differentia 31. Scaliger exercit. 102. Aetius li. 2. c. 13. Ambrosius Nolanus in problematis.

NVnc argumenta in contrariam partem adducta diluemus, quorum occasione, iucundæ eruditionis gratia aliquot scitu dignas controuersias pertractabimus. Ac primum de occulta vi magnetis. Rapi quidem ab illo ferrum constat, quem admodum & a Theamede ferrum omne abigi, respuique, vt testatur Plinius lib. 36. histor. natural. c. 16. Vnde magnes iccirco Herculeus dici, à quibusdam creditur, quod domitricem illam rerum omnũ materiam sibi obtemporantem faciat. Sed illud magis admirationi est, quod ferrum non solùm alliciat, sed in medio etiã aere detineat. Ferunt enim simulachrum ferreum Arsinoes reginæ diu in Aegypto paribus momẽtis libratũ pependisse in medio tholo ex magnetibus proportione magnitudinis constructo Dinocratis artificio, eademque vi signum Solis Alexandrię in templo Serapidis suspensum fuisse scribit Ruffinus libro vndecimo Ecclesiasticæ historiæ.

De magnete mira.

Quin & vires ab hoc lapide ferrum accipit, retinetque longo tractu aliud apprehendens ferrum, vt annulorum catena spectetur interdum, quod testatur Philo Iudæus in lib. de mundi opificio, & D. August. lib. 21. de ciuit. Dei c. 4. Non absimili virtute præditum esse aiunt Chrysocollam, nisi quod hunc lapidem aurum quoque ad se trahere memorant.

Chrysocolla aurum rapit.

Porro quonam modo hæc attractio à magnete fiat perantiqua est inter Philosophos disceptatio. Thales referente Aristotele. 1. de anima cap. 2. text. 32. pronuntiauit magnetem, propterea quod animatus esset, ferrum allicere, impertita ei videlicet vita, quē videtur secutus fuisse Porphyrius in lib. de abstinentia ab animalibus. Sed hi perspicuè errant. Nam neque magnes animo pollet, cùm neque augescat, aut aliud vitalis functionis specimen det. Nec si anima polleret, id ad impertiendam vitam, & corripiendum ferrum sat esset. Alexander lib. 2. quæst. natural. cap. 3. putat huiusmodi attractionē esse à magnete, vt à fine, ad quem ferrum ingenita naturæ propensione ducatur. Hæc etiam opinio à vero abest, vt ex ijs, quæ mox dicemus conspicuum fiet. D. Thomas hoc in lib. ad tex. 10. Magnus Albertus, alijque complures affirmant magnetem, non vt finem, sed vt efficientem causam, ferrum trahere. Quę opinio omnino vera est. Primùm quia, vt D. Tho. loco citato argumentatur, causalitatem finis nulla locorum intercapedo inhibet; at ferrum non è quauis distantia trahitur à magnete. Deinde quia si magnes cæpæ, aut allij succo, aut hircino perungatur sanguine, neutiquam ferrū allicit. Quod argumento est hebescere in magnete vim aliquam effectricem illius attractionis. Tertiò, quia annuli ferrei, vt paulò supra diximus, ex contactu magnetis mutuò sese trahunt, & longa serie concatenant, vtique vi attractoria efficienter communicata. Vocat autem magnes ad se ferrum propter sympathiam, siue occultum naturæ consensū, sicuti succinum, lychnites; & Adamas paleas trahunt; sicuti argentū viuum auri particulas, sicuti epythymium atram bilem, agaricum pituitam euocat.

Quo pacto magnes ferrū trahat opinio Thalet s. Reijcitur.

Varias hac re opiniones refert Auicena lib. de viribus cordis, & Picus lib. 6. d Exam. c. 18. Maurolycus in 2. dialogo Cosmographicę.

2. opinio.

Reijcitur.

Tertia & vera sententia.

Quib9 rebus vis attractoria magnetis impediatur.

Verùm hæc attractio quoniā à re distāti fit, quæri illud à Philosophis solet, quo instrumēto perficiatur. Antiquorū nōnulli quorum sententiā luculenter pertractat Lucretius lib. 6. opinati sūt fieri per effluxionē corporū, aiebant enim dimitti à magnete quasdā atomos, quæ ferrū tāgerent, & in illud sese insinuarēt, atq; ita demū allicerēt. Sed hæc corpuscula olim ex Democriti & Epicuri schola egressa, iāmdiu à Philosophis in exiliū naturæ cōpulsa sunt. Ea igitur opinione reiecta dicēdū emitti ab his corporibus nō atomos, sed qualitatē, quę vim habeat ad pelliciēdū, nō quidē omnia, sed ea, quę analogiā quādā & cognationē cū attrahēte obtinēt, quā sentētiā, pter alios, cōfirmat Gal. li. 1. d naturalib. facultatib9, eandēq; Hippocraticā esse ostēdit.

Aduersus hāc opinionē Democriti disputat Aristot. lib. 1. de gene. à text. 37. vsq; ad 76. & D. Thomas 1. p. q. 115. art. 1. Lege Lemn. lib. 3. de occult. nat. mir. c. 4. Scalig. contra Car. exercitation. 131.

Corpuscula Democriti, & Epicuri in exilium naturę eiecta.

Illud quoq, magnā in re ppositā dubitationē habet; quid nimirū causæ sit cur acus magnetis attritu extersa, & attēperata Septētrioni

Dubitatio alia de vi magnetis in pixide nauigato.

sese

sese obuertat; & vbi hinc inde in æquilibrio conquieuit, polum arcticum commonstret, vt videre est tum in pixide nauigatoria, cuius vsu nautæ maris spatia, situmque locorum, & distantiam dimetiuntur, atque omnes, per ambitum, ventorum tractus, & cœli cardines deprehendunt: tum etiam in solarijs minutis, quibus ad solem horas exploramus. Porro duæ sunt hac de re celebriores Philosophorum sententiæ. Prima, quorundam huius rei causam referentium ad mõtes quosdã septentrioni subiectos, quos aiunt in omnes partes qualitatem attractoriam fundere, qua intinctus & excitatus magnes cognati sibi lapidis natale solum, quasi communem patriam, quærit, eiq; vt potest, appropinquat. Hæc opinio non placet. Primùm, quia cõpertum est in multis alijs locis montes esse feraces magnetũ, ad quos tamen acus magnete illita non respicit, vt in Magnesia, quæ vt ait Lucretius lib. 6. sui poematis lapidi nomen dedit.

Vt Fracastorij in lib. de antipathia c. 7. & c. vlt.

Prima sentẽ.

Eius confutatio.

Quem magneta vocant patrio de nomine Graij
Magnetum quia sit patrijs in finibus ortus.

Item in Ilua insula, & in Athiopia. Ad quæ loca naues si propiùs accedant, nisi ligneis clauis ad id periculum declinandum compactæ sint, euulso vi magnetum ferro dissolui dicuntur. Præterea impugnatur eadem sententia, quia verisimile non est ad tantam maris, terræque distantiam diffundi ab illis montibus, qui etiam fortasse nõ sunt, eiusmodi qualitatem; tametsi eum modum influendi in remotissimas mundi oras, corporibus cœlestibus, & stellis, ob earũ magnitudinem, & maiorem agendi vim Philosophi concedant. Deinde, quia ferunt genus quoddam esse lapidis, qui acum ad polum Antarcticum conuertit, fingant igitur alios esse montes sideriticos sub altero polo, quibus prædictum conuersionis motum attribuãt. Denique (quod multo acriùs vrget) quia vnus, idemq; magnes, vt experti ipsi fuimus, vna ex parte vim habet conuertendi mucronẽ pẽsilem acus versus septentrionem; ex altera, eundem versus polum Antarcticum dirigendi.

Quibus in locis vi magnetũ euellatur ferrum nautibus.

Lapis obvertens acum ad polum Antarchium.

Alij igitur statuunt hanc vim conuertendi ad polum acum à magnete tactam, vnum esse ex ijs, quæ nos mirari natura voluit, scire noluit. Probabiliter tamen dici potest, partes cœli, vtrique polo vicinas ob occultam naturæ consensionem, & sympathiam id per qualitatem aliquam attractoriam præstare, ad eũ modum, quo sol herbas quasdam, vt Heliotropion, Tragopogum, & Onithogalum secum vertit.

Lege Fernelium lib. 2. de abditis rerũ causis, Scaligerum, Leuinum loc. cit.

Probabilis responsio ad dub.

Deinde existimare etiam licet hosce mirabiles effectus solũ prouenire à qualitate aliqua propria & insita ipsi magneti, vt sicuti per qualitatem quãdam ferrum ad se trahit, ita per aliam occulta vi illud dirigat ad polos mundi. Sed vtrunlibet dicatur, manet peculiaris illa difficultas, vnde nam oriatur varietas & inconstantia, qua diuersis in locis nautica pixis polum respicit. Deprehensum est enim à nautis, præsertim Lusitanis, & ijs, qui in Fernãdi Magalianis admirabili naui-

Alia responsio.

Inconstantia cuspidis nauticæ obseruata à Lusitanis

nauigatione fuere, cuspidē pixidis nauticæ quibusdam in locis Arcticum rectà aspicere, vt in freto, quo ab AEthiopico mari ad mare Australe noui orbis penetratur, alibi ad sinistram, alibi ad dextram vergere. Cuius rei causa à multis inuestigata, incertum an ab vllo inuenta sit. At enim conuenienter ijs, quæ superiùs dicta fuere, coniectari possumus, vel attractoriam cœli vim, vel insitam ipsi magneti diuersis in locis alio, & alio modo attemperari ex vario syderum influxu, aut elemētariæ regionis proprietatibus ibi dominantibus.

Sol. principalis argumēti. Ex dictis patet solutio dubitationis, cuius gratia hæc disseruim⁹. Dicendum quippe est magnetem non primò agere in remotum, nec ab eo immediatè ferrum trahi, sed communicata corpori medio attrahente qualitate. Neque refert, quod aerem, lignum, aliavè corpora non etiam ad se alliciat. Vt enim annotarunt Alexander 1. Meteor. com. 17. Themistius apud Auerroem lib. 2. de cœlo comm. 34. D. Thomas in 2. d. 15. q. 1. art. 2. cùm aliquid in rem ab se distantem per medium agit, non opus est, vt qualitas, cuius interuentu operatur, eosdem effectus in corporibus interiectis indiscriminatim edat, sed pro subiectæ rei natura & conditione. Quod tum alijs exemplis conspicuum est, tum in luce, quæ sublunaria corpora calefacit, non autem cœlestia, in quæ primò recipitur.

ARTICVLVS IIII.

EXPLICATVR ALTERA PARS PRIMI argumenti, disseriturque de fascinatione.

Quod re vera fascinatio detur.

Fascinatio quędam ex fœdere inito cum Dęmone.

Alia naturalis.

POstulat altera pars eiusdem argumenti, vt explicemus, soleat ne re vera fascinium inferri, an non. Sunt qui nihil eiusmodi in natura existere, eamque opinionem inanem, & vulgi errore introductam putent. Sed certè illa & vera est, & multis experimentis cōspicua; eamque approbat Aristoteles in problem. sect. 20. problem. 34. Alexander lib. 2. problematum problemate 50. Plutarchus decade 1. sermonum conuiualium problemate 7. Magister sent. ad cap. 3. epistolæ ad Galatas, D. Thomas ibid. & 1. p. q. 117. art. 3. & 3. contra gent. cap. 103. M. Albertus lib. 22. de animalibus c. 5. Richardus quodlib. 3. q. 13. AEgidius Romanus in libro contra errores Philosophorum. Abulensis paradoxo 4. cap. 16. eandemque sequuntur peritores medici. Vt autē fascinium illud omittamus, quod (vt D. Thomas ad locum illum epistolæ ad Galatas animaduertit) nōnulli diris imprecationibus, & fœdere cum Dæmonibus inito interdum moliuntur; contingit vulgaris fascinatio hunc in modum. Sunt quib⁹ natura ex insito vel aduentitio corporis habitu vim maleficam; noxiamvè qualitatē instar veneni inseuit; sicuti & quibusdā alijs vim beneficā elargita est, vt rupici auiculæ, quæ inspectātes curat.

Irē Ferrariensis. 3. contra gent. ad cap. 103. Dionys. Carth. ad c. 3. Epistolæ ad Galatas, Sixtus Senensis lib. 6 bibliotecę annot. 276. Iandunus hoc in lib. q. 5. Ficinus lib. 13. de immortal. anim. c. 4.

curat. Qua de re lege, si placet, Albertum loc. cit. & Ficinum lib. 13. de immortal. anim. cap. 4. Illi ergo ex oculis & tota facie eiusmodi noxiam qualitatem quasi iaculum veneno illitum exterius vibrant; & cùm ambientem aerem afflatu suo primùm vitiarint, tum longiùs diffundunt, & eos, quos attigerint, haud raro lædunt. Inest autem hoc virus potissimùm fœminis, & inter eas ijs, quæ duplices habent pupillas, vel effœta ià sunt ætete. Cuius rei causam explicat D. Thomas loco citato primæ partis. Atque interdum non in vno tantùm alicuius familiæ homine, sed in tota familia hoc mali deprehenditur. Tradidit enim Isogonus & Nymphodorus, referente Plinio lib. 7. cap. 2. & lib. 33. cap. 10. Natural. hist. fuisse in Africa familias quasdã effascinantium, quarum laudatione emorerentur pecudes, arescerent arbores, probata interirent. Quemadmodum & è contrario Crates Pergamenus in Hellesponto genus hominum fuisse scripsit, qui manu imposita venenã corpori extrahebant, & serpẽtum ictus contactu leuabant.

Quomodo cõtingat.

Aliquãdo tõti familię vis fascinãdi insita.

Porro huiusmodi malefici afflatus oculis egredi potissimùm solẽt duabus de causis. Primum quia ea, quæ venenum habent, id magna ex parte in extremis gerũt, vt Scorpius in cauda, & quæ morsu lædunt, in capite, vt vipera, murena, & myrus. Deinde quia fascinantes cùm in re quapiam videda intentius, diutiùsque occupãtur (maximè verò si felle inuidiæ, aut nocendi studio cõcitentur) tunc eiusmodi pernicioſum vaporem ductu spirituum ad oculos euocant, eumq; propterea quod oculi cute nudati sint, facile inde eiaculãtur.

Malefici afflatus fascinantium cur potissimũ oculis exeant.

Lædunturautem sæpiùs fascinio, eoque nonnunquam sensim extabescũt tenelli infantes & pueri, quibus id malum ob corporis imbecillitatem faciliùs inhæresci t, vt aduertit Aphrodisæus loco quẽ antea indicauimus. Sed & id nonnunquam grandiores etiam peruadit. Nam Thybios olim Ponti accolas refert Plutarchus loco citato ex Phylarcho, non modò pueris, sed adultis quoque hoc malo exitiosos fuisse. Vniuersim autem eos, qui venustiores sunt, hoc virus corripit, vel quia ijs magis effascinantes inuident; vel quia eos laudant, qui ob id lætitia perfusi cor, spiritus, totam faciem, ac percipuè oculos dilatant, fascinijque veneno viam aperiunt. Nec defuere, qui sibimet ipsis fascinio lethale virus, ac perniciem intulerint. Vnde illud de Eutelida iuuene;

Cur pueri fascinationi magis sint exposiri.

Qui miser in rapido dum spectat flumine vultus
Fascinat heu sese, ac subiti per viscera morbi
Sæua lues peruasit.

Ex dictis liquet eos, qui fascinant, sicuti de magnete dicebamus, non immediatè in rem distantem, sed in ambientem aerem actionẽ fundere, sicque obuios effluxu & contagione inuadere ac ferire.

ARTI-

ARTICVLVS V.

DISSOLVITVR ALIA PARS EIVSDEM argumenti, & qua vi Echeneis nauigia detineat, inquiritur.

Detineri ab Echeneide nauigia probatum experientia.

IN eodem argumento explicandum se offert, qua vi Echeneis piscis nauigia retardet. Quod enim id verum sit, & experimento compertum, testantur grauissimi auctores, D. Ambrosius lib. 5. Hexameron, cap. 10. D. Basilius homilia 7. Hexameron, AElianus lib. 12. cap. 45. Plutarchus in problem. Sympos. decad. 2. problem. 7. Plinius lib. 32. histor. Natural. cap. 1. hisce verbis. Echeneis, ruant venti licet, & sæuiant procellæ, imperat furori, viresque tantas cõpescit, & cogit stare nauigia: quod non vincula vlla, nõ anchoræ põdere irreuocabili iactæ; & paulo inferius. Fertur Actiaco marte tenuisse prætoriam nauem Antonij properantis circumire, & exhortari suos, donec transiret in aliam. Ideoq; Cæsariana classis impetu maiore protinus venit. Tenuit & nostra memoria Caij principis ab Astura Antium remigantis. Hactenus Plinius. Itaque huiusce remorationis certa experientia est, de eius causa Philosophi disceptant.

Item Adamo Leonicero in lib. de Aquatilibus, Vincẽtio in spec. nat. lib. 17. c. 149. Rondelitius lib. 15. de piscibo c. 18. Cœlius Rhodig. lib. 6. lect antiq. c. 11. Claudio in embl. Alciati. Cardano de rerum variet. lib. 7. c. 37.

Qua vi id accidat, prima opinio.

Fracastorius in libro de Sympathia & antipathia cap. 8. statuit eius rei nullam causam esse posse, quàm partim vim attrahendi, partim vacuum. Modum verò duplicem. Vnum vt piscis ille non causa sit eius retentionis, sed signum alterius, quod retinet; alterum vt etiam causa sit. Nam primum inquit nihil prohibet saxa & scopulos, vbi Echeneides degunt consimilem speciem vsque ad nauigia mittere, qualem & montes magnetum ad ferrum in nauigijs fixum, atque ita naues ad se rapere, vel retinere sicut & magnetes. Quare inuentus illic pisciculus ille signum dat subesse scopulos eos, qui firmare nauigium possint. Si vero nõ signum est Echeneis, sed causa eius detentionis, oportet existimare ipsam primo arctissimè affigi nauigio, vt euelli non inde possit, nisi vi multa; ab ipsa verò ad certos scopulos, & ab ijs ad ipsam mutuò demitti vel speciem, vel etiam corpuscula more torpedinis, quæ consuetam tentent attractionem similiũ. Nec ipsa igitur nauis attrahi in fundum potest propter resistentiam sui, nec ab ipsa auelli Echeneis propter fortem affixionem ob vacuum; vnde fit, vt firmetur tantum nauis, aut tardetur saltem. Hæc Fracastorius.

Impugnatio superioris sẽtentiq.

Iulius Scaliger exercitatione 218. aduersus Cardanum & alij huiusce modi Philosophiam meritò reijciunt. Nam quod nauem non remoretur vis aliqua è subiectis scopulis emissa, inde constat, quia cùm multæ naues eàdẽ iter fecerint vna aliquando immobilis stetit; idq;

idque interim dū abea Echeneis auulsa non est, vt loco citato narra Plinius. Cùm enim è tota classe Caij principis sola quinqueremis nō proficeret, exilientibus protinus, qui id quærerent circa nauim, inuenere adhærentem gubernaculo piscem, ostenderuntque Caio indignanti hoc fuisse, quod se reuocaret, quadringentorumque remigum obsequio contra se intercederet. Deinde secundus etiā modus impugnatur, quia præter alia incredibilia, & liberè asserta, quæ inuoluit, illud planè falsū assumit, nō posse echeneidē tanta illa vi diuelli á naui, vt vacuū detur: siquidē nullo vacui periculo facilè aqua, vel aere subeunte diuelli posset, vt re ipsa diuellitur à nautis, qui eā deprehendunt.

Dicendū igitur videtur Echeneida qualitatem aliquā occultā ex se parere, qua nauigiorum impulsum hebetet, extinguatque, atque ita inhibita vi eiusmodi impulsus, qui motū efficit, inhiberi motū ipsū, sicq; nauigia sisti. Nec debet incredibile existimari tributā esse pisci hanc virtutē, sicuti torpedini obtorpefaciendi manū: sicuti è cōtrario, magneti insidet vis effectrix impulsus permouēdiq; ad se ferrū. Quid in re proposita verisimilius videatur.

Atq; hīc semel dixerimus curandam non esse quorundam recentium Philosophorū calūniā, qui occultas proprietates, insciticæ asylū vocant. Nāque vt Aprodisæus in proœmio suorū problematū ait, nō solū medicæ artis auctores, sed etiā Philosophi eas statuere cogū tur in multis effectis, quorū abditæ, delitescentesq; causæ habētur: Nec enim sēper effecta ad quatuor primas qualitates, vt falsò quidā opinātur, referri queūt. Quocirca veteres Philosophiæ proceres nō omniū, quę in natura sunt, sed quorūdā dūtaxat rationes ab elemētis petierūt. Ac dū in abstrusas, & inexplicabiles huiusmodi quæstiones incidūt, earū certa definitione se abstinēt, ad naturæ latebrā & occultæ alicuius qualitatis vim cōfugientes. Rectēq; Theophrastus lib. 1. Metaph. c. 5. (si eius est illud opus) asseruit eos, qui de omnib⁹ rationē quæritāt, & aptā, ac cōspicuā causā reddere nitūtur, rationē tollere. Qua ɗ re lege, si placet, Ferneliū c. 2. li. 2. ɗ abditis rerū causis. Refelluntur qui occultas qualitates insciticę asylum vocant. Non omnia naturalium rerum effecta ad vim primarum qualitatū esse referēda. Theophrastus.

His ita disputatis, diluitur ꝓposita difficultas de actione remoræ nauigia detinētis, aiēdo remorā nō trāsmittere actionē immediatè in rē distātē, sed nauigio mordic⁹ affigi, & inhærere, vt experiētia cōpertū est; tū verò inde p̄dictā qualitatē effundere. Reliqua etiā, quæ in eodē argumēto adducūtur, nō nisi interuētu qualitatū, quas per media corpora traijciūt, agere solēt.

ARTICVLVS VI.

RESPONDETVR SECVNDO ARGVMENTO, simulq; causa redditur, cur lebetis ad ignē fūd⁹ nō vrat.

CIrca lebetē, in quo feruet aqua, qua de re agitur in secūdo argumento, duo occurrūt explicāda. Alterum quamobrem fundus lebetis tandiu calidior fit, dum aqua ipsa frigidiuscula est. Alterum, quod institutæ disputationis est propriū, cur postea eius- Duplex dubitatio.

Responsio. dem lebetis fundus, aqua iam efferuescente, non vrat. Vtrique quæstioni occurrit Aristoteles in problematis sectione 24. problemate 8. aiens id ita accidere, quòd aqua adhuc frigente calor cõcludatur circum, obsistatque intus, cũ ei exitus omnis denegetur: At verò aqua calefacta, quia iam calor liberè respirat, diminuiturque, fundum trigidiorem reddi; non secus ac balneas: has enim hyeme, quàm æstate calidiores experimur, quoniam calor hyberno potius, quàm æstiuo tẽpore aeris se circunfundentis frigore intercluditur.

Vberior disceptatio circa posteriorẽ dubitationẽ.

Sed vt posterior quæstio, quæ difficilior est, & præsentis instituti, vberius explicetur, liquet inprimis imũ aquæ frigidius esse, quã medium, vel summum: videlicet, quia quæ pars aquæ calore corripit, tenuior & leuior fit, atque adeo summũ petit. Id verò, quod magis friget, quia grauius, descendit, ac subsidet. Cur autem fundus lebetis feruentissimam aquam continentis, non vrat, id putant quidã ascribendum naturæ humidi, quod ignis cùm occupat, multò fit potentius, quàm cum siccum inuadit, quale est ahenum: id quod tum alijs in rebus videre est, tum in carbonibus, qui humentibus scopis subinde irrigati, inflãmescunt ardentiùs, & in aqua vitæ, quam ardẽtem, seu sublimatam appellant. Alij causam esse inquiunt, quia natura sua frigidum æs, eam, quam potest, frigiditatem retinet, adiutũ frigore aquæ in ipsos poros sese induentis. Vnde postquam totum corpus aquæ feruidum est, etiam fundus vasis calescit. Atque hæc ratio est ad mentem Aristotelis in problematis sect. cit. problemate 5. vbi ait fundum non vrere, quia calor in eum contractus extingui ab aqua potest. Quo fit etiam vt addita aqua non liquescant vasa plũbea igni imposita.

Quorũdam solutio.

Thõmas à Vega lib. 2. de loc. aff. sect. 2 cõm. 2.

Aqua sublimata.

Solutio aliorum.

Verùm sint hæc ita vt dicuntur, adhuc explicandum superest, quopacto tanta vis caloris, fundo frigente in aquam transmeet. Aut enim ignis immediatè aquam calefacit, aut per fundum vasis. Si immediatè, iam aliquid agit per se primò in rem distantem. Si per fundum, sequitur traijci calorem intensum per aliquod intermediũ corpus, nec tamen illud intensè calefieri, quod non minus absurdũ est. Quidam memoriæ nostræ Philosophus affirmat ignem priùs in aerem poris fundi inclusum, calorem immittere; deinde per eum duntaxat, maiorem illam caloris vim in aquam traducere. Verisimile tamẽ nõ videtur eã trãsmissionẽ vel tantũ, vel maiori ex parte per poros fieri. Cũ enĩ ij tã minuti, cõtractiq; sint, per eos vix lõgo tẽpore aqua incalescceret. Dicendũ igitur erit ignẽ initio in vasis fundũ agere, eumq; sibi similẽ ex parte reddere, vt experiẽtia testatur: deinde eo quasi in amicitiam & belli societatem assũpto, tam ignem, quàm ipsum fundum vice vnius efficientis causæ totam suam vim in aquam intendere, iuxta ipsum tamen fundum non ita procedere calefaciendi actionem, quia resistentia aquæ eò maximè confertur, & conglobatur, vt hosti sese ex aduerso opponat. Quod fit etiam descendentibus ad imum ipsis partibus frigidioribus, & in

Fracastorius lib. de sympath. c. vlt.

poros

poros fundi sese inducentibus, aut modo alio simili. Atque ita ea parte non posse tam citò vinci aquæ resistentiam. Nihilominus per alias remotiores lebetis partes, secundum quas non ita resistit aqua, & per aerem circunstantem penetrare actionem ignis, prævalereque ad inducendum calorem intensum in aquam fere totam, quousque tandem ipso etiam fundo calefacto aqua omnino debelletur. Atque ita semper actionem exerceri in passum agenti immediatum. Idem dicendum de igne calefaciente in charta papyracea affusum oleum, quod ipsi ratione humoris nonnihil aduersatur, atq; adeò eius vim aliquantulum obtundit, & detinet. Quod verò de naphtha obijcitur, dicendum naphtham (idem intellige de aproxe) ignescere calore per medium aerem transmisso, qui aerem priùs inflammat; etsi id ob illius raritatem non ita conspicuum sit.

Cur ignis videatur naphtham è loco remoto immediate corripere.

ARTICVLVS VII.

ENODATVR QVARTVM ARGVMENtũ: discutitur modus, quo phãtasia mouet appetitũ.

QVartum argumẽtum duas potissimum attingit difficultates. Prima est utrum imaginatio se sola frigus, aliam ve qualitatẽ in corpus imprimat. Altera nũ primò in remota agere possit. Priori verò difficultate alium in locum in quo ex instituto perpẽdenda erit, reiecta, quod ad posteriorem attinet, illud constat, imaginationem obiectis rerũ simulachris ciere cum motu cordis appetitum, agitatisque humoribus, & spiritibus, ex vario eorum motu & coitione alterationem efficere. Nam in timore corpus frigescit, ac pallet: in verecundia, rubore perfunditur: in ira, sanguis ignescit: in mœrore floridus color obscuratur. Nimirum vti in libro de animalium motione Aristoteles ait, parua mutatio in ipso facta principio verbi gratia, in corde, multiplices etiam in extremo efficit varietatũ differẽtias, vt temone paululũ trãslato, magna prorę mutatio existit.

D.Th. in quęstionibus de verit. q. 26. art. 3. in sol. arg. 11.

Quęstio; quomodo imaginatio appetitũ moueat.

At enim quo pacto hęc motio ab imaginatrici facultate ad appetitum pertingat, incertũ est, ac valde cõtrouersum. Erit fortasis, qui hunc nodum expedire se putet, asserendo vtrunque appetitum sensitiuum in corde sedem habere, mouerique à sensu cõmuni ibidẽ existente. Nam quod sensus communis in corde resideat, credit Aristoteles in libro de iuuent. & senect. c. 2. & in libro de sõno & vigilia c. 2. & 2. de partibus animaliũ c. 10. & lib. 3. eiusdẽ operis c. 4. Item Alexander Aphrodisiensis 1. de anima c. vlti. & Auerr. 2. collect. c. 7. Themistius in libro de memoria & reminisc. alijque nõnulli. Hæc tamen responsio falso innititur fundamento. Non enim sensus cõmunis in corde, sed in capite insidet, vt docet Plato in dialogo de natura; Auicẽna 6. naturalium par. 4. c. 1. Albertus in libro de apprehẽsione c. 3.

1. opinio. Sensum cõmunem posuit Aristoteles in corde.

Galenus lib.8.de vſu partium cap.3.& 4.ac cæteri fere Medici; quæ opinio ſuo loco, hoc eſt, in 3.đ anima nō leuib⁹ argumētis aſtruetur.

Secunda opinio.

Alij propoſitæ dubitationi reſpondent: cùm ſenſitiua cognitio ab interno ſenſu elicitur, inuehi à cerebro per neruos, quibus ſpiritus animales in potentias diſpertiūtur, ac pertingere ad ſedem vſque appetitus quaſdam rerum notitias & ſimulachra, quæ appetentem vim immediatè laceſſant. Sed neque hi rectè philoſophantur. Nō enim cognitio ſenſitiua extra potentiam, à qua gignitur, oberrat: præſertim cùm omnis notitia, vt eſt communis Philoſophantium vox, inter actiones immanentes cōnumeretur. Quod ſi velint, non cognitionem ipſam, ſed duntaxat rei cognitæ ſpeciem ad appetitum demitti: adhuc nihilominùs coarguentur. Namque licet ſenſibiles rerum imagines ab vna potentia ad aliam excurrant, vt ab oculo per neruum opticum ad ſenſum communem: tamen ad appetentes non videntur effundi, cùm non niſi cognitricibus, vt earum principia cognoſcēdi obſeruiant. Præterea ſi huius ſententiæ auctores ideo ſpecies mittūt ad appetitum, vt per eas illi res obiecta, in quam feratur, proponi ac repræſentari queat; falluntur. Nulla enim ſpecies impreſſa, appetitui actu rē obijcit, ſed virtute, quatenus imago quædā eſt, è qua expreſſa rei notitia educi poteſt: at repræſentatio, quæ appetitū mouet, actualis, & exercita eſſe debet: alioqui ſi virtualis per ſe appetētē vim cieret, vtique ceſsāte omni intellectus actione, tēderet volūtas in ea, quorū imaginē intellect⁹ patiēs in ſe cohibet; quod omnino falsū eſt.

Species non excurrunt à potētijs cognoſcentibus ad appetitū.

Tertia opinio.

Nō minus etiā à vero abeſt eorū ſentētia, qui dicūt phantaſiā nō notitiā, neq; ſpeciē ad appetitū trāſmittere, ſed aliā occultā qualitatē excitatricē appetitus ad rei proſecutionē, vel fugā. Hi enim liberè fingūt gigni eā qualitatē per actū phātaſiæ, ſiue imaginatricis facultatis, qui certè actus præter ſpeciē, quā in ſe, vel in alia potētia cognoſcēte imprimit; ad sūmū, ſi quā præterea qualitatē producit etiā apud eos, qui imaginationi multū attribuūt, eſt ea, quā ipſe apprehendit, quomodo ex vtroque parēte albo nigri partus prodierūt: Et Pauo (vt ſcribit Fernelius in libro de hominis procreatione c.12.) ſi dū ouis incubat, linteis albis circūtegatur, albos omnino pullos, nō gēmātis coloris edet: videlicet, quia imaginatio, (ſaltē ſuppoſito motu appetitus) virtutē ad exprimēdas eas notas, & colorē, aliaq; eiuſmodi, in quæ vehemētius intēdit, primò quidē ſpiritibus, quib⁹ cerebri meatus refetti sūt; deinde per ſpiritus ſemini, ac fœtui inurit. Præterea eo etiam hæc opinio diſplicet, quod prædictam qualitatem nulla cogente neceſsitate confingat, vt mox patebit.

Virtus imaginatricis facultatis.

Auguſt.3. de Trin.c.8.& lib.12. de Ciuit. Dei c.25. Iſidorus li.11. Etymol. Abulenſ. Gen.30. q.9. Heliodorus lib.1. hiſt. Aeth.

Itaq; ſuperioribus ſententijs omiſsis amplectimur id, quod multi noſtræ ætatis optimæ notæ Philoſophi in hac dubitatione ſtatuerūt, videlicet nihil incōmodi eſſe vnā potentiā in aliā ab ſe diſsitā primò agere, modò vtraque in eodē hæreat ſubiecto, & ab eadē anima oriatur, alteraq; ad alteram ſuopte ingenio ordinetur, vti in re propoſita accidit. Sufficit enim principem prædictæ motionis cauſam

vtrique

vtrique potentiæ præsentem esse: maximè quia influxus ille potentiæ cognoscentis in appetentem non transmittitur, quasi directò, & immediatè, sed velut circuitu quodam per ipsam animam, & suppositum: siquidem vis appetēs cæca est, nec potest videre quid cognoscens proponat, vt inde moueatur; sed anima, ac præcipuè etiā suppositum postquam vi cognoscente percipit obiectum ex impressione talis notitiæ fertur in illud per appetitum, atque ita notitia obiecti non concurrit ad appetitionem nisi vt afficiens animam, & suppositum, quæ per vim appetitiuam appetendi actum eliciunt; anima quidem vt principium, quo; suppositum verò vt principale agens. Quare non mirū si per animam, & suppositum possit influxus phātasiæ distantis ab appetitu in ipsum peruadere. Quod si adhuc difficile videtur causam principalem, quæ interuentu instrumenti operatur, posse quicquam facere vbi instrumentum non fit; respondemus non posse quidem si nullum aliud habeat instrumentum, quo vtatur ad eiusmodi effectum: at in proposito secus rem habere. Nā anima & suppositum vtuntur facultate appetitiua tanquam instrumento proprio ad eliciendam appetitionem; ipsa verò notitia est instrumentum remotum, & præuiè disponens animam, ac suppositū, vt per appetitū operetur, sicuti declaratum est. Atque hæc tota explicatio, & defensio locum habet, posita illa sententia, quæ asserit notitiam obiecti concurrere effectiuè ad actum appetitus. Nam in cōtraria, quæ talem concursum notitiæ effectiuum denegat, nec minus probabilis est, cessat omnis respondendi labor hîc susceptus, sed quia statuere omnino de ratione, qua notitia obiecti concurrit ad actum appetitus, non est huius loci, visum est propositi argumenti solutionem tractare, admissa etiam illa sententia, in qua difficultatē ingerebat. Ad posteriorem verò dicendum, nec imaginatricem vim externa corpora immutare, vt Auicenna, alijq; nonnulli voluerunt; nec si ea immutaret, id ab ea primò, sed explicata per medium qualitate perficiendum fuisse.

Vis appetēd est cęca.

Explicatiō difficilis dubij.

ARTICVLVS VIII.

REFVTATVR QVINTVM ARGVMENTum: traditur causa motus proiectorum.

CIrca vltimum argumentū non leuis occurrit dubitatio de motu proiectorum, sit ne eius causa corpus, quod à tergo instat, & vrget, an impulsus in eis à iacente impressus. Huic quæstioni ita occurrit Themistius in sua paraphrasi capitis noni in librum de insomnijs; simul atque telum de manu iaculantis recessit, longiùs quasi suo motu fertur, propterea quod ille, qui mittit, primorē aerē cōmouet, qui collisus subinde alium aerē propellit, atq; hic deinceps alium

Quorundam sententia de causa motus proiectorū.

alium continenti serie, donec vires seneſcant, atque ita telum quieſcat. Eandem ſententiam amplexi ſunt, Simplicius 8. huius operis ad text. 82. Auerroes ibidem in digreſsione de motu proiectorum, D. Thomas 3. de cœlo ad tex. 28. Maior in 2. d. 13. q. 7. alijque nonnulli, qui ita fere concludunt. Proiectis, vt teſtatur experientia, docetque Ariſtoteles 2. de cœlo cap. 6. text. 35. maior ineſt celeritas paulo poſt motus initium, quàm in principio, vel fine; ſi autem mouerentur à virtute impreſſa, neceſſum foret eorum motum initio maximè velocem eſſe; deinde ſegniorem; cùm eiuſmodi virtus poſt initium lãgueſcat, ac debilior fiat. Non ergo ab ea virtute proiecta deferuntur.

Vt Burleus & huius operis ad text. 76. Maironius in 2. d. 13. q. 7.

Eius argumẽta. Primum.

Secundum. Secundò. Eadem iaculatoris manus, nunc ſurſum, nunc deorſum vibrat iaculum; ergo cùm vis deferens ſurſum, ſit leuitas; deferẽs verò deorſum ſit grauitas; ſequitur eandem numero vim motricẽ nunc leuitatem, nunc grauitatem gignere; quod non eſt admittendum, cũ grauitas, & leuitas inter ſe ſpecie diſtinguantur.

Tertium. Tertiò. Ariſtoteles proximè ſequenti libro cap. 10. text. 82. tractans hanc cõtrouerſiam de motu proiectorum, eius cauſam eſſe ait medium, in quo fit motus, idemque repetit 3. libro de cœlo cap. 2. text. 28. & in libello de inſomnijs cap. 2. & de diuinatione per ſomnium cap. 2. & in problematis ſect. 11. problem. 6. & in quæſtionibus Mechanicis quæſt. 33. Igitur ſecundum Peripateticam doctrinã nulla alia prædicti motus cauſa admittenda eſt.

Vere ſentẽtię explicatio. Contraria tamen ſententia arbitrantium principem cauſam eius motus eſſe proiectorem ipſum, inſtrumentariam verò non eſſe medium corpus, etſi ad id aliquantulum adiumenti conferat, ſed vim quandam, ſeu impetum à iaciente, rei motæ impreſſum, eique inhærentem, veriſimilior eſt. Comprobatur autem primum ex eo, quia non videtur negandum dari in rebus huiuſmodi virtutem, ſiue impulſum, qui non ſit motus ipſe, ſed qualitas realis, qua motus proximè adminiſtretur. Nam cùm Angelus cæleſtem ſphæram mouet, nõ niſi iniecto iſtiuſmodi impulſu mouet. Item cùm leuia corpora in ſuperiorem, vel grauia in inferiorem locum tendunt, ideò in fine cõcitatiùs aguntur, quia progreſſu motus, augeſcit in ijs impulſus à natiua eorum leuitate, ſeu grauitate oriundus, vt in. 3. de cœlo explicatiùs dicitur. Propterea item motus proiectorum in fine tardior eſt, quia impetus, quo feruntur, paulatim euaneſcit. Deniq; hac ratione videntur Angeli in hunc, aut illum locum dæmonas per vim impellere, inijciendo eis ſpiritalem impulſum, quem certum eſt in corpore medio non recipi; ſi autem datur ſpiritalis impulſus, non eſt cur materialis negetur.

Pro hac ſẽtentia lege Scaligerũ exercit. 28. aduerſus Cardanum. Toletũ 8 huius op. c. 9. ad tex. 86. Saxonem 3. cœlo q. 12.

Angeli quomodo dęmonas per vim impellant.

Cõfutatio reſponſionis. Quod ſi quis reſpõdeat, dari quidẽ iſtiuſmodi qualitatẽ motiuã, ſed eam in corpus ambiẽs, non autem in lapidem iactum, aut ſagittã infundi; is coarguetur ex eo, quia abſq; probabili ratione dicitur nõ poſſe etiam corpus, quod iacitur, in ſe impetum accipere; præſertim cùm id, quod alias medium, ſiue ambiens corpus erat, poſsit eſſe id

ipſum

ipsum, quod iacitur; vt si quis aquam sursum propellat. Deinde cur pluma iacta, nec tam vehementer, nec tam longe dimouetur, quàm lapis, cùm illa multò minùs, quàm hic insequenti aeri obsistat? Certè, quia lapis habilior est ad excipiendum & conseruãdum in se impetum. Itaque nõ in aerem duntaxat, sed multo magis in ipsum lapidem vis motiua à proiectore transfunditur. Adde quod non videtur negandum posse Angelum in vacuo iaculum contorquere, & tamen iaculum non tunc ab aere, sed ab impetu sibi inhærente raperetur. Denique incredibile est rotam, aut trochum, qui in gyrum citissimè agitur, moueri à solo aere, cùm ipsa potius aerem moueãt: tormentarios globos, qui mænia, & vrbes demoliuntur, à tam leui, raro, & fluido corpore ad certum scopum tanta vi appelli. Quare aliquid est præter aerem, quod iacta corpora deuehit, nempe ea, quã diximus, virtus in eis hærens.

Angelus per vacuum posset iaculum intorquere.

Ad primum igitur argumentum aduersariæ partis dicendum erit ex D. Thoma 2. de cœlo ad text. 35. alijsque nonnullis motum proiectorum paulo post initium velociorem esse, quia tunc concitatæ sunt plures partes aeris (qui etiam vti diximus suo appulsu rẽ iactam promouet) postea vero quia motrix virtus à iaciente impressa permanet, & tardius proiecta semper donec petuò debilitatur, lentescit motus, & tardius proiecta semper donec quiescant, feruntur. Ad secundum dicendum est impetum à iaciente productum nec propriè leuitatem esse, nec grauitatem, sed esse qualitatem, quæ ex se indiscriminatim potest quoquouersum rem iactam deferre. Sed enim prout regitur, & modificatur à iaciente, ita in hanc, aut illam partem mobile rapit.

Ad 1. arg.

Lege Fracastorium lib. de sympat. & antipat. c. 4.

Cur motus proiectorũ paulo post mitiũ vehementior sit.

Ad 2. arg.

Quod ad tertium argumentum spectat, non imus inficias videri Aristotelem aduersariæ parti nimium fauisse. Responderi tamẽ potest Aristotelem dixisse proiecta vehi à corpore medio, nõ vt ab integra, sed vt à partiali causa suæ motionis.

Ad 3. arg.

His ita explicatis, vt ad solutionem eius argumenti, cuius occasione hæc à nobis disputata sunt, veniamus, aduertendũ est, duo esse mouentium genera. Vnum eorum, quæ nisi ipsa rei motæ continẽter adsint; illico motus cessat, cuiusmodi est sol dum aerem illustrat. Alterum eorum, quæ etiam in absentia mouent; quia nimirum patienti virtutem motricem cõmunicant, quæ mobili impressa ad continuandum per se motum sufficit. Et hæc quidem dicuntur per instrumentum separatum agere, cuiusmodi sunt animantes, quæ per vim semini inhærentem fœtus suos educunt. Priora igitur mouentia necesse est rei, quæ mouetur, perpetuò assistere: posteriora verò nõ item, sed duntaxat cùm qualitatem effectricem motus, quasi substãtiæ suæ vicariam substituunt. Ex hoc autem numero est is, qui lapidem sursum iacit, impresso videlicet in eum impetu, quo per se deinceps feratur; itemque corporum grauium, & leuium progenitores, qui mobilibus in ipsorum ortu coniuncti fuere, atque eis tunc grauitatem & leuitatem, quibus naturalia loca adeũt, impertiti sunt. Ita verò

Sol. principalis argumẽti.

Duo genera mouẽtium.

verò patet nullum ex hisce motoribus per se primò agere in distans; cùm vel per se proximè, vel per suam virtutē rem motam attingant.

QVÆSTIO II.

POSSIT NE ALIQVID ASSVMI à Deo vt instrumentum ad agendum in rem distantem.

ARTICVLVS I.

CONCLVDITVR PARS affirmatiua.

Qui auctores affirmatiuā partē tueātur

IAmetsi ex superiori disputatione cōstet non posse quicquam viribus naturæ in rem ab se disitam primò agere; adhuc tamen exquirendum supereſt, nū id saltem diuina virtute fieri queat. Partem affirmātem amplexi sunt non solum Scotus in. 1. d. 37. qui id etiam vi naturæ fieri autumat; sed Paludanus in 4. d. 1. q. 1. Caietanus. 3. p. ad art. 2. quæstionis 13. Vega lib. 7. in Concil. Trident. cap. 14. Bellarminus de sacramentis in genere lib. 2. cap. 11. Soarius 3. p. q. 13. art. 1. dispu. 31. sect. 6. estque de mente D. Thomæ in secunda secundæ. q. 178. art. 2. ad 1. & 3. p. à q. 48. Atque hanc sententiam, vt magis cōsonā sacræ paginæ, & patrum testimonijs, quæ apud hos auctores videre est, amplectendam censemus. Probatur autem primùm ex eo, quia sicuti virtus principalis agentis potest agere virtute instrumenti, etiā vbi principale agens non est (vt patet in cælestium corporum influxu, qui animalia ex putrescēte materia apud nos gignit, cùm tamen corpora cælestia, quæ eiusmodi animantium principes causæ sunt, tanta locorum intercapidine distent) ita verisimile videtur posse instrumentū operari, vbi non adest, virtute principalis agentis, quod fit immediatū passo, hoc est, virtute Dei, qui vbique præsens est, ita videlicet vt tale instrumentum ad eam actionem vltra naturæ suæ modum diuinitus promoueatur.

Corpora cęlestia vt principes cauſę generant animantes exputri materia.

Secundò Ducitur ad idem non leuis momēti confirmatio ex illa probabili doctrina, quam supra defendimus de concursu effectiuo phantasiæ ad actum appetitus. Si enim phantasia in capite residens, vt instrumentum animæ, & totius compositi mouet efficienter appetitū in corde existentem; non incongruè ascendemus ad colligendū posse aliquid vt Dei instrumentum, in rem distantem primò agere:

quan-

quãuis instrumentum non eodem prorsus modo se habeat ad Deum, quo phantasia ad suum subiectum.

Tertiò, Quia probabile est inferum ignem, vt diuinæ iustitiæ instrumentum, in Dœmonas, qui hoc crasso, concretoque aere diuagantur, more causæ physicæ agere, eorum mentes vi cohibendo, ne ab eius consideratione auerti queant, & in eis vehementem dolorem cruciatumque excitando. Quare & cæt. De cruciatu dœmonum, qui apud nos versantur.

Quartò, Quia humanitas Christi erat diuinitatis organum, quo Deus vt communi consensu patres docent, miracula efficiebat. Nec videtur excipienda illa, quæ Christus edebat in locis ab humanitate disiunctis, vt doctores, quos paulò ante citauimus iure contendunt. Asserendum ergo est posse aliquid diuina virtute assumi vt instrumentum ad agendum primò in rem distantem. Humanitas Christi vt diuinitatis organum miracula edebat.

D. Damascenus lib. 3. fidei orth. cap. 19. D. Athanasius serm. 4. contra Arri. Eusebius lib. 4. de demonstr. Euang. c. 13. Theodoretus in dialogo immutabilis.

ARTICVLVS II.

DILVTIO EORVM, QVÆ IN contrariam partem afferuntur.

VErùm contra hanc sententiam hæc sunt argumenta. Id quod nullibi existit, non potest tanquam instrumentum assumi ad aliquid efficiendum, cùm vnunquodque operetur, vt est, omnisque actus secundus supponat primũ, atque adeò omnis actio existentiam; sed vnunquodque respectu loci vbi nullo modo existit, perinde se habet, ac si non esset, cùm illuc nec eius essentia, nec existentia pertingat. Igitur nihil vbi non existit, agere potest. Item si Deus non esset vbique, non posset vbique operari; ergo neque per instrumentum, vbi instrumentum non est, agere valebit. Antecedens probatur; quia si Deus posset vbique operari, etsi vbique non esset; nõ rectè D. Paul9 Actor. 17. ex actione, siue cõcursu Dei in quo viuimus, mouemur, & sumus, diuini numinis præsentiam astruxisset. 1. arg. 2. arg.

Ad primum horum respondendum est cùm existentia sit fundamentum omnium actuum secundorum, nihil posse ex se vllam edere actionem nisi existat. Negari item debet rem comparatam ad locum, in quo non est perinde se habere, ac si non esset; cùm enim re vera existat, etsi eò non pertingat secundum suam substantiam, pertingit tamen secundum actionem, non quidem propria vi, sed efficacitate diuini concursus dantis illi esse dependenter à tali instrumento remoto, & imprimentis eam immediatè in subiectum distans, quod efficacitati concursus, & voluntatis diuinæ non est negandum, licet difficile percipiatur. Resp. ad 1.

Resp. ad 2. Ad secundum concesso antecedente neganda est consecutio; quia Deus agit virtute propria, quæ alteri rei denegari non potest, ideoq; si eius substantia vbique præsens non esset, vbique agere non valeret: nos verò nequaquam admittimus posse aliquid in rem disiunctã operari virtute propria, sed vt instrumentum Dei tanquam præcipui agentis, quod omni passo immediatum est. De hac re Ochamus in 2.d.37.

Capitis tertij explanatio.

Alterationẽ versari in patibilibus qualitatibus.

QVidquid a autem) Quod superiori capite posuerat, videlicet propriam alterationem in patibilibus duntaxat qualitatibus et passionibus versari, id hoc capite demonstrat. Nam si in alijs prẽterea versaretur, maximè in figuris, & habitibus, eorumque acquisitione, & amissione. At quod in his non versetur, ostẽdit. Primùm quòd non in figuris, quia id, quod figuratum est, non iam eo dicitur nomine, quo antequam figuram acciperet: at quod alterationem subit, eandem retinet appellationem. Assumptum ostendit. Nam cùm æs in statuam, cera in pyramidem, lignum

Cur non sit ad figuras alteratio.

in lẽticam efforma tur; non iam ęs, nõ ceram, non lignum dicimus: at si ęs; cera, lignumvè humectetur, durescat, siccitatem acquirat, ęs humidum, ceram duram, lignum siccum vocamus: & cõtrà, ipsum etiam frigidum ęs nuncupamus; quę tamen reciprocatio in figuris esse nequit.

CAP. III.

QVidquid a autem alteratur à sensilibus alterari, & eorum duntaxat, quæ ab illis afficiuntur, alteratione esse, ex his dispiciendum est. Aliorum nãq; maxime in figuris & formis, & habitibus, eorũq; sumptionibus & depositionibus alterationem esse quispiam existimarit. At in nullo est. Nam quod figuratur, cùm perfectum fuerit, non id dicimus esse ex quo est, vt statuam æs, aut pyramidẽ cerã, aut lecticã lignũ, sed denominantes aliud æneum, aliud cereum, aliud ligneum. At id quod affectum est, atque alteratum, nuncupamus. Æs enim humidum & siccum, & durum & calidum dicimus, item ceram. Et non solum hoc modo, sed ipsum quoque humidum & calidum, æs dicimus, eodem nomine atque affectionem materiam nuncupãtes. Quare si quod factum est, in quo est figura, ipsius figuræ aut formæ nomine non dicitur, affectionum autem & alterationum nomine dicitur, perspicuum est has generationes alterationes nõ esse. Text. 14. Text. 15.

b Absurdum itẽ) Secundò idem confirmat, quia id, quod figuram, formamvè accipit, vt statua, dicitur fieri non secus atque homo cũ gignitur; absurdũ verò est dicere id, quod fit, alterari. Quare figurari alterari non est. Monet vero licet generatio non sit alteratio,

Alteratio comes generationis.

esse tamen hanc comitem illius; siquidem ante rei ortum nunc addensatur, nũc rarescit materia, nunc alijs id genus qualitatibus afficitur. Circa illud Aristotelis, quod effigiem accipit dici generari, aduerte ex D. Thoma hoc loco effigiem, siue figuram peculiariter monstrare cuiusque rei speciem. Quia nimirum vt quantitas inter cętera materialia accidentia ad substantiam propiùs accedit, vtpote quę eorum stabilimentum est; ita & figura, quæ est modus quantitatis substantiam propius attingit. Quo etiam fit vt imago, quę est expressa rei repręsentatio, magis secũdũ figurã, quã secũdũ colorẽ, aut aliquid aliud spectetur. Et quia ars æmula est imitatrixq; naturę, & artefactũ imago quędã est rei naturalis, artificialiũ formæ aut sunt figurę, aut aliquid his cognatũ. Ideo ergo negauit Arist. in figuris alterationẽ esse, sicuti & in formis sub-

Effigies index naturę.

Figura modus quantitatis.

Artefactum imago rei naturalis.

substantialibus, quibus rei natura potissimũ continetur: non quòd figurarum productio sit propriè generatio; sed quia ad eam similitudine proximè accedit.

c Atqui nec habitus) Probat non comparari habitus alteratione; quia habitus, aut virtutum sunt, aut vitiorum. Si virtutum, eis perficimur: nihil verò alterari dicitur cùm perfectionem assequitur, vt domus, cùm fastigium accipit. Si vitiorum, cùm vitia sint virtuti contraria, & contrariorum eadem ratio sit, nihil alterari censendum erit, cùm in vitia labitur. Perfici autem vnumquodque cùm virtute informatur, ex eo ostendit, quia virtus est propria cuiusque rei perfectio, quam vnũquodque cùm obtinet, secundum naturam benè habet, & in suo genere bonum dicitur. Sumit autem Aristoteles hoc loco virtutis nomen laxiori significato pro ea qualitate, qua res ad suas functiones rite obeundas idonea redditur quod genus virtutis etiam plantis conuenit, immo & artefactis, vt circulo, cùm formam naturæ suę debitã habet.

Habitus nõ cõparari alteratione.

Ad virtutes, & vitia nõ dari alterationem.

Text. 16. b *Absurdum item hoc modo dicere videri possit hominẽ aut domum, aut ex his quæ genita sunt aliud quidpiam alteratum esse. Sed vnumquodque aliquo quidem alterato genitum esse fortasse necesse est veluti materia densata, aut rare-*

Text. 17. *facta, aut calida frigida ve reddita. Sed tamen quæ oriuntur non alterantur, nec eorum ortus alteratio est.* c *Atqui nec habitus, nec corporis virtutes. Habituum enim alij quidem virtutes; alij vero vitia, sed nec virtus nec vitium alteratio est. Verùm virtus perfectio quædam est. Nam vnũquodque perfectum tunc dicitur, cum suam ipsius virtutem nactum est, quippe cum maxime secundum naturam tunc habeat, vt circulus perfectus cum maxime circulus optimus factus fuerit. Vitium vero huius interitus est, & remotio ab eo, vt igitur nec perfectionem domus alterationem dicimus, (absurdum enim est si domus fastigium & tectum alteratio est, aut si cum tegitur domus, fastigiumque accipit, alteratur, & non potius perficitur) ita in virtutibus & vitijs, & his qui habent, aut accipiunt, res habet. Aliæ enim perfectiones sunt, aliæ remotiones: quare non alterationes.* d *Præterea dicimus virtutes omnes in his quodammodo esse, quæ ad aliquid referuntur. Namque eas quæ sunt corporis, vt sanitatem & bonum corporis habitum in calidorum & frigidorum aut internorum interse, aut ad continens temperamento & commensuratione ponimus. Similiter pulchritudinem & robur, & alias virtutes atque etiam vitia. Vnaquæque enim & vnumquodque quodammodo ad aliud refertur, & ad proprias affectiones aut bene aut male eum qui eis præditus est disponit. Propria autẽ sunt, à quibus gigni atque corrumpi aptus est.*

d Prętera dicimus) Persequitur institutum ostendes non versari alterationem circa vitia & virtutes, quę ad corpus pertinent. Rationis vis ac momentum in eo consistit, quod corporis virtutes, similiterque vitia sint relata, quę non posse alterationem terminare libro 5. demonstratũ fuit. Numerat autẽ tres corporis virtutes, nimirum sanitatem, pulchritudinẽ, & robur, quę omnia ex ijs esse, quę ad aliquid sunt ex eo probat, quia consistunt in commensuratione quadam. Nã sanitas posita est in commensuratione elementorũ, & proportione primarum qualitatum tam inter se, quam in ordine ad continens. Quid autem appellatione continentis significet Aristoteles controuersum est. D. Thomas putat indicare corpus, ita vt velit Philosophus humorum temperiem, quę sanitatem continet, spectandam esse secundum naturam continentis, idest, corporis, in quo sanitas insidet; quia compositio qualitatum, & humorum, quę in leone, verbi gratia, est sanitas, in homine morbus est: diuersas enim formas diuersa temperamenta benè aut male afficiunt & ad munia apte, vel inepte obeunda disponunt. Commentator verò, Simplicius, & Magnus Albertus nomine cõtinentis intelligũt circumiectum aerem, quia elementorum temperatio ad illũ comparari debet, ita vt ea valetudo solida firmaque habeatur, quę ab aere, alijsque eiusmodi rebus non facilè expugnetur; habet enim ad euertendam, tuendamque sanitatem multum

Triplex vitalitus corporis.

Sanitas, pulchritudo, robur.

Temperamentorum diuersitas

Cœli ac solli natura quãtum conferat ad valetudinem.

multum momenti cœli, ac ſoli natura, vt docuit Hippocrates in lib. de locis, aere, & aqua, Ariſtoteles in problemat. ſect. 14. & lib. 7. Politicorum cap. 11. Vitruuius lib. 1. de architect. c. 4.

Quod verò alię duę corporis virtutes pulchritudo, & robur etiam relata ſint ex eo oſtẽdit, quia pulchritudo conſiſtit in proportione membrorum cum quadam coloris ſuauitate: robur vero in neruorum, & oſsium commenſuratione, vnde firmitas corporis exiſtit.

e Similiter res habet } Probauit non tendere alterationem in virtutes, & vitia corporũ, id ipſum nunc de moralibus vitrutibus & vitijs haud diſsimilibus argumentis comprobat. In primis quia cum virtutes rectè, vitia prauè animum afficiant, neceſſariò inter ea computari debent quę ad aliud referuntur, quorum, vti iam dictum fuit, alteratio non eſt. Deinde quia animus virtutibus excolitur, vitijs degenerat: nihil verò alteratur cùm perfectione n comparat, amittitvè. Conueniet ergo his non alteratio; ſed generatio potius & interitus, ideſt, mutatio quędam cum generatione & interitu ſimilitudinẽ habens. Quę mutatio non abſq; ſentientis partis alteratione contingit. Nam moralis virtus circa voluptates corporis, doloresq; verſatur. Hęc verò ſine motu appetitus, & tranſmutatione corporea eſſe nequeunt. Quod ex eo ſuadet, quia voluptates omnes, vel ad actionẽ pertinent, vel ad memoriam, vel ad ſpẽ: ſiquidem aut rebus preſentibus, & quæ actu ſenſus monẽt, oblectamur, aut iucunda preteritarum recordatione fruimur, aut futurarũ expectatione delinimur. Qui affectus in partibus ſentientibus alterationem cõmouent. Idquod de voluptate diximus, ſuo etiam modo de dolore; & quod de virtutibus, ſimiliter de vitijs pronuntiandum erit. Habent enim vitia omnia ſua oblectamenta, etſi fallacia & inania, quibus eodem pacto immutari corpus ſolet.

Moralis virtus circa voluptates & dolores.

Cùm igitur quæ ad aliquid referuntur nec ſint alterationes, nec eorum ſit alteratio, nec generatio, nec vlla omnino mutatio, perſpicuum eſt neque habitus, neque habituum abiectiones & ſumptiones alterationes eſſe. Sed generari quidem fortaſſe, & interire eos quibuſdam alteratis neceſſe eſt, quòmodo & ſpeciem, ac formam veluti calidis & frigidis, aut humidis & ſiccis, aut ijs, in quibus primis inſunt. In his enim quodcunque vitium & virtus eſſe dicitur, à quibus id quod habet, alterari eſt aptum. Namque impatibile, vel, vt oportet, patibile virtus efficit, vitium autem contrario modo patibile atque impatibile. e *Similiter res habet in habitibus animæ, cum & ipſi ex eorum ſint numero, quæ ad aliquid referuntur. Ac virtutes quidem ſunt perfectiones: vitia vero amotiones. Præterea virtus ad proprias affectiones rectè diſponit, vitium non rectè. Quare nec ipſæ erunt alterationes: nec igitur abiectiones aſſumptionesque eorum. Oriantur autem, cùm ea pars quæ ſentit, alteratur, neceſſe eſt. A ſenſilibus verò alterabitur. Omnis namque moralis virtus in voluptatibus corporis, & doloribꝰ verſatur. Hæ verò aut in actione, aut in memoria, aut in ſpe. Ac illa quidem quæ in actione ſenſu habentur, qui ab aliquo ſenſili mouetur. Quæ autem in memoria & ſpe, ab hac proficiſcuntur. Aut enim recordantes quibus affecti ſunt, aut quæ exſpectãt ſperãtes, delectantur. Quare neceſſe eſt eiuſmodi omnem voluptatem è ſenſilibus oriri. Quoniam autem voluptate aut dolore excitato vitium & virtus inſunt, (in illis enim verſantur) voluptates autem & dolores partis ſentientis ſunt alterationes, perſpicuum eſt neceſſarium eſſe aliquo alterato hæc abijciãtur & comparentur.* Text. 18. Text. 19.

Alteratio circa ſcięctias nõ verſatur.

f At neque eius } Probat non alterari animam cùm ſcientias acquirit, eadem, qua ſuperiùs, vtens confirmatione; quia ſcientia inquit relatum eſt. Cuius rei illud affert argumentum, quod ſit quiſpiam ſciens nulla facta mutatione in intellectrice facultate, ſed ſola pręcunte experientia, quę ex collecta ſingulorum notione oritur. Lege Ariſtotelem 1. lib. Prioris Analyt. cap. 23. & 1. poſt. c. 14. & lib. 2. c. vlt. & 1. Metaph. c. 1. vbi ex profeſſo de experientia, artiumque, & ſcientiarum ortu diſſerit.

g Nec ſanè actio generatio eſt } Duo circa habitum ſcientię conſideranda occurrunt. Alterum

Alterum est prima eius adeptio; alterum vsus. Ostendit ergo hoc loco vsum scientiæ non esse generationem; quia non est cur hic magis generari censeatur, quàm tangendi, aut videndi functiones; siquidem vt tactio, facultatis tangendi actus est, & visio actus potentiæ videndi; sic contemplatio est actus facultatis intellectricis. Quare vt nemo illas operationes sensuum, generationes vocat, ita nec contemplationem generationem appellabit.

g Scientię autem à principio) Non accipit Aristoteles hoc loco scientiam pro habitu, actu vè scientię alicuius, vt Physicę, vel Geometriæ, sed pro perfecto vsu iudicij, & rationis, quo adepto ad disciplinas acquirendas apti, idoneique reddimur. Porro huius scientię nec alterationem, nec generationem esse inde suadet, quia non eam assequimur, nisi exacta iam infantia, & pueritia post quietem, & sedationem, tranquillitatemq; sensuum. Quod vt intelligas, aduerte in tenera ętate ob nutrimenti affluentiam, & vberiorem humoris copiam, internorũ sensuũ officinas perẽni motu agitari, & diffluere. Quę causa est, vt rerum imagines, quę per externos sensus in internos illabuntur, in organis asseruari nequeãt, (sicuti nec in aqua, aut cera liquefacta eę, quas sigillum exprimit) & vt debitus earum vsus non existat. Hinc ergo fit, vt per id tempus non eluceat lumen rationis, sed quasi nebula obtectũ sit, proindeque nec addiscere possimus, donec humore illo paulatim ad mediocritatem consumpto, & fluxu cohibito, inusię imagines permaneant, & imaginatio suo munere rite defungatur. Pendet enim intellectus operatio à phantasia, vt docet Aristoteles lib. 3. de anima, cap. 8. text. 9.

In tenera ętate perẽni motu agitãtur interiorum sensuum officinę.

Quid nã vsus rationis de moretur.

Text. 20. *Præterea ipsorum generatio cum alteratione est, ipsa autem non est alteratio.* f *At neque eius partis animæ, quæ intelligẽdi vim habet, alteratio est. Sciens enim maxime in his est, quæ ad aliquid dicuntur. Hoc autem eo constat, quòd nullius facultatis motu antegresso scientia in nobis oritur, sed aliquo suppetente. Etenim ex singulorũ experientia vniuersam scientiã nanciscimur.* g *Nec sanè actio generatio est, nisi aspectum & tactum generationes esse quispiam inquiat, eiusmodi enim est actio. Rursus vsus & actionis generatio non est, nisi aspectus & tactus generationem esse aliquis existimet. Atque agere simile est his.* h *Scientiæ autem à principio acquisitio generatio nõ est, nec alteratio. Cogitationem enim κρεμᾶσθαι καὶ σῆν, hoc est in quiete & statu poni, id demum ἐπίστασθαι hoc est scire & sapere dicimus. Ad mutationem autem, quæ est ad statum, generatio non est, cum omnino nullius sit mutationis, vt antea est dictum. Præterea quemadmodum cùm ab ebrietate aut somno, aut morbo in contraria quispiam mutatur, non iterum scientem factum esse eum dicimus, quamquam antea scientia vti non posset, sic nec tum quidem, cùm à principio habitum comparauerit. Quod enim anima ob moralem virtutem sedetur, prudens aliquis sit & sciens. Quocirca infantes nec discere possunt, nec sensibus perinde diiudicare, atque seniores, cum multa in eis perturbatio sit, & motus. Sedantur autem & ad statum à natura perducuntur, in quibusdã vero ab alijs, at in vtrinsque aliquo eorum, quæ sunt in corpore, alterato, veluti in vsu & actione cùm experrectus sit & sobrius factus. Hoc igitur quod est alterari, & alterationem in rebus esse sensilibus, & in parte animæ sentiente, in nullaque alia ex his, quæ dicta sunt, manifestum est.*

Platonica reminiscentia.

h Præterea quem admodum) Confert primam adeptionem scientię, quę pueris conuenit, cum dormientium, ęgrotantium, & ebriorum regressu ad vsum scientię, quam antea comparauerant; quod vt hi sublato impedimento, quo tenebantur, scientiam exercent, ita pueri sedatis etiam sensibus intelligendi vi, ac facultate potiuntur. Fortasse autem, vt annotauit hoc loco D. Thomas, cùm Aristoteles de puerorum scientia agit, non de solo vsu rationis loquitur, sed de vsu verę scientię secundum sententiam Platonis, qui putauit nostris animis insitas esse à principio rerum notiones, & scientias, quę tamen propter coniunctionem cum corpore, initio quidem obliteratę, & quasi sopitę sint, postea verò proficiente paulatim phantasia reuiuiscant, & in lucem prodeant.

i Sedantur verò } Quę tranquillitatem ſcientię neceſſariò afferre ſolent, ſunt natura ipſa & alia quędam, ideſt, educatio, conſuetudo, & virtus moralis. Natura enim progreſſu ętatis phantaſię motum coercet, & interiorum ſenſuum officinas componit. Reliqua verò tria plurimum habent momenti ad cohibendas animi appetitiones, & voluptates rationi inimicas, quę comparandę, exercendęque ſcientię impedimento ſunt. Quocunque autem modo ſedatio illa fiat, ſemper aliqua in corpore alteratio interuenit, vt in ijs, qui è ſomno, vel ebrietate excitantur, eſto ſcientia ipſa nequaquam alteratione comparetur.

Voluptatis illecebra ſcię- ię inimica.

QVÆSTIO I.

SIT NE AD SOLAS TERTIÆ SPECIEI qualitates per ſe alteratio, an non.

ARTICVLVS I.

CONSTITVITVR PARS affirmatiua.

Alteratio bifariam ſumitur.

VT propoſitam quæſtionem expediamus aduertendum primò eſt alterationem interdum generali, fuſoque nomine, interdum preſsè, magisque ſecundum conſuetudinem, & vsū philoſophorum ſumi. Priori modo alteratio omnem motū, quo ad qualitatem itur, comprehendit. Quo ſenſu ſcripſit Ariſtoteles hoc in libro cap. 2. text. 12. ſenſus alterari cùm ab obiectis patiuntur, eorum videlicet imagines ab ijsdem expreſſas in ſe recipiendo; ſimiliterque 5. huius operis libro, cap. 4. text. 31. docuit ad diſciplinam in commune eſſe motum genere vnum, & lib. 8. cap. 3. text. 26. opinionem, & imaginationem motum quendam videri; loquebatur autem de motu alterationis. Poſteriori modo vſurpatur alteratio pro eo duntaxat motu, qui inter duas ſenſiles qualitates cernitur, non quaslibet, ſed eiuſmodi, vt ſecundum eas peculiari ratione ſubiectum alterum fieri dicatur. Atque hoc ſignificatu accepit Ariſtoteles alterationem proximè ſuperioribus capitibus.

Pro hiſce acceptionibus lege Henricum Gand quodl. 9. q. 7. D. Th. q. vnic. a d vltimum in cõmune art. 11. Simplic. 2. de anima ad tex. 38.

Alteratio ꝑſſe ſumpta quas conditiones exigat.

Secundò, obſeruandum eſt ad alterationem hoc ſecundo modo ſumptam duas requiri conditiones, de quibus legenda etiam ſunt, quę libro 5. huius operis tradidimus. Prima eſt, vt qualitas, quæ eiuſmodi alterationem terminat, non ita ſit idem re cum aliquo, vt illius duntaxat acquiſitione, quaſi eius conſectarium, comparetur. Secunda, vt eadem qualitas aliam habeat ſibi contrariam, quæ in ſubiecto præexiſtat, ita videlicet, vt vnius acquiſitio ab altera, tanquam à termino à quo proficiſcatur. Defectu prioris conditionis non eſt

Cur in figuris non verſetur alteratio.

per

per se alteratio in figuris, quia ita sunt idem re cum quantitate, vt non alia, quàm ipsius quantitatis acquisitione in subiectum inferan tur. Defectu secundæ neque ad scientias & virtutes, nec ad alias primæ speciei qualitates alteratio per se tendit; propterea quod hæc nullo contrario in subiecto præexistente sæpe acquiruntur. Neque enim necesse est vt qui virtute, vel scientia animum excolit, vitio, aut errore inquinatus fuerit. Hinc etiam fit vt nec omnes tertiæ speciei qualitates alteratione comparentur; sicuti patet in lumine, & in odore, quorum illud contrarium non habet; hic etsi habeat, non id tamen necessario in subiecto præexigit.

Nec in scientijs, & virtutibus.

Non ad omnes tertię speciei qualitates est alteratio.

Ex his perspicuum relinquitur quæ nam esse debeat propositæ quæstionis conclusio; nimirum alterationem, si presè, magisque ad vsum Philosophicum accipiatur, in solis, non omnibus tamen, tertiæ speciei qualitatibus versari. Etenim si quis attendat, in his duntaxat, licet non in omnibus, prædictas duas conditiones inueniet.

Conclusio quęstionis.

ARTICVLVS II.

OBIECTA, EORVMQVE refutatio.

SEd obijciat aliquis. Sanitas & ægritudo sunt idem re cum quatuor primis qualitatibus, calore, frigore, siccitate, humore, nec comparantur actione distincta ab ea, qua huiusmodi qualitates acquiruntur: & tamen is qui sanatur, aut ægrescit, verè, proprieque dicitur à Philosophis alterationem subire: ergo ad alterationem, de qua in præsenti agitur, non requiritur prima conditio.

Obiectio prima.

Deinde candor non semper supponit in subiecto contrarium; & tamen is qui candore afficitur, omnium consensu alterari perhibetur; igitur nec secunda conditio recte tradita est. Probatur Maior. nam cum nubes in niuem concrescit datur candoris acquisitio vt 1. Topicor. cap. 9. sentire videtur Aristoteles, & tamen in nube nullus color candori contrarius antecessit.

Obiectio. 2.

Tertiò; cùm superiùs Aristoteles probauit ad virtutes, & vitia nõ esse alterationem; quia sunt relata; vel intellexit esse relata secundum esse, vel secundum dici: non secundum esse, cùm pertineant ad categoriam qualitatis: si secundum dici, pleraque omnes tertiæ speciei qualitates sunt relata secundum dici; ergo ad illas non potest esse alteratio.

Obiectio. 3.

Hæc argumenta hunc in modum explicanda sunt. Ad primum concedenda est maior propositio, etsi eam negarit Auicenna Fen prima primi doctrina. 4. & 1. suficientiæ cap. 10. arbitratus temperamentum esse quintam quandam, eamque simplicem qualitatem, diuersam à quatuor primis, ex earum tamen actione, & perpessione ortam.

Dilut. 1. ob.

Temperamẽtũ statuit Auicenna simplicem qualitatẽ, non rectè.

ortam. Cuius placitum lib. 2. de ortu, & interitu ex professo impugnabitur. Sed obiter hic aduertimus quèmadmodum sanitas, & ægritudo non vna qualitas est, ita neque vna simplici alteratione acquiri, nisi (quod interdum accidit) ægrotare quis incipiat eo quod ad vnã duntaxat qualitatem secundum excedentem gradum, verbi causa, moueatur; vt cum Socrates, seruata inter siccitatem, & humiditatem temperie, vltra modum incalescit; tunc enim vna tantum realis, & positiua mutatio interuenit, quæ primo, & intrinsece ad calorem terminatur; secundaria vero ratione ad ægritudinem, quatenus ex ea mutatione sequitur, vt quatuor primæ qualitates sub ea proportione, quæ ad sanitatem requiritur, non maneant. Quæ proportio quasi harmonia quædam est & concentus. Vt enim in cantu & fidibus soni pro rata portione distincti, atque ita compositi vt primi vltimis, & medij vtrisque respondeant, concentum pariunt: ita primæ qualitates dum moderata, & concordi quadam mediocritate se se mutuo complectuntur, & coeunt, temperamentum corporis efficiunt. Quo autem modo ad sanitatem, quæ in insectili posita esse videtur, alteratio esse queat. 2. de Generatione loco cit. declarabitur. Vt igitur argumenti explicationem absoluamus; dicimus, ad sanitatem, & ægritudinem dari alterationem: sed enim eas non consequi acquisitionem alterius rei; cum primarum qualitatum productio fit primò & per se ipsamet sanitatis, siue ægritudinis effectio in animali.

Sanitas quasi harmonia.

Dilut. 2. Ad candorẽ nius alteratio.

Ad secundum dicendum acquisitionem illam candoris in niue non proficisci à contrario proprio ipsius candoris; esse tamen propriam alterationem; quia consequitur alium, aliosue motus secundum primas qualitates, ex quarum varia permistione, & temperamento colores existunt. Qui motus necessario progrediuntur à contrario præexistente in subiecto. Illa autem secunda conditio, videlicet debere qualitatis acquisitionem procedere à contrario præexistente in subiecto, intelligenda est cum primario qualitas comparatur; non autem cum eius adeptio secundaria ratione consequitur alterationem factam secundum aliam, aliasue qualitates, à quibus re ipsa distinguitur, vt in coloribus accidit (quod de saporibus, odoribusque similiter pronuntiandum est.) Vnde quanuis successiua acquisitio, istiusmodi qualitatum interdum non proficiscatur à proprijs contrarijs, quæ alioqui habent, non proinde alteratio propria esse desinit.

Dilut. 3.

Ad tertiam, omissis aliorum interpretationibus, quas afferunt Scotus in 1. d. 17. q. 2. Argentinas in 1. d. 23. q. 1. & Aegidius hoc loco respondemus Aristotelem in eo argumento intelligere virtutes & vitia esse relata secundum esse; non tamen ex propria, sed aliorum sententia.

Capitis

Capitis quarti Explanatio.

Da Vbitauerit autem } Quia superiùs effata quędam ad rem mouentem & rem motam spectantia explicauit, quęstionem proponit num omnis motus cum quouis motu quoad velocitatem, & tarditatem conferri queat. Ac primùm negatiuam partem duobus incommodis allatis confirmat. Nam si quæuis latio possit esse alteri ęqualis, vt latio recta conuersioni, etiam recta linea circulo ęquari poterit, quod absurdum videtur. Item si alteratio, & latio ęquali tempore sint, certè qualitas, ad quam est alteratio, vt calor; & magnitudo, seu linea, super quam latio fit, inter sese ęqualitatem obtinebunt. Ridiculum verò est asserere calorem, & lineam æquales esse.

Quęstio de comparatione motuum quoad velocitatem, & tarditatem.

b In circulo autem } Nunc in contrariam partem disserit probans motũ rectum quoad velocitatem, & tarditatem cum circulari comparari posse. Cur enim, inquit, super circulo, & super recta linea nõ poterunt duo mobilia similiter, id est, pari velocitate ferri? quasi verò alterum decliui, alterum accliui itinere grassetur.

Argumenta, quibus ostendi videtur posse motum rectum conferri cũ circuli.

CAP. IIII.

Text. 21. Da *Vbitauerit autem aliquis an omnis motus omni cõparari possit nec ne. Nam si comparari omnis possit, & id æquè velox sit, quod tempore æquali per æquale mouetur, circũferentia aliqua lineæ rectæ æqualis erit, & maior quoque & minor. Præterea alteratio & latio aliqua æquales erunt eorum videlicet, quorum vnum alteratum est, alterum pari tempore delatum. Affectio itaque longitudini par erit, quod esse non potest. At æquè velox id dicitur, cùm tempore æquali per æquale motum fuerit. Par autem longitudini affectio non est. Lationi itaq; alteratio nec par erit, nec minor.* Text. 22. *Quare comparari non omnis potest.* b *In circulo autem rectaque linea quo nam modo accidet? absurdum enim est, nisi liceat, hoc super circulo, & id super recta similiter moueri, sed illico necesse sit, vt vel celerius vel tardius, perinde atque si alterũ decliue esset, alterum accliue.* Text. 23. c *Præterea nihil refert, quod attinet ad rationem, si quispiam dixerit tardiùs continuo aut celeriùs necessario moueri. Circumferentia enim aut maior aut minor erit, quàm recta, quare & æqualis. Nam si in A. tempore alterum quidem lineam B. alterum lineam C. confecit, linea B. maior erit quam C. hoc etenim modo, quod celerius est, definiebatur. Igitur si in minori quoque, æquale celerius erit. Ipsius itaq; A. pars aliqua erit, in qua ipsum B. æqualem transit circuli partẽ, ipso C. in toto A. lineam C. transeũte.*

d *At*

c Pręterea nihil } Secundò idem concludit, quia si quis concedat motũ circularem tardiorem aut velociorẽ esse, facilè probabitur posse circularem & rectum ęqua celeritate cõfici, cùm dari queat recta linea circulo ęqualis. Quod ita demonstrat. Si mobile celerius in tẽpore. A. lineam circularẽ. B. decurrat: mobile verò tardius lineã. C. maior erit linea. B. quàm linea. C. quia id, quod velociùs mouetur, eodem tẽpore maius spatiũ cõficit: sed id, quod celeriùs fertur, potest minori tempore ęqualem lineam traijcere. Igitur in aliqua parte temporis. A. transibit portionem lineę. B. circularis, quę toti lineę. C. ęqualis sit. Ac proinde recta & circularis linea erunt inter se ęquales.

d At si comparari possunt } Iterum pro negatiua parte obijcit idem incõmodum, quod antea. Nam si motus circularis & rectus inter se quoad velocitatem conferri queant, sequitur lineam rectam esse æqualem circulo, quod qua ratione dici possit, non apparet. Deinde canones, seu regulas quasdam tradit, quibus intelligamus quinam motus inter se rite comparandi sint. Prima regula est. Ea possunt in comparationem venire, quę ęquiuoca non sunt. Nam cùm ęquiuoca diuersam habeant naturam, minime censentur apta, vt inter se conferantur. Quod videre licet in acuto, quatenus de stylo, vino, & sonis dicitur. Nãque in stylo ad magnitudinẽ pertinet, in vino ad saporẽ, in sono ad musicã, quę nemo in-

Prima regula ad comparationem motuum.

Motum rectum, & circularem non posse inter se comparari.

ter se aptè compararit. Quis enim aut stylum vino acutiorem, aut vinum sonō acutius dicat? Hinc colligit non posse motum rectum & circularem, quoad tarditatem & velocitatem inter se conferri; ac multo etiam minus lationem & alterationem; cum eorum tarditas & celeritas alia atque alia ratione dicantur.

Obiectio.

e An primum quidem} Obiecit contra id, quod proximè asseuerat, quæ non sunt æquiuoca posse inter se comparari. Nam multum respectu aeris, & aquę, vniuocum est, nec tamen aerem cum aqua multitudine comparamus. Quòd si quis neget multum eadem ratione aeri & aquę conuenire. Occurrit saltem duplum vniuocè eis competere, cùm in vtroque duplum sit duorum ad vnum proportio, & vt se habet duplum aeris ad suum dimidium, ita & duplum aquę ad suum.

Præoccupatio.

f An & in his} Persistit nihilominus in regula tradita, aiens omnia, quę æquiuoca non sunt, collationē inter se inire posse. Nec exempla illa petita à multo, & à proportione dupli quicquam obstare.

Dilut. obi.

Non enim hęc in aere, & aqua eandē obtinēt rationem, sed diuersam: quoniam multum dicitur continens tantum & vltra, atque ita aer ratione molis dicitur multus respectu aquę, quatenus in maiori quātitate parum habet materię: Aqua verò contrà comparatione aeris multa dicitur, quia in mole exigua plus materię cohibet. Vnde etiā fit vt eorum proportiones secundū quātitatē prędicto modo sumptā non eadem ratione se habeāt: sicuti nec ę qualitas, aut vnitas, seu cōuenientia in multitudine. Aduertit autem Commentator hęc non pura æquiuoca esse, sed ambigua, in quę tamē propria comparatio non cadat.

d *At si comparari possunt, rectā circulo æqualē esse id quod modo dictū est, cōsequitur, sed cōparari nō possūt, quare nec motus. Verū cōparari possunt omnia, quæ nō sunt æquiuoca, vt cōferri cur nō liceat, quod nā acutius, sit stylus, vinū, an nete? Quod enī sint æquiuoca nō cōferuntur. Nete autē, & quæ illi proxima est cōferri possūt, quod acutū in vtraq; significationē habeat eandē. An igitur velox hic & ibi, idem non est? Multo vero etiā minꝰ in alteratione & latione.* Text. 24.

e *An primū quidē hoc verū non est, si æquiuoca nō sint, cōferri posse. Nā multū idē significat tam in aere, quā in aqua, quæ cōparari non possunt. Quod si nō sit duplū certe est idē (duo enim ad vnū) nec tamē possunt cōferri.* Text. 25.

f *An & in his eadē est ratio, cū & ipsū multū æquiuocū sit. Sed nōnullorū rationes quoque æquiuocę. Vt si quispiā dicat multū id esse, quod est tantū et vltra, tantū æquiuocū est, atque etiā æquale: præterea & vnū fortasse illico est æquiuocū. Quod si hoc, etiā duo.* Text. 26.

g *Nā cur cōparari alia possūt, alia nō possūt, si est vna natura? An quia in alio primo sunt receptaculo? Equus igitur & canis vter albior sit cōferri possūt, cū id, in quo primo, sit idem, videlicet superficies. Et de magnitudine eodem modo. At vox & aqua conferri non possunt, in alio enim. An hoc modo licebit vnū omnia facere, vnūquodque autē in alio esse dicere, idēque erit æquale, & dulce et albū, sed in alio. Præterea & receptaculū nō quoduis est, sed vnū vnius primū. Nō igitur quæ cōparantur nō solū nō æquiuoca esse est necesse, sed neque id quod, neque id in quo, habere diuersitatem, vt (exempli gratia) color differentiā habet, non igitur in eo fit cōparatio, (veluti colore, vt color est, nō vt aliquis color, vtrū magis infectum est) sed in aliquo colore.* Text. 27. Text. 28. Text. 29.

i Sic

Multū & pau cum non esse vniuoca.

g Nam cur comparari alia possunt} Stabilire conatur quod paulò ante dixerat, multum, & duplum non esse vniuoca, rogans cur si vniuoca sint non aptè aerem cum aqua, sed aerem cum aere, vel aquam cum aqua comparemus? Quod si quis respondeat diuersitatis causam esse, quia quędam habent idem receptaculum, vt albedo canis, & equi, quę in superficie recipiuntur, vnde fit vt aptè in comparationem veniant. Alia verò non habent, vt vox & aqua, ob idque conferri inter se non possunt; similiterque multum & duplum non sortiri in aqua & in aere eadem recipientia, quæ tamen sortiuntur in hac aqua, & illa inter se collatis, itemque in hoc & illo aere, & iccirco has duas posteriores coniugationes rectè comparari, non autem aeris, & aquæ. Hanc responsionem confutat. Primùm quia si ita sit licebit dicere quęuis æquiuoca in vnam conuenire naturam, sed ob recipientis

cipientis diuersitatem non aptè inter se conferri. Deinde quia non sat est vnum esse primum receptaculum, nisi natura vna sit, quandoquidem omnes rerum intereuntium formę quantumlibet naturę distinctione abiungantur, vnum idemque materię commune gremium habent, quę tamen non omnes inter se collationem subire queunt.

h Non igitur quę comparantur) Aliam tradit regulam ad dignoscenda ea, quę inter se comparantur. Videlicet talia esse debere, vt non solùm æquiuoca non sint, sed nec specie differant. Itaque non poterunt comparari candor, & nigror quatenus colores, quia naturę sunt specie dissidentes; poterunt tamen duo candores, quia sub eadem specie sunt. Adijcit verò, neque id, quod, neque id, in quo, debere esse diuersa, hoc est, non solùm colores, verbi gratia, qui inter se conferuntur, sed etiam id, in quo conferuntur, debere eandem specificę naturę communionem vendicare. Secunda regula. Quę inter se comparantur debere specie conuenire.

i Sic & in motu) Postquam generatim explicuit qualia esse oporteat ea, quę inter se comparari debent, nūc id ad institutam de motu disputationé accōmodat, vultq; motus eosdem specie, qui æquali tempore æqualem conficiunt magnitudinem, posse inter se quoad celeritatem cōferri, cęteros verò specie differentes non posse. Quare si linea alteretur, eademque tempore aliquod mobile lineam transeat, nō dicentur hi motus celeritate æquales, tametsi idem tempus consumant, propterea quod inter se specie discrepant.

i *Sic & in motu æque celere illud est, quod æquali tempore*
Text. 30. *per æquale est motum. Si igitur in hoc longitudinis aliud quidem alteratum est, aliud delatum, erit ne lationi alteratio hæc æqualis eiusdemque celeritatis? At absurdum est. Causa vero est, quoniam motus species habet:* k *quare si quæ æquali tempore per æqualem longitudinem delata sunt, æqualis sint celeritatis, recta linea & circumferentia erunt æquales. Vtrùm igitur causa est, an quia latio genus sit, an quia linea? Nam tempus idem & indiuiduum specie semper est. An simul illa differunt specie? Latio enim habet species, si id, in quo mouetur, habeat. Præterea si id, per quod, vt si pedes, ambulatio: si alæ, volatio. An nō hoc, sed figuris alia est latio?* l *Quare quæ æquali tempore per magnitudinem eandem mouentur æquæ sunt celeritatis. Eadem autem non differens specie, motione quoque*
Text. 31. *specie non differt. Quare hoc considerandum est, quæ nam motionis sit differentia.* m *Atque hæc oratio id indicat vnū quiddam genus non esse, ob eamque causam multa latent. Æquiuocationum autem aliæ multum distant, aliæ similitudinē quādam habent, aliæ propinquæ sunt aut genere, aut proportione. Quapropter etsi sunt æquiuocationes non esse tamen videntur.*

n *Quando igitur species diuersa est? vtrum cum eadem in alio, an cum alia in alio? quis item terminus est, aut quo albū & dulce, idem, an aliud esse dijudicabimus? an aliud, quia in alio aliud conspiciatur, an quod omnino non idem?*

o *Al-*

k Quare si quę æquali tẽpore) Nō solùm inquit alteratio cum latione nō recte comparatur, sed nec cōuersio cū motu recto; tū quia admittendum foret rectam lineam, & circunferentiam inter se æquales esse, quod est absurdū: tū quia motus circularis, & rectus distinguuntur specie. Quęrit autem vnde nam hoc specificū discrimen oriatur; maximè cùm eius causa ad tempus, quod vnum, idemque semper est, referri non possit: an ex eo proueniat, quod latio genus sit comprehendens sub se rectum & circularem motū, vt species diuersas: an quia linea genus est, sub quo recta & circularis, vt species distinctę cōtinentur. Tum respondet eam differentiam à linearum diuersitate primò nasci, ita tamen vt in quibusdam motibus ab eo etiam quo fiunt, id est, ab instrumentorum varietate petatur. Quo pacto ambulatio, & volatus, quia hic alis, ille pedum gressu fit, diuersę sunt species. Alteratiō nōn rite venit in comparationem cū motu ad locum. Quęstio. Solutio quęs.

l Quare quę æquali) Toties Aristoteles eadem hoc in libro repetit, vt non sine causa extremam ei manum haud quaquam adhibuisse credatur. Hîc iterum docet ea, quę æquali tempore eandem, idest non diuersę speciei conficiunt magnitudinem, æqua celeritate moueri, proindeque in comparationem adduci posse. Siquidem ad conferendos, vel non conferendos inter se motus, eorum secundum speciē conuenientiā, & discrimen spectare maximè oportet. In collatione motuū quid potissimū spectandum sit.

m Atque hęc oratio) Ad collationem non sat esse ait cuiuslibet, sed infimę speciei conuenientiam, quia natura generis non est vna, hoc est non tantam habet vnitatem, quantam

Tum a compa-

comparatio requirit. Sub genere enim naturę admodum inter se dissimiles continentur, vt sub animali species hominis, equi, leonis: adeò vt genus æquiuocum habeatur; non tamen propriè æquiuocum, quale est quod æquiuocum à casu dicitur, vel etiam analogum: sed similitudine quadam ob naturarum inter se discrepantiam.

Sub genere latere æquiuocationes.

Dubit. n Quando igitur species} Dubitationem proponit vtrum albedo & nigredo, verbi gratia, censeantur diuersę species, quia in diuersis subiectis insident, vt in niue, & coruo; an quia ipsę in se diuersam obtinent naturam nulla habita subiecti ratione. Quærit item quis sit terminus, idest, vt D. Thomas interpretatur, quę sit definitio speciem declarans. Et quia ea, quę sunt idem definitione, simpliciter idem sunt, idcò quasi controuersiam explicans subijcit eam esse propriam cuiusque rei definitionem, qua discernere valeamus vtrum ne id, de quo agitur, idem sit, an aliud, vt albumnè, an dulce; an aliud quid: non quia in altero insit, sed quia re vera in se diuersam naturam habeat. Vnde perspicua relinquitur vtriusque dubitationis solutio, videlicet specierum distinctionem non subiectorum, sed naturarum in se ipsis dissimilitudine, & discrepantia æstimandam esse.

Solut.

o *Alteratio autẽ quonã pacto altera alteri æquè est velox? certe si sanari est alterari, sitq; vt alius celerius, alius tardiùs, aliqui etiã simul sanentur, alteratio erit paris celeritatis: tẽpore nãq; æquali alterati sũt. At quo alterati sũt? æquale enĩ hic non dicitur, sed vt æqualitas in quantitate, ita hìc similitudo. At si æque velox id, quod per idem æquali tempore mutatur. Vtrum igitur id, in quo est affectio, an ipsa affectio conferenda est? hìc sane eandem sanitatem esse, quæ nec magis, nec minus, sed similiter inest, licet sumere. At si affectio alia fuerit, quo pacto id alteratur, quod albescit, & id quod sanatur, his nihil est idem, nec æquale, nec simile, vt alterationis species hæc faciunt, nec vna est, quemadmodum nec latio.* p *Quare quot alterationis, quot item lationis species sint, sumendum est. Si igitur quæ mouentur, quorum per se non ex accidenti motiones sunt, specie differunt, motiones quoque differunt specie: si autem genere, genere: si numero, numero.* q *At si alterationes æquè sint celeres, vtrum ad affectionem eadem ne sit, vel similis, respiciendum, an ad id, quod alteratur, vt si huius quidem tantum album factum est, illius vero tantum.* Text. 32. Text. 33.

o Alteratem quo nã pacto} Egit de lationũ cõparatione: nũc explicaturus quonam modo alterationes inter se conferẽdę sint, ambigit qui fieri possit, vt hę æquales dicantur; cùm qualitatibus, ad quas tendunt, non æqualitas, quę quantitatis propria est, sed similitudo conueniat. Respondet posse nihilominus alterationes inter se cõparari quoad velocitatem, si circa eandem qualitatem versentur, & tempore æquali fiant. Nec mirum cùm hęc comparatio non in qualitates per se sumptas, sed in motus qui continui, & quanti sunt, recidat.

Quęstio.

Responsio.

p Quare quot alterationis} Ne aliqua deceptio in comparando existat, monet particulatim sumendas esse species alterationum, & lationum, & ad harum internotionem regulam tradit, nimirum perpendenda esse mobilium inter se discrimina. Namque eę differunt genere, quarum mobilia per se & non ex accidente genere distinguuntur: eę specie, vel numero, quarum mobilia similiter specie, aut numero sunt diuersa. Quod intellige de mobilibus quatenus mouentur, seu pro it ad hanc, aut illam formam tendunt. Quo pacto id, quod albescit, specie differt ab eo, quod nigrescit, quia albedo, & nigredo sunt species distinctę. Idemque de cęteris motibus pro diuersitate formarum, in quibus versantur, pronuntiandum est.

Tertia regula.

q At si alterationes} Quærit vtrùm ad comparationem faciendam spectandę sint formę ipsę, an subiecta, in quibus recipiuntur, ita vt si, verbi gratia, tanta pars huiusce corporis, & alia pars alterius æquę magnitudinis eodem tempore incaluerint, earum motus æquè velox censendus sit. Respondet, ad vtrunque respiciendum esse, ad formam, & ad subiectum; alia tamen, & alia ratione. Ad formam, cùm eadem ne alteratio, an diuersa sit, quærimus: siquidem ex formarum diuersitate motuum distinctionem arguimus, vt paulo ante traditum fuit. Ad subiectum vero cum de æqualitate, aut inæqualitate quæstio exoritur. eę namque alterationes pares dici consueuerunt, quibus subiecta secundum æquas partes alterantur.

Dubitatio.

Responsio.

r Atqui

r Atqui & in generatione} Quopacto generationes comparandę sint explicat. Omisit verò accretiones, & decretiones, quia ex ijs, quę hactenus dicta sunt, facile erat de illis iudicare. Sunt autem generationes non per sẽ tantùm; sic enim cùm momento fiãt, veloces, aut tardę esse nequeunt; sed vnà cum pręuijs alterationibus. Sentit ergo eas generationes, & interitus æquè veloces dici debere, quibus res eędem specie, ęquali tempore gignuntur, vel occidunt: celeriores autem vocari, quibus ęquali diuersum quid oritur, vel interit. Diuersum autem se appellare inquit, propterea quod non suppetunt propria vocabula, quibus eius rei, quæ celeriùs aut tardius gignitur, diuersitatem notemus, vt in alteratione, latione, & accretione. In alteratione enĩ dicimꝰ magis & minꝰ: in latione, & accretione maius & minus. Cùm ergo Aristoteles ait eam generationem velociorem esse, quæ ęquali tempore diuersum exoritur, nõ intelligit diuersum specie, siquidem in ea, quę specie differunt, non cadit comparatio, sed diuersum quid, id est absolutius in eadem specie, vt si eodem tempore alicuius infantis membra ad maiorem perfectionem in vtero ducantur, quàm alterius.

De comparatione generationum.

Quo sensu generationes veloces aut tardę vocari possint.

An ad vtrumque: ac eadem quidem aut alia, si affectio
Text. 34. *sit eadẽ: æqualis autem, aut inæqualis, si illud inæquale. r Atqui & in generatione & interitu idem considerandum, quonã modo æquè velox generatio est: An si tempore æquali idem & indiuiduum, vt homo, non autem animal, celerior autem si in æquali diuersum? Non enim habemus aliqua duo, in quibus sit diuersitas, vt in quibus est dissimilitudo. s Quod si substãtia numerus sit maior aut minor, numerus speciei eiusdẽ erit. Sed id quod commune est nomen non habet. Et vtrumque velut affectionis plus, aut ea, quæ excidit, magis, quantum, aut maius.*

s Quod si substantiam} Pythagorici rerum substantias numeros faciebant, in quibus maius & minus inuenitur, dicimus enim quaternarium maiorem binario, binarium minorem quaternario. Horum si dogma probandum esset, maius & minus in substantijs ad designandas species pertinerent, haberemu que vocabula ad notandam diuersitatem eorum, quę tardiorem, aut celeriorem ortum subeunt; videlicet maius, siue plus, & minus, quę eandem in numeris vim habent, quam magis & minus in qualitate, maius, & minus in quantitate: at cùm multò secus de numeris iudicandum sit, vocabulorum penuria laboramus.

Numeri Pythagoricis essentię.

Capitis quinti explanatio.

CVM a autem id quod mouet} Hactenus docuit qui nam motus inter se comparari possent; nunc quo pacto, & quanam proportione comparandi sint explicat. Ac primum de lationibus disserit, in quibus quatuor inueniri ait: id quod mouet, quod mouetur, tempus, & spatium. Nam quod hęc duo, nimirum tempus, & spatium, lationi competant indesuadet, quia vt ex ijs, quę in 6. libro tradita sunt, patet, res quę mouet, simul mouet, & mouit, quod nec momento, nec in puncto magnitudinis fit, atque adeò ad id, tempus, spatiumq; exigitur.

De motuum proportionibus.

CAP. V.

CVM a autem id quod mouet aliquid semper moueat,
Text. 35. *& in aliquo & vsque ad aliquid. In aliquo autem dico quia in tẽpore: vsque ad aliquid, quoniam per quãtam aliquam lõgitudinẽ: quod enim simul semper moueat & mouerit, quantitas quædam est, per quam est motum, & in quãto.*

b Cùm hęc inquã ita sint} Aggreditur ad tradenda aliquot theoremata, quibus rem propositam declaret: duoque hoc loco subijcit, in quibus id quod mouet appellat A. id quod mouetur B. spatium C. tẽpus D. Est autem primum theorema huiusmodi. Si A. mouet B. per spatium C. in tempore D. virtus

Primũ theorema circa proportiones motuum.

virtus æqualis A. aut ipſummet A. mouebit dimidium ipſius B. per duplum ipſius C. æquali tẽ-
2.theor. pore. Secundum theorema eſt. Virtus A. ſeu æqualis mouet dimidium ipſius B. per totum ſpa-
tium C. dimidio temporis D.

1. c Atque ſi potentia) Subijcit tertium, quartumque theorema. Tertium eſt. Si aliqua
virtus tantum pondus definito quodam tempore per certum ſpatium mouet, eadem virtus idẽ
4. pondus dimidio temporis per dimidium ſpatij mouebit. Quartum. Si aliqua virtus tantum
pondus mouet certo quodam tempore per definitum ſpatium: dimidium eius virtutis moue-
bit dimidium eiuſdem ponderis æquali tempore per æquale ſpatium. Hoc probat, quia eadem
eſt proportio totius virtutis ad totum pondus reliquis eodem modo ſe habentibus, quę eſt di-
midiatę virtutis ad dimidiatum pondus. Igitur per æquale ſpatium tempore æquali tota virtus
mouebit totum, & dimidiata dimidium.

3.theor. b *Cùm hæc inquam ita ſint, ſi A. ſit id quod mouet: B. vero quod mouetur. C. ſit tota longitudo, per quam eſt motũ, & D. tempus totum in quo, in tempore profectò æquali æqualis virtus, aut ipſum A. dimidium ipſius B. per duplum ipſius C. mouebit, per ipſum autem C. in dimidio temporis D. ſic enim erit proportio.* c *Atque ſi potentia eadem, idem hoc tẽpore per tantum ſpatium moueat, per dimidium quoque in dimidio. Atque etiam dimidium virtutis æquali tempore per æquale, dimidium mouebit. Ipſius enim virtutis A. dimidium ſit E. & ipſius B. dimidium ſit F. vires ſane ad pondera eandem habẽt proportionem, quare per æquale in tempore æquali mouebunt.* d *At ſi E. per C. tempore D. mouet F. neceſſe nõ eſt, vt æquali tempore ipſum E. per dimidium C. duplum ipſius F. moueat.* e *Si igitur A. per C. ſpatium, tempore D. ipſũ B. mouebit, dimidium ipſius A. quod eſt E. ipſum B. tempore D. non mouebit, nec aliquo quidem ipſius D. per aliquam ipſius C. partem, quæ rationem eandem ad totum C. habeat, quam ipſum A. ad E. Omnino enim fortaſſe per nullam mouebit partem. Non enim ſi tota virtus per totum ſpatium mouit, dimidium eius per quantumuis ſpatij quouis in tempore mouebit. Vnus namque nauim traheret, ſi trahentium vires in numerum & longitudinem, per quam omnes mouerunt, diuiderentur.* f *Quapropter Zenonis ratio vera non eſt, quamcũque milij partem ſonum facere. Nihil enim prohibet, vt nullo in tempore eum moueat aerem, quem totus modius cum caderet, mouit.* g *Nec ſi per ſe fuerit, partem eam mouebit, quam vna cum toto mouere poteſt. Namque in toto nulla pars ineſt, niſi poteſtate.* h Sẽ

Text. 36.

Text. 37.

d At ſi E. per C.) Quintũ theorema. Si aliqua virtus tanto tempore per aliquod ſpatium certũ pondus mouet, non neceſſe eſt vt eadem virtus duplo maius pondus eodem tempore per dimidium illius ſpatij moueat; ſiquidem fieri poteſt vt eadem virtus pondus duplum nullo modo ciere valeat.

6.theor. e Si igitur A. Sextum theorema. Si dimidiũ alicuius virtutis certo tempore per aliquod ſpatiũ moueat dimidium eius põderis, quod tota virtus mouet, non oportet vt idẽ virtutis dimidium, totum moueat pondus aliqua parte illius temporis, aut aliqua parte illius ſpatij, quæ eandem ad totum ſpatium proportionem ſeruet, quam virtus ad virtutem. Quod ex eo probatur; quia alioqui poſſet nauis, quam trahunt multi homines, trahi ab vno eorum per aliquam partem ſpatij, quę obtineret ad totum ſpatium eãdem proportionem, quam illius hominis virtus ad omnium virtutem; ſi nimirum omnium trahentium virtus, & ſpatium eadem proportione diuidatur.

f Quapropter Zenonis) Ex ijs, quę proximè docuit, conſpicuam eſſe vult ſolutionem eius argumenti, quo Zeno Protagorę ſuadere nitebatur granum milij in terram cadentis debere per ſe ſonum efficere, ſi eum modius cadens efficit, propterea quod eadem ſit proportio inter ſonum grani, & ſonum modij, quę eſt inter modium, & granum. Negat igitur Ariſtoteles rationem ſimilitudinis, quia quemadmodum ex eo quod tota aliqua virtus certum pondus vehat aliquo tempore per aliquod ſpatium, non ſequitur partem eius virtutis poſſe idem pondus per aliquam partem illius ſpatij vehere, ita neque rectè colligitur ſi modius milij aerẽ concitet ad efficiendum ſonum, poſſe granum cõmouere eundem ad ſonum edendum.

Diluitur Zenonis cauillatio.

g Nec

g Nec si per se fuerit } Addit non posse granum separatim sumptum partem illam aeris mouere, quam antea vnâ cum toto mouebat. Cuius rei eam affert causam, quia partes non sunt actu, sed potestate in toto, quasi dicat, vt actu per se non sunt, dum continentur in toto: sed potestate, quia possunt ab illo seiungi, ita dum in ipso continentur, non per se mouent, sed ope aliarum, quia omnes coniunctę sese mutuò adiuuant, ita vt quidquid vna mouet ab alia etiam moueatur. Sic demum fit pe contingit, vt pondus quod à triginta hominibus vehitur si in partes triginta diuidatur, non possint à singulis partes singulæ vehi deficiente communi illo auxilio, quod singuli vniuersis, vniuersi singulis præstabãt. Hęc tamẽ regula non in omnibus absolutè vera est, cùm liquidò cõstet posse aliquando eosdem homines separatim deferre põdus totum singulis pro rata portione distributum.

Text.38. h *Si vero sint duo, quorum vtrumque per tantum spatiũ tanto tempore seorsim aliquid moueat, vires quoque coagmẽtatæ id, quod ex ponderibus coaluit, per æqualem longitudinem æquali tempore mouebunt. Proportione enim respondet.*

Text.39. i *Numquid igitur & in alteratione atque accretione ita res habet? Aliquid quidem est quod auget, aliquid quod augetur: atque tanto tempore tantum aliud auget, aliud augetur. Et id quod alterat, & quod alteratur. Similiter & aliquid & tantum & tanto tempore magis & minus alteratum est, duplo duplum, & duplum duplo, atque dimidium dimidio, & dimidio dimidium, aut æquali duplum. At si quod alterat, aut auget, tantum tanto tempore alterat aut auget, necesse non est, vt eius dimidium dimidio dimidium augeat: sed nihil fortasse alterabit aut augebit, quemadmodum & in pondere.*

h Si verò sint duo } Septimum theorema. Cùm duę virtutes ita sunt affectę, vt vnaquęque per se aliquod pondus certo tempore per aliquod spatium moueat; si ambę coniungantur poterunt duo illa pondera in vnum coeuntia simul per ęquale spatium eodem tempore mouere, quandoquidem eadem est proportio vnius ad vnum, quę duorum ad duo. 7. theor.

i Numquid igitur } Tradit nunc theoremata ad alterationem, & accretionem spectantia. Repetitisque, quę in quolibet horum motuum reperiuntur, primum theorema constituit, quod est huiusmodi. Si aliqua virtus tanto tempore augeat, aut alteret, duplo longiori tempore duplum augebit, vel alterabit. Secundum est. Eadem virtus dimidio temporis augebit, alterabitque dimidium. Tertium est. Si aliqua virtus certo tempore tantum alteret, vel augeat, non oportet, vt dimidium eius virtutis eodem tempore dimidium alteret, augeatvè. Fieri enim potest, vt dimidium virtutis, nullo modo patientis contumaciam vincat, atque ita nulla motio detur. Theoremata ad alt. & accret pertinẽtia. 1. 2. 3.

FINIS SEPTIMI LIBRI.

IN OCTAVVM LIB. PHYSICORVM ARISTOTELIS.

PROOEMIVM.



OCTAVVS hic liber vt est omnium Physicæ Auscultationis postremus, ita doctrinam continet admodum accuratam, & Philosopho dignissimam. In eo enim Aristoteles à caducarum & materialium rerum varietate & inconstantia ad Dei contemplationem, cognitionemque ascendit. Porrò vt D. Dionysius capite secundo de mystica Theologia, & septimo capite de diuinis nominibus docet, noster intellectus triplici via à rebus creatis ad Dei notionem prouehitur: nimirum via eminētiæ; negationis, causalitatis. Quam triplicē viam tria, quæ in qualibet creatura conspiciuntur, nobis aperiunt. Creatura enim est ens; ex nihilo; ab alio. Ens designat perfectionem; ac quantùm ad hoc, cognoscimus Deum via eminentiæ, dum ei quicquid in rebus eminet, & excellit, dempta omni imperfectionis nota, attribuimus; vt vitam, sapientiam, bonitatem. Ex nihilo, importat defectum, quem dum à natura diuina penitus remouemus, ad notitiam Dei accedere dicimur via negationis. Ab alio, notat causalitatem, secundum quam ex efficientia, alijsque modis causandi Deum cognoscimus. Hac autem tertia via progreditur hoc in libro Aristoteles: siquidem ex motu & ordine causarum subordinatè mouentium ostendit deueniendum esse ad vnam primam causam, primumque motorē Deū, qui omnis mutationis corporeæq; molis expers sit: conaturq; ostendere effici ab illo cœli conuersionem, quæ principio careat, nec vllis seculorum ætatibus finem sit habitura.

Lege D. Dimasc. lib. 1. fi. dei orth. c. 4. D. Th. in 1. d. 35. q. 1. art. 1. Henr. Gand. 1. p. sum. art. 24. Dur. in 1. d. 3. q. 1.

Capitis primi Explanatio.



RTVS a autem ne est? Initio huius capitis vocat Aristoteles in eóntroversiam vtrumne motus ante, retroque æternus sit, & vt vita rebus viuentibus, sic ipse omnibus natura constantibus, perpetuò conueniat; an potiùs cęperit aliquando, ac cessare tandem debeat. Non quęrit autem de cœlesti, alioue motu particulatim sumpto, sed de quouis generatim, & indefinitè, vt D. Thomas, Simplicius, Themistius, Pselus, & Auicenna, alijque Arabes interpretantur, excepto Auerroe, cuius sententiam haud dubiè improbarit, qui Aristotelicę orationis contextum sedulò expendet. Nulla enim hoc loco cœlestis motus fit mentio: sed more suo à communioribus proludens Aristoteles subinde ad cœlestem motũ accedit, eiusque æternitatem suadere nititur.

Quęstiõ de sempiternitate motus.

ARISTOTELIS Physicorum.

LIBER OCTAVVS.

CAPVT. I.

Text. 1. *ORTVS a autem ne est interdum motus, cum antea non esset, rursusvè ita ne peribit, vt nihil moueatur, an nec ortus est, nec peribit, sed semper fuit & sẽper erit, bocq; immortale & requietem non habens rebus inest, quasi his omnibus, quæ natura constant, vita sit quædã? Omnes sane, qui de natura aliquid dicunt, motum esse inquiunt, tum quia mundum faciunt, tum quia omnis de generatione & interitu contemplatio eorum est, quæ esse non possunt, nisi sit motus. Sed quotquot infinitos mundos esse aiunt, & ipsorum alios fieri, alios perire, ij sempiternum statuunt motum, quod generationes interitusque eorum cum motu esse necesse sit: quicumque autem vnum, aut non sempiternum; de motu quoque id ponunt, quod rationi est accõmodatum.* Text. 2. *c Si igitur fieri potest, vt aliquando nihil moueatur, dupliciter id accidere necesse est. Aut enim, vt ait Anaxagoras, quandoquidem inquiat, cùm omnia simul essent, & tempore infinito quiescerent, mentem motu ea cieuisse, atque secreuisse: aut vt Empedocles, vicißim mouere & rursus quiescere: moueri quidem cùm aut vnum ex multis facit concordia, aut multa ex vno discordia: quiescere autem temporibus intermedijs, hoc modo inquiens*

Nam

b Omnes sane) Consuevit Aristoteles in præcipuis saltẽ controuersijs antequã suam statuat sententiam, quid ab alijs de eadẽ re traditum sit, in mediũ afferre. Id hoc loco præstat. Nam quid cęteri physiologi, qui ad naturam congruẽter loquuti sũt, de æternitate motũ senserint, paucis explicat. Primumque ait eos omnes motum concessisse; tum quia mundum genitum fecere, tum quia tota fere eorũ disciplina, & consideratio in ortũ & interitũ incubuit, quę absque motu præeunte constare nequeunt. Inserit verò eorundem circa mũdi vnitatẽ, vel multitudinẽ diuersa dogmata, de quibus nos in libris de cœlo cum ipso Aristotele ex professo differemus.

Omnes, qui ad naturam accõmodate locuti sunt, motum concessisse.

c Si igitur fieri) Etsi omnes physici, quos paulò ante retulit, in assertione motus cõspirarint, non eum tamen omnes perpetuum, & immortalẽ arbitrati sunt. Quia vero hos refellere instituit, docet prius bifariam accidere potuisse, vt motus exordium haberet, vel vt Anaxagoras putauit, quies omnes post infiniti temporis quietẽ a mente agitari, mutuoque abiũgi incepisse, eaq; secretione mundũ genuũ, atq; adornatũ tradidit: vel certe vt Empedocli visum

Dogma Anaxagoræ.

est, qui suis carminibus cecinit, res per definita temporum spatia nunc moueri, nunc quiescere perpetua vicissitudine, ac recursu hinc illuc, nūc videlicet cogente amicitia, nunc lite distrahēte.

d Hęc igitur) Accedit ad inuestigandā propositę controuersię veritatē, cuius quanta futura sit vtilitas primū exponit; tum motus definitionem ex libro 3. huius operis repetit. Deinde premittit omne id, quod mouetur potuisse ante moueri, & id tantummodo motui subiect, quod ad sustinendum motum potestatem habeat, vt tum ex ipsa motus definitione, tū ex vnanimi mortalium consensu, & singulorum motuū inductione satis liquet.

Nam quæ de multis vnum consueuit oriri
Et plura ex vno rursum constantur eodem,
Hæc fiunt, æuumque ipsis mutabile fertur.
Verum quæ solitum seruant mutata tenorem
Hæc sic immota æternum voluuntur in orbem

Quod enim ait, verum qua mutata, hinc illuc dicere ipsū putandū est. d Hæc igitur quonā modo se habēt cōsiderāda sūt. Text. 3. *Nā veritatē perspicere conducibile est non ad eam solum, quæ est de natura, contemplationē, sed ad eam quoque doctrinam, quæ de principio est primo. Ex his autem ordiamur quæ antea in physicis à nobis sunt definita. Motum itaque rei mobilis, quatenus est mobilis, actum esse affirmamus. Quamobrē res esse, quæ vnoquoq; motu possint moueri necesse est. Atq; etiā præter motus definitionem nemo necessariū esse nō fatebitur id moueri, quod singulis motibus potest moueri: ceu alterari id quod est alterabile, ferri quod loco potest mutari. Quare necesse est, vt antea vtile sit quàm vratur, & vrendi vim habeat antequam vrat. e Igitur & hæc necesse est, aut, si nō erant, facta esse, aut esse sempiterna. Ac vnumquodque quidem mobile, & quod mouēdi vim habet, si factum est, necesse est ante motū, qui sumptus est, aliam mutationē motumq; fuisse: quo illud est ortum, quod aut moueri, aut mouere potest. At si cùm motus non esset, semper fuerunt, absurdum* Text. 4. Text. 5. Text. 6. Text. 7. *quidē etiā, si per se animaduertatur, videtur: magis tamē, si vlterius proficiscamur, euenire hoc necesse est. Nam si quædā sunt, quæ moueri, alia quæ mouere possunt, atq; interdum erit quidpiā primum mouens, & aliud quod moueatur, interdū nihil, hoc prius mutari necesse est. Erat enim aliquid causa profecto quietis, cum motus priuatio quies sit. Quare ante primam mutationem prior erit mutatio. f Nā vnico quidem modo aliqua mouent, quædā contrarijs motibus, vt ignis calefacit, sed non frigefacit. At scientia vna esse contrariorū videtur: sed & ibi simile quiddam apparet. Frigidum enim quando quodāmodo cōuersum est & remotū, calefacit, sicut & sciens sua sponte peccat, cū scientia contra quam debeat, vtitur. Verū quæcūq; aut facere & mouere, aut pati & moueri possunt, non omnino hoc possunt, sed si sic afficiantur, & ad se vicissim accedant.* Text. 8. *Quare*

Prima ratio Aristotelis p motus æterni tate.

c Igitur & hęc necesse est) Probat nullū fuisse primū motum, sed ante quencunq; aliū extitisse, ratiocinaturque in hunc modum. Si ex ordium tēporis motq habuisset, vel mouens & mobile, cuius esset ille primq motus, cępisset aliquando, vel fuisset ab æterno; si aliquādo cępissent; igitur per aliquem motū: quare iam motus ille, qui antea primus dicebatur, primus non esset. Si autem fuissent ab æterno sequeretur mobile æternum infinitis seculorum ætatibq sine motu iacuisse, quod tum per se absurdum est, tum refelli non difficulter potest. Primū quia nulla assignabitur ratio cur motor nūc potiùs, quàm antea mouerit. Deinde quia si non semper mouisset, vtique eum aliquod impedimentū ab huiusmodi motione retardasset: ad huius verò impedimenti amotionem motu aliquo opus esset, quo ad agendum veniret, proindeque iam primum motum alius anteisset, quod omnino repugnat. Itaque fatendum erit motum ex æterno tempore fuisse.

Diuersa genera mouentium.

f Nam vnico quidē) Varia sunt genera mouentium. Quędam mouent naturaliter atq; ad vnū mouendi modū definita sunt, vt calidū, cuius est tantū calefacere; alia mouent arbitratu suo, & ex delectu, quę cōtrarias edūt motiones, videlicet ea, quę scientia, & arte pollēt. De hisce

poste-

posterioribus mouentibus putaret quis non rectè pronuntiatum oportere illis adimi causam quietis, motusq; impedimentum remoueri, cùm sponte sua motum, & quietem ineant. Occurrit Aristoteles & hęc eadem illa communi lege teneri, ita vt absq; pręeunte mutatione a quiete ad motum non transeant. Semper enim motu aliquo extrinsecus iniecto, aut accessu mobilis, aut alia re simili ad faciendũ motũ pelliciuntur. Monet quoque ipsa etiam agentia naturalia, quibus natura vnũ agendi modum tribuit, motus, etsi minus proprie contrarios, vicissim exercere. Nam calor, qui sua pręsentia calefacit, per absentiam ex accidente refrigerat: sicuti & gubernator, dum adest, causa est salutis; dum abest, causa fit naufragij.

Agentia naturalia vt motũ cõtrarios exerceant.

Text. 9. *Quare cũ appropinquauerint, idq; euenerit, vt hoc mouere, illud mouere possit, aliud mouebit, aliud mouebitur. Si igitur nõ sẽper mouebatur, manifestum est nõ ita se habuisse, vt moueri alterum posset, alterum mouere, sed alterum ipsorum mutari oportebat. In his enĩ, quæ sunt ad aliquid accidere id necesse est, vt si duplum nõ erat, & duplum nunc factum est, si nõ vtrumq; alterum mutatum sit necesse est. Prima itaq; mu-*

Text. 10. *tatione prior aliqua erit.* g *Ad hæc quonã modo prius & posterius erunt, si tẽpus nõ sit, aut tẽpus, si nõ sit motus. Quod si tẽpus numerus est motus, aut motus quidam, si tẽpus est semper & motum sẽpiternum esse necesse est.* h *At de tempore vniuersi, præter vnum, eiusdẽ sententiæ videntur. Ingenitum enim inquiunt, ob eamq; causam Democritus fieri non posse, vt omnia genita sint demonstrat: siquidem tẽpus ingenitum est, Plato autem solus ipsum generat. Nã vnà cum cælo genitum ait,*

Text. 11. *cælum autem esse genitum.* i *Iam si absq; momento nec esse, nec intelligi potest tempus, momentum autẽ medietas est quædam principium & finem simul continens, principium quidem tẽporis futuri, finem vero præteriti, tẽpus semper sit necesse est. Nam temporis postremo accepto, extremum in aliquo erit momento, cum temporis ipsius præter momentum nihil accipere liceat. Quare cum principium & finis momentum sit, necesse est ad vtramq; eius partem tempus esse. At vero si tẽpus, ma-*

Text. 12. *nifestum est etiã motum necessario esse, siquidem tempus ipsius motus affectio est quædam.* k *Eadem autem ratio eius est quod est motum non interituram. Nam vt ex motus generatione priorem aliquam prima mutationẽ esse efficiebatur, sic hoc in loco posteriorem aliquam postrema. Non enim moueri simul & esse mobile desinit, aut vri & posse vri, cùm vstile esse possit & non vri. Nec mouere posse & mouere simul desinit. Et quod interire potest, interisse cùm interit oportebit: & post hoc rursus id, quod huius interimendi vim habet. Interitus enim mutatio quædam est.*

g Ad hęc quonã modo} Pergit instituũ confirmare ratione' alia ab eo quod prius, & posterius dicitur, sũpta. Prius & posterig inquit absq e tẽpore dari nequeunt, vt pote quę temporis partes, seu differentię sint, ergo si motus exordium habuit, cũ prius non esset, antequã ille esse inciperet, tẽpus iã erat: atqui sine motu tẽpus nõ est; quando quidem tempus definitur numerus motus: igitur antequã motus esset, iã erat motus: quod repugnat. Quare fatendũ potiùs erit tẽpus, & motũ sẽpiterna esse.

1. ratio.

Sine motu non esse tempus.

h At de tempore} Temporis ęternitatem comprobat testimonio aliorũ philosophorum. Omnes enim tẽpus semper fuisse tradiderunt, excepto Platone, qui illud cũ mũdo genitum in Timęo docuit.

Plato tempus cum mundo genuit.

i Item si absque momento} Rursus nullum tempori ortum, initiũ ue fuisse ita suadet. In quolibet tẽpore licet sumere momẽtũ, quod vnũ præsens habemus; sed momẽtũ est confinium vtriusq; tẽporis, terminus prẽteriti & initium futuri; ergo ante quodlibet momentum tempus fuit, & post quodlibet erit tempus; sicque tempus ante, & retro infinitum est. Hinc concludit Aristoteles etiam motum ęternum esse oportere, cùm tempus sit numerus motus, vt constat ex ijs, quę in quarto huius operis libro tradita sunt.

3. ratio.

k Eadẽ autem ratio est} Ostendit immortalem fore motum. Nam quemadmodũ si is genitus foret, necesse erat aliquem motũ primo priore exhibere; ita si occidat, aliquẽ posteriorẽ extremo dare oportebit. Nõ enim motu intereunte mobile simul interibit, sed permanebit, ac simul id quod motũ efficere potest, esto mouere desinat, adhuc perseuerabit. Quare rursus mouentis & mobilis cõcursus dabitur, & hoc ab illo motũ excipiet, cũ in vtroq; potestas cõseruetur, in vno ad agendũ: in altero ad patiendum.

4. ratio.

Capitis ſecundi Explanatio.

QVOD aſi hęc] Ex iis, quæ hactenus diſputauit, concludit fictitium eſſe, ac fabulę ſimile affirmare motus initium fuiſſe, aut finem vllum futurum. Deinde quia non ſat erat ſuam de ęternitate motus confirmare ſententiam, niſi etiam aliorum philoſophorum placita ſibi aduerſa refelleret; id in hoc capite facere aggreditur, in quo Anaxagoram & Empedoclem motus ęternitatem negantes inſectatur. Coarguit igitur Empedoclem, qui cum diceret litem & amicitiam neceſſariò viciſsim res mouere, ac per quędam temporũ interualla motionem, quietemq; interijci; tamen huius rei nullam aliã afferebat cauſam, quã quod ita oporteret fieri; ſic rei natura poſtularet. Atq; hoc ipſum ait fortaſſe dicturum Anaxagoram, qui vnum motus principiũ induxit, ſi quis ab eo ſciſcitaretur cur mẽs nihil operis ab ęternitate molita eſt, nec Chaos niſi certo tẽpore mouit, rerũq; ſecretionem effecit. Hos igitur ideo reprehendit, quod ad rerum naturam confugerint, quaſi natura, quę maximè eſt ordinis ſtudioſa, ſine ordine & ratione quicquam aggrediatur.

Carpit Empedoclem.

Natura maxime amica ordinis.

b Infiniti autem] Alienum eſſe ab ordine, quem natura amat, vt res infinito tẽpore immotę iacuerint, deinde moueri cęperint, ex eo probat, quia ibi dũtaxat ordo conſtat, vbi ratio, & proportio inuenitur; at infiniti ad infinitum nulla eſt proportio. Subijcit deinde ea, quę à natura fiunt, duplicia eſſe. Nam quędam ſemper eodem modo ſe habent, vt ignis latio in ſuperum locum; leonis à leone productio: alia verò non item, ſed euariant; vt patet in viuentibus, quę nõ ſemper increſcunt, ſed interdũ imminuuntur, idq; nõ ſine cauſa, & inſtituto naturę. Quare cũ res infinito tẽpore quieuiſſe, poſtea verò fuiſſe motas, ad nullũ horũ modorũ pertineat, ſatis liquet dogma hoc à naturę legibus abhorrere.

Vbi ratio & proportio, ibi ordo.

c Quocirca] Rectius philoſophatum inquit Empedoclem: quã Anaxagorã, hic enim poſita ante omnẽ motũ infinita quiete, naturę ordinẽ demolitus eſt: ille dũ vices illas mouendi, quieſcendiq; ſtatuit, aliquẽ ordinem adhibuit; quanquã in eo etiam peccauit, quòd nullam tam inſignis alternationis cauſam reddidit: cùm minimè deceat indagatorem inſpectoremq; naturę quicquam abſque experientia vel demonſtratione rationeve aliqua pronuntiare.

Empledoclẽ rectius philoſophatũ, quã Anaxagorã.

d Nam ea quę poſita] Diceret quis Empedoclem viciſſitudinis illius cauſam attuliſſe, videlicet concordiam, & diſcordiã. Occurrit Ariſtoteles huiuſcemodi cauſam verã & idoneã haud

Prœoccupatio.

CAP. II.

QVod aſi hæc eſſe non poſſunt, patet motum ſempiternum eſſe, & non aliquando eſſe, aliquando non eſſe. Etenim ita dicere figmento ſimile potius eſt. Similiter dicere ſic natura eſſe comparatum, hocq; eſſe principium debere exiſtimari: quod quidem Empedocles videtur dixiſſe, rebus videlicet ex neceſſitate conuenire, vt cõcordia & diſcordia viciſsim vincant & moueant, tempore autem intermedio quieſcant. Fortaſſe vero & qui vnum faciunt principium, vt Anaxagoras, hoc modo aſſererent. Atqui in his, quæ natura & ſecundum naturam conſtant nihil eſt inordinatum, cùm natura ordinis omnium ſit cauſa. b Infiniti autem ad infinitum nulla eſt ratio, ordo vero omnis ratio eſt. At vero tempore infinito quieſcere, deinde aliquando moueri, huiusque nullam haberi differentiam, cur videlicet nunc magis quàm prius, nullum item eſſe ordinem, naturæ ipſius opus non eſt. Nam quod natura eſt, aut ſimpliciter ſeſe habet neceſſariò, & non interdum quidem hoc modo, interdũ alio, veluti ignis ſurſum effertur natura, & non interdum fertur, interdum non fertur, aut rationem habet, quod ſimplex non eſt. c Quocirca præſtat rem ita habere, vt Empedocles, etſi quiſpiam alius id dixit videlicet viciſsim quieſcere & moueri: ordinem enim quiddam id habet. Verum & qui id dicit non ſolum enuntiare id debet, ſed eius quoque cauſam reddere, & nihil ponere, nec vllam ſententiam proferre ſine ratione, ſed aut inductionem, aut demonſtrationem afferre. d Nam ea quæ poſita ſunt cauſæ non ſunt, nec concordiæ aut diſcordiæ eſſentia hæc eſt, ſed illius quidem munus eſt congregare, huius diuidere. Quod

Text. 13.

Text. 14.

Text. 15.

haudquaquam esse. Licet enim, vt in Reipublicę partibus videre est, concordia res aggregentur, discordia diuidantur; non tamen concordię, & discordię ratio, siue essentia in eo consistit, vt alternis vicibus moueant & æqualibus temporum spatijs hęc regno cedat, illa succedat. Ratio cõcordię, & discordię.

c Omnino autem) Empedocles suam positionem æternitatis nomine tuebatur, nullam aliam reddens causam perpetuę illius vicissitudinis, quàm quod ita ab æterno fuisset, proindeque rata lege ita euenire oporteret, quia æterna causam non habent. Hoc vt parum philosophicè dictum incusat Aristoteles, simulque reprehensionis aculeos infigit Democrito, qui similiter physicarum rerum causas æternitati asscribebat aiens nullam aliam rationem vltiùs disquirendam esse. Coarguit Democritum.

Quod si id quod est vicissim assignet, in quibus etiam id fiat dicendum est veluti aliquid esse quod homines congregat videlicet amicitiam, inimicos autẽ vicissim se fugere. Hoc enim & ipso vniuerso ponit, quod & in quibusdam videtur. Id vero quod est per æqualia temporum interualla ratione etiam aliqua indiget. c Omnino autẽ æquũ non est existimare hoc principium semper ita esse aut fieri sufficere, ad quod naturales causas Democritus reducit, quòd sic ante quoque factũ sit, principio, cur semper, non quæsito, quod in quibusdam recte tradidit, in omnibus non recte. Nã & triãgulus duobus rectis æquales semper habet, sed tamen huius æternitatis alia est causa. At vero principiorum, cum sint sempiterna, alia causa non est. Tot igitur de hoc dicta sint nullum videlicet fuisse tẽpus, aut

Text. 16. *fore, cum motus aut non esset, aut non erit. f Quæ autẽ hisce contraria sunt non est difficile dißoluere. Videri vero considerantibus ex his potissimum possit motum aliquando ortum esse, cum ante omnino non fuisset. Ac primũ quidem quia nulla est sempiterna mutatio, cum mutatio omnis suapte natura ex aliquo sit in aliquod, vt necesse sit omnis mutationis finem, ea*

Text. 17. *esse contraria, in quibus fit, nihilque infinite moueri. g Deinde videmus id posse moueri, quod nec mouetur, nec vllum in se motum habet, vt inanimata, quorum pars nulla, nec item totũ cùm moueatur, sed quiescat, aliquando mouentur. At conueniebat aut semper moueri, aut nunquam, siquidem motus cum nõ est, non gignitur. h Longe autem magis in animatis hoc licet perspicere. Cùm enim nullus in nobis interdum motus sit, sed quietem agamus, tamen mouemur aliquando & fit in nobis interdum ex nobis ipsis principium motus, etiam si nibil extrinsecus mouerit. Hoc enim in expertibus animæ non æquè cõspicimus, sed aliquid quod extra est, ea semper motu ciet. At animal se mouere dicimus quare si aliquando omnino quiescat in immobilia à se ipso motus fiet, & non ab eo, quod extra sit.*

Quod æterna, quę causam non habent, cuiusmodi sunt principia simpliciter prima; ea namque & sempiternę veritatis sunt, & nullam causam obtinent. Vnde per se ipsa innotescunt, ac fidẽ faciunt, vt constat ex ijs, quę 2 lib. Posteriorum disputata sunt. Verùm nõ nulla æterna inueniri ait, quę causam habent, vt triangulum cõstare tribus angulis, qui duobus rectis pares sint: huius enim affectionis causa est ipsa trianguli definitio. Quo patet aliquid sempiternum causã habere, quod negabat Democritus. Quędam æterna habere causam. Alia non habere.

f Quę autẽ hisce) Proponit tres rationes, quibꝰ motũ nõ semper fuisse probari possit. Prima ita habet. Nulla mutatio clausa terminis perpetua est, sicuti nec infinita; sed omnis mutatio Prima ratio cõtra motus æternitatem.

est clausa terminis, cùm inter duo extrema contraria versetur; ergo nulla perpetua est, & ex consequenti nullus motus est sempiternus.

g Deinde videmus) Secunda ratio est. Aliquid mouetur, quod antea quiescebat, vt cùm lapis, aut aer motum init. Ergo idem & in toto vniuerso potuit contingere, videlicet vt inciperet in illo esse motus, qui antea non erat. Nam si motus inchoari in aliquo non posset, sequeretur quę mouentur, perpetuò agitari, & quę quiescunt, semper quiescere. Quod veritati aperte repugnat. 2. ratio.

h Longe autem) Tertia ratio est, quod in animantibus fieri conspicimus, ptęsertim in homine, qui quandam totius vniuersi imaginem in se continet; vnde & paruus mundus appellatur, 3. ratio.

Homò parmus mundus.

pellatur, id ipsum videtur fieri potuisse in mundo magno, & in natura vniuersa; atqui animantes nonnisi inquam absque vllo externo auctore nulloque alio motu, quo incitentur, præeunte moueri incipiunt: ergo & in tota natura ante eius motum potuit infinita quies præcedere.

Respõsio ad 1. rat.

i Atque horum quidem) Diluit superiora argumenta. Et ad primum quidem respondet, ex motibus, qui inter contraria versantur, non posse vnum, eundemque singularem motum perpetuum esse, cùm extremis contrarijs claudatur; sicuti neque instrumento musico vnius chordæ idem sonus est, qui primo, & qui secundo ictu redditur. Item quidquid de cæteris motibus pronuntiandum sit, nihil obstare quominus conuersio immortali corpori conueniens infinitis seculis eadem absque intermissione duret: siquidem hęc non ea contrariorum repugnantia, quę perennitatem inhibet, continetur.

Ad 2.

k Moueri autẽ) Soluit secundũ argumentum, concedens aliquid moueri, quod antea non mouebatur. Nam quod extremum habet motorem, nihil mirum si eo præsente cieatur, absente quiescat. Itaque vult quoties denuo res inanimata moueri incipit, eum motum necessariò antecedere alium, quo mouẽs afficeretur, & hunc alium, sicque in infinitũ absq. termino. Ad

Quod si in animali fieri id potest, quid prohibet vt in vniuerso etiam idẽ fiat? Nã si in paruo sit mundo, in magno etiã fiet, & si in mundo, in infinito quoque, si moueri infinitũ possit, ac totum quiescere. i *Ac horum quidem quod dictum est non eundem semper vnumque numero motum eum esse, qui est ad opposita, recte dicitur. Hoc enim fortasse necessariũ est, si fieri nequeat, vt semper vnus idemque motus is sit, qui vnius & eiusdem est mobilis. Dico autẽ gratia exempli vtrum vnus idemq; sonus vnius chordæ sit, quæ similiter sese habet & mouetur, an alius semper, quamquam vtrouis modo res habeat. nihil obstat vnum & eundem aliquem esse quoniam continuus sit & sempiternus. Quod ex his, quæ sequentur, magis patebit.* k *Moueri autem quidpiam, quod non mouebatur absurdum non est, si quod extrinsecus mouet, interdum adsit, interdum non adsit. Hoc tamen quonam sit pacto quærendum est, idem inquam ab eodem, quod mouere aptum est, nunc moueri. Nam qui id dicit nihil aliud in dubium reuocat, quàm propter quid non semper aliæ res quiescant, aliæ moueantur. Maxime verò tertiũ illud dubitationem habere videbitur, quòd existat motus, qui antea non erat, id quod animantibus euenit. Nam prius quiescit, deinde ambulat nullo eorum, quæ extra sunt, vt videtur, mouente. Hoc autem falsum est. Eorum enim quæ in animali innata sunt aliquid semper cernimus moueri. Cuius quidem motus causa animal non est, sed continens fortasse. Ipsum autem non omni motu se ciere dicimus, sed eo qui est ad locum Nihil igitur prohibet, imò fortasse est necessarium cõplures à continenti in corpore fieri motiones, & harum nonnullis mentem aut appetitum moueri: hæc vero totum animal mouere, quale accidit in somnis. Nam cum nullus sensus insit motus, insit tamen aliquis, animalia rursus excitantur. Sed ex his quæ sequuntur perspicua hæc fient.*

Text. 18.

Text. 19.

Text. 20.

Ad 3.

tertium verò respõdet inprimis conspicuum esse quosdam motus animãtibus extrinsecus aduenire, nimirum alterationes, quę à circũfuso corpore aut aliunde inferuntur, vt refrigeratio, & humectatio. Deinde ait ipsum etiam motũ, quo ab vno loco ad alium migrant, externã causã plerunque habere, qua videlicet mens, aut appetitus ad eũ motum edendum impellitur. Id quod exemplo animalium dormientium ostendit, quę cùm aliquando nullo antecedente motu à somno excitari videantur, reuera tamen eam excitationem aliquis motus antecesserit, nimirum absumptio, aut depressio vaporum, qui cerebrum occupabant, vel concoctionis absolutio, aut aliud quid, vnde vigilia sequitur. Quin verò etsi nullam externorum sensuum functionem obeant, interim haudquaquam motu vacant, cùm sine respirandi, & nutriendi actu non viuant. Falsum est ergo, quod in argumento assumebatur, nimirum animantes interdum lationem inchoare absque alio motu in eis præeunte; cũ eorum motum localem saltem nutritio antecedat. Porro quòd rationes ab Aristotele propo-

sitę

sitæ motus, aut temporis aut vllius rei creatę ęternitatem minimè concludant, in progressu patebit.

Obserua in hoc capite ad textum.15. prędarum naturę elogium, quę ordinem, rem sane diuinam, & qua vniuersi pulchritudo magna ex parte continetur, tãtopere amat, vt nihil ab eo moliatur. In quam sententiam lege quę scripsit etiam Aristoteles libro 1. de partibus animalium cap.1. & in problem. sect.19. q.38. Plato in Phędone, D. August. lib. de natura boni cap.3. & lib.6. Musicę cap.14. & ex professo in libris de ordine. Vniuersi pulchritudinem ordine maximè cõtineri.

Ad eundem textum.15. nota Aristotelem non solùm concedere enuntiationes sempiternę veritatis; sed docere etiam dari sempiternam causam, ob quam eiusmodi enuntiationum prędicata subiectis conueniant. Quod non parum habet momenti ad coarguendos eos, qui putant nihil ęternum in disciplina Aristotelis causam vindicare: quod annotauit hoc loco D. Thomas. In doctrina Aristotelis quędam sempiterna habere causam.

QVÆSTIO I.

QVID CREATIO SIT, ET QVO pacto à conseruatione distinguatur.

ARTICVLVS I.

CREATIONEM ESSE ALICVIVS è nihilo productionem.

CReationem hunc in modum Theologi, Philosophique definiunt ex D. Damasceno lib. 1. fidei orth. cap.8. et lib.2. c.2. & D. Augustino 12. de ciuit. Dei. c.25. Creatio est alicuius è nihilo productio. Sciendũ verò est creationis nomen dupliciter accipi; non nunquã propriè, interdum fusè. Priori modo, vt D. Thomas. 1. p. q.45. art.4. edocet, ea tãtũ creari censentur, quæ per se cohærere possunt, vt Angeli, vt animæ rationis participes, vt corpora cælestia. Etenim cùm creatio effectio quædam sit; effectio autem ordinetur ad esse rei; id tantùm dicetur propriè creari, cui propriè conuenit esse; ei autem propriè esse conuenit, quod est subsistens in suo esse, seu quod per se valet consistere. Posteriori autem modo (qui tam ea, quæ propriè, quàm quæ impropriè creari censentur, comprehendit,) etiam alia quædam, præter hæc, creari dicuntur, vt in progressu patebit. Si igitur iuxta priorem acceptionem creatio spectetur, hic erit propositæ definitionis sensus; creatio est actio, qua quippiam per se subsistens producitur ex nihilo; idest, ita vt nihil eius præcesserit. Sic verò nec materia, nec formæ Physicæ, excepta rationali, creari dicuntur; quia nõ sunt res per se, ac propria vi subsistentes: nec item homo, qui ab alio gignitur; Definitio creationis. Creatio bifariã sumitur. Sensus definitionis.

tur; propterea quòd licet is per se cohæreat, & materia, ac forma, ex quib⁹ coalescit, nõnisi per creationẽ existãt; tamẽ cũ totũ ipsũ emergit, aliqua ei⁹ pars antecesserat, nẽpe materia initio mũdi à Deo pducta. Si autẽ creatio posteriori modo sumatur amouẽda erit ab ei⁹ definitione particula, per se subsistens, sicque censebuntur creari quæcunque nullo præiacente subiecto fiunt, siue per se cohæreant, siue non. Porro quadrifariam, quod ad propositum attinet, dicitur effici quippiam non præiacente subiecto. Primùm id, cui nullum substerni subiectum potest, vt Angelus & materia prima. Secundò id, cuius productioni tametsi substerni queat subiectum, sic tamen producitur, vt tam subiectum, quàm forma, è quibus per se componitur, ab eodem agente simul efficiãtur: quo pacto diceretur creari Socrates, vel Bucephalus, si eorum forma, & materia inter se coniunctæ, eodem puncto temporis producerentur. Tertio id, cuius ortui quantumlibet subiectum præiaceat; ab eo tamen subiecto, neque quoad suum esse, neque quoad productionem dependet; vt forma hominis. Quartò denique id, quod licet à præiacente subiecto, & quoad suum esse, & quoad sui effectionem pendeat; subiectum tamen ad id recipiendum naturalem potentiam non habet, sed obedientiariã duntaxat, eamque in ordine tantummodò ad diuinum agens. Hoc verò pacto gratiaj, cæteraque dona supernaturalia, etsi impropriè, creari tamen dicuntur; vt est communis Theologorum sententia. D. Thomæ in 1.2.q.110.art.2. Scoti. in 4.d.1.q.4. Capreoli, & Paludani ibidem q.1. Gregorij, in 2.d.1.q.6. Ferrariensis 4. contra gentes, cap.57. & aliorum. Adiecimus autem, in ordine tantummodò ad agens diuinum, propter formas artefactorum, quæ licet in materia solam non repugnantiam, siue obedientiariam potentiam nanciscantur; non eas tamen creari dicimus; propterea quod eiusmodi potentia non sit tantùm in ordine ad agens diuinum, qua tale; sed in ordine ad quẽcunque artificem. Itaque ex dictis ratum esse volumus, vt aliquid creari dicatur, sat esse produci non præiacente subiecto; aliquo saltem eorum quatuor modorum, quos retulimus, seruato tamen discrimine illo inter ea, quæ propriè, & quæ improprie creari censentur.

Quot modis dicatur aliquid fieri nullo præiacente subiecto.

Lege Capr. in 2.d.1.q.1.ar.3.

Gratia etiam creari dicitur, sed impropriè.

Argentinatis in 4.d.1.q.1. ar.3. Soti.q.3. art.1. Gabr. in 3.d.1.q.vni.

ARTICVLVS II.

DILVTIO OBIECTORVM ADVERSVS definitionem creationis.

Obi.1. ERit tamen, qui contra superiùs dicta hunc in modum opponat. Anima rationalis propriè creatur; & tamen non est ens per se subsistens. Igitur non sola per se subsistentia propriè creantur. Maior asserta à nobis fuit proximo articulo, traditurque

à D.

à D. Thoma in quæſtionibus diſputatis, quæſtione de ſpiritualibus creaturis art. 2. ad 8. à Capreolo in 2. d. 1. q. 3. ar. 3. & alijs. Minor probatur, Primũ quia quod eſt in alio non eſt per ſe; atque adeò nõ per ſe ſubſiſtit: at anima rationalis dũ actu cõponit hominem eſt in alio, nempe in corpore. Secundò, quia ſi anima rationalis dũ eſt in corpore, eſſet per ſe ſubſiſtẽs; propriè ac ſimpliciter illi attribuerẽtur idiomata, ſiue appellationes actionũ, ſaltem earũ quæ in ipsã recipiũtur; quod rectè negat D. Thomas 1. p. q. 75. art. 2. aiens eſto anima dici poſsit intelligere; melius tamen dici hominẽ intelligere per animã.

Item ſi Deus producat accidens extra omne ſubiectum, erit propriè creatio ex communi Theologorũ ſententia: & tamen in eo euẽtu accidens non dicetur exiſtens per ſe; cũ id eius naturæ repugnet ſitque proprium ſubſtantiæ. Igitur creatio propriè ſumpta etiã ijs, quæ non per ſe exiſtunt, accommodari poteſt. 2. obi.

Ad primum horum conceſſa maiori, neganda eſt minor, & ad priorem eius confirmationem dicendum id, quod eſt in aliquo ita vt illi inhæreat, quo pacto accidẽtia ſunt in ſubiecto; vel ita vt ab eo quoad ſuum eſſe dependeat, quomodo formæ materiales ſunt in materia; id inquam non poſſe dici per ſe ſubſiſtere. Verùm animam rationalem neutro horum modorum eſſe in materia; quandoquidem nec more accidentium inhæret; nec quoad ſuum eſſe dependet à corpore, cùm immortalis ſit. Ad poſteriorem confirmationem reſpondendum licet anima ſit per ſe ſubſiſtens ſubſiſtentia paulò ante explicata, quæ ſufficit vt aliquid dicatur propriè creari; tamen quia dum eſt in corpore eſt actu pars totius, quod iure dignitatis ſuppoſito conuenientis omniũ actionũ appellationes ſibi arrogat; inde eſſe quòd nõ tã propriè dicimus animã intelligere, quã hominẽ intelligere per animã. Dilut. 1. obi.

Lege D. Tho. in 1. d. 8 q. 5. art. 2. Ferr. 2. contr. gent. c. 68. Sotũ 1. Phy. q. 3 Cai. 1. p. q. 90. ar. 2.

Subſiſtentiæ animæ rationalis in corpore quomodo ſe habeat.

Ad ſecundum concedenda eſt propoſitio, ad aſſumptionem verò dicendum accidens extra ſubiectum, eſſe per ſe exiſtens, non quod tunc ſubſtantialem exiſtentiam acquirat, & à propria natura decidat, cùm adhuc ſuopte ingenio, & ex vi propria ſpectatum requirat ſubiectum, cui inhæreat, & adhuc reſpectu tranſcendenti, in quo eius quidditas conſiſtit, ad illud ſubiectũ referatur: ſed quia dum ita diuina virtute producitur, conſeruaturque, eſt actu independens ab alio, quatenus nec in aliquo, vel ſub aliquo, à quo eius eſſe dependeat actu exiſtit; qui modus exiſtendi per ſe, ſat eſt ad propriã creationem terminandam. Addidimus, ſub aliquo, propter materiã, quæ dum producitur productione totius, quod creatur, (quo pacto materia terræ initio mundi producta fuit) nõ dicitur propriè creari, quia eſt ſub aliquo nempe ſub forma, à qua eius eſſe dependet. Dilut. 2.

Qui modus exiſtendi per ſe ſufficiat vt aliquid dici poſsit propriè creari.

Obſeruãdũ tamẽ erit, inter ea, quæ propriè creãtur, gradus quoſdam inueniri; quorum primũ obtinent ſubſtantiæ completæ, vt Angeli; ſecũdũ ſubſtãtiæ incõpletæ, vt animæ rationales; quę oẽs á Deo per creationẽ efficiũtur, itẽq; materia prima ſi abſq; omni forma ſubſtãtiali, & accidẽtia ſi extra omne ſubiectũ diuinitus producãtur.

Diuerſi gradus eorum quæ propriè creantur.

ARTICVLVS III.

CREATIONEM ESSE ACTIONEM externam, & transeuntem Dei creantis.

VT creationis definitio planior euadat; sciendum controuersiam inter Theologos esse num creatio actiua sit actio aliqua externa Dei, quæ re vera dicenda sit transiens non solum productiuè, quia habet terminū externū, sed etiam subiectiuè, quia non manet in agēte, sed transit in rē patientē, in eaq; recipitur. D. Thomas 1.p.q.45.ar.3. alijsque in locis, M. Albertus in 2.d.1.art.6.& de quatuor coæuis q.1.art.2. Scotus in 2.d.1.q.5. Richard. ibidē q.2.& 3. in pri. princip. Dur. q.1. Capr. q.2.ar.1. alijque nō pauci arbitrātur creationē actiuā esse actionē internā Dei, nempe ipsū intelligere & velle diuinū cū habitudine rationis ad creaturā: creationē vero passiuam esse relationem creaturæ, siue creaturā ipsā cum respectu ad Deū vt ad principiū totius esse. Probatur autē hæc opinio, primùm quia cū Deus solo intellectu, & volūtate, quorū actio immanēs est, efficaciter agat, superuacanea videtur alia externa actio ad creandū. Deīde quia, vt est apud Aristotelē 3. huius operis li.c.3.text.22. omnis actio trāsiēs est cōiuncta cū motu, in creatione verò motus nō datur; cū omnis motus supponat subiectū, in quo insit teste eodē Aristotele 1. huius operis, c.7.tex.64.& lib.5 c.2.text.15.

Cai.1.p.q.25. Ferr.2 contr. gēt. c.18. B. ſ. ſol. in 2.d.1. q.6.art 1. Proba 10.

Alionim opinio verisimilior.

Verū licet hæc sententia admodū probabilis sit; verisimilior tamē videtur opposita, quæ asserit creationē, verā esse Dei actionē, externā, & transeuntē, qua rebus creatis esse tribuitur, quāquam ab eis reipsa non distinguatur. Hanc tuetur Gregorius in 2.d.1.q.6. Aureolus apud Capreolū eodē loco q.2.ar.2. Aegid. in libro de esse, & essētia. q.7.& in 2.d.1.q.3. Argentinas d.19.q.1.art.1. Ochamus in.1.d.43.q.1. alijque cōplures. Primū quia cū creatio sit realis quidā influxus potentiæ diuinæ exequētis, & factio quædā iuxta illud psal. 148. ipse dixit, & facta sunt, & illud symboli factorem, idest, creatorem cæli & terræ; item verò cùm omnis executio, & effectio externā actionē deposcat; nō videtur quo pacto creatio actiua sit solū intelligere, & velle diuinū cū relatione. Deinde quia ea, quæ sunt relata ad Deum, non nisi cum mutatione eius, de quo dicuntur, existunt; docente D. Augustino. 5. lib. de Trinit. cap. vltimo. Cùm igitur creatura ad Deum referatur; non existet sine aliqua mutatione: hæc autem mutatio non est alia, quàm creatio; igitur creatio mutatio est, atque adeō non est solum velle diuinum cum relatione. Postremò, relatio, qua creatura Deum, vt causam suam effectricem respicit, est realis, (quod omnes pene aduersæ opinionis assertores fatentur,) habet ergo aliquam rationem fundandi ex ijs, quas Aristoteles

Eius assertores.

1. ratio.

2. ratio.

3. ratio.

5. Me-

7. Metaphys. cap. 15. text. 20. enumerat: sed non aliam habere potest, quã ipsã effectionẽ passiuã, qua creatura producitur: ergo effectio creatioue passiua est eius ratio fundandi, ac proinde creatio passiua non est ipsa relatio creaturæ, seu creatura prout habet ordinem ad Deum: alioqui idem omnino sibi ipsi ratio fundandi esset. Denique relatio creaturæ est quippiam posterius re creata, creatio verò cùm sit via ad esse, saltem natura, rem creatam antecedit; non igitur creatio relatio est.

Ad id quod pro contraria parte adducitur, scilicet internam Dei intelligentis & volentis actionem, quæ infinitam habet efficacitatẽ, per se sufficere ad creandum; respondendum est, sufficere quidem, sed cum actu potentiæ exequentis, & adhibita externa actione, sine qua Deum quicquam extra se producere, impossibile est: quẽadmodum neque cum igni potest Deus concurrere ad calefaciendum absque externa actione, quæ non distinguitur re ipsa à calefactione ignis, vt alibi diximus. Ad testimonium Aristotelis ex 3. huius operis dicendum actionem physicam, de qua inibi agit, cõiunctam esse cum motu; creationem verò non esse actionem physicam; nec item propriè mutationem; cùm ea propriè mutatio dicatur, qua subiectum, seu materia ab vno termino, sub quo priùs iacuerat, ad alium transit. Quod item opponunt non dari subiectum, in quod externa actio creandi, quam ponimus, recipiatur; haud ita est; potest enim actio, qua, verbi gratia, anima creatur, in ipsammet animam recipi, quæ quidem in genere causæ subiectiuæ prior natura est, quàm sua productio. Lege Aegidiũ in lib. de esse & essentia loco superiùs citato.

Solutio eorum, quę pro aduersa parte adducta sunt.

3. lib. c. 7. q. 12. ar. 3.

Subiectũ, in quo creatio recipitur.

ARTICVLVS IIII.

STATVITVR DISCRIMEN INTER creationem, & conseruationem.

De eadem re differit Bachonius in 2. d. 1. q. 1. art 3. Basolius d. 1. q. vltima.

SEquitur altera propositæ quæstionis pars de discrimine inter creationem, & conseruationem; Qua de re agit D. Thom. q. 104. primæ part. art. 1. & de potent. q. 5. art. 1. Heruæus in tractatu de æternitate mũdi, quæst. 1. Henricus Gandauensis quodlib. 1. q. 7. & quodlib. 9. q. 1. Ferrariensis 3. contra gentes. c. 65. Aureolus apud Capreol. in 2. d. 1. q. 2. art. 2. Aegidius in tractatu de esse, & essẽtia. q. 7. alijque nõnulli. Sed omissa opinionũ cõflictatione paucis rẽ expediemus. Aduertendũ verò est cõseruationẽ bifariã sumi: vno modo pro actione, qua Deus rẽ creatã per se immediatè cõseruat: altero, pro conseruatione, qua causæ secundæ nonulla entia à Deo creata, sed tamen ipsarum tutelæ commissa pro sua parte tuentur, vt, verbi gratia, forma materiam: hæc enim sic ab illius actu, perfectione neque dependet, vt si ab ea omnino destitueretur, nec eius operam

Conseruationem duobus modis sumi.

Deus nouo, vehementioriq́ue influxu compensaret, in nihilū esset recasura.

1. pronuntiatum. Hoc posito sit primum pronuntiatum. Conseruatio priori modo sumpta est idem re cum creatione. Probatur; Nam creatio, & huiusmodi conseruatio circa eundem terminum versantur: siquidem esse, quod Deus creando tribuit, identidem conseruando impertit.

Etiam nunc creari cœlos D. August. Quod vsque adeò verum est, vt D. Augustinus cap. 12. lib. 4. super Genes. ad literam, dixerit, etiam nunc cælestes orbes creari; videlicet, quia idem esse, quod initio temporis à Deo hauserunt, etiam nūc ab eodem continenter accipiunt.

2. pronuntiatum. Sit secundum pronuntiatum. Creatio & istiusmodi conseruatio non intrinseco, sed accidentario discrimine inter se dissident. Hoc pronuntiatum inde suadetur, quia conseruatio ita sumpta eo tantū differt à creatione, quòd illa tendat in esse rei iam præhabitum, siue in esse, quatenus connotat præhabitam sui possessionem; vel, si magis placeat, prout connotat negationem nouitatis: at creatio fertur in esse rei prout è nihilo confertur, absolute sumptum. Hæc autem siue negatio, siue vt Aegidius loco citato vocat relatio connotata non intrinsecam, sed accidentariam duntaxat differentiam constituit.

3. pronunt. Tertium pronuntiatum. Conseruatio posteriori modo sumpta non est idem re cum creatione. Hoc ex eo patet; quia nulla conseruatio potest esse idem re cum creatione præter eam, qua confertur esse ex nihilo, præhabitum tamen. At nullum agens creatum potest alicui rei esse ex nihilo conferre (intellige vt principale agens, & vi propria: quamquam possit à Deo tanquam instrumentum vltra naturæ suæ vim ad eiusmodi actionem diuinitus excitari.) Illustratur quoque idem exemplo formæ respectu materiæ. Nam conseruatio, qua forma materiam conseruat, & eiusdem materiæ creatio non possunt inter se re ipsa non distingui. Quod ita probatur. Forma catenus materiam conseruare dicitur, quatenus eam actuat: hæc verò actuatio non est aliud, quàm modus quidam, quo forma sese in materiam insinuat, seque illi donat, qui modus, vti in 2. libro disseruimus: est idem re cum forma: & ex consequenti realiter à materia dissidet, cùm alia res sit materia, alia forma. Quo patet conseruationem, qua forma materiam conseruat, distingui re tum á materia, tum à creatione, quę est idem re cum materia creata. Idem qnoque exemplo alio patefit. Etenim Deus in prima rerum molitione terram creauit: hanc verò cæpit mox cælum, vti & nunc facit, suo influxu conseruare: patet verò huiusmodi conseruationem distingui re ipsa à terra (atque adeò ab illius creatione) cùm cælum non aliter elementum terræ conseruet, quàm beneficas in eo qualitates producendo; quæ productio vt est idem re cum ipsis qualitatibus, ita oportet á terræ elemento, quæ ab illis re ipsa differt, realiter quoque distingui.

Forma quo pacto materiam conseruet.

Cęlestia corpora vt terrā conseruent.

QVAE-

QVÆSTIO II.

VTRVM CREATIO NATVRÆ LVmine cognoſci potuerit, & an eam Ariſtoteles cognouerit.

ARTICVLVS I.

POTVISSE NATVRÆ LVMINE COGnoſci, ac re ipſa cognitam fuiſſe.

Status quæſtionis. Conſtituitur pars affir.

NON quærimus de creatione rerum initio tẽporis exhibita, ſed de creatione abſolutè sũpta; num videlicet hæc innato rationis lumine abſque diuino afflatu cognoſci quiuerit. Cui dubitationi affirmate reſpondendum eſt cum D. Thom. in 2. d. 1. q. 1. art. 2. Henrico Gandauenſi quodlibeto 8. quæſt. 6. Alenſi 2. p. q. 6. art. 6. Scoto quodlib. 7. alijsque complurib⁹. Idem etiam magno conſenſu Patres docent. Atque inprimis D. Auguſtinus 11. de ciuitate Dei cap. 4. Exceptis, inquit, propheticis vocibus, mundus ipſe ordinatiſsima ſua mutabilitate, & mobilitate, & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie, quodammodo tacitus, & factum ſe eſſe, & non niſi à Deo fieri potuiſſe proclamat. Idem luculẽta oratione oſtendit D. Gregorius Nazianzenus oratione 2. de Theologia aiens. Quemadmodum ille, qui citharam affabrè conſtructam, & elaboratã conſpicit, eiusque concentum audit, ipsũ citharæ artificem, ac citharædum mente reputat, licet ſibi de facie ignotum: ita eum, qui mundi harmoniam percipit, mundum à diuino conditore, & architecto, quamuis ab eo non videatur, creatum intelligere. Idem confirmat D. Athanaſius in oratione contra idola, Throdoretus ſermone 2. de prouidentia, D. Dionyſius 7. cap. de diuinis nominibus, D. Damaſcenus 1. lib. de fide orthod. D. Gregorius Nyſſenus lib. de vita Moſis, Origenes lib. 4. contra Celſum, Euſebius lib. 7. de præparatione Euang. cap. 2. & alij.

Probatur cõſcenſu patrũ Auguſtin. Greg. Nazã. Athanaſ. Dionyſ. Damaſc. Greg. Nyſſ. Orig. Euſeb.

Id quoq; indicant ſacræ paginæ teſtimonia, vt illud Pauli ad Romanos. 1. inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta cõſpiciuntur. Et illud Sapientiæ 13. à magnitudine ſpeciei, & creaturæ poterat creator cognoſcibiliter videri.

Sacrę paginę teſtimonijs. D. Paul. Sapient.

Præterea ſuaderi poteſt hæc aſſertio ex eo, quia multæ ſuppetũt phyſicæ

Rationibus

physicæ rationes, quæ palàm ostendant habere Deum potentiam creandi: itemque mundum non à se; sed ab vno aliquo rerum principio & fonte habere esse. E quibus rationibus aliquot hoc loco in medium proferemus. Prima sit. Vt quæque res est, ita agit; sed Deus ita est, vt non aliunde pendeat, nec aliud quid ad suum esse præexigat; ergo similiter in agendo, nec præiacentem materiam, nec quicquam aliud requiret, aut supponet. Poterit igitur quamlibet rem creare, si velit.

1.ratio.

2.ratio. Secunda. Quo causa excellentior est, eo paucioribus eget adminiculis ad operandum; sed natura est nobilior, quàm ars; & Deus, quàm natura. Igitur cùm ars supponat rem compositam; natura verò materiam; Deus neutrum horum præexiget, atque adeò poterit res è nihilo producere.

3.ratio. Tertia. Esse diuinum, in quo diuinæ potentiæ ratio fundatur, est infinitum, cùm non sit ad aliquod genus entis limitatum, sed totius esse rationem omni ex parte completã in se cohibeat; igitur Dei potentia est infinita; atque adeò potest quidquid non implicat contradictionem: hanc autem creatio non implicat, potest ergo Deus aliquid creare.

4.ratio. Quarta. Cùm nihil præter Deum habeat esse omnibus numeris perfectum; sed imprefectioni admistum, & participatum: nulla creatura potest esse à se, ac proinde necessariò suũ esse mutuabitur à superiori causa, idest, à primo & perfectissimo ente, in quo ipsum esse, vt in primæua origine absolutè, & essentialiter inest: oportet igitur res omnes à Deo ortum ducere. Præterea earum rerum nonnullæ, vt intelligentiæ, vt materia prima, vt anima rationalis, nõ nisi per creationem produci possunt; cùm nequeant à causis secundis effici, nec fiant è præiacente subiecto, ergo & cæt. Quare potest naturali lumine creatio deprehendi: siquidem hæ rationes, quibus eam dari astruximus, citra diuinam fidem ipso ductu naturalis luminis inuestigari, atque inueniri queunt, vt consideranti planum erit.

Ac sanè quòd eam multi veterum Philosophorum re ipsa cognouerint, & celebrarint cõstat ex ijs, quæ refert Iustinus Philosophus & martyr in sua paræneſi, D. August. 11. de ciuitate Dei, c. 4. & lib. 12. cap. 17. Lactantius lib. 7. cap. 3. Eugubinus 7. de perenni philosophia à capite 3.

ARTICVLVS II.

QVOD VERISIMILIVS SIT ARISTOTELEM creationem agnouisse.

QVod tamen ad Aristotelem attinet, sunt qui creationem ignotam ei omnino fuisse contendant, asserantque nihil esse à Peripatetica doctrina magis alienum, & abhorrens, quàm ex-

existimare potuisse quicquam à Deo è nihilo fieri. Atque hanc fuisse Aristotelis mentē arbitrati sunt Eudemus, & Alexander teste Simplicio ad initium huius operis, Pletho in libro de ijs, quibus Aristoteles à Platone dissidet, cap. 1. Auerroes hoc in lib. comm. 4. Simplicius ad text. 6. in digressione contra Philoponum. Henricus Gand. quodl. 8. quæst. 9. Bessario lib. 2. contra Calumn. Plat. cap. 6. Gregorius Ariminensis in 2. dist. 1. quæst. 1. Marsilius quæst. 1. art. 2. & alij. Potest autem id inprimis suaderi; quia Aristoteles in 1. huius operis cap. 4. tex. 33. & sæpe alibi commendat ac tuetur tritum illud philosophorum axioma è nihilo nihil fit. Item, quia cùm de actione disserit semper ei subiectum aliquod substernit; vnde 5. Metaphys. c. 12. text. 17. potentiam actiuam definit potentiam transmutandi aliud, hoc est, variè afficiendi subiectū. Et de causa efficiente cū agit, vbiq; eam definit per motum; qui haud dubie subiectum præiacens requirit. Denique quia 2. Metaphys. cap. 1. text. 4. ait principia eorū, quæ semper sunt, idest materiam, & formam corporum cœlestium nō habere causam.

Assertores partis negatiuę. Eudemus. Alexander. Pletho Auerroes. Henricus. Gregorius.

Item Bachonus in 2 d. 1. q. 1 Abulesis ad c. 32. Deuter. q. 3.

Alij tamen contra sentiunt; nimirum Aristotelem creationē cognouisse, non eā, quam vocant cum nouitate essendi, qua scilicet Deus à primis mūdi originibus res produxit; sed qua ex æternitate, vt ipse putabat, vniuersum cōdidit. In his sunt Auicenna 9. suæ Metaphys. c. 4. D. Thomas hoc in libro ad tex. 4. Scotus quodlib. 7. & in 2. sent. dist. 1. quæst. 3. Albertus de quatuor coæuis quæst. 1. art. 1. Heruæus in tractat. de æternitate mundi quæst. 4. alijque complures. Ad hāc verò partem, quā verisimiliorem iudicamus astruendam, multa loca ex Aristotele, eaque illustria adduci possunt. In primis nanque 2. Rhet. cap. 23. asserit dæmones esse opus Dei, & in 2. de generatione cap. 10. tex. 58. ait Deum vniuersum omnibus suis numeris cōcinnè, & eleganter perfecisse, veram æternitatem ijs, quæ habere illam poterant, impertiendo. Et in 2. Metaphys. cap. 1. text. 4. docet primā causam esse cæteris causā, vt sint. Quo loco probè aduertit D. Thomas Aristotelem Deum non solùm motus, sed ipsarum etiam rerum, quæ motu cientur, causam fecisse. Præterea eodem lib. cap. 2. probat Aristoteles non dari progressum in infinitum in causis agentibus, sed tandem perueniendum ad vnam omnium rerum effectricem causam, idest, Deum. Rursus. 12. Metaphys. cap. 7. text. 38. ait cœlum, & naturam pendere à Deo: & cap. 8. text. 43. Deum absolutè principiū, primamque causam vocat. Ex quibus sanè locis deduci videtur non latuisse Aristotelem rerum creationem; Deumque efficientem mundi caussam esse.

Pars affirmatiua verisimilior.

Qui eam tuentur.

Loca, quibus eam Aristoteles statuere videtur.

Ammonius 1. de interpr. c. vlt. Cai. ad c. 5. de ēte & essētia q. 10. Sōc. 12. Metap. q. 15. & 16. Scaliger Exerc. 61. in Card. 1. quęst. 1. art. Argent. in 2. d. 4. q. Iuellus 12 Metap. q. 5.

Quæ verò pro contraria parte citantur vnam fere, eandemque explicationem habent, nempe loqui inibi Aristotelem non de diuina, sed de nostrate, naturalique actione, quæ fit cum transmutatione, & tempore: hac enim ex nihilo nihil efficitur; hæc subiectum antea existens deposcit. Vnde Auerroes 1. de cœlo cap. 3. text. 20. non dixit, inquit,

Respōsio ad rationes aduersariæ partis.

inquit, Aristoteles, non esse cœlũ generabile absolutè, sed hoc modo, quem vulgò dicimus, quippe & è contrario, & subiecto præexistente. Porro consueuit Aristoteles potentiæ actiuæ, & causæ efficientis vim more physico explicare, non quod nullam aliam potentiam, causamvè præter physicas esse putarit; cùm 9. Metaphys. cap. 1. text. 1. concedat aliam dari potentiam actiuam præter eã, quæ per motum agit; sed quod aliæ ex physicis facile innotescant. Ille verò locus ex cap. 1. lib. 2. Metaphys. aliter est interpretandus, vt sensus sit; Eorum, quæ semper sunt, idest, corporum cœlestium, & intelligentiarum, quæ nunquam intereunt, principia, hoc est, causam efficientem, finem, & exemplar, quod vtique est ipse Deus, non habere causam. Quo nihil verius; itaq; hic locus primæ opinioni magis obest, secundæ nihil omnino officit; quin ei potiùs suffragatur, cum nihil præter Deum à passiua causalitate excipiat.

QVÆSTIO III.

FVERIT NE MVNDVS EX ÆTERnitate procreatus, an non.

ARTICVLVS I.

QVID VETERES PHILOSOPHI in proposita quæstione senserint.

Antiquitatis consensus de noua mundi creatione.



OMNES pene philosophi, qui ante Aristotelis tempora fuere in eam sententiam conspirarunt, vt crederent mundum, sub ea saltem facie, rerum contextu, & absolutione, quam nunc habet, non ex æternitate, sed initio temporis constitisse. Ita nimirum sensit Trismegistus, è cuius fontibus vniuersa Græcia bibisse dicitur; ita Musæus, Linus, Epicharmus, Orpheus, Hesiodus, & Homerus, qui res diuinas poeticè scripserũt; ita Anaxagoras, Zoroastes, Melissus, Empedocles, Pherecides, Philolaus, Democritus, & Zareta Chaldæus, quem Pythagoras audiuit, & secutus dicitur, tametsi Tertullianus in Apologetico mundum Pythagoræ ingenitum dicat.

Lege Arist. 1. de cœlo c. 10. D. Thom. in 8. Dion. lect. 11. 12. rem. antiq. c. 2. & lib. 2. c. 1. D. Aug. lib. 18. c. 39. Genebrard. lib. 2. Chronolog. qui eum minus antiquũ facit.

Quidam Aristotelem cũ Platone i hac quęst. conciliare nititur.

Cæterùm quid Plato hac in re senserit, nec apud eius sectatores, nec inter Peripateticos omnino constat. Multi enim idem Platonẽ, & Aristotelẽ sensisse inquiunt, nec esse inter illos sententiæ, sed verborum disidium, itaque Platonem sempiternum fecisse mundum. Quòd si his obijcias Platonem disertis verbis in Timæo mundi ortũ asseren-

Vt Porphyrius, Iãblichus, Plotinus, Proclus, Apuleius, Alcinoꝰ, Cri tor, Simplicius, Taurus, Bessario.

asserentem: respondent Plotinus, & Proclus, (vt Alcinoi, Simplicij & aliorum explicationem omittamus) mundum ob id à Platone genitum dici, quod semper gignatur, fiatque à Deo, ceu lumen à sole. Alij, in quibus sunt Philo Iudæus Platonis simia, Laertius in vita Platonis. Cicero in Tuscul. quæst. Atticus, Seuerus, Plutarchus, Aphrodisæus, & alij mundi æternitatem prorsus negari à Platone arbitrantur. Quæ sane est germana Platonici dogmatis interpretatio, vt eius Timæum, Critiam, & libros de Rep. accuratius intuenti patebit: quã proinde Aristoteles hoc in libro, cap. 1. text. 10. de sui præceptoris mente esse, & ab ipsa Academia fluxisse nequaquam dubitauit. Licet quòd ad mundi materiam spectat, eam Plato infinitis seculorum ætatibus vltro citroque temerè discurrentem fecerit, tum Deum ex confusione illa deformi ipsam in pulchrum ordinem reuocasse, numerisque decentibus, & figuris eius partes vndique decorasse, atque ita demum mundum compegisse.

Vt D. Ambrosius, D. Aug. D. Iustinus martyr. D. Damasc. Clemẽs Alex. Theodoretus, Eusebius Cęs. Theophrastus, Septimius.

Sed frustra.

Platonis error de ęternitate materię.

Libet verò, quæ in hanc sententiam ab Heraclide Platonis discipulo tradita sunt hîc conscribere. Erat, inquit, olim mundus informis, & cœnosus, nondum discretis rerum notis integritatem suæ formæ adeptus. Nam neque dum tellus centrum suum pro fundamento rerum omnium stabilierat, neque cæli perpetuus motus certa sede voluebatur; sed omnia sine solis vsu immota, tristique silentio depressa languebant; aliud extabat nihil, quàm informis diffusæ materiæ segnities, antequam principium illud, à quo producta, & constituta sunt omnia, salubrem vitæ modum depromens mundũ mundo redderet, cælumque à terra, & pelagus à cõtinente distingueret. Quo tempore primum elementa quatuor, ex quibus ceu radice, ac generis principio nihil non gignitur, ordinem suum, & formam propriam acceperunt. Hæc ille. Lege Basiliũ homil. 2. Hexam. vbi hunc Platonicorum errorem de materiæ æternitate, quo etiam Pythagorici & Stoici imbuti fuere, credit occasionem sumpsisse ex verbis illis Geneseos, Terra autem inanis erat, & vacua, &c. quem errorẽ cõfutat Tertullianus aduersus Hermogenem, & Lactãtius lib. 2. cap. 9 Hoc igitur modo sese habuerunt philosophantium placita de mundi creatione; etsi alia quoque inter eos fuerint certamina dũ hi vnũ, illi plures, aut etiam infinitos mundos constituunt. Qua de re D. Augustinus. 18. de ciuitate Dei c. 41. & in libro ad Quodvultdeum de hæresibus, Theodoretus in libro de materia, & mundo, Cyrillus Alex. lib. 2. contra Iulianum, Clemens Alex. 5. stromatum, alijque complures.

Heraclides Platonis auditor.

Lege Alci. in lib. de doctr. Plat. c. 12.

Error Plat. de materię sempiternitate vnde ortus.

D. Clemẽs li. 8. recognit. D. Ambr. 1. Hexa c. 1 Plutarchus, in Sympos. Eugubinus lib. 7. de perenni Phil. Mirandula 1. d Examine vanit. c. 11.

Porrò Aristoteles à Platone discedens totum vniuersum ex omni æternitate fuisse palam docuit. Vnde apud Hierophontem sacerdotẽ duplici de causa accusatus dicitur, & quod in Lyceo vnũ Deũ docuisset cõtra patrios ritus de idolis & multitudine Deorũ: & quod mũdũ sẽpiternũ enũtiasset, quẽ initio tẽporis cõditũ tota Græcia putabat. Nõ desunt tamẽ, qui dicant Aristotelem hãc sibi sententiam

Aristoteles apud Hierophontem accusatus.

non, vt demonstratam omnino persuasisse; sed vt probabilem dialecticis rationibus agitasse, ac præsertim eos coarguere voluisse, qui mundum physico motu genitum asserebant: sic Aristotelis mentem interpretantur D. Thomas. 1. p. q. 46. art. 1. Albertus hoc lib. tract. 1. c. 1. Vdalricus in sua summa lib. 4. Argentinas in 2. d. 1. q. 2. art. 1. Adducuntur vero vt ita credant eo potissimùm argumento, quod Aristoteles. 1. Topicorum. cap. 9. problema dialecticum vocarit, Sit ne mundus æternus, an non.

Non videtur tamen hæc opinio cum Aristotelis mente congruere, qui in 4. & 8. huius operis. 1. de cælo. 2. de ortu & interitu. 12. Metaphys. ac denique vbicunque de mundi effectione disserit, eius æternitatem pugnaciter defendit. Quin verò magna pars eius doctrinæ, quæ apud ipsum de primæ causæ efficientia est, in eam vnam assertionem incumbit. Quapropter Aphrodisæus rogatus quid Aristotelis ipsi magis placeret, respondit se sententiam de mundi æternitate præ cæteris arripuisse, quod in ea sola videretur Aristoteles sibi constare. Neque officit quòd id Aristoteles inter problemata dialectica numerarit. Primùm quia sciebat complures sapientiæ nomine insignes viros contrariæ fuisse opinionis, quod ad rationem problematis sat erat. Deinde quia id non ex professo, sed exẽpli causa duntaxat pronuntiauit; in exemplis autem, vt 1. Priorum cap. 39. docet, non requiritur veritas.

Aristoteles mundi ęterni tatem pugnaciter defedit.

ARTICVLVS II.

QVOD MVNDVS INITIO TEMPOris à Deo productus sit, vt fides docet: & quo anni tempore productus fuisse videatur.

Conclusio. QVidquid tamen Aristoteles, alijue senserint; mundum non ex æternitate, sed initio temporis, Dei creantis imperio, ac voluntate productum fuisse docet fides orthodoxa, quæ à primæ veritatis luce descendẽs aduersantium sibi errores quasi nebulam discutit, omnemque altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei euertit.

Multis locis sacrarum literarum, & capit. Firmiter de summa Trinit. & fide Cathol. Virg. 2. G

Vberioris autem doctrinæ gratia duo hoc loco exponemus. Alterum, quo anni tempore videatur mundus à Deo fuisse conditus. Alterũ, an noua mũdi creatio physicis rationibus demõstrari possit. Quòd ad primũ attinet, Abulẽsis. q. 21. in 1. caput Geneseos, alijsq; in locis, Lyranus 1. & 7. Geneseos, & Exodi. 12. præterea nõnulli ex Hebræis, & è recẽtioribus Theologis, arbitrantur mũdũ Autũno cõditum, mense Septembri, Sole circiter in fine Virginis, vel in principio Libræ existente. Idem placuisse Aegyptijs indę conijci potest, quod

Sententia existimantium mundum Autumno ortũ.

quod tempore Mosis annum à Septembri inchoabant, vti refert Iosephus libro. 1. Iudaicarum antiquitatum. Quæ consuetudo non aliunde apud illos orta videtur, nisi quòd persuasum haberent eo mense mundi primordia fuisse. Vna è potissimis rationibus, quibus prædicti auctores nituntur (vt omittamus eas, quas è diuinis literis hausere) ea est, quia conueniens fuit arbores in statu perfecto, atque adeo cum fructibus iam maturis à Deo creari. Primùm quia Dei perfecta sunt opera. Deinde quia eiusmodi fructus tam primis nostri generis parentibus, quàm brutis animantibus ad alimentum mox dati sunt, vt constat ex 1. cap. Geneseos: cùm igitur mense Septembri arborum fructus maturi, & ad esum apti esse soleant; videtur sanè Deus eo mense arbores, totumque mundum produxisse. Adde quod si in nostro hemisphærio creatæ essent arbores verno tempore sequeretur nec Autumno eiusdem anni creationis mundi, nec aliorum insequentium annorum, debuisse arbores matures fructus apud nos habere, vtpote quos verno tempore maturos exhibuisset: cùm tamen secus accidere videamus.

Aegyptij annum à Septembri inchoabant.

Damascenus libro. 2. fidei orthodoxæ cap. 7. Leo Sermone. 9. de passione. Athanasius in quæstionibus ad Antiochum q. 17. (si eius est illud opus) Rabanus ad caput. 12. Exodi. Isidorus 5. Etymologiarum, cap. de temporibus. Augustinus in quæstion. veteris & noui testamenti. q. 106. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi. 14. Beda in libro de ratione temporum cap. 28. Ambrosius libro. 1. Hexameron cap. 4. Theodoretus quæst. 72. in Exodum, atque omnes pene scholasticæ Theologiæ professores asserunt procreatum fuisse mundum verno tempore mense Martio. Quod statuit etiam Synodus Palæstina coacta à Theophilo Episcopo Cæsarienfi ex mandato Victoris Papæ; eiusque decreti meminit Beda lib. cit. cap. 40. Neque hoc tantùm patribus visum fuit, sed antiquis etiam Astrologis, qui propterea Solatem motū à principio Arietis auspicabantur: & poetis, quorum inter Latinos princeps ita cecinit;

Mundū verno tempore creatum affirmāt Damascenus. Leo. Athanasius. Rabanus. Isidorus. Augustinus. Cyrillus. Beda. Ambrosius. Theodoretꝰ. Synodus Palęstina.

Virg. 2. Geor.

Non alios prima nascentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim: Ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebat flatibus Euri.

Ex his partibus etsi nulla omnino certis & indubitatis argumentis nitatur, multò tamen verisimilior est ea, quæ mundum verno tempore ortum affirmat, maximè propter doctorum, qui illam tuentur, multitudinem, & auctoritatem. Porro cùm non superiori tantùm, sed inferiori etiam hemisphærio, diuersis tamen anni mensibus, suum ver sit, suusque Autumnus, vt luce clarius est, dum mūdum verno tempore creatum dicimus, loquimur de verno tempore nostri hemisphærij.

Conclusio.

Quod verò ita res habuerit, ex eo oſtenditur, quia congruebat, vt mundo recèns nato optimum anni tempus largiretur Deus in noſtro hoc hemiſphærio, quod nobilius eſt & illuſtrius, vt ſyderum, quæ ad polum Arcticum fulgent, numerus, magnitudo, pulchritudoque demonſtrat. Tum maximè quia ſub eo condenda erat Hieroſolyma, præſentia Chriſti domini & myſterijs redemptionis noſtræ conſecranda; itemque ſub eodem erat futurum mundi caput Roma, ſanctitatis, fideique magiſtra, & Europa, vbi Chriſtiana Reſpublica præcipua ſemper dignitate floruit; ad quod veriſimile eſt Deum in conditione mundi reſpexiſſe.

Excellentia ſuperioris Hemiſphęrij.

Verni temporis encomiũ.

Eſſe autem vernum tempus anni totius optimum, palàm indicat eius amœnitas, temperies, & ad res gignendas, conſeruandas, atque ad incrementum prouehendas commoditas; cùm tamen Autumno defloreſcant paulatim omnia, & ad corruptionem tendant. In quam ſententiam ita ſcripſit D. Ambroſius cap. 4. libri primi Hexamer. Inde mundi capi oportebat exordium, vbi erat opportuna omnibus verna tẽperies. Vnde & annus mũdi imaginẽ naſcentis expreſsit, vt poſt hybernas glacies, atq; hyemales caligines ſerenior ſolito verni temporis ſplendor eluceat. Dedit ergo formam fructus annorũ curriculis mundi primus exortus; vt ea lege annorum vices ſurgerent, atque initio cuiusque anni produceret terra noua ſeminum genera, quo primum dominus Deus dixerat, Germinet terra herbã. Et paulo inferius, Decebat enim principium anni, principium eſſe generationis, & ipſam generationem mollioribus auris foueri. Neque enim poſſent tenera rerum exordia aut aſperioris laborem tolerare frigoris, aut torrentis æſtus iniurias ſuſtinere. Hæc D. Ambroſius. Quibus conſentanea inuenies apud Theodoretum quæſt. 72. in Exodum.

Ex D. Ambr.

Creatum mũdum menſe Martio.

Deinde creatum eſſe mundum menſe Martio, quod ſcholaſticæ hiſtoriæ magiſter in hiſtoria Geneſeos Eccleſiæ dogma eſſe affirmat, illud eſt argumento; quia Deus eo menſe Iſraelitas à ſeruitutis Aegyptiacæ iugo in libertatem aſſeruit, eodemque in vtero Virginis noſtram ſibi copulauit naturam; & hominum ſcelera profuſo in cruce ſanguine expiauit. Quapropter congruere videtur, vt eodem hominem atque adeò mundum produxerit.

Huius mẽſis prærogatiua.

Quòd verò ad ipsũ creationis mũdi diẽ attinet, Strabus, & Rabanus ſuper c. 12. Exodi aiũt fuiſſe decimũ octauũ diem Martij. D Hieronymus in libro de Eccleſiaſticis ſcriptoribus, & pleriq; alij aſſerũt fuiſſe diẽ vigeſimũ quintum eiuſdẽ menſis. Addũtque eodẽ die creatum eſſe mũdum, & Chriſtũ à mortuis reſurrexiſſe, atque adeò die dominico; quod etiã affirmat Leo põtifex in Epiſtola nona ad Dioſcorũ. Idẽque canit Eccleſia in hymno diei dñicæ: Primo dierũ omniũ (ideſt dominico) quo mundus extat conditus, vel quo reſurgens conditor nos morte victa liberat. Quare hæc ſententia amplectenda eſt.

Natalitiũ mũdi dies.

Ad

Ad ea, quibus ostendi videbatur mundum non vere, sed Autumno ortum; respondendum in primis Deum non in omnibus aboribus toto orbe (nec enim id operis perfectio requirebat) maturos fructus produxisse: sed pulchra varietate, arborũ alias floribus vernãtes, alias maturis, alias imaturis fructib⁹ onustas pro locorũ diuersitate creasse. Quod si vbiq; arbores maturos fruct⁹ exhibuere; atque adeò in multis regionibus, vt in ijs, quę pertinẽt ad nostrũ hemisphęrium, præter pprij soli, cœliq; naturã; id sũmi parentis indulgentia in gratiã recens nati mũdi effectũ est. Et verò vbi id contigit, dicendũ vt proximo Autumno eiusdem anni, alijsque sequẽtibus maturos fructus arbores haberent, seruatas tunc diuinitus fuisse cum primis illis fructibus vsque ad Autumnum. Quod mirandum non est, cùm illos etiam supra naturæ ordinem diuino imperio extulissent. Vel dicendum eiusmodi arbores à principio simul habuisse alios fructus maturos, qui ante Autumnum deciderunt; alios immaturos, qui Autũno maturitatem assecuti sunt; atque inde annis sequentibus ordinariã germinandi & fructificandi legẽ toto orbe pro locorum ingenio, & varietate seruatam.

Resp̃sio ad argumenta contrarię pars tus.

Varię sẽtẽtię de statu arborũ, quas Deus initio mundi procreauit.

ARTICVLVS III.

NOVAM MVNDI CREATIONEM non posse Physicis rationibus demonstrari; licet ad eam suadendam probabilia argumenta suppetant.

Item Bassolius in 2. d. 1. q. 5. & Rabbi Moyses li. 2. c. 17.

AD id verò, quod secundo loco explicãdum proposuimus, videlicet vtrum secluſa fide, mundi nouitas pnysicis rationibus demonstrari possit, respondet D. Thomas 1. p. quæst. 46. ar. 2. & lib. 2. contra gent. cap. 38. & Capreolus in 2. dist. 1. quæst. 1. art. 1. non posse. Quod item asseruit D. Gregorius homilia in Ezechielem prima. Et rectè quidem; cùm spectato solo naturæ lumine nulla ratio adduci queat, quæ id palàm conuincat. Quod intellige de creatione mũdi absolutè sumpta. Nam mundum ab æterno fuisse eo modo, quo putauit Aristoteles, omnino improbabile est, videturque id firmis, ac perspicuis argumentis confutari. Quã de re in progressu.

Mundum, vt putauit Aristoteles, non potuisse ęternum esse.

Cæterum ad quãlibet mundi creationem ab æterno, tam Aristotelicam, quàm aliam quãcunque refellendam, nonnulli verisimiles quasdam rationes afferre solent. Primùm quia, vt superiùs diximus, & Aristoteles tum hoc loco, tum. 1. de cœlo ca. 10. tex. 102. fatetur, omnes propemodum antiquitatis philosophi Vniuerso exordium dedere; ita vt huiusmodi assertum à primis mundi incolis per manus traditum, ac posteris commẽdatum fuisse videatur. Similia verò argumen-

Rationes probabiles ad mundi nouitatem suadendam.

1. ratio. A communi hominũ consensu.

gumenta à tã graui, & vnanimi sapientum auctoritate, quasi ab ipsa naturæ voce sensuque veritatis ducta, per magnum habere solent in philosophia momentum, vt Aristoteles in libro de diuinatione per somnia & lib. 7. Ethic. fatetur.

2. ratio. Ab artium inuentione.

Secundò. Quia constat qui qua ætate floruerint artium inuentores; vt legere est apud D. Athanasium in oratione contra idola, Clementem Alexandrinum 1. Stromatum, Iosephum 1. antiquitatũ c. 2. Heliodorum lib. 2. Strabonem vltimo Geographiæ, Plinium lib. 7. Natur. hist. cap. 56. Polydorum in libro de inuentione rerum, Diodorum lib. 2. antiq. cap. 2. & alios. Non est autem probabile infinita antecedentium annorum serie absque artibus vixisse genus hominũ, quod teste Aristotele 1. Metaph. cap. 1. arte viuit & ratione.

3. ratio. Ab historijs antiquorũ tẽporum.

Tertiò. Quia si antiquitatis memoriam excutiamus, omnia, quæ Gentiles historici prodiderunt, Noetico diluuio recentiora esse inueniemus. Nam Berosus Chaldæus, cuius historia vetustissima habita fuit, à diluuio exorsus est, vti Iosephus 1. libro contra Apionẽ obseruauit. M. Varro diligentissimus originum scrutator nihil cataclysmo Ogygis antiquius retulit: at Ogyges fuit synchronos Patriarchæ Iacob. Trogus Pompeius sumpsit exordium à Nino, qui annis post mundi creationem nongentis & mille monarchiæ Assyriorum, quæ omnium prima fuit, iecit fundamenta. Hinc ergo ad probandam mundi nouitatem ratio ducitur; cùm rerum, quas historici prodiderunt, initia inueniantur. Vnde & Lucretius libro quinto sui poematis.

Præterea si nulla fuit genitalis origo
Terrarum & cœli, semperque æterna fuere;
Cur supra bellum Thebanum, & funera Troiæ
Non alias alij quoque res cecinere poetæ?
Quò tot facta virum toties cecidere, nec vsquam
A Eternis famæ monumentis inclyta florent?

Quorundam responsio.

Hisce rationibus occurrunt assertores æternitatis, hominum memoriam, artes, & scripta vicissitudine quadam infinities vnà cũ hominibus aqua ignique perijsse. Aiunt enim eluuiones, & deflagrationes terrarum, certis annorum curriculis accidere solere: eluuiones quidem planetarum humidorum coniunctione in signis pluuialibus; deflagrationes coniunctione calidorum in signis calidis: sicq; renouationes mundi identidem fieri, ac rerum per vices antiquum redire ornatum. Verùm hæc responsio non satisfacit, quia licet alioquot prouinciales cataclysmi extiterint, vt Niliaca, Attica, Thessalica; licet etiam interdum excitato in materia sulphurea subterraneis locis incendio, aliqui terrarum tractus perierint; fictitium tamen est existimare vllam esse in natura vim, quæ toti terræ inundationem, aut incendium possit inuehere, vt lib 1. Meteororum cap. 14. Aristoteles animaduertit.

Confutatur.

Lege Senec. l. 6. Nat. quæst. c. 27 & 29. Tullii 2. de nat. deorum.

Po-

Postremò quod mundus non fuerit ex æternitate, probare contendunt nonnulli indicio decrementi humanorum corporum. Etenim vt D. Augustinus 15. de ciuit. Dei cap. 9. D. Cyprianus aduersus Demetrianum. Plinius lib. 7. Nat. hist. cap. 16. Aulus Gellius lib. 3. Noct. Attic. cap. 10. alijque scriptores testantur, quò magis ætatũ decursus præterit, eò minora corpora fert natura. Quod Homerus iam olim Iliados 6. conquestus est, & Iuuenalis satyr. 15. hisce versibus. 4. ratio. A decremento corporũ. D. Aug. D. Cypr. Plin. Homer.

Terra malos homines nunc procreat, atque pusillos;
Ergo Deus quicũque aspexit, ridet, & odit.

Quare si homines ab æterno extitissent; decrescente paulatim eorum magnitudine, iam ad minimam quantitatem deuenissent.

Hæc aliaque eiusmodi argumenta (quorum nonnulla refert & dissoluit S. Thomas 1. p. q. 46. art. 2. & Philo Iudæus in libro de incorruptibilitate mundi, si eius est illud opus) non nihil probabilitatis conciliant sententiæ de nouitate mundi, solius naturæ lumine spectato, quæ alioqui prout Catholicæ fidei testimonijs innititur, certissima est.

QVÆSTIO IIII.

QVOPACTO DILVENDÆ SINT PHILOSOPHORUM RATIONES PRO MUNDI ÆTERNITATE.

ARTICVLVS I.

RATIONES ARISTOTELIS.

QVoniam tam Aristoteles, quàm alij, qui mundi æternitatem astruere conati sunt, à veritate aberrarũt, potissimas eorum rationes colligemus, ac refutabimus hoc loco.

Prima ratio Aristotelis hoc in libro c. 1. tex. 4. ita se habet. Si motus non fuit ab æterno, sed aliquis primus motus extitit; vel mouẽs & mobile, à quibus ille fuit causatus, cœperunt esse, vel semper fuere: si cœperunt esse; ergo per aliquam generationem, & motum. Quare iã ille motus, qui antea primus dicebatur, non fuit primus. Si autem semper fuere, absurdum est sempiterno tempore neque vnum mouisse, neque alterum fuisse motum; præsertim cùm nulla ratio assignari queat, cur postea motum inierint. Semper igitur fuit motus, atque adeo & rerum vniuersitas. 1. ratio. A natura mobilis.

Secunda ratio ex eodẽ capite tex. 10. Tempus est æternũ: ergo & motus. 2. ratio

A ratione prioris & posterioris.

motus. Probatur assumptum. Nam si tempus habuit initium, priùs non fuit, posteriùs deinde cœpit esse: atqui ratio prioris & posterioris non datur absque tempore: ergo antequam esset tempus iam tempus erat. Quare admitti debuit semper fuisse tempus.

3. ratio. A natura momenti.

Tertia ratio ex eodem capite tex. 11. Nullum tempus est absque momento; sed omne momentum est finis præteriti, & exordium futuri: igitur nullum tempus fingi potest, ante quod non sit aliud, & post quod aliud non sequatur. Tempus igitur sempiternum est.

4. ratio. A consequentia necessaria motuum.

Quarta ratio ex eodem capite tex. 12. Si motus esset habiturus finem daretur aliquis motus posterior vltimo, quod repugnat; ergo motus non retro solum, sed etiam antè infinitus est. Assumptū probat, quia adhuc post quemlibet motum manebit aliquod mobile, & mouens à quo moueatur; atque adeo eum motum, qui extremus dicebatur, alius subsequetur.

5. ratio. A ratione ordinis.

Quinta ratio ex cap. 2. à tex. 15. Deus & natura in omnibus rebus ordinem amant; at infinito quasi tempore non fuisse motum, deinde cœpisse esse, est præter ordinem; quia ordo consistit in proportione; infiniti vero ad finitum nulla est proportio: ergo motus nunquā cœpit, sed perpetuò fuit.

6. ratio. Ab immobilitate primi agentis.

Sexta ratio ex cap. 6. tex. 53. Idem eodem modo se habens semper idem efficit: cùm igitur primus motor idē semper, atque immutabilis sit, vel semper motum edidit, vel nunquam, sed hoc posterius est aperte falsum: prius igitur verum est. Simile argumentum legitur etiam lib. 12. Metaphys. cap. 6. tex. 30.

7. ratio. A lege, quam Deus & natura in operando seruant.

Septima ratio ex cap. 7. tex. 56. Deus & natura ex posibilibus efficiunt id, quod est melius; atqui melius est motum cœli continuū, & æternum esse; quia quemadmodum præstat esse, quam non esse, ita præstat semper fuisse, quàm cœpisse esse. Igitur motus cœli est continuus & æternus.

ARTICVLVS II.

ALIORVM ARGVMENTA.

Quoniam Proclus, Simplicius, Auicenna, & Auerroes, Aristotelis de mundi æternitate sentētiam tuendam suscepere, præcipua eorum argumenta profliganda à nobis sunt. Sic igitur argumentabantur. Mundus Archetypus, ideſt exēplar mundi quod in mente diuina existit, est vnum & æternum; sed Deus sicuti in Timæo non semel Plato dixit, efformauit mundum hunc, qui sub sensum cadit, tanquam diuini exemplaris perfectissimam imaginem; ergo sicuti ipsum & singularem, & vnigenam fecit; ita sempiternum facere debuit; alioqui perfecta imago non esset; quia suum exemplar, nec perfectè, nec appositè exprimeret.

1. argum. Mundus Archetypus. Plato.

Secun-

Secundò. Nihil bono magis propriũ est, quàm se diffundere; sed Deus ex sua essentia, atque infinitè bonus est; ergo maxime decuit, vt alijs rebus suam bonitatem diffunderet, & cõmunicaret. Non videtur autem consentaneum, vt hanc communicationem distulerit; sẽper igitur eãexhibuit, atq; adeò ab æternitate res produxit. Corroboraturq́, huiusce argumẽti vis; quia ignis si materia adsit, nec quicq̃; obsit, illicò vim suã vrendo promit, idq́; in eius perfectionẽ cedit. Quare par erat, vt Deus ab ipsa æternitate potentiã creatricẽ effectu explicaret; cùm id, quod perfectionis in rebus creatis est nequaquã ei denegandum sit. Huc etiam pertinet, quod amplioris munificentiæ est quoduis donum citiùs, quã seriùs elargiri; & quod tarda gratia ingratum facit: & quod omnis res, quæ dando non deficit; dum habetur & non datur, non videtur haberi quomodo habenda est. 2. arg.

Tertiò. Aut Deus voluit mundum creare, & non potuit: aut potuit, & noluit: aut neque potuit, neq; voluit: aut & voluit, & potuit. Si voluit & non potuit, imbecillis est: quod in Deum non cadit. Si potuit, & noluit, inuidus: quod æque alienum est à Deo. Si neque voluit, neque potuit; & inuidus, & imbecillis est; ideoque nec Deus. Si voluit, & potuit, quod solum Deo competit, sequitur Deum ab æterno mundum creasse; ergo &c. 3. arg.

Quartò. Sicut se habet voluntas noua ad actionem antiquam; ita voluntas antiqua ad actionem nouam: atqui voluntas noua non potest esse causa actionis antiquæ; ergo nec voluntas antiqua actionis nouæ causa erit; proindeque ab ęterna Dei voluntate non nisi æternus effectus progredi potuit. 4. arg.

Quintò. Vel Deus initio temporis creare cœpit, propterea quod ei præterita operis vacatio displicuit: vel quia fortuitô, & improuida temeritate in mundi fabricam incurrit: sed in Deum neque sui displicentia, neque fortuna, aut temeritas locum habentinõ igitur creare aliquãdo cœpit; cũ antea nõ crearet; atque adeo ab ęterno creauit. 5. arg.

Sextò. Id, quod semper fuit, & per suam essentiam causa est, vt aliquid fiat, non potest esse causa, vt sit actu id, quod antea potestate tantũ erat; sed Deus semper fuit, & per suam essentiã est causa rerũ; ergo non potuit efficere, vt, quæ antea nõ existebant, inciperẽt esse. Quare nisi res ab æterno creasset, creare eas postea nequisset. 6. arg.

Septimò. Nulla idonea ratio afferri potest, cur si mundus cœpit esse, non priùs posteriùsue conditus fuerit. Cùm igitur Deus absque optima ratione nihil faciat, dicendum potiùs erit mundum ex omni æternitate fuisse ab eo conditum, quàm initio temporis cœpisse. 7. argum.

ARTICVLVS III.

DISSOLVVNTVR RATIONES Aristotelis.

Hæc, aliaque eiusmodi, quæ homines cœlestis disciplinæ, & fidei lumine dstitutos in eũ errorẽ induxerũt, vt putarint mũdũ nõ potuisse nõ esse ab æterno, si humana ratio confutare nesciret,

Regula fidei tribunal veritatis

ad fidei regulã, vt ad tribunal veritatis prouocare deberet, sed potest ea humana ratio, & quidẽ facili negotio cõfutare, & diluere. Igitur ad primã rationẽ Aristotelis cõcessa maiori propositione dicẽdũ mouens, quod nõ est Deus, v, g, intelligẽtiã, & mobile, vt orbẽ cælestẽ, cœpisse esse, nõ tamẽ per generationẽ & motũ, sed per creationẽ, quę nec motũ, nec generationẽ prærequirit.

Solutio primę rationis.

Sol. 2.

Ad secũdã negãdũ est antecedẽs, & ad eius probationẽ respõdẽdũ cùm dicimus priùs nõ fuisse tẽpus, sed postea cœpisse esse, illud, priùs, nõ importare differẽtiã tẽporis veri, & realis, sed imaginarij tantùm, quod suo modo semper fuit, sicuti & imaginarium spatium.

Tẽpus & spatium imaginaria sẽper fuere.

Sol. 3.

Ad tertiã cõcessa maiori negãda est minor, quæ ab Aristotele non probatur, sed in ea, vt ãnotauit D. Thomas. 1. p. q. 46. art. 1. supponitur perpetua ãtecessio, & consecutio temporis, quæ probanda erat.

Sol. 4.

Ad quartã dicẽdũ in primis motũ nõ õnino in natura rerũ vnquã desiturũ. Nam etiã post vniuersalis iudicij diẽ nõ solũ Angeli, sed etiã homines beati loco moueri poterũt, si velint, & inferorum ignis corpora eorũ, qui sẽpiterno supplicio addicti erũt, aduret, & denique circa intellectrices substãtias aliquæ visẽtur mutationes: licet eæ omnes perire etiã õnino possẽt denegãte Deo cõmunẽ cõcursũ, sine quo creatura omnis in nihilũ abiret. Dicẽdũ præterea posse esse, req; ipsa futurũ motũ vltimũ aliquorũ corporũ, vt elemẽtorũ, & sphærarũ cælestiũ, quæ post diẽ vniuersalis iudicij immortalitate, & quiete perpetua fruẽtur, inhibito videlicet eo, qui nũc est, naturæ cursu, & sublunari natura ab interitu in posterũ vindicata eius beneficio, qui vt initio tẽporis nouũ mũdũ cõdidit, ita in fine tẽporis noua faciet omnia. Neque verò absurdũ erit manere mobilia, & ea, quæ mouere illa possẽt, nec tamẽ dari motũ, ita vniuersitatis principe & auctore deo disponente propterea quod in illo mundi statu ita conueniat.

Etiam post diem iudicij aliqui motus erunt.

De hac redoctores in 4. d. 48.

Apoc. 21.

Sol. 5.

Ad quintã admissa propositione negãda est assũptio, & ad eius cõfirmationẽ dicendũ, esto finiti ad infinitũ nulla sit proportio; & ordo rerum naturalium magna ex parte in proportione consistat, Deum tamen qui naturæ legibus non astringitur, cùm ab æterno motũ esse noluit spectasse aliam ordinis rationem, quam sciebat ipse, & ob quã mundũ potiùs initio tẽporis, quã ex æternitate procreare cõueniebat. Itaque nõ fuit præter diuinũ ordinẽ post infinitũ tẽpus imaginariũ cœpisse motũ. Qua de re in progressu plura.

Non absque ordine creasse Deum mũdũ initio tẽporis.

Sol 6.

Ad sextã dicimus idẽ eodẽ modo se habẽs semper facere idẽ, si operetur necessitate naturæ, quopacto non operatur Deus, sed omnino libere.

Lege quęst. 5. huius capitis secundi.

Sol. 7.

Ad septimam dicendum naturam facere optimum, quod potest; at motus sempiternitatem non esse opus solius naturæ, sed simul etiam mouentis libere. Deum verò non absolutè facere optima, cũ possit

posſit in infinitum meliora facere; licet ſemper faciat id, quod ſpectatis omnibus circūſtantijs magis cōuenit: fuiſſe autē magis cōueniens, vt mūdi creationē initio tēporis moliretur, vti mox dicemus.

ARTICVLVS IIII.

DILVVNTVR ALIORVM ARGVMENTA

ALiorum verò argumenta hunc in modum explicanda erunt. Primum ita. Mundus hic è diuinæ mentis Archetypo deprom ptus fuit, ſuūque exēplar perfecta imitatione exprimit; perfecta inquā, non ſimpliciter, vt D. Thom. prima parte quæſtione 47. ar. 1. obſeruat; ſed quatenus talis eſt effectus, qualē ſe illū Deus ꝓducturū diuina arte cōceperat. Neq; ꝓptereà æternus eſſe debuit, quia eius idea ab omni æternitate fuerat; cū illū Deus nō niſi initio tēporis fabricare decreuiſſet. Quēadmodū vt quoduis artefactū creati artificis typū imitetur; nō neceſſe eſt, vt typo coæuū ſit, ſed vt ipsū referat, eiq́ue ſecundum formam reſpondeat. Deniq́ue ſi propoſita ratio momentum haberet, neceſſum foret mundi fabricam, ſicuti & diuinam eius ideam, corporeæ molis expertem eſſe, vt rectè argumētatur Iuſtinus Philoſophus in quæſtionibus ad gentes. q. 8.

Vt mundus diuinū Archetypum imitetur.

Iuſtinus Philoſophus.

Solutio ſecūdi. Maximè propriū sūmi boni eſt ſeſe cōmunicare; hæc tamē cōmunicatio erga creaturas, cū omnino libera, & ſpōtanea ſit, potuit eā Deus quādiu voluit, differre. Nec enī vlla neceſſaria ratio poſcebat, vt æterna eſſet: nec habet ſe ad creaturas Deus, quēadmodū ignis ad ſtupā; qui propterea quod neceſsitate naturæ agit, nō poteſt nō adhibita materia actionē edere. Neque verò cōmunicare ſe alijs rebus ita illas efficiēdo, vt nō poſsit nō efficere, eſt perfectio ſimpliciter; ſed perfectio quædā imperfectioni admixta; ſiquidē abſq; libertate & delectu operari imperfectionē arguit; quæ imperfectio in Deū cadere nō poteſt. Neq; diuinā liberalitatē dedecebat creationis beneficium differre. Etenim ad liberalem pertinet ordinate dare; nō autem citò dare, ſi beneficium differre magis conueniat: conueniebat autem, vti mox dicemus, differri mundi creationem.

Communicatio diuina erga creaturas libera.

Liberalitatis eſſe ordinate dare.

Solutio tertij. Potuit Deus ab omni æternitate mundū cōdere eo modo, quē progreſſu explicabimus, ſed noluit; non quòd eū aut poteſtas deficeret, aut inuidia retardaret, ſed quia illū ſuæ diuinæ ſapiētiæ cōſilio nō niſi in tēpore producere decreuerat. Poſsūt autē huius diuini cōſilij rationes aliquot à nobis afferri. Primū, quia, vt D. Tho. 2. cōtra gēt. c. 38. ait ex noua mūdi creatione cōſpicuū fit Deū neque naturæ neceſsitate agere, neque vllius rei indigere, ſed ſe ipſo beatū eſſe. Deinde, quia ſic faciliùs innoteſcit rerum dependentia à Deo: ſiquidem id, quod non ſemper exiſtit, palā eſt habere cauſam, à qua fluxit, quod in re ab æterno procreata minùs eluceret.

Cur Deus nō ꝓcrearit mūdum ex æternitate.

ege D. Tho. p. q. 46. ar. 3. d 6.

Quo pacto æterna Dei voluntas potuit eſſe cauſa nouę ꝓcreationis rerum.

Solutio quarti. Sicut voluntas noua, ideſt, quæ nūc cæpit eſſe, nō poteſt edere actionem antiquā, ideſt, quæ iam fuit; quia omnis cauſa ſaltem natura antecedit effectum: ita voluntas antiqua, ſeu quæ iā

esse desijt, non potest elicere actionē nouā, idest actionē; quæ nūc esse incipit: quia id, quod nullo modo est, nequit per se efficere, quod nūc fit. Nihilominus volūtas Dei antiqua, siue, quæ ab omni æternitate semper fuit, semperque est; potest esse causa nouæ actionis, siue nouæ procreationis Vniuersi. Nec mirum, quòd voluntas diuina producendi mundum semper extiterit, nec tamē semper mūdus fuerit; sic enim Deus ab æterno voluntatē habuit mundū procreādi, vt nō habuerit voluntatē eum procreandi ab æterno. In quā sentētiam ita scribit Hugo Victorius. 1. de Sacramētis parte 2. c. 10. & 11. volūtas æterna fuit, & opus voluntatis æternū nō fuit, semper enim voluit, vt faceret, & nō voluit, vt semper faceret: sed vt aliquādo faceret, quod semper voluit, vt faceret aliquādo. Itaque æterna bonitate semper voluit, & æterna sapientia semper dispōsuit, quod æterna potestate aliquando facit. His similia leges apud D. Isidorum lib. 1. de summo bono.

Hugo Victorius.

Isidorus.

Solutio quinti. Deus sua præcellenti bonitate adductus initio tēporis effectricē potētiā ad rerū procreationē applicuit: nō quòd eū suæ absque initio vacationis pænituerit; nec quòd casu, aut fortuita incōstantia in mūdi structurā inciderit; sed quia cùm ei sua æterna placuisset quies, placuit initio tēporis mundi opificiū, æterna mēte conceptum, exterius efformare; idque sine noua cogitationis mutatione. Nouit enim quiescens agere, & agens quiescere, potestque ad actionē nouā; non nouū, sed sempiternū adhibere cōsilium, vt proxime dicebamus, docetque D. Augustinus. 12. de Ciuit. Dei cap. 16. Quem etiam lege libro. 11. confess. à cap. 10. & D. Athanasiū in oratione. 2. contra Arianos.

Quomodo Deo nulla sui mutatione aut inconstātia denuo mūdum creauit.

Augustinus. Athanasius.

Solutio sexti. Deus per suam essentiam est causa rerum, nō quasi existentiam diuinæ essentiæ, aliarum rerū existentia necessariò cōsequatur; verū, quia non per aliquid sibi additum, sed per suam potentiā, quæ est idem re cum eius essentia, res producit; libere tamē, atq; interueniēte externa actione, vt fuit à nobis superius explicatū.

De hac re disputat D. Bonau. in 1. d. 44. q. 3.

Solutio septimi. Ridicula quæstio est, qua quæritur; cū Deus mūdum initio temporis condere statuisset, cur eū nō prius, posteriusve condiderit. Sicuti ridiculū est scisitari cur nō plura, maiorave corpora fecerit. Nā cū illa quātacūque fierent, oporteret esse finita, semper eadē quæstio in termino cogitationis hærebit, desiderio finis alterius, sēperque rogandū supererit, cur Deus nō ampliora fabricarit. Eodē ergo pacto futile, ac vanū est, inquirere cur Deus tunc potius, quàm antea, posteaue mundū crearit; siquidē quocunque vel tēpore vel initio tēporis creasset, eadē esset quæstio occursura. Dicēdū igitur ideo tūc Deū ꝓduxisse mūdū, quia tūc voluit, tūcq; occulto suę sapiētiæ cōsilio, nō sine optima ratione, licet nobis ignota intra regios diuinæ Sapiētiæ thesauros recōdita, se illū ꝓducturū decreuerat. Quæ sane respōsio terminat oēs cōtrouersias quærētiū mūdi originē. Deniq; hoc argumētū luculenta oratione diluitur apud D. Clemētem. 8. lib. recognitionū, & à D. Aug. 11. de ciuit. Dei c. 5.

Futilis quæstio cur Deus nō antea mūdū cōdiderit.

D Clemens. D. August.

QVAES-

QVÆSTIO V.

VTRVM DEVS NATVRÆ NECESsitate mundum procrearit.

ARTICVLVS I.

NEGANTEM PARTEM QVÆSTIOnis omnino veram esse.

Dur. in 1. d. 43 q. 4.

PRO explicatione huiusce controuersiæ animaduertendum est, aliquid agere ex necessitate naturæ, esse ita agere, vt non possit nõ agere. Quod bifariam contingit; vno modo, quia agens solo naturæ impetu citra omnem intellectus, & voluntatis actum, in rem fertur, vt ignis cũ calefacit. Altero, quia etsi per intellectum & voluntatẽ agat, non tamen ex delectu & libertate operatur, sed ita, vt actionem suspendere, aut inhibere neutiquam valeat: sicque Pater in diuinis per actum intelligẽdi generat filium; Pater & Filius per actum amãdi spirant Spiritum Sanctũ. Hoc posito nemo vnquam Philosophorum vsque adeò hallucinatus est, vt putarit Deum agere ex necessitate naturæ priori modo; cùm omnes diuino numini intellectum & voluntatem attribuerint. De posteriori tamen non parua inter eos dissensio fuit, alijs opinantibus Deum liberè, alijs necessariò mundũ procreasse. Quæ cõtrouersia profliganda hoc loco à nobis est. Ac primũ pro hac secũda quæstionis parte ita licebit argumẽtari. Quicquid Deus agit, ex necessitate agit; igitur De9 necessariò mũdũ produxit. Antecedens probatur, quia si Deus non ageret ex necessitate; ageret ex contingenti, quod admittendum non est, cùm contingentia mutabilitatem & inconstantiam importet, à qua omnis diuina operatio longe abest. Secundo. Confirmatur idem antecedens hunc in modum. Quicquid Deus scit, necessariò scit; ergo quicquid vult, necessariò vult. Consecutio ostenditur, quia non minus Dei voluntas, quàm Dei scientia, vna eademque res sunt cum essentia diuina, in quam nulla prorsus mutatio, aut varietas cadere potest. Huc etiã pertinet, quòd actus interior, quo Deus efficere extra se quidpiam vult, est perfectio diuina, quæ cùm Deo abesse nequeat, necessum erit velle Deum alia à se producere: proindeque necessitate naturæ mundum creasse.

Agere ex necessitate naturę bifariam accipitur.

Argumenta, quib9 videtur ostendi Deũ agere ex necessitate naturæ.

In hac quæstione primùm quid sentiendum sit; deinde quid in ea senserit Aristoteles explicabimus. Quod ad primum attinet, asse-

Conclusio.

rendum

Probatur testimonijs diuinis. Psal. Apoc. Paul. ad Heb.

rendum omnino est Deum nulla naturæ necessitate, sed liberè mundum produxisse: id quòd fides Catholica multis sacræ paginæ testimonijs docet, vt psalm. 134. Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit. Apocalypsis 4. Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erãt, & creata sunt; & cap. 1. epistolæ ad Ephesios, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Quæ loca non solùm indicant Deum voluntate & intellectu pollere, sed etiam liberè, suoque arbitratu operari.

Rationibus.

Confirmatur verò idem à D. Thoma 2. contra gent. cap. 23. & in quæst. de potentia q. 3. art. 15. hunc in modum. Inprimis Deum agere per intellectum & voluntatem de quo, vt supra diximus, nec Ethnici Philosophi dubitarunt (etsi inter eos omnium primus Anaxagoras pronuntiarit diuinum intellectum esse causam efficientem rerum omnium, vt Aristoteles 1. Metaph. cap. 3. & Plato in Theet. referunt) confirmatur inquam in hunc modum. Primo agenti debetur prima perfectissimaque operatio, sicuti primo mobili primus, ac nobilissimus motus: sed operatio ab intellectu & voluntate manans longè præstat actioni naturæ; ergo ea in primum agens, proindeq; in Deum competit. Præterea, ordinare, vt constat ex 1. Metaphys. cap. 2. est munus & officium sapientis; quod certe exhiberi non potest, nisi ab eo, qui rerum inter se proportionem, & habitudinem norit, ametque. Cùm igitur in rerum vniuersitate tanta ordinis elegantia, & pulchritudo eluceat; plane sequitur mundũ ex præscripto diuinæ sapientiæ, & diuini amoris effectu, atque adeo intellectu & voluntate fuisse creatum.

Ordinare munus sapientis.

Deinde quòd Deus non necessariò, sed omnino liberè mundum produxerit, & vniuersim, quòd extra se nihil nisi sponte sua, ac libere agat, ita ostenditur. Cùm Deus summe bonus, atque infinitè perfectus sit, omnem boni & appetibilis rationem in sua essentia inuenit, & vt etiam Aristoteles fatetur 2. Magnor. moral. cap. 15. & 7. Polit. cap. 1. non indiget aliqua externa re; sed ex sua natura, ac per se ipsum felix est & beatus; ergo diuina voluntas nihil extra se necessariò appetet, proindeque nullam creaturam ex necessitate producet. Item Deus propriã amando bonitatem vult alia à se, prout illa diuinum esse suo modo adumbrare, & participare valent; igitur cùm diuinum esse infinitis modis participari queat; si Deus ex eo, quod suam bonitatem necessariò amat, necessariò vellet creaturas existere; cùm nulla ratio sit, cur has potiùs, quàm illas, cur plures, quã pauciores esse velit; vtique totam suam vim infinitam ad eas procreandas funderet; sicque essent actu in rerum natura infinitæ; quod tamen à vero longè aberrare cõstat ex ijs, quæ 3. huius operis disputata sunt. Præterea quicquid perfectionis est in rebus creatis, id totum necesse est in Deo excellentiori modo contineri: sed liberum arbitrium est vna è maximis perfectionib⁹ naturæ intellectiuæ, erit igitur in Deo, atq; ita liberè Deus eliciet omnes externas actiones, quibus sese creaturis cõmunicat.

Si Deus necessario vellet creaturas producere, esset actu infinitum.

Cap. 8. q. 1. & 2.

His

His ita constitutis ad argumentum, quo oppositum huiusce assertionis ostendi videbatur, negandum est antecedens; & ad primam eius probationem, reiecta Scoti sententia, seu potiùs modo loquēdi in 1.d.39. aiētis Deum contingenter agere; dicendum potiùs cum D. Thoma in 1.d.43.q.2.art. 1. & in quæstionibus de potentia q. 3. art. 15. alijsque in locis Deum neque necessariò operari, vt demonstratū fuit; neque contingenter, quia contingentia mutabilitatem & imperfectionem in operante innuit: sed ratione quadam inter mutabilitatem & contingentiam media; hoc est, ex libero arbitrio; qui agēdi modus ex necessitate quidem constantiam accipit, ex contingentia verò possibilitatem aliter se habendi erga res, quas molitur.

Respōsio ad 1.arg. pro ad uersaria partē.

Ad secundum dicito tam intellectionem, quàm volitionem diuinam, si in se, & quoad suam substantiam spectentur, necessariò Deo conuenire, vt argumentum concludit: si autem secūdum respectus, quos sibi ad creaturas vindicant, sumantur: sic diuinam intellectionē necessariam ad illas habitudinem obtinere: non ita verò diuinam voluntatem. Cuius discriminis ea ratio est, quia Deus nequit potentiam suam comprehendere, nisi cognoscat omnia, quæ per eā potest producere, atque adeo creaturas omnes. Item quia, vt D. Thomas 1.p.q. 19.art. 3. alijsque in locis ait, cognitio fertur in res, quatenus in cognoscente insunt; volitio autem quatenus sunt in se ipsis. Quare cū omnia prout in Deo sunt, necessariò esse habeant, non autem prout sunt in se ipsis: inde est, quòd Deus non quæcunque vult, necessariò vult, esto quæcunque scit, necessariò sciat. Quod tamen intellige de scientia antecedente omnem actum diuinæ voluntatis, quæ à Theologis abstractiua, seu simplicis intelligentiæ dicitur; qua nimirum Deus res secundum suas essentias, seu secundum se præcisè sumptas comprehēdit. Nam si sermo sit de scientia visionis, seu de notitia intuitiua, quæ tendit in res prout in aliqua temporum differentia existūt: sic Deus non necessitate absoluta, sed necessitate hypothesis eas nouit, hoc est suppositā libera sua voluntate, qua eis esse in rerum natura confert. Ad id quod vltimo obijciebatur, dicēdum internum actū, quo Deus aliquid extra se agere vult, esse quidem perfectionem diuinam, si quoad suā substantiam, & id quod absolutū in eo est, spectetur, quo pacto abesse Deo nequit: non autem si expendatur, quoad respectum ad creaturam, quem cōnotat: sic enim nec perfectio, nec imperfectio est; & vt Deo ex arbitrij libertate conuenit; ita diuino actui inesse & non inesse potuit. Ex quo intelliges aliter sese habere in nobis, aliter in Deo arbitrij libertatem: nos enim ita liberè volumus, vt non solum in hoc, vel illud obiectum ferri, aut non ferri: sed ipsum volendi actum, quoad suam positiuam entitatem mutare, aut inhibere valeam[9]: Deus verò licet vno simplicissimo & incōmutabili actu in res feratur, eiusmodi tamen actus ad hanc vel illam habitudinem, quam erga creaturas habet, ex sua natura indifferens est atque adeò liber: itavt nec ei libertas immutabilitatem, nec immutabilitas liber-

Ad. 2.

Duplex modo diuinę scientię.

Scientia simplicis intelligentię.

Scientia visionis.

Lege Henricum Gand. quodl. 9.q.11. Durand. in 1. d.39. q. 1. D. Tho. 1.contra gent.c.82.

Discrimen inter nostrā & diuinā libertatem.

9.8.q.1. &

libertatem adimat. Sicque diuina voluntas nobiliori modo, quàm nostra, arbitrij compos est. Nostra enim est in potestate ad hunc vel illum actum eliciendum; quod mutabilitatem, & imperfectionem importat: at diuina sub eodem actu perseuerans, indifferentiam quidem habet circa obiecta à se distincta, non tamen circa suum actum quoad substantiam consideratum. Neque ex tali indifferentia circa hoc vel illud obiectum potentialitas, & imperfectio in Deo arguitur; cùm per eam nec ex appetente non appetens, nec ex non appetente appetens fiat: nec ab ipsa re externa determinetur, sed à libera sua voluntate proponente ei intellectu id, in quod tendit.

ARTICVLVS II.

QVID ARISTOTELES IN RE proposita iudicarit.

ITa patet quid in proposita controuersia sentire oporteat. Nunc quæ in ea Aristotelis mens fuerit, expendamus. Primùm satis cõstat, non eum sibi persuasisse fuisse mundum à Deo procreatũ ex necessitate naturæ priori modo; cùm multis locis testatum reliquerit Deum intelligendi, & volendi facultate pollere; vt lib. 1. Metaph. cap. 2. & lib. 12. cap. 9. tex. 51. & 7. Ethic. cap. 4. Præterea quia probabilius est cognitam ei fuisse diuinam prouidentiam: quæ cùm sit ratio ordinis rerum in finem, ijs tantùm, quæ finẽ intelligendo præcipiunt, atque amando expetunt, conuenire potest. Item quia lib. 2. huius operis luculenter ostendit, naturam non temerè, aut fortuitò, sed alicuius finis gratia operari; quod, vt inibi exposuimus, eatenus verum esse deprehenditur, quatenus res naturales instituto & directione Dei, qui ipsius naturæ princeps, auctorque est, ad certum finem, quem ipse nouit, ac dirigit, quasi sagitta ad Scopũ collimantur.

Quõ sensu Deũ non agere ex necessitate naturę cognouerit Aristoteles.

Quòd Aristoteles cognouerit prouidẽtiã Theophilus Antiochenus lib. 3. ad Autolicũ D. Thom. 3. de cœl. c. 10. Stapulensis ad c. 3 lib. 1. Oecõ. Theophilus Zumara ad tex 34. lib. 2. de anima.

De quo sit cõtrouersia.

Cæterùm num Aristoteles crediderit Deum ex necessitate naturæ secundum posteriorem sensum, rerum vniuersitatem procreasse, nõ satis inter eius interpretes liquet. Auerroes enim in opere, quod inscribitur, Destructio destructionum, ait Deum apud Aristotelem non agere ex necessitate, sed eminentiori quodam alio modo, ipsi duntaxat conspicuo, mortalibus verò incognito. Alexander etiam in libro de fato ad Antoniũ, & Seuerum Imperatores, vbi se ex Aristotelis dogmate philosophari profitetur, admonet à Deo petenda esse beneficia, quòd penes ipsum dandi, ac non dandi facultas sit.

Auerroes.

Alexander.

Plerique tamen, è quorum numero est Scotus in quodlibetis q. 7. Heruæus quodl. 5. q. 4. & in tract. de æternit. mundi quæst. 4. Marsilius in 1. d. 42. & 44. Gregorius d. 42. Gabriel. d. 43. q. 1. Ferrariensis 2. contra gent. cap. 23. censent Aristotelem operandi libertatem Deo ademisse. Quod certè non pauca eius testimonia dilucidè

ostẽ-

ostendunt; pręsertim si de ijs actionibus Dei loquamur, quæ ad mũdi opificium, cœlestium sphærarum motum, & conseruationem specierum, ac denique ad communem Vniuersi perfectionem, & ornatum spectant. Etenim cap. 1. huius libri text. 7. & 8. hunc in modum argumentatus est. Primum mouens non antea mouebat? Erat igitur aliquid, quod eum à motione retardabat. Quæ consecutio sumit, primum motorem necessariò agere. Nam alioqui facilè quispiam responderet, primum motorem ante à motu abstinuisse, non ob aliquod impedimentum; sed quia liberum illi erat, non agere. Prętereà cap. 6. text. 52. aserit ex æternitate primi principij necessariò concludi mundum semper fuisse.

Quo pacto Aristoteles Deo necessitatem operãdi imposuerit.

Itaque non videtur dubitandum, quin putarit Aristoteles Deum circa mundi creationem liberè agendi facultate caruisse, licet eidẽ, vt quorundam sententia est, ad nonnulla effecta libertatem dederit. Nam 4. Topic. cap. 5. ait, Deum quædam facere posse, quę non facit, & 8. Ethic. cap. 7. Deum habere erga bonos amicitiam. Et 10. eiusdem operis cap. 8. eos, qui verè Sapientes sunt, & rationem ducem sequuntur, Deo charissimos esse. Quę certè munera non necessitatis, sed libertatis esse videntur. Pro eodem etiam facit, quod Aristoteles, referente Laertio in eius vita, antequam diem obiret, Deum orasse perhibetur; ac religionis causa testamento quædam fieri cõmendasse. Quod eum facturum non fuisse verisimile est, nisi crederet diuinum numen precibus flecti, & honestis, pijsque hominum actionibus ad benefaciendum allici, atque adeò nonnulla esse, quæ Deus ex libertate & arbitrio suo moliatur.

QVÆSTIO VI.

NVM ALIQVID A DEO EX ÆTERnitate procreari potuerit.

ARTICVLVS I.

QVIBVS ARGVMENTIS PARS NEgatiua quæstionis probari videatur.



Stensum à nobis superiùs est non fuisse aliquid ab æterno procreatum. Nunc non vt res habuerit, sed quo pacto sese habere potuerit, inquirimus. Sunt igitur qui negent potuisse ab æterno quicquam à Deo effici. In his numerãtur D. Bonauentura,

Assertores partis negatiuę.

M.Albert. Henricus. Richardus. Vdalricus. Guil. Parisi. Philoponus.

in 2.dist.prima,quęst.secunda Albertus Magnus ibidem,& ad finem primi capitis huius libri, Henricus Gandauensis quodlib.1. quæst. 7.& quodlib.9. quæst.17. Richardus in secundo d.1. quæst.4.circa 3.princip. Marsilius q.14 art. 2. Vdalricus in sua summa lib.4. Guilielmus Parisiensis. 1. lib. de vniuerso. Philoponus cap.3.eius libri quo respondet argumentis Procli pro mundi æternitate,alijque nõ nulli. Quæ opinio hunc in modum suadetur. V: Maior in 2.q.1.art.2.

1. arg. Primùm,Id,quod creatur, producitur è nihilo, atque adeo procedit à non esse ad esse: sed quod ita procedit,ante quam sit non est: creatum verò ab æterno non potest non esse,antequam sit: ergo nihil potest esse creatum ab æterno.

2.arg. Item,Siquid fuisset ab æterno creatum,simul fieret,& factũ esset; alioqui prius non esset quàm esset: sed ea quæ simul fiunt & effecta sunt, momento fiunt, proindeque suæ durationis initium habent: ergo nihil, quod creatur,ab æterno esse potuit.

3.arg. Tertio, In sempiternis non differunt esse & posse, vt Aristoteles ait tertio huius operis lib.cap.4.text.32.ergo si quid ab æterno esse potuit, ab æterno fuit: atqui nihil fuit ab æterno: ergo nec potuit esse.

4.arg. Quartò,Nulla creatura potest aut essentiam aut virtutem habere infinitam: ergo neque infinitam durationem: si autem ab æterno extitisset, sortiretur durationem infinitam. Nulla igitur ab æterno esse quiuit.

5.arg. Quintò,Si Deus aliquid creasset ex æternitate,necessariò id condidisset, non autem liberè: sed impossibile est aliquid necessariò & non liberè à Deo effici: ergo impossibile fuit Deum aliquid ab æterno creare. Probatur maior, primùm quia si Deus eam rem potuisset non creare; vel potuisset ante: vel post; vel dum crearet. Non antè; quia ante creationem æternam nulla potest esse duratio. Non pòst; quia ad præteritum reuocandum nulla datur potentia. Nec denique dum crearet; quia tunc res creata iam esset; res autem quando est necessariò est,vt patet ex cap.vltimo libri primi de interpretatione. Quare non liberè Deus creasset, si ab æterno creasset. Secundò probatur eadem maior,quia vel ea duratio,in qua Deus potuisset non creare,esset æternitas ipsa,vt respondet nostræ durationi diuisibili; vel vt respondet durationi indiuisibili. Non vt respondet indiuisibili; quia iam daretur æternitatis initium. Nec vt diuisibili; quia vel ea esset finita, vel infinita: non finita, tum quia haberet principium, atque ita daretur initium æternitatis, tum etiam quia in parte dimidia, quæ est versus nos, non potuisset non creare, cùm in priori parte iam creasset, & ad præteritum, vti diximus, non sit potentia: nec item esset infinita, quia in qualibet posteriori eius durationis parte non potuisset non creare, siquidem in alia priori iam creasset. Igitur siquid

quid Deus ab æterno produxisset, non liberè, sed necessariò produxisset.

Sextò, si Socrates potuisset ab æterno creari, potuisset etiam ab æterno in nihilum redigi; cùm in creatione, & in reductione ad nihilum eadem ratio esse videatur: sed hoc non admittent aduersarij: ergo neque illud. 6. arg.

Postremò idem corroboratur multis Patrum testimonijs. Inprimis enim D. Damascenus lib. 1. de fide Orthodoxa cap. 8. palàm docet, id quod è non esse ad esse traducitur, nequire suo principio coæternum esse. Quod item asseruit D. Ambrosius lib. 1. Hexameron cap. 3. Præterea D. Augustinus lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 15. expresse ait non potuisse Angelos coæternos esse creatori. Et Hugo lib. 1. de sacramentis cap. 10. fugit, inquit, diuinam virtutem vt aliquid sibi coæternum faciat. Vltimum, ex patrum testimonijs: D. Damasc. D. Ambro. D. Augustt. Hugonis Vi.

ARTICVLVS II.

CONSTITVITVR PARS AFFIRMATIVA controuersiæ.

Conclusio. ADuersa tamen opinio, quæ asserit potuisse aliquid ab æterno creari verisimilior est; eamque tuetur D. Thomas. 1. par. quæst. 46. art. 2. & 2. contra gentes cap. 46. alijsque in locis; Durandus, Argentinas, Gregorius, Ochamus, Gabriel, Hispalensis, Aegidius, Heruçus, Capreolus in secundo. d. 1. Ferrariensis hoc in libro quæstione. 3. Caietanus loco citato primæ partis, alijque sectatores D. Thomæ: quam etiam probabilem putat Scotus in secundo d. 1. q. 3.

Probatio. Omissis autem alijs rationibus, quibus hæc pars confirmari solet, hæc vna, quæ multarum vim habet, sufficiet. Quidquid nõ inuoluit contradictionem potuit à Deo fieri; sed aliquid ab æterno creari nõ inuoluit contradictionem; ergo &c. Probatur assumptio, quia neque ex parte Dei creantis, neque rei creatæ, neque ipsius creationis ab æterno, vlla repugnantia est. Quod ita ostenditur, primùm quod non sit repugnantia ex parte Dei, quia non minor est Dei virtus ad creandum, quàm solis ad illuminandum: at si ex æternitate sol esset ex æternitate illuminasset, vt D. Augustt. 6. de Trinitate cap. primo edocet: ergo cùm Deus æternus sit, ab æterno creare potuit. D. Augustt. Deinde quod nihil obstet ex parte rei, quæ producitur, suadetur. Nam aliquid genitum est ab æterno, nempe Verbum diuinum, quod Deus Pater ex omni æternitate genuit, ergo nulla sequitur contradictio ex eo, quòd aliquid ab æterno producatur. Denique quod ex parte ipsius creationis nihil impediat inde conclu

ditur, quia si quod esset impedimentum, ex eo maximè foret, quòd creatio sit è nihilo productio; hinc enim videtur colligi, vt id, quod creatur, obtineat esse post non esse; quod æternæ durationi aduersatur. Verùm rationem hanc nihil efficere inde patet; quia particula, è nihilo, in definitione creationis, non sumitur positiuè, quasi notet ordinem termini, sub quo res priùs fuerit; sed negatiue, vt docet D. Anselmus in Monologio cap. 8. prout nimirum idem valet, atque non de aliquo, seu nullo præiacente subiecto.

In definitione creationis quo pacto sũ méda sit particula, è nihilo. D. Anselmus.

Lege D. Th. 1.p.q.45.ar 1. Dur. in 2.d.1. q. 2. Herueũ in tract. de ęternitate mũdi q.2.

ARTICVLVS III.

SOLVTIO ARGVMENTORVM, quæ initio proposita fuerant.

REspondeamus nunc argumentis, quæ probare contendebant non potuisse quicquam ab æterno creari. Ac primo quidem ex ijs, quæ proximè statuimus quid respondendum sit constat. Ad secundum verò concessa maiori propositione, explicanda est minor. Si enim significet ea, quæ simul fiunt & facta sunt, fieri momento temporis duntaxat, falsa est. Nam corpora cœlestia etiam nunc à Deo creantur, cùm ab illo perenniter accipiant esse è nihilo etsi non nouum, vt docet D. August. libro 4. de Genesi ad lit. cap. 12. nec tamen momento solùm temporis creantur; sed toto temporis progressu, & in quolibet eius instanti. Si autem sensus sit, ea quæ simul fiunt & effecta sunt, etiam in quolibet momento temporis accipere totum suum esse; verum id quidem est; non tamen ex eo colligitur dandum fuisse aliquod instans, aut certam vllam partem temporis, in qua res ab æterno creata suum esse primô accepisset.

Corpora cœlestia etiam nunc à Deo creãtur suũq; esse accipiũt. D. August.

Her. in tract. de ętern. mũdi q.1.ad 7.

Ad tertium dicendum est ex eo, quod Deus aliquid ab æternitate creare potuerit, non sequi creasse id ab æterno; cùm non ex naturæ necessitate, sed liberè operetur. Illud verò pronuntiatum, in æternis nõ differunt esse & posse, variè ab interpretibus accipitur. Burlæus, Simplicius, alijque nonnulli putant non afferri id ab Aristotele ex propria sententia, aut tanquam veritati consentaneum, sed de mente Archytæ, & Epicureorũ, cũ quib⁹ ei citato loco negotiũ erat. Alij secus opinãtur, asserũtque id Peripateticũ esse, cũ 9. Meta. c. 9. tex. 17. ab Aristotele concedatur. Et hi etiam diuersas illius interpretationes afferunt; quas lege apud D. Thomam de potentia Dei quæst. 3. art. 4. Iandunum lib. 4. huius operis quæst. 9. ijs verò omissis breuiter respondemus, effatum hoc quodam in sensu verũ esse, in alio falsum: verum, quatenus significat si quid ab æterno sit, id simul & extitisse, & potuisse existere; nec enim priùs potuit esse, deinde fuit; alioqui

Esse & posse in ęternis nõ differre quomodo intelligendum.

De sẽsu eiusdem propos. Capr. in 2.d. 1.q 1.art 3.D. Bon. in 2.d. 24.n. 45.

alioqui non ab æterno extitisset: falsum, si ita accipiatur, vt asserat quicquid ex æternitate à Deo produci potuit, ex æternitate fuisse productum. Itaque tertium argumentum, si prædictum effatum in priori sensu vsurpet, non recte colligit; si in posteriori, non probè assumit.

Ad quartum, concesso priore pronuntiato, negandum est posterius. Nam ex eo quòd aliquid infinita duratione perseueret, non arguitur in eo infinita perfectio, quæ tamen arguitur ex infinitate virtutis & essentiæ. Si quis verò obijciat vnumquodque tantò esse perfectius, quantò diuturnius; proindeque si quid infinitis sæculorum ætatibus extitisset, infinitæ perfectionis excellentiam habiturum; negandum erit antecedens, cuius falsitas deprehenditur exemplis multarum rerum, quæ cùm deterioris notæ sint, diutiùs perseuerãt. Nam ex brutis animantibus tum alia, tum cerui, & cornices; ex arboribus autem non paucæ vt olea, cupressus, palma, ilex, platanus, homine viuaciores sunt. Quibus tamen homo naturæ dignitate lõgè præstat.

Longior duratio non sẽper maioris perfectionis comes.

Consule Aristotelem lib. 1. Eth. c. 7. & lib. 6. de hist. an c. 29. Plinium lib. 7. Natu. hist. c. 48.

Ad quintum, Neganda est maior, & ad eius probationem dandũ potuisse Deum non creare dum creabat: quod verò in contrariã partem primo loco obijciunt, refellitur dicendo id quod est, quãdiu est, necessariò esse; non simpliciter, sed ex hypothesi; quatenus nimirũ supponitur esse, quæ necessitas non est absoluta, siue consequentis, vt loquuntur, sed consequentiæ tantùm. Item ad id quod secundò opponunt, respondemus in primis eam durationem esse æternitatem in se spectatam, non vt huic aut illi imaginarij tẽporis durationi respondet. Nanque in ipso indiuiduo æternitatis puncto, quo Deus cœlum creasset, potuisset non creare, quemadmodum & nos in instanti temporis, quo quidpiã volumus, simpliciter nolle possumus, si ita lubeat, non quidem in sensu composito, idest, si ponamus nos iã velle: sed in sensu diuiso, idest, spectata voluntate secundum se. Secundò dicimus potuisse Deum non creare in æternitate, vt respondet tempori infinito imaginario, inadæquatè tamen; quia nimirum sumpta quacunque parte temporis designata hinc versus æternitatẽ, in ea non posset non creasse, quia iam creasset tẽpore infinito, in quo tamen ita inadæquatè sumpto poterat non creare. Lege Capreolum in 2. dist. 1. quæst. 1. art. 3.

Quo sensu Deus dũ creãbat poterat non creare;

Lege Scotum in 1. d. 39. §. quantũ ad primum.

Ad sextum respondendum est non eandem esse rationem in creatione Socratis ab æterno, & in reuocatione eiusdem ad nihilum: fieri enim nõ potest, vt aliquid in nihilũ redigatur, quin prius esse habeat, vt luce clarius est. Quare si Socrates ab æterno in nihilum redactus esset, ante annihilationem extitisset: sicque fuisset, & nõ fuisset æterna eius ãnihilatio: fuisset, quia ita ponitur; non fuisset, quia illã præcessisset creatio.

Quo sensu patres negãrint potuisse aliquid præter Deum ab æternitate esse.

Lege eũdem D. Th. de potentia Dei q. 3. art. 14. Capr. loc. cit.

Ad septimum dicendum cum D. Thoma in opusculo de æternitate mundi, & Durando in 2. d. 1. q. 2. Patres non de creatione absolutè

lutè accepta fuiſſe locutos, ſed de ea, qua rei denuò eſſe tribuitur poſt non eſſe, qualis ea fuit, qua Deus vniuerſum condidit: hac verò planũ eſt non potuiſſe quicquam ab æterno creari. Præterea vſurpaſſe æternitatem non pro qualibet infinita duratione, ſed prout definitur, interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſsio, quæ ſolius diuinæ naturæ propria eſt, vt patet ex ijs quę lib. 4. huius operis tradidimus, ac præter alios docet Boetius lib. 5. de conſolat. Philoſophiæ proſ. 6. & D. Thomas loco citato. Cap. 14. q. 3. art. 2.

QVÆSTIO VII.

NVM RES OMNES SINE DISCRIMINE ab æterno eſſe potuerint, nec ne.

ARTICVLVS I.

QVID DE REBVS PERMANENTIBVS aſſerendum ſit.

HVIT à nobis quæſtione proxima ſtatutũ potuiſſe creationem ab æterno eſſe. Nunc quæ nã illa ſint, quæ creari ab æterno potuerint, ſigillatim ſcrutabimur. Quoniam verò rerum quędam in fluxu, & ſucceſsione conſiſtunt, quas ſucceſsiuas appellant, nẽpe motus, & tempus: aliæ ſimul cohærent, ac permanent; quas permanentes vocant, vt Angeli, & homines; primũ quid de permanentibus ſentiendum ſit, expediemus.

1. aſſertio. Prima aſſertio. Res permanentes, quæ interitu vacant, vt Angeli, & corpora cœleſtia potuerunt ex æternitate à Deo produci. Hæc aſſertio cõmuni conſenſu defenditur ab ijs doctoribus, quos ad initium ſuperioris articuli citauimus, poteſtque ea ratione, quam inibi explicuimus, comprobari. Nimirum id non implicat contradictionem, neque ex parte Dei creantis, neque ex parte creaturæ, neque ex parte creationis: igitur fieri à Deo potuit.

2. aſſertio. Secunda aſſertio. Res etiam permanentes corruptioni obnoxiæ potuerunt ex æternitate produci à Deo conſeruante illas per infinitum tempus. Hæc eàdem, qua ſuperior, probatione fulcitur. Sed enim in ea peculiariter obſeruandũ occurrit, quoduis ſingulare corruptibile ſi ab æterno produceretur, infinito tempore abſque nouo miraculo duraturum fuiſſe. Nam hoc ipſum eſt ab æterno produci, videlicet tẽpore infinito accipere eſſe; atque adeò talis effectio, ſiue creatio, idem eſt ac conſeruatio per infinitum tẽpus; videlicet, quia

Effici ab æterno & conſeruari per infinitum tẽpus in idem recidunt.

quia repugnat aliquid ab æterno esse, & per tempus finitum duntaxat durare; siquidem omne finitum tempus principio, & fine clauditur; æternitas verò omne principium excludit. Rem autem dissolubilem posse à Deo per infinitum tempus conseruari pro certo habendum est.

ARTICVLVS II.

NVLLVM MOTVM FINITVM, AC nullum omnino motum rectum ab æterno esse potuisse.

VEniamus nunc ad motum, de quo id, quod à nobis dictũ fuerit, de qualibet alia re successiua dictum volumus, cùm in omnibus æqua ratio sit. Nemo igitur alicuius nominis auctor cẽsuit aliquem finitum motũ ab æternitate esse potuisse. Id enim contradictionem inuoluere patet ex fine proximi articuli. Et verò motum rectum infinitum absque reflexione non potuisse ab æterno fieri, communis videtur philosophantium consensus; & quidem optima ratione. Nam motus rectus ex sua propria natura poscit terminos in spatio, siue magnitudine, super qua fit, multò aliter, ac circularis; qui absque fine, & principio facilè intelligi potest, sicuti & ipse circulus, qui principij, & finis expers est.

Cur motus rectus absque reciprocatione non potuerit esse ab æterno.

Deinde quia ex motu recto cõtinuo ab æternitate manifestæ cõtradictionis implicatio existit. Si enim ab æterno duo homines mouerentur ex Oriente per spatium, magnitudinemvè infinitam, alter duplo velociùs altero; & concitatior hodierna die Conimbricã peruenissent, necessariò antecederet tardiorem interuallo infinito: siquidem tardior gradu suo, quantumuis lento, infinitum spatium peregisset, atq; adeò qui duplo celeriùs mouebatur spatiũ cõfecisset duplo maius, proindeque segniorem interuallo infinito post se relinqueret. Quare daretur interuallum infinitũ inclusum vtrinque terminis, quod proinde esset, & non esset infinitum: hinc enim terminaretur Conimbrica; ex parte verò Orientis clauderetur loco, ad quem hodie tardior accessisset. Sequeretur præterea hunc eundem peruenturum fuisse hodie Conimbricam, immo ad quemuis designatum locum vltra Conimbricam versus Occidentem; siquidẽ iter peregisset infinito tempore, atque adeò tantum spatij transmisisset qui tardissimo, quantum qui celerrimo gradu progrederetur.

Implicatio, quam prędictus motꝰ ibi uoluit.

Alia implicatio.

Rursus si ex æternitate alter ab Oriẽte, alter ab Occidente moueretur, nulla maior esset ratio cur hodie, quàm mille ab hinc annis sibi occurrerent; cur potiùs Conimbricæ, quàm Romæ aut alia mundi parte designata, vel extra complexum vniuersi in spatio, quod illic patere

Alia implicatio.

patere intelligimus; idque siue pari, siue impari velocitate ferretur: quia nulla loci, seu temporis definita pars medium foret, nec magis, minusvè distaret ab vna parte infinitæ durationis, infinitivè spatij, quàm ab alia. Maneat igitur motum rectum absque reflexione non potuisse ab æterno esse. De motu verò recto cũ reflexione recipro-
Quid pronũtiandũ sit de motu recto cum reflexione. cationevè infinities repetita supra eandem finitam magnitudinem; idem quod de circulari, quod ad præsentem cõsiderationem spectat, asserendum est.

ARTICVLVS III.

DIVERSÆ OPINIONES DE MOtu circulari ab æterno.

Qui censuerint posse dari motum circularẽ ab æterno.

QVod ad motum circularem attinet, num, verbi gratia, cœlestium sphærarum conuersio ab æterno esse quiuerit, res est omnino dubia, & disidentium philosophorum argumentis in vtranque partem agitata. Pars affirmatiua, quam præter alios de-
1. argum. fendunt Capreolus, A Egidius, & Gregorius in 2. d. 1. & Heruæus quodlib. 9. q. 3. ex eo probatur, quia motum, qui in circulum fit, ab æterno esse, nulla est contradictio, neque ex parte mobilis, aut motoris, vt ex superiùs dictis colligi potest; nec verò ex parte motus; quia quemadmodum circulus principium non habet, ita neque motus, qui per eum fit, quod vnum eius infinitati obstare fortasis videtur. Deinde quia si cœlum, & intelligentia motrix ab æterno ex-
2. argu. titissent, vel cœlum ab intelligentia moueretur; vel quiesceret. Si moueretur habetur institutum: si quiesceret; cùm quies sit priuatio motus, neque rei, nisi cùm ad motum ineundum apta est, conuenire queat; sicuti cœlũ ab æterno quiesceret, ita & moueri posset. Quod si quispiam dicat non fuisse quieturum priuatiuè, sed negatiuè; quia
Præoccupatio. non habuisset aptitudinem ad subeundum ab æterno motum: in cõtrarium est illud, quia aptitudo ad motum est affectio necessaria entis naturalis, neque tunc desideraretur vis actiua, à qua ad actum reduci posset, videlicet creata simul ab æterno intelligentia applicata cœlo, vt ponimus. Quare potuit motus ex æternitate esse.

In his sunt Ferrar. quæst. 3. huius lib. Auerroes hoc in lib. cõm. 76. Iandunus q. 18.

Contrariam sententiam amplexus est Durandus in 2. d. 1. q. 3. ac recentium philosophorum nonnulli. Potest verò illa hunc in mo-
Vt Sotus hoc loc. q. 2. dum comprobari. Vbicunque datur primum, & vltimum, ea finita sunt; sed in cœlestium corporum reuolutionibus oportet dari primam & vltimam; ergo necesse est eas omnes finitas esse, ac proinde
Prima ratio pro aduersaria opin. non extitisse ab æterno. Maior perspicua est; minor suadetur, quia in primis datur vltima, nimirum hodierna. Deinde quòd detur prima ostenditur; quia si non daretur prima, sed ante quãlibet fuisset alia; etiam ante omnes coniunctim acceptas aliqua fuisset; cùm non

plures

plures in tota collectione, quã in omnibus diuisim sũptis cõtineãtur.

Secundò. Posito cœlesti motu ex æternitate intelligentia motrix omnes prorsus circuitiones fuisset antegressa: præsertim cùm ante peractam cuiusque circutionis periodũ necessariò anteire debuisset spatium duodecim horarum, quæ est vnius circutionis medietas. Si igitur quælibet pars vnius conuersionis integram conuersionem præijsset, vtique intelligentia omnes omnino conuersiones antegressa foret; atq; adeò nõ fuissent cœli reuolutiones ab æterno. 2. ratio.

Tertiò. Idem hac ratione confirmatur. Si motus ab æterno extitisset, iam in nostro hemisphęrio ante hodiernum diem infiniti dies, & infinitæ noctes transactæ essent; sed hoc implicat contradictionẽ; ergo motus non potuit esse ab æterno. Probatur minor. Sumatur ex illa dierũ & noctium infinitudine numerus infinitorum dierum; sumatur item infinitarum noctium multitudo: vtraque harũ collectionum est infinita; quia constat infinitis partibus æqualibus vni tertię, & non cõmunicantibus inter se; atqui si tempori infinito aliud tempus infinitum adijciatur, emerget tempus vtrinque infinitum: ergo tẽpus quod ex dierum, & noctiũ multitudine coalescet, erit vtrinq; id est tam versus anteriorem, quàm versus posteriorem partẽ infinitum. Quare tempus illud infinitum non posset hodierna die terminari. 3. ratio.

Confutatiõ respõsionis.

Nec verò occurrat quispiam haud posse in illa temporis infinitudine transponi dies, ita vt diebus dies, noctibus noctes immediatè copulentur. Nec enim id argumentum petit, nec in eo vim vllam facit, sed tantùm contendit illam infinitorum dierum & noctium collectionem, vtcũque sumatur, non posse non versus omnem durationem infinitam esse. Nam quòd dies noctibus interserantur, nõ iccirco breuior duratio euadit, quàm si noctes, & dies similiter inter se proximè cohærerent. Stabiliturque argumentum ex eo quòd nulla potior sit ratio, cur si lineæ hinc in infinitum porrectæ versus Orientem adderetur altera versus Occidentẽ infinitè producta; cur, inquã, linea vtrinque infinita emergeret; non autem resultaret infiniti temporis extẽsio; si tempus vnũ infinitũ alteri infinito interponeretur.

Quartò. Si cœlum moueretur ab æterno negari non potest singulis reuolutionibus potuisse à Deo creari vnum Angelum, quo dato iam hodie essent actu infiniti: ergo sicuti infinitum actu admittendum non est, ita nec motus ab æterno. 4. ratio.

ARTICVLVS IIII.

VTRAQVE PARS CONTROVERSIÆ DE motu circulari ab æterno probabilis iudicatur, probabilior negatiua; vtriusque argumenta diluuntur.

Conclusio. QVemadmodum cùm in tertio huiusce operis libro num infinitum diuina virtute dari queat disputaremus, vtramque partem quæstionis probabilem iudicauimus; ita in hac de motus æternitate controuersia eandem viam sequi statuimus, propterea quod (vt præter alios aduertit princeps Auerroistarum Bachonus in 2. distin. 1. quæst. 6.) qui putant motum, & generationes rerum ab æterno esse potuisse, consentaneum est, vt credant posse infinitum diuina virtute dari, & è conuerso: cùm vtrobique consimiles difficultates, præsertim circa numerorũ implicationem, occurrant: nec defendi commodè valeat potuisse motum dari ab æterno, quin admittendum sit potuisse nunc existere infinitam multitudinem Angelorum, quos Deus singulis cœli reuolutionibus creare potuisset. Quare sicuti nos in controuersia illa de infinito partem negantem magis probauimus, ita in hac de æternitate motus similiter censemus. Vtriusque tamen sententiæ argumenta dissoluere conabimur, vt quam quisque partem volet, tueri queat.

Solutio primi argumenti pro æternitate motus. Sol. 2. Igitur ad primum eorum, quæ initio proposita sunt, respondemus, causam cur motus ex æternitate dari non potuerit, esse eam repugnantiam, quæ proximè adductis rationibus explicata est. Quod verò ad secundum argumentum attinet, dicendum in primis si rectè concludat, pari ratione ostensum iri, motum aliquem finitum, verbi causa, ligni adustionem ab æterno esse potuisse. Sic enim argumentari licebit. Creet Deus ignem, lignumque ab æterno; vel ab æterno dabitur ligni adustio; vel quies ab eiusmodi adustione. Si primum, habetur propositum; si secundum, cùm quies sit priuatio motus; sequitur potuisse lignum ab æterno comburi. Quare &c æt. Itaque huius argumẽti solutio vtriusque partis assertoribus incumbit. Ea verò est ex æternitate futuram fuisse ab adustione illa quietem; non tamen priuatiuè, sed negatiuè; quia nullum singulare lignum aptum esset ad subeundam æternam combustionem ob illam repugnantiam. Qua item solutione nostro argumento, dum proponeretur, aptè occurrebatur. Ad id autem, quod deinde obiectum fuit, dicendum licet aptitudo ad motum conueniat cœlo ex æternitate; non tamen ei competere vt ex æternitate ad actum reduci valeat; idque non ex defectu potentiæ actiuæ; sed ex repugnantia quam æternitas motus inuoluit, vt superiori articulo ostensum fuit. Sed enim istiusmodi implicatio solum in æternitate inadæquatè sumpta locum haberet. Nam quodcunque tempus designaretur progrediendo hinc versus æternitatem, iam in eo moueri cœlum posset, lignumque aduri absque vllo incommodo: neque in ea re difficultas, aut dubitatio est.

Cur aptitudo ad motũ non posset ab æterno ad actum perduci.

Respõsio ad primam rationem contra æternitatẽ motus. Ad primũ p altera cõtrouersiæ parte cõcessa maiori propositione dicendum est ad minorem dari quidem vltimam reuolutionem, nẽpe hodiernam, non tamen primam versus initium; sed ante quãlibet

bet designatam, fuisse aliam: nec proinde rectè concludi, etiam ante omnium reuolutionum collectionem, aliquam extitisse: sicut ex eo quòd accepto quolibet numero datur alius maior, non rectè infertur omnium numerorum collectione aliquem maiorem aut esse posse, aut concipi. Ad secundum similiter dicendum intelligentiam antecessurā fuisse quālibet cœli reuolutionem sigillatim sumptam; nō tamen omnes in vnum collectas. Itemque spatium duodecim horarum præire debuisse vnamquāque conuersionem diuisim, non tamen collectionem omnium, at nulla conuersio singularis, sed collectio fuisset ab æterno. Ad tertium, quod plus habet difficultatis, Ad 3. responderi potest dato motu ab æterno vtrūque numerum, tam dierum, quam noctium futurum infinitum; non efficiendam tamen ex ijs durationem infinitam versus vtrāque partem; quia cùm dies noctibus intermixti fluere deberent, vtique non maiùs hæ, quam illi ad præteritum tempus facerent: vt verò infinitum, versus vtrāque partem componerent, oporteret præteritis futura superaddi, quādoquidem tale infinitum ex præterito & futuro constet necesse est. At in linea secus res habet; quia pars infinita versus Occidentem cōiungeretur ei quæ esset Orientem versus infinita.

Ad quartum, qui motum ab æterno concedit, admittat quoque Respōs. ad 4. illud infinitum actu. Quāquam, licet minùs probabiliter, respondere etiam possit, si Deus ab æterno singulis reuolutionibus Angelos creasset, debuisse eos subinde in nihilū reducere, ne infiniti actu euaderent.

ARTICVLVS V.

NON POTVISSE GENERATIONES ab æterno esse, vt eas posuit Aristoteles: num verò aliter esse quiuerint in vtrā- que partem dispu- tatur.

PRoximum est vt quid de rerum generationibus sentiendum sit statuamus. Prima conclusio. Generationes non potuerunt ab æterno esse eo modo, quo eas Aristoteles fuisse arbitratus est. 1. Concl.
Hæc facilè probatur; Aristoteles namque ita rerum generationes æternas fecit, vt nullum singulare rerum corruptibilium per creationem; sed omnia per generationem duntaxat, fuisse crediderit; quod impossibile est. Etenim, vt alia omittamus absurda, saltem perfectorum animantium species neutiquam per solas cau- Error Aristo.

ſas ſecundas produci potuerunt, niſi priùs aliquot eorum ſingularia, vt equũ & equam, leonem & leænam Deus procreaſſet: ſiquidem nec corpora cœleſtia, nec cæteræ cauſæ ſecundæ, vt experiẽtia docuit, vim habent ad gignendas huiuſmodi animantes, niſi proximè concurrente mare & fœmina. At quod Ariſtoteles iſthæc ſingularia, v.c. vnum leonem, quem alius non anteceſſerit, & à quo cæteri propagarentur, non potuerit; facilè intelliget qui ad eius doctrinã animum adijciet: cùm perpetua ſit illius ſententia, in nulla ſingulariũ intereuntiũ ſpecie datam fuiſſe alicuius ſingularis productionẽ, quam alterius corruptio non præierit, atque adeò nullum equũ fuiſſe, quẽ non infiniti anteceſſerint.

Status cõtrouerſię nũ generationes potuerint eſſe ab ęterno.

Lege c. 3. lib. 2. de gener.

Cæterùm alius modus propagationis ſpecierum ab æterno excogitatus eſt à Philoſophis, de quo non parua diſceptatio eſt; nimirum ſi Deus marem & fœminam, verbi gratia, leonem & leænam creaſset ab æterno ſuppeditato eis alimento, quo fœtui materiam ſuggererent, & infinities generarent; nũ ex ijs potuerint generationes ab omni æternitate procedere. Quidam affirmatiuam partem defendunt eoque potiſsimum innituntur fundamento, quòd nulla inde repugnantia aut implicatio exiſtat.

Vt Venetus hoc lib. ad tex. 15. Capr. in 2. d. 1. q. 1. art. 3.

Aduerſa opinio.

Alij è contrario, huiuſmodi aſsertionem multis abſurdis implicari & repugnantia concedere opinantur, nempe æterno aliquid præire; dari primum & vltimum in infinito, aliaque eiuſmodi: quæ hunc in modum videntur concludi. Duo illi infinitorum leonum parentes à Deo immediatè producti, priuſquam vllam generationem perficerent, deberent materiam proſeminare, illamque vtero conceptam diſponi oporteret ad formæ introductionem: ergo quãlibet generationem antecederet materiæ diſpoſitio; atque adeò ſi generationes eſsent ab æterno; ante æternum aliquid extitiſset.

Prima eiꝰ cõ firmatio.

2. cõnfirmatio.

Item quod ex ea colligatur dari in infinito primum & vltimum, oſtenditur; quia iam nunc præterijſsent infiniti leones; & ille, à quo cæteri genus ducerent, eſset omnium primus, cùm ante eum nullus fuiſset; hodierna verò die natus, omnium vltimus foret; vtpote vltra quem non dum alius in lucẽ prodijſſet. Nec ſatisfaciet qui dixerit non videri abſurdum deſignari poſse in infinito primum, & vltimũ; cùm in linea primum, & vltimum punctum detur; non inquam, ſatisfaciet: quia puncta non efficiunt infinitum, de quo hic loquimur, conſtans ex infinitis partibus vnumquid infinitum actu componentibus, quod à philoſophis propriè infinitũ dicitur; quale eſset quod ex infinitis leonibus ab æterno productis coaleſceret. Nec item effugiunt, qui reſpondent in ea leonum infinitudine dari primum negatiuè, id eſt, leonem vnum, ante quem alius non extiterit; non tamen primum poſitiuè, hoc eſt, poſt quem deſignari poſsit ſecundus. Etenim cùm infinitũ ſit id, cuius quancunque partem acceperis, alia reſtat ſumẽda; non minus contra rationem infiniti eſse videtur dari primum negatiuè, quam poſitiuè. Siquidem dato leone illo omnium

Refutatio ſolutionis.

Impugnatio alterius ſolutionis.

nium progenitore, quem negatiuè primum fatentur, iam licebit in eo infinito partem aliquam sumere (nempe eiusmodi leonem) vltra quam versus æternitatem progrediendo non superfit pars alia, quæ sumi possit; quod certè infiniti rationem demolitur.

Vltima confirmatio.

Postremò si generationes potuissent ab æterno esse, posset non solùm per diuinam potentiam, sed etiam ex ordinaria lege dari actu infinitum; hoc verò admittendum non est: ergo neque illud. Probatur maior, quia cur non posset Deus omnes illos leones infinitis annorum seculis generatos conseruare; cui non magis promptum est ea, quæ non sunt efficere, quàm effecta tueri, & ab interitus noxa vindicare? Cur nunc infinitæ animæ rationis participes non simul existerent post infinitorum hominum generationem & interitum? aut cur teneretur Deus eas, vt quidam autumant, in nihilum reducere? cuius bonitati vt est proprium sese communicare conferendo rebus esse; ita minimè conuenit res ab se productas in nihilum redigere.

ARTICVLVS VI.

DISSOLVVNTVR ARGVMENTA, quæ circa generationes ab æterno, in vtramque partem adducta sunt.

IN hac disceptatione sicuti in præcedenti, etsi magis veritati consentaneam putemus opinionem eorum, qui negant generationes (idem intellige de corruptionibus) vllo pacto ex æternitate esse potuisse; diluemus tamen vtriusque partis argumenta; vt appareat vtrãque probabilibus, neutram certis, aut necessarijs argumentis fulciri. Igitur ad id, in quo prior sententia fundamentum ponebat,

Solu. arg. pro parte affirm.

respondendum est ex infinitate generationũ consequi eam repugnantiam, quæ superiori articulo explicata est.

Solu. 1. rat. 2ª parte negat.

Rationes verò pro altera opinione sic vtcunque diluentur. Ad primam dicendum erit duos illos infinitorum leonum progenitores debuisse priùs vnamquamq; singularem materiam ad quãlibet generationem subministrare, & disponere, deinde formam introducere. Ex quo rectè concluditur nullam singularem generationem potuisse ab æterno esse; quia quamlibet necessariò antecederet dispositio: nõ tamen sequitur collectionem generationum nõ potuisse esse ab æterno; siquidem omnes simul nulla materiæ præparatio anteisset.

Lege Capr. in 2. d. 1. q. 1. ar. 3. Gregoriũ q. 3. art. 1. Heru. in tract. de æternitate mũdi. q. 5. ad 5.

Sol. 2.

Ad secundam, non esse alienum à ratione infiniti, etiã eius, quod propriè infinitum est, dari in eo primum negatiuè: id enim, quod ita primum habetur, manet quodammodo extra sortem illius infinitatis,

tis; vnde eo dempto nullus iam leo ſumetur, quem non infiniti anteceſserint.

Sol. 3. Ad poſtremam facilè quis negauerit infinitos leones ab æterno propagatos potuiſſe conſeruari à Deo ob infiniti repugnantiam: ſimiliter propter eandem cauſam non admittet generationes hominum ab æterno; aut ſi admittat, aſſeret debuiſſe Deum animas rationales ſucceſsiuè ad nihilum reuocare, ne in infinitam excreſcerēt multitudinem; aut certè efficere, vt eædem circulo quodam in alia, atque alia corpora immigrarent iuxta Pythagoricam palingeneſiam; quod tametſi facultate naturæ præſtari non poſsit, diuina virtute poteſt. Hæc tamen reſponſio, quòd ad humanas generationes attinet, parum omnino probabilis eſt. Nam brutorum generationes ab æterno admittere, humanas negare nulla ratio conuincit; poſitis vero etiam hamanis, effugia illa quærere à ratione alienum eſt, minimeque neceſſarium. Dicendum potiùs non minùs hominum, quã aliarum rerum generationes ab æterno eſſe potuiſſe, animasque rationales ad multitudinem actu infinitam deuenturas, idque deuorandum eſſe ei, qui conceſſerit potuiſſe dari generationes ab æterno.

Pythagorica palingeneſia.

Pro ſol. huius arg. lege D. Tho. opuſc. 72. & li. 2. cõtra gentes c. 81. Scot. in 2. d. 1. q. 3. Ferrarienſem hoc loc. q. 3. Beſſarionem lib. 2. contra Calū. Plat. c. 7.

Capitis tertij Explanatio.

PRoſligatis ijs rationibus, quę oſtendere videbantur nõn poſſe motum ſempiternum eſſe, quod plerique motus exordium, finemque habeant; conſiderationem, quę ſubſequitur, auſpicandam ſibi eſſe ait ab eo, quod dubitandi occaſionem paulò ante induxerat: nimirum quamobrem quędam mobilia nunc cieantur, nunc quieſcant. Id verò vt accuratiùs explicet, tripartitam quãdam ſectionem tradit, cuius tertiũ mẽbrum rurſus diuidit: eaque comprehendit ſtatum omnem, qui rebus ſecundum motum & quietẽ ſpectatis cõuenire poteſt.

CAP. III.

PRincipium autem cõſiderationis id erit, quod etiam fuit dubitationis allatæ, cur nam aliquæ res aliàs mouentur, aliàs quieſcunt. Neceſſe eſt itaque aut vniuerſa ſemper quieſcere, aut vniuerſa ſemper moueri, aut alia quidem moueri, alia vero quieſcere. Et horũ rurſus aut ea, quæ mouẽtur ſemper moueri, & quæ quieſcunt, quieſcere, aut omnia æquè apta eſſe moueri & quieſcere, aut id quod reſtat & tertium eſt. Eorũ enim, quæ ſunt, alia immobilia eſſe ſemper cõtingit, alia ſemper moueri, alia vtroque participare. quod quidem nobis dicendum eſt. In hoc enim eorum omnium, quæ dubitantur, ſolutio poſita eſt, & huiuſce tractationis nobis eſt finis. a *Omnia igitur in quiete eſſe exiſtimare, & ſenſu poſthabito rationem eius inueſtigare cogitationis eſt hebetudo.* Et

Text. 21.

Text. 2.

Text. 22.

a Omnia igitur} Vt quintum propoſitæ ſectionis membrum ſtatuat, cętera explodit, ſumitq; initium à ſententia Parmenidis, & Zenonis, qui vsq; adeò hallucinati ſunt, vt contra ſenſuũ perſpicuitatem, omniumque artium, & ſcientiarum dogmata, & communem hominum exiſtimationem è tota natura motum ſuſtulerint, immò & naturam ipſam quę principium eſt motus, & quietis demoliti ſint. Contra quos proinde diſſerere ad phyſiologum non attinet, vt qui omnia Phyſicæ diſciplinę iura peruertant, ſicuti in primo huius operis dictum fuit.

Abſurda opinio Parmenidis, & Zenonis.

Lege,

Lege, si placet, hoc loco D. Thomam explicantem quo pacto artes omnes, & scientię motu vtantur.

b Dicere autem cuncta) Vt superiores philosophi in quiete & immobilitate, sic Heraclitus & Cratylus in perpetuo motu cuncta posuere. Itaque ille negabat eundem fluuium trãsiri bis posse: hic ne semel quidem eundem transiri posse contendebat. Similiterque pronuntiabant res cęteras perenni fluxu, & agitatu volui etsi id sensus nostros effugiat. Qua de re Plato in Cratylo, Aristoteles li. 4. Metaph. cap. 5. Hanc verò assertionẽ in pręsentia confutat enumerando omnes motuum species, quibus nihil perpetuò effici posse demonstrat.

Heracliti, & Cratyli paradoxa.

Et de toto aliquo non de parte est controuersia: nec solum est aduersus philosophum naturalem, sed aduersus omnes, vt ita dicam, scientias & opiniones, propterea quod omnes motu vtantur. Præterea vt instantiæ contra principia in disputationibus mathematicis ad mathematicum nihil attinent, in cæterisq; simili modo, ita nec id, quod nunc dictum est, ad naturalem. Hypothesis enim est naturam motionis esse principium. b *Dicere autem cuncta moueri est quidem propemodum æquè falsum, minùs autem hoc à methodo alienum. Nam quanquam vt motus sic & quietis principium in naturalibus natura posita est, attamen naturale est motus. Atque aiunt nonnulli non alia quidem eorum quæ sunt moueri, alia non, sed omnia & semper, at nostrum sensum id latere. Quibus, etsi non distinguant, quonam motu, an omnibus dicant, non est difficile occurrere. Nam nec accretio nec imminutio continenter fieri potest, sed est & medium.* c *Est autem hic sermo ei similis, quo guttam consumere, & quæ è lapidibus pullulant, eos diuidere dicitur. Non enim si tantum abrasit, aut abstulit gutta, antea etiam dimidium in dimidio temporis, sed vt in nauis tractu, sic tantum tot guttæ mouent. Earum autem pars tempore nullo tantum. At id quidem, quod ablatum est in plura diuiditur, sed nihil ipsorum seorsum est motũ, at totum simul. Patet igitur non necesse esse aliquid semper abire, quod infinita decretio diuidatur, sed totum interdum abscedere.* d *Similiter autem & in quauis alteratione. Non enim si idem, quod alteratur, infinite potest diuidi, idcirco & alteratio, sed simul fit sæpe, vt coagulatio. Præterea cum quispiam ægrotauerit, necesse est tempus esse, in quo sanabitur, nec in temporis termino mutari. Ad sanitatem autem, & non ad aliud moueatur necesse est. Quare alterari continue dicere, rebus admodum perspicuis est contradicere. In contrarium enim est alteratio. Atque etiam lapis nec durior fit, nec mollior. Ac in latione admirabile est, cum lapis deorsum fertur, aut in terra manet, latere. Præterea terra & aliorum vnumquodque in proprijs locis necessario manent, & violentia ex eis mouentur. Si igitur ipsorum aliqua in proprijs sunt locis, ne loco quidem moueri omnia necesse est. His itaq; & alijs eiusmodi quis ductus, non posse aut semper omnia moueri, aut semper omnia quiescere crediderit.*

Text. 23.

Text. 24.

c Est autem hic sermo) Probat motum accrementi & decrementi nõ esse continuũ quasi quãtitas, quę accedit, diuidi possit secundũ tẽpus, ita vt in hac temporis parte aliqua noua portio quãtitatis accedat, & in subsequenti alia itẽ recens portio priori mox agglutinetur, nec mora intercedat dum recens illa pars alimẽti congruis dispositionibus ad cõuersionem pręparatur. Non debere autem huiusmodi accessus quãtitatis cõtinenter fieri declarat exemplo guttarum lapidem excauantium, & stirpiũ quæ saxis innascuntur, & ex ijs pullulant. Non enim huiusmodi excauatio aut scisio continua est: siquidem non oportet sĩgulas guttas aliquam particulã detrahere, ita vt detractio absq; intermissione fiat, sed potest extrema gutta communi opera, ac vi pręcedentium, quę lapidem emolliebant, eam remotionem exequi; sicuti mille homines nauem coniunctis viribus per aliquod spatium trahunt, quam singuli per se trahere non possunt. Quod de aquę guttis dictum fuit, asserendum est etiam de arbuscula. Non enim necesse est vt toto aliquo tempore continenter saxum diffindat.

Motus accrementi & decrementi interrumpi.

Guttę lapidẽ excauantes.

Arbuscula saxa diffindẽs.

d Si-

d Similiter autem & in quauis) Quod de accretione & imminutione demonstrauit, idem nunc de alteratione concludit, videlicet res non perpetuo alterari. Atque inprimis docet alterationem non diuidi in infinitum ratione mobilis, quasi in vna parte temporis, oporteat illius partem alterari, deinde aliam, sicque infinitè procedendo; cùm oppositum videre liceat in eo, quod coagulatur, vel congelascit, quod totum simul concrescit. Deinde probat institutum, quia cùm omnis alteratio à contrario soluat, & in cōtrarium desinat, palàm veritati contradicit qui res perpetuò alterari autumat, ac si alteratio deficientem naturā non haberet.

Omnis alteratio est à contrario in contrarium.

Aduerte non pugnare hęc cū ijs quę libro sexto tradita sunt, videlicet, motum, formam, mobile, & tempus eodem modo continua & diuidua esse; ex eo enim quod aliquod subiectum secundum oēs partes simul, hoc est eodē tempore alteretur, & non alia, atque alia pars infinitè ante aliā; haud quaquam prędicta cōtinuitas, sectione impeditur; cùm ad huc alteratio recipiatur in subiecto, eiusq; diuisione secari possit.

Conciliantur loca Aristotelis.

e Ac in latione) Perpetui motꝰ assertores aiebant licet continēter omnia agitarentur; id tamen nostrum sensum effugere. Hos coarguit propterea quod etsi fortasse alij motus oblitescere queant, de eo tamen, qui ad locum tendit, nequaquam id affirmari potest. Item quia Physica ratio palàm conuincit elemēta in natiuis, ac proprijs sedibus suopte ingenio quiescere, nec inde nisi extrinsecùs illata vi abduci. At si aduersariorum dogma veritati consentiret, oporteret ea in quouis loco indiscriminatim moueri.

Corporū naturaliū quies perennitatem lationis confutat.

f *Nec vero quiescere aliqua semper possunt, alia semper moueri; nihil autem alias quiescere & alias moueri. Dicendum verò est esse nō posse, vt in his quæ ante sunt tradita. Eas enī, quæ dictæ sunt, mutationes in ijsdem fieri conspicimus. Rebus præterea manifestis aduersatur qui in controuersiam hoc reuocat. Nec enim accretio, nec violenta erit motio, nisi quod antea quiescebat præter naturam moueatur. Generationem sane hic sermo & interitum tollit. Fere autem & ipsum moueri, fieri quoddam & interire omnibus videtur. In quod enim quidpiam mutatur, id fit, aut in eo: ex quo verò mutatur, id interit aut hinc. Quare constat alia quidem moueri aliquando, alia quiescere.* g *At vero omnia aliquādo quiescere, aliquando moueri existimare ad olim dictas rationes adiungendum est. Idem autem, quod priùs, principium rursus sumendum est post hæc, quæ nunc sunt definita. Aut enim omnia quiescunt, aut omnia mouentur, aut aliqua quiescunt, aliqua mouentur. Et si eorum quæ sunt alia quiescunt, alia mouentur, necesse est aut omnia aliquando quiescere, aliquando moueri, aut ex eis alia semper quiescere, alia semper moueri, alia interdum quiescere, interdū moueri. Non posse igitur cuncta quiescere dictum quidem & prius est, sed nunc etiā dicamus. Nam etsi vere ita res habet, vt quidam aiunt, id quod est infinitum esse atque immobile, nō tamen sensu ita conspicitur, sed eorum, quæ sunt, multa mouentur.* h *Si igitur opinio falsa, vel omnino opinio sit, motus quoque est. Atque etiam si imaginatio sit: etsi de quibusdā interdū hoc modo, interdū aliter videatur. Imaginatio nāq; & opinio motus quidā esse videntur. sed hæc considerare, & eorū quærere rationē, circa quæ melius affecti sumus, quàm vt ratione indigeamus, eius est, qui quod melius deteriusq; est, & quod credibile est, & nō credibile, principiūq; & nō principiū male queat dijudicare. Æque autem fieri non potest, vt omnia moueātur, aut alia quidē sēper moueātur, alia sēper quiescant.* Vno

Text. 25.

Text. 26.

f Nec verò quiescere) Explodit membrum aliud traditę diuisionis, nimirum, omnia quę mouentur, moueri semper, & quę quiescunt semper quiescere. Primùm quia experimur non nulla esse, quę per vices ex quiete ad motum, & ex motu ad quietem transeunt. Deinde quia dantur motus violenti, qui esse nequeunt nisi eędem res nunc consistant, nunc cieantur. Tertiò quia nullus esset interitus, aut generatio; quandoquidem moueri, quoddam gigni, & interire vocamus, quatenus id quod gignitur mutatur in aliquid, & quod interit, mutatur ex aliquo.

g At

g At verò omnia) Excludit secundum membrum secundę diuisionis, omnia interdum quiescere, interdum moueri; quam ait refelli posse rationibus, quę supra ad alia membra rejicienda adductę fuere. Deinde repetita diuisione confutat primum membrum, quod iam imbarat, videlicet ōnia quiescere. Etenim, si quis cōcēdat verū esse quod Melissus aiebat, id quod est infinitū esse ac motus expers, id tamen sensui repugnat, cū palā experiamur multa moueri. Coarguitur Melissi dogma

h Si igitur opinio falsa) Ex eo quod aduersarij motum negant, probari posse inquit motum dari, sicque nō omnia quiescere. Nam si motus nō est, certè opinio, qua motū esse apprehendimus, falsa erit; atqui opinio falsa, & omnino quęuis opinio siue imaginatio, motus quidam est (saltē latè sumpto motus nomine) igitur dum motum negant, motum inducunt. Deinde monet ratione velle quęrere in ijs, quę sensu, & experientia magis conspicua sunt, quàm vt ratione comprobari queant, cuiusmodi est dari in natura motum, hominum esse de rebus non rectè iudicantium. Hinc perspicuis verbis refutat secundum membrum primę diuisionis, & primum secundę.

Vno enim argumento satis est, quod horum omnium faciat fidem. Nā aliqua videmus aliquādo moueri, aliquādo quiescere Quamobrē cōstat æque fieri nō posse, vt omnia quiescāt, & oīa cōtinenter moueātur, perinde atq; vt aliqua semper moueātur, aliqua semper quiescāt. Restat igitur cōtemplandum, vtrū vniuersa eiusmodi sint vt moueantur & quiescāt, an alia quidē hoc modo, alia sēper quiescant, & alia semper moueātur. Hoc enim demonstrandum est. Ca-

Text. 27.

Qui ratione quęrūt in ijs, quę sensui patent.

Capitis quarti explanatio.

25.

26.

MOuentium a igitur) Vt ostendat dari vnum perpetuum motum, & vnum primum motorem motus omnis expertem, aliquanto altiùs ducto principio triplicem diuisionem mouentium, & mobilium tradit hoc loco. Prima est. Eorū, quę mouent aut mouentur, alia per accidens, alia per se aut mouent aut mouentur. Ea inquit mouere, aut moueri per accidens, quę insunt in ijs, quę mouent, aut mouentur; vt candidum inhęrens Socrati, sub quo membro comprehendit etiam id, quod ratione partis mouet, vel mouetur: licet id initio libri tertij fecerit distinctum membrum, aiēs trifariā aliquid mouere, aut moueri, per se, ex accidente, & per partē. Ea verò per se mouent, aut mouentur, quę oppositio modo affecta sūt: hoc est non quia in alijs insunt, nec quia secundū partem ita se habent.

Tripartita ratio mouentium, & mobilium.

CAP. IIII.

MOuentium a *igitur & eorum quæ mouentur alia ex accidenti, alia per se mouent & mouentur. Ex accidēti quidem, quæcunq; his insunt, quæ mouent & mouentur, & quæcunq; per partem. Per se autem quæ non ex eo, quod mouenti, aut ei quod mouetur, insint, nec quod eorum vlla pars aut moueat, aut moueatur.* b *Eorum sane quæ per se alia à se, alia ab alio, & alia quidem natura, alia vi & præter naturam Id enim quod à se mouetur natura mouetur, vt animalium vnum quodq;, cum ipsum à se animal moueatur. Ea vero natura dicimus moueri, quorum motionis principium in eis est. Quare totum quidē animal natura se mouet. Verū corpus tum natura, tum præter naturam potest moueri Interest enim tali, an tali cieatur motu, & ex quo constet elemēto.* Eorum

b Eorum sane quę per se) Secūda diuisio est. Eorum quę per se, & non ex accidente mouētur, alia mouentur à se, alia ab alio, alia secundū naturam, alia præter naturam. Ea verò, quę à se mouentur, secundum naturam moueri inquit, quandoquidem suę motionis principium in se cohibent, vt animantes: sicuti ea quę pręter naturam cientur, ab externo motore aguntur. Docet tamen licet animal beneficio motricis virtutis ipsi ingenitæ naturaliter moueatur; tamen si prędominantis elementi ratio habenda sit, posse tum naturaliter, tum pręter naturam ferri. Naturaliter, si tendat quo eiusmodi elementum inclinat: prętet naturam, si aliò deducatur. Nam v. g. corpus humanum, quia in eo terrę pondus prævalet, naturali impetu deorsū vergit, violento sursū. Quod si aliqua essent aeria animalia, vt Platonici quidam ponebant, eorum ascensus naturalis esset, descensus verò contra naturam.

Quę à se mouentur, secundum naturā moueri.

Aeria animalia Platonicorum.

c Eorum autem, quę mouentur ab alio) Tertia diuisio est ex ijs, quę ab alio motum accipiunt, alia naturaliter, alia pręter naturam mouentur: naturaliter mouentur inferiora deorsum: pręter naturam, ac motu violento superiora in imum, inferiora in superum locum. Inter illa verò, quę pręter naturam mouentur, numerat partes animalium quatenus interdum ob prępostertum situm, vel inordinatum mouendi modum, aliter quam natura postulat, ferũtur, vt si quis manibus ambularet, aut tibias in anteriorem partem flecteret.

Omne quod mouetur, ab alio moueri.

d Ac maximè quidem) Accedit ad demonstrandum omne, quod mouetur, ab alio moueri. Ac primùm conspicuum esse ait omne, quod pręter naturam mouetur, moueri ab alio; quod enim ad eum modum cietur, ab aliquo externo principio agitari solet. Hoc autem diuersum esse à re quę mouetur, nemo ambigit. Sed idè quoque notum esse inquit ijs, quę interno principio secũdum naturam aguntur, hoc est, in viuentibus, hęc enim ab alio moueri cõstat; licet quonam modo ab eo, quod mouet, distinguantur, haud satis manifestum fit. Videri tamen animal eo pacto se habere, quo nauis, quę cieri à se dicitur, propterea quod à nauta, quem in se continet, mouetur: atque ita id, quod in animantibus motionem affert, & quod eandẽ recipit, diuersa esse, vt nauem, & nautam.

In animantibus differre id quod mouet ab eo, quod motũ recipit.

e Maximè vero) Dubitationem esse ait circa membrum tertię diuisionis, in quo cõtinentur ea, quę ab alio naturaliter moueri dicuntur, propter grauia & leuia, cùm naturalia loca petunt. Etenim quod ab interno principio non cieantur, ea ratio probat, quia ab se moueri, vitę & animantium proprium est: grauia autem & leuia, qua talia sunt, non participant vitam. Deinde quia quod ab se mouetur, pręsertim more animantiũ, in sua potestate habet quiescere & in cõtrarias partes ferri, quod grauibus & leuibus non conuenit. Postremò quia perfectè cõtinua, & quę constant partibus similis naturę, & rationis; cuiusmodi sunt grauia & leuia, non habent partem vnam integrantem quę motum edat, alteram quę recipiat; quod in ijs, quę ab se mouentur, requiritur. Hic aduerte, cum bruta animantia dicuntur posse per se in medio motu stare, id non ita accipiendum, quasi perseuerante in eis eadem apprehensione, & iudicio quale in ipsis cernitur.

Dubitatió de motu grauiũ & leuium.

c Eorun autem quæ mouẽtur ab alio alia mouentur naturà, alia præter naturam. præter naturam quidem vt terra in superum locum, & ignis in inferum. Partes etiam animalium obſitus & modos motionis pleruńq; præter naturam mouẽtur.

d Ac maxime quidem ab aliquo moueri, id quo mouent in hiſce manifestũ est, quæ præter naturam mouentur, propterea quod constet ab alio moueri. At post ea quæ præter naturam ex his quæ natura, illa quæ à ſe ipſis, vt animalia. Non enim hoc obſurdum est, ſi ab aliquo moueantur, ſed quonam pacto id quod mouet & id quod mouetur distinguere oporteat. Nam videtur vt in nauibus, & his quæ natura non constant, ita & in animalibus id quod mouet & id quod mouetur diuiſa eſſe, atque hoc modo totum ſe ipſum mouere. Text. 28.

e Maxime vero in dubium reuocatur eius, quæ tradita est, vltimæ diuiſionis reliquum membrum. Nam eorum quæ ab alio mouentur alia poſuimus præter naturam moueri: alia vero opponenda restant, quoniam natura. Atque hæc ſunt quæ afferunt dubitationem à quonam mouentur, ceu grauia & leuia. Hæc enim ad oppoſita loca vi mouentur, ad propria verò in ſuperum naturaliter id quod leue, in inferum id quod graue. A quo autem moueantur nondum constat, perinde atque cum præter naturam mouentur. Ipſa enim à ſe ipſis dici non poteſt, cùm hoc ſit vitale, & animantium proprium: atque etiam ex ſe ſtare poſſent, veluti ſi ambulandi ſibi ſit cauſa, erit etiã non abulandi. Quare ſi in igne poſitum eſſet vt ſurſum ferretur, in eodem quoque eſſet poſitum vt deorſum. Abſurdum quoque eſt ſi ipſa ſe mouent vnica à ſe ipſis cieri motione. Quì etiam fieri poteſt; vt continuũ quid copulatum vè ſe ipſum moueat? Nam quo vnũ eſt & continuũ non tactu, hoc paſſione vacat. Qua verò ſeparata ſũt, ea ratione aliud agere aliud pati eſt aptum. Nec ergo horum quicquam ſe mouet vt quæ ſint copulata nec aliud ullũ continuum: ſed quod mouet & quod mouetur in vno quoque diuiſum eſſe eſt neceſſe. Text. 29. Text. 30. Quod

terisque circunstantijs in eorũ potestate sit, cursum inhibere; hoc enim ijs tantũ conuenit, quę liberè & ex delectu operantur: sed eatenus dici posse continere cursum quatenus fieri potest vt ab apprehensione & iudicio rei, quam appetebant, cessent, eoque cessante non viterius pergant. Bruta non habere motũ in sua potestate.

f Verum sit} Docuit proximè corpora vitæ expertia à seipsis non moueri, & tamen moueri ab aliquo. Nunc vt à quo cieantur demonstret, partitur mouentia in ea, quę vi, & in ea, quę natura mouent. Vi dicitur, exempli gratia, vectis mouere, cùm eius interuentu pondus, quod suopte ingenio deorsum it, aliò defertur: calidum verò actu, vt ignis, naturaliter mouere dicitur id, quod potestatem habet vt calescat, veluti lignum. Diuidit quoq; mobilia in ea, quę natura talia sunt, idest, quę motionis suę principium in se habent, non ex accidente, sed per se; & in ea, quę natura non sunt talia, vt album Socratis, prout in maiorem tendit quantitatem. Accidit enim ei, quod augescit, album esse. Quę vi mouent.

Text. 31. *Quod intuemur in animæ expertibus, cùm animatum quidpiam illa mouet.* f *Verum sit vt hæc quoque ab aliquo semper moueantur, quod manifestum fiet diuidentibus causas. Licet verò & in mouentibus ea, quæ dicta sunt, sumere. Alia enim ex eis præter naturam possunt mouere, vt uectis, qui pondus mouere potest non natura. Alia natura, vt quod actu est calidum, mouere id potest, quod potestate calidum est. Atq; eodem modo in huius generis alijs. Similiter mobile natura id est, quod potestate quale est, aut quantum, aut aliquo in loco, cùm in se ipso tale habet principium & non ex accidenti. Esse enim idem potest tum quantum, tum quale, sed alteri alterum accidit, nec competit per se.* g *Ignis igitur & terra ab aliquo mouentur, vi quidem, cum præter naturam: naturaliter verò, cum potestate existẽtia, ad suas ipsorum proprias actiones.* h *Quoniam vero potestate esse multis modis dicitur, causa hæc est, cur manifestum non sit, à quo nam talia moueantur, vt ignis sursũ & terra deorsum. Est vero is qui discit aliter potestate sciens, aliter is qui iam habet, & non contemplatur. Sẽper autem cum actiuum & passiuum fuerint simul, id quod potestate est interdum fit actu. Exempli gratia is qui discit ex eo quod potestate est, aliud fit potestate. Nã qui sciẽtia est præditus, nec contemplatur, quodammodo potestate est sciens, sed non vt erat antequã disceret. At cum ita affectus est nisi quidpiam prohibuerit, agit & contemplatur: vel in contradictione erit, atq; ignoratione. Similiter se habent hæc & in ipsis naturalibus rebus: frigidum enim potestate calidum est: Cùm autem mutatum est, ignis est, comburit vero, nisi quidpiã prohibeat & obstet.* i *Nõ secus res se habet in graui & leui. Namq; ex graui fit leue, vt ex aqua aer: hoc enim potestate erat primum, & iam est leue, protinusq; aget, nisi aliquid impediat. Actus autem leuis est alicubi esse, & sursum, prohibetur vero cùm est in loco contrario.*

g Ignis igitur} Statuit grauia, & leuia ab alio agi, vi quidem cùm præter naturam cientur: natura verò, cùm ob potestatem qua prędita sunt, in actiones suas ferũtur, seu cùm actu fiũt id, ad quod in potestate erant, incundo vide licet proprium motum, quo naturalia loca obtineant. Grauia & leuia moueri ab alio.

h Quoniam verò potestate} Difficultatem cognoscendi a quonam grauia & leuia naturaliter mouentur, prouenire ait ex ignotatione modorum, quibus aliquid in potestate esse dicitur. Monet verò bifariã dici quidpiam esse in potestate. Vno modo ad actum primũ; altero ad actum secundum. Est autem actus primus, vt habitus scientię, à quo contemplatio oritur: secundus, vt contemplatio ipsa, quę ab habitu scientię proficiscitur. Docet ergo aliter se habere id, quod est in potestate ad actum primũ; vt qui non dum habitum scientię possidet; aliter id quod est tantùm in potestate ad actum secundũ, vt qui iã habitu scientię prædītus est, sed nihil contẽplatur: hic enim nisi eũ, quominùs agat, res aliqua impediat, potest cũ libuerit in actũ prodire; ille non itẽ: quòd etiã in naturalibus cõspicitur. Nã lignũ frigidũ est in potestate ad duplicẽ actũ: ad calorẽ, vt ad actũ primũ, ad comburendũ, vt ad actum secundũ. Vbi aduerte priorẽ potentiã dici tum remotam, tũ essentialem, Bifariam aliquid in potestate esse. Actus primus actus secundus.

quia est ad formam; actum verò illi respondentem vocari actum primum: posteriorem potentiam dici tum propinquam, tum accidentariam, quia est ad operationem; actum autem qui ei respondet, nuncupari actum secundum.

Potentia essentialis, potentia remota.

Potentia accidentaria, potentia propinqua.

i Non sic eius res habet} Ad diluendam controuersiam de motu grauium, & leuium, vtitur proposita distinctione eius, quod in potestate est, aitque bifariã ea dici in potestate esse. Vno modo antequam sint genita; altero postea quam genita sunt. Nam terra, verbi gratia, antequam in aerem vertatur, est potestate aer; atque istiusmodi potestas est ad habendum actum primum, hoc est formam aeris. Post quam verò ex terra aer genitus fuit, est in potestate proxima ad motum sursum, quia si in infero loco sit, confestim ascendet, nisi quid aliunde obstet: & hęc potestas est in ordine ad actũ secundum, videlicet ad motũ, simulque ad naturalem sedem eius beneficio obtinendam. Addit vt se res habet ad motũ localem, & locum, ita se habere ad alterationem, & accretionem, & ad qualitatẽ, & quantitatẽ.

Hocq; similiter sese habet in quanto & quali. K *Atqui & hoc quæritur, cur grauia & leuia ad sua ipsorum loca moueantur. Causa autem est, quoniam alicubi apta sunt esse. Atq; hoc leui & graui est esse, illud quidem supero loco hoc infero definitum.* l *Multis autem vt dictum est modis graue & leue sunt potestate. Nam cùm est aqua, potestate quodammodo est leue: & cùm est aer, adhuc potestate. Fieri enim potest, vt impeditum in supero loco non sit. Sed si id, quod impedit, amotum fuerit, agit, semperque sursum contendit: similiter & quale in actu tale mutatur: nam qui scit protinus contemplatur nisi quidpiam impediat: & quod quantum est extenditur, nisi quid obstiterit. Qui verò id, quod subest prohibet q; dimouit, partim mouet partim non mouet, vt qui columnam subtraxit, aut ab vtre, qui est in aqua, lapidem dimouit: ex accidenti enim mouet: quemadmodum & pila reflexa non à pariete mota est, sed ab eo qui projecit. Nihil igitur horum ipsum se mouere, sed motus principium habere, non quidem mouendi neque agendi, sed patiendi manifestum est.* m *Si ergo quæ mouentur omnia aut præter naturam & vi mouentur, & quæ vi aut præter naturam mouentur, ea omnia ab alio atque ab alio: rursus eorum quæ natura, ea quæ à se ipsis mouentur, ab aliquo mouentur: item ea quæ non à se ipsis vt grauia & leuia (aut enim ab eo quod genuit & leue fecit & graue, aut ab eo quod prohibentia atque impedientia dimouit) omnia sane, quæ motu cientur, ab aliquo mouentur.* Text. 33.

Cur grauia & leuia in loca propria ferãtur.

k Atqui & hoc quæritur} Esto locus grauium & leuiũ sit ipsorum actus; quæri tamen à quibusdam solet cur in ea tendant. Respõdet causam esse, quia vnũquodque corpus habet aptitudinẽ vt alicubi tanquam in natiua sede consistat, vt nimirũ in ea sese meliùs tueatur; hęc verò respectu leuiũ est locus superus, respectu grauium infimus.

l Multis autẽ modis} Inculcat rursus geminam illam potestatem, quam grauibus, & leuibus inesse dixit. Tum docet eum, qui remouet id quod impediebat, ne grauia aut leuia in suum locum tenderent, partim non mouere illa; partim mouere: non mouere quidem per se, mouere autem ex accidente, vt qui reuellit columnam, qua tectum fulciebatur, vel pondus quo vter aere plenus intra aquam detinebatur, per accidens ijs corporibus motum afferre dicitur; quo etiam modo pila per accidens mouetur à pariete, à quo reflectitur, per se verò à projectore. Vult ergo Aristoteles grauia & leuia cùm in propria loca feruntur ab eodem deduci per se ad eiusmodi actũ secundum ex potestate proxima, à quo ex potestate remota ducuntur ad actum primum, hoc est à suo generante, nec habere in se ipsis principem causam efficientem horum motuum.

Grauia & leuia non habere in se principem causã sui motus.

m Si ergo quę mouentur} Ex superiori disceptatione colligit omne quod mouetur ab alio moueri; siquidem non ea tantùm, de quibus superiùs actum fuerat, sed etiam grauia, & leuia ab alio moueri constat: per accidens quidem ab eo, quod motus impedimenta remouet; per se verò ab eo, à quo genita fuere. Atque hoc quidem theorema, nempe omne quod mouetur ab alio moueri, demonstrauerat etiam Aristoteles initio libri septimi, etsi hoc loco accuratius, quod ab eo pleręque disputationes de motu Physico pendeant.

Concl. disputationis.

QVAESTIO

QVÆSTIO I.

A QVO NAM MOVEANTVR CORpora grauia, & leuia, cùm in propria loca tendunt.

ARTICVLVS I.

OPINIO EXISTIMANTIVM moueri ab se, eorumque argumenta.

Sententia Scoti & aliorũ.

DVæ sunt in proposita quæstione celebriores sententiæ; altera Scoti in 2.d.2.q.10. Gregorij d.6.q.1.art. 3. Ianduni hoc in libro.q.12. Saxoniæ.q.6. Augustini Niphi in commentarijs super cap.4. eiusdẽ libri. Achillini.3. de elementis.q.2. Abulensis. q. 224. super cap.22. Matthæi; & aliorum asserentium grauia, & leuia à se ipsis, vt à principe sui motus causa efficienter moueri; quæ sententia hunc in modum comprobatur. Primò cùm elementa ad propria loca tendunt, veluti cùm ignis in sublime euolat, non mouentur, vt opinati quidam sunt, à loco naturali eo modo, quo ferrum à magnete; cùm locus nullam habeat allicien-di vim, nullam ve attractoriam qualitatem ex se fundat. Non à medio, vt alij putauere; siquidem medium æquè se habet ad omnẽ motum, nec magis ad hanc, quàm ad illam partem euocat. Sed neque à generante, vt mox patebit. Supereſt ergo vt à se ipsis intrinsecus moueantur. Quòd non à generante ostenditur. Primum, quia sæpe accidit vt dũ ignis, verbi gratia, in suũ fertur locũ, iã ignis aliꝰ, à quo ꝓgnatus fuerat, interciderit. Cũ igitur effectꝰ in actu causã in actu deposcat; vt est apud Aristotelem 2. huius operis, cap. 3. text. 37. & 5. Metaphys. cap. 2. text. 3. fieri nequibit, vt ignis à generante moueatur. Accedit quod mouentis relatio videtur realis esse, cùm non pendeat à mentis notione, ac nullo cogitante insit; quæ proinde non nisi inter extrema actu existentia versabitur. Quo fiet vt nihil possit actu, nisi abeo, quod actu est, cieri.

Vt Cliethouei in comment. scholę Parisiẽsis hoc in lib.c.4. Buridani q.4. Maironij in 2.d.14.q.6.

Varias ã hac re opiniones refert, & confutat Zimara 2. de anima ad tex.54. Gregorius in 2.d.6.q.1.art. 3. Rich. in 2 d.14.q.4. circa 2.princ.

1.arg. Grauia & leuia non moueri à loco.

Nec à medio.

Effectum in actu requirere causam in actu.

Secundò. Cùm omnia elementa in se vicissim commeent, vt ex 2. de ortu, & interitu cap.2. text.8. constat: vtique interdum grauia à leuibus, leuia à grauibus exoriri oportet; ergo si quodlibet à suo progenitore mouetur; nonnunquam leuibus descensus grauium; grauibus ascensus leuium; itemque virtutes horum motuum effectrices

2.arg.

ctrices aſcribentur; quod dictu abſurdum videtur; cùm nihil id, quō caret, conferre queat.

3.arg. Tertiò. Motor corporea mole præditus non mouet niſi mouea-tur; eſtque primi mouentis proprium mouere non motum; vt 7. huius operis cap. 1. à text. 3. Ariſtoteles docuit: Atqui dum corpora grauia & leuia motus ſuos ineunt, eorum progenitores plerunque non mouentur: non igitur illorum motus ab his efficiuntur.

4.arg. Quartò. Si motus grauium & leuium eſſet à generante, ab eodem eſſet motus, quo corpora ad impediendum vacuum feruntur; cùm natura non minorem ad hunc, quam ad illum motum rei genitæ pro penſionem indiderit; ſed hic non aſcribitur generanti, ergo nec ille.

5.arg. Argentum viuum aqua terrea, vel terra aquea. Quintò. Si grauia & leuia mouerentur à generante, ab eo etiam moueretur argentum viuum, cùm ſit vnum è grauibus corporibus, vtpote aqua terrea, vel terra aquea: at quòd non moueatur, ea ratio oſtendit, quia motus inditus à generante, ſi vllus ſit, eò videtur ſpectare, vt eius beneficio corpora locum acquirant, & in eo quieſcant: at argentum viuum minime quieſcit.

6.arg. Sextò. Non minus naturalis eſt corpori graui, & leui ſua motio, quàm igni calefactio, quàm omnibus viuentibus functiones vitæ, quàm animali motus cordis & reſpiratio, quàm naturæ intellectrici appetitio finis; atqui hæc non ſunt à generante; ergo nec motio illa grauium, & leuium.

7.arg. Poſtremò. Quicquid extrinſecus cietur, aut pellitur, aut trahitur, aut voluitur, aut vehitur, vt capite. 2. lib. 7. huius operis tex. 10. Ariſtoteles docuit; ſed nulla harum mouendi ratio conuenit grauibus, & leuibus, dum loca naturalia capeſſunt, cum eorum motus naturales ſint, hi vero omnes contra naturam. Non videtur igitur admittendum grauia, & leuia à generantibus ad ſua naturalia loca duci; ſed potius motus ſui cauſam intra ſe habere.

Hiſce argumentis, vt alia prætereamus, hæc ſententia confirmari poteſt. Quod ſi quiſpiam Scoto, & Gregorio præcipuis eius aſſertoribus Ariſtotelem opponat, cap. 4. huius libri diſertis verbis affirmantem grauia, & leuia non ab ſe moueri; occurrit Scotus ideo Ariſtotelem dixiſſe ea non moueri à ſe, quod non progrediantur more animalium quæ cùm ex apprehenſione, & appetitu agant, ſiſtere ſe ipſa poſſunt in medio curſu, atque in oppoſitas locorum differentias mouere, quod grauibus, & leuibus minimè conuenit. Gregorius verò ſentit ea ratione dictum id ab Ariſtotele, quod oporteat eiuſmodi corpora antequam moueantur extra natiuam ſedē conſtitui adimiq; eis motus impedimēta, quod præſtare per ſe ipſa nequeūt.

ARTICVLVS II.

GRAVIA ET LEVIA NON A SE IPSIS, ſed à generantibus, vt à principe cauſa moueri.

D. Tho-

D. Thomas tum alijs in locis, tum in 1.p.q.18.art.1. & ibidem Caietanus, Magnus Albertus hoc loco tractatu. 2. capite 4. Ferrarienſis q.9.& 1.contra gentes.c.97. Aegidius quodlibeto.5.q.16. Capreolus in 2.d.6.q.vnica art.3. alijque complures exiſtimant grauia, & leuia cùm naturalia loca petunt, effectiue, & principaliter moueri à ſuis progenitoribus. Verùm qui hanc ſequuntur partem in varias ſententias abiere. Quidam omnes grauium, & leuiũ corporum motus (ſi tamen naturales ſint, de his enim tantummodo in hac diſceptatione loquimur) generantibus aſcribunt: alij non omnes; ſed primum duntaxat; ſi nimirum contigerit prædicta corpora extra naturalem locum gigni, moxque ad eum ferri. Præterea ſunt qui putent formam ſubſtantialem grauium, & leuium paſsiuè ſeſe habere ad eum motum; grauitatem verò, & leuitatem vt inſtrumenta. Denique alij motum hunc & à forma ſubſtantiali grauium, & leuium, & ab eorum grauitate, & leuitate oriri cenſent; diuerſa tamen ratione, nempe à forma ſubſtantiali, vt à principali inſtrumento; à grauitate, & leuitate, vt ab inſtrumento minus præcipuo.

Aſſertores affirmatiuę partis.

Diſsidium inter eos.

Hæc controuerſia tribus concluſionibus dirimenda eſt. Prima ſit, Grauia, & leuia cùm in naturalia loca tendunt, non mouentur ab ſe, vt à principe cauſa ſui motus. Hæc ita probatur, Mouere ſe ſimpliciter, & vt principalem ſui motus cauſam eſt proprium munus vitæ; atqui elementa non viuunt; nequeunt igitur eo pacto ſeſe mouere. Maior eſt Ariſtotelis hoc in libro cap.4.text.29. & 1.de anima.cap. 2.text.19.& libro 2.eiuſdem operis cap.2.text.13. Itemque Platonis.10. de legibus, & in Phædro, vbi ita ſcripſit φ῀ γαρ ἔζωθεν τὸ κιεῖσθαι, ἄψυχον, ᾧ δὲ ἔνδοθεν αὐτὸ ἐξ ἑαυτοῦ, ἔμψυχον, ideſt cui forinſecus eſt moueri, id inanimatum eſt, cui vero intrinſecus ſibi ex ſe, animatũ). Denique vt Philoſophorum axioma habetur, moueri ab intrinſeco, eſſe quaſi notam, & characterem, quo res vitæ participes dignoſcuntur, & à non viuentibus ſeparantur; adeoque hoc cõmuni ſenſu receptum eſt, vt, (quod præter alios aduertit D. Thomas 1. lib. contra gent. cap.97.) res inanimas celeri aut perẽni motu agitatas, quarum motores vulgus neſcit, per ſimilitudinem viuas nũcupemus, vt argentum viuum, aquam viuam.

Prima concl.

Ariſtot.

Plat.

Moueri ab ſe proprium viuentium.

Viuẽtes aquę vnde dictę.

Lege etiã D. Th. 1.p.q.18. art.1.

Secundò confirmatur eadem concluſio, quia ex Ariſtotelico dogmate hoc in libro, cap.4.text.28. in omni corpore, quod abſe mouetur (intellige vt à cauſa effectrici principali) præter formam quæ eſt principium actiuum quo motus; & materiam, quæ eiuſdem principium paſsiuum eſt, duas oportet ineſſe partes inter ſe diſtinctas, quarum vna mouens ſit, altera mota, quod in animantibus patet, in quibus pars vna, nempe cor, reliquum corpus agitat, atque inde exteræ partes motionem accipiunt. Cùm igitur hoc in elementis minime viſatur, vtpote quorum partes homogeneæ, atque eiuſdem omnino ſunt rationis; nequibunt elementa ex ſe moueri. Ad hæc cùm Ariſtoteles capite proxime citato probare inſtituiſſet non omnia, quæ

In omni corpore ſe ipſum mouente dari partẽ vnã motam, alteramque mouentẽ.

quæ natura mouentur, intrinsecùs agi; sed quædam ab externo motore: id ostendit ex motu grauium, & leuium, quin verò eo potissimum discrimine viuentia ab ijs, quæ vita carent, distinxit; quòd illa ab interno motore cieantur, hæc non item. Ex quo planum videtur corpora grauia, & leuia secundum Peripateticam disciplinam haudquaquam dici posse ab se moueri, nec ad rem esse Scoti, & Gregorij interpretationem.

Secunda conclusio.

Sit secunda conclusio. Grauia, & leuia quoties naturalia loca petunt mouentur à generante, vt à principe causa effectrice sui motus. Huius conclusionis astruendæ præcipua momenta sita sunt in explicanda ratione, ob quam grauia, & leuia à generantibus moueri censenda sint; in qua non parum interpretes laborant. Quidam huius rei causam putant quòd generantis sit ea tribuere, quæ ad perfectum statum rei genitæ pertinent, è quibus vnum est naturali, ac proprio loco potiri. Verùm si ea causa est, cur non etiam viuentis accretio genitori tribuatur, cùm ea quantitas, quam viuens per accretionem cõparat, non minus ad naturalem eius perfectionem spectet, quàm locus ad naturalem perfectionem grauium, & leuium.

Quorundam ratio, quę nõ sufficit.

Ratio aliorũ.

Occurrunt proinde alij, motus grauium, & leuium veluti natiuas eorum proprietates esse: vnde quemadmodum proprietates, quæ à natura rei genitæ in ipso generationis momento necessaria emanatione fluunt, genitori tribuuntur (adeò vt si tunc risibilitas, verbi gratia, diuina virtute impediretur, ne dimaneret, postea verò sublato impedimento flueret; adhuc à genitore tribui diceretur) ita prædictos motus effici aiunt à generantibus, vt pote qui & à forma grauiũ, & leuium oriuntur, sicuti risibilitas à forma humana; & omnes primo generationis instanti, in sua quasi radice, & fonte inchoantur; ita vtsi eiusmodi motus aliunde impediri contingat, summoto impedimento confestim sequantur.

Sed neque huiusmodi explicatio rei propositæ difficultatem omnino adimit. Quare addendum aliquid est, quo ratio ita compleatur, vt aduersariorum calumniam prorsus effugiat. Erit igitur huncin modum enodanda, atque explicanda conclusio. Agens quod corpus aliquod graue, aut leue progignit; in instanti generationis tribuit illi esse; ergo eidem etiam conferat necesse est quicquid ad naturalem illius dispositionem in eodem instanti pertinet; cùm id sit velut essentiæ corollarium, ac generationis complementum; sed ad naturalem dispositionem grauium, & leuium in eo puncto, quo generantur, sicuti & reliquo insequenti tempore, pertinet esse in loco naturali, vt perspicuum est; ergo hoc à generante contribuendum erit. Deinde agens, cui ex naturæ officio incumbit aliquid tribuere, debet (ne deficere in necessarijs videatur) conferre etiam quicquid via mediumve sit ad id obtinendum, & ad idem, si amitti contingat, recuperandum. Cùm igitur ad genitorem attineat grauia, & leuia in naturalibus locis constituere, eiusdem quoque erit opem, ac mediũ exhi-

Vera ac germana ratio cur grauia dicantur moueri a generantibus.

exhibere, quo in ea ferantur, tum immediatè post generationem; si extra illa generentur; tum quotiescunque ab illis diiuncta fuerint; cùm in omnibus æqua sit ratio; atqui hoc medium, præter alia, est ipse corporum grauium, & leuium motus; ergo à generante efficiendus erit, eidemque attribuendus.

Hinc iam non difficile erit intelligere cur motus viuentium genitori non ascribantur sicuti motus grauium, & leuium. Nimirū quia licet à forma, quam eis generans indidit, oriantur; non tamen sūt ad acquirendam naturalem dispositionem, aliquamvè perfectionē viuenti in instāti generationis debitā, ad quā proinde à generante duci deberent. Nam ea quantitas v.g. quæ per accretionem accedit, nō debebatur rei viuenti momento, quo genita est: nec item aquæ potio, ob quam animal ad fluuium contendit: quod similiter in alijs id genus motionibus considerāti facile apparebit. Itaque rerum viuentiū genitores suo munere absolutè perfuncti censentur, vbi primū genitis, & formam, & quæ eam consequuntur perfectiones elargiti sunt; moxque viuentia sibi ipsis relinquunt, vt per se propria munia administrent. Ob eamque rem Aristoteles in libro de animalium motu comparat animal ciuitati, quæ externo principe, à quo regatur, non eget; quia nimirum actiones vitales sic à viuente exhibentur, vt iam à nullo externo motore obiri dicantur. Denique corroboratur eadem conclusio ex eo quia cùm grauia & leuia, vt in prima conclusione ostendimus, sui motus auctorem in se non habeant, oportet vt aliunde cieantur. Quare cùm non sit aliud, à quo cieri queant præter generans, consequēs est vt ab illo moueri ixistimāda sint. Accedit locuples, atq; apertū Aristotelis testimoniū, qui vbicunq; de grauiū, & leuiū motu differit, ea non à se sed à generantibus moueri palám edocet, vt hoc lib. text 17. 29. 32. & lib. 5. cap. 2. text. 18. & 2. libro de cœlo, capite 2. text. 9. & in libro de motu animalium capite 3.

Cur motus viuentiū non attribuantur generanti.

Consule D. Thomam 1. p. q. 77. art. 6.

Ex dictis nonnulla inferuntur consectaria. Primum est. Omnes facultates, potentias, & affectiones, quibus res in instanti suæ procreationis per se adornantur, vt vim alendi, sentiendi, loco mouēdi; item etiam quantitatem, temperamentum aliaq; eiusmodi, licet proxime à forma rei genitæ dimanent, attribuenda tamen esse, vt principali causæ, ipsi generanti, siue efficienti. Alterum est minus rectè sentire eos, qui non omnes grauium, & leuium corporum motus; sed eum tantùm quo cientur, dum extra locum naturalem genita ad eū primò feruntur, genitoribus ascribunt: cùm superiora argumenta de omnibus indiscriminatim idem iudicium ferendum esse concludant. Tertium est. Id quod de leuium, & grauium latione pronuntiauimus, intelligi etiam debere de motu, quo mista ex elementi dominantis vi naturaliter feruntur: itemque de ijs motionibus, quibus natiuæ qualitates quasi postliminio corporibus spōte sua redeūt, vt cùm aqua ad suum frigus, aer ad propriam humiditatem amoto ex-

Primum cōsectarium.

2.

3.

Mista cum vi dominantis elementi feruntur.

terno impedimento per se reducitur. Etenim in his omnibus eadem ratio est vt iam consideranti erit perspicuum.

ARTICVLVS III.

GRAVIA ET LEVIA MOVERI à sua forma, & à grauitate & leuitate, vt à causa minus præcipua, & tanquã ab instrumẽto generãtium.

EGimus de principali causa motus grauium & leuium; superest vt de minus præcipua, & instrumentaria causa disceptemus. Sit tertia conclusio. Grauia, & leuia non habent in se principium passiuum duntaxat suorum motuum, sed mouentur effectiue à propria forma, vt à principali instrumento generantis, itemq; ab insita grauitate, & leuitate, vt à minus præcipuo instrumento eiusdẽ. Hæc conclusio asseritur, tum ab alijs, tum à D. Thoma partim in 3. d. 22. q. 3. art. 2. quæstiuncula. 1. & 3. contra gentes capite 23. partim in 1.2.q. 36. art. 2. & si alibi oppositum censuisse videri posset, cuius tamen dicta conciliat Capreolus in 2.d.6. q. 1. artic. 3. Probaturq; primum ex Aristotele docente 4. lib. de cœlo, cap. 3. text. 25. grauibus, & leuibus inesse principium actiuum suorum motuum.

Tertia cõcl.

Eius asserto-res.

Cõfirmatio.

Item quia cùm grauia & leuia absente generante in naturalia locа tendant, necessariò dandum est aliquod instrumentum ab eo relictũ, cuius vi moueantur, hoc autem aliud esse non potest quàm eorum forma substantialis, & quæ ipsam consequuntur grauitas, ac leuitas.

Rursum quòd grauitas, & leuitas ad suorum corporum motus effectiuè concurrant ex eo priuatim suadetur, quia huiusmodi qualitates nihil aliud sunt; quàm virtutes motrices, seu potentiæ à natura datæ ad exequendum motum, sicuti intellectus ad actũ intelligendi, voluntas ad actum volendi. Vnde Aristoteles. 4. de cœlo cap. 1. text. 2. dixit grauia, & leuia χώπερα hoc est incitamenta motus in se habere καὶ τὰ διεργετικά, hoc est fomites ad motus, hisce verbis grauitatem, & leuitatem designans. Postremò quòd ad eundem motum ipsa forma substantialis grauium, & leuium, interuentu tamen motricium facultatum influat, ex eo ostenditur, quia cùm ab illa grauitas, & leuitas dimanent (ab illa, inquam, vt quo: supposità nãque est id, quod eiusmodi qualitates vt agẽs quod ĩmediatum ex se profundit) consequens est vt earum actus, seu motus, ipsi quoque substantiali formæ ascribendi sint; mediatè tamen, & vt causæ vniuersaliori. Manare autem grauitatem & leuitatem à forma grauium & leuium probat ea ratio, qua D. Thomas prima parte quæstione. 77. articu. 6. ostendit omnes animæ potentias

Grauitas & leuitas motrices facultates.

Forma substãtialis grauiũ & leuiũ influit actiuè ad motum.

ab eius

ab eius essentia fluere. Nam cùm forma substantialis sit id, per quod res composita substantialem, & absolutum actum possidet; necesse est vt eadem forma ex se pariat, atque efficiat actus omnes accidentarios natiuos, propriosque subiecto, & qui naturæ ordine actum primum consequuntur.

At enim obijciet quispiam. Cùm generans ad pristinum frigus aquam reducit, non vtitur ad id medio aliquo instrumento; sed eã reductionem per formam immediatè exequitur; ergo pari ratione, cùm grauia & leuia ad sua loca feruntur, eorum motus immediatè à forma, non autem à grauitate, & leuitate proficiscentur. Item Aristoteles quarto capite huius libri text. 32. apertè asseruit grauia, & leuia non habere in se principium agendi, sed patiendi; ergo nihil grauibus,& leuibus inest, quod ipsorum motus efficienter administret. Obiectio. 1. Obiectio. 2.

Hisce obiectionibus hunc in modũ occurrendum est: priori quidem; ideo grauibus, & leuibus inditam fuisse à natura motricẽ qualitatem distinctam à forma;quia cùm ferri debeant ad naturalia loca, à quibus sæpe distant, quæq; ab alijs corporibus occupantur,oportuit ingenitam illis esse aliquam vim effectricem impulsus, qua medium perrumperent, difficultatesque in itinere occursantes superarent; ac denique corpora locum ipsis debitum occupantia pellerent. Quod cùm in motu, qui ad qualitates tendit, minimè contingat,non oportuit vllam dari aquæ facultatem,qua se in pristinum frigus vindicaret. Dilutio. 1. Obiect.

Erit tamen qui probare contendat etiam aquam insita aliqua virtute, aliovè medio ad prædictam reuocationem vti, similiterq; alia elementa cùm repetunt naturalem statum suarum qualitatum. Eadem nanque in ijs ratio videtur esse, atque in cõpositis; cùm natiuũ temperamentum recuperant. Ac quod hæc tali virtute intermedia prædita sint suadetur,quia cũ hostia cõsecrata vltra suã tẽperiẽ à corpore circũfuso frigefit, deinde eo amoto per se ad natiuum calorem redit; ea reditio non oritur à forma panis, quæ iam ibi non est; nec verò à quantitate, quæ nullam habet efficientiam: supereſt ergo vt oriatur ab aliqua virtute panis ibi relicta, dataque ad id ministerium à natura. Huic dubitationi, omissis aliorum responsionibus, occurrendum est,hostiam consecratam reuocari immediatè diuina virtute ad prædictam temperiem, Deo id ita instituente, ac præstante, vt eiusmodi actiones eo modo procedant, ac si ibi esset forma & materia panis. Neque id nouum omnino, au distinctum miraculum reputandum est; cùm id Deus ratione antecedentis, præcipuique miraculi, quo substantia panis in corpus CHRISTI conuersa est, efficere decreuerit: sicut etiam cùm vermis ex speciebus consecratis gignitur, ex eodem decreto materiam ipse supponit siue denuo creatam; siue eandem, quæ abolita fuerat, reproductam; Oppugnatio solutionis.

Maironius in 2. d. 23. quæst. 6.

Refutatio oppugnationis.

siue ab alio corpore ascitam; ex qua vnà cum substantiali forma, quam agẽs naturale inducit, vermis coalescat; vti primo huius operis libro diximus. Cap. 9. q. 5. art. 3.

Sol. 2. obie. Posteriori obiectioni satisfit dicẽdo cùm Aristoteles negat inesse grauibus & leuibus principium mouendi, loqui de principio seu causa principali efficiente; concedere tamen inesse eis principium patiendi, seu recipiendi motum principale; quod est ipsorum materia prout habet actum formæ. Quod nostræ sententiæ minimè aduersatur.

ARTICVLVS IIII.

DILVVNTVR ARGVMENTA INITIO quæstionis proposita.

ACcedamus nunc ad explicanda argumenta primi articuli, quæ tametsi probabilia sint, non tamen concludunt. Ad primum concessa maiori propositione, negãda est minor, ad cuius priorem confirmationem dicendum vtcunque se habeat generans, siue absens, siue præsens sit; siue interierit, siue non; semper ab eo corpus graue, & leue moueri. Illud enim Aristotelis, effectus in actu requirit causam in actu, non ita accipiendum est quasi oporteat dum existit effectus existere actu causam. Id enim falsum esse patet in causa etiam finali, cuius realem existentiam præit effectus, vt deambulatio sanitatem. Est ergo vera illius sententia, quatenus significat effectum, dum actu editur, exposcere causam actu causalitatem exercentem. Adde etiam licet non existat genitor, existere tamen formam, & motricem virtutem, quam rei genitæ indidit, quarum interuentu, & quasi vicaria opera motum exequitur. Nec id, quod de relatione mouentis adijcitur, quicquam efficit. Non enim omnis relatio mouentis ad rem motam realis est, aut nullo intellectu cogitante existit; sed ea tantùm, quæ inter extrema actu existentia versatur seruatis cæteris, quæ ad id requiruntur, cõditionibus, de quibus alibi.

Effectus actu requirit causam in actu qui sensus.

Non omnis relatio mouẽtis ad rẽ motã realis est.

Causa æquiuoca.

Ad secundum dicẽdum est omne generans principale grauis, aut leuis, graue aut leue esse, vno è duobus modis; vel actu & formaliter, si sit causa vniuoca, vt cùm ignis ignem producit: vel potestate & virtute si sit causa æquiuoca, vt cùm sol radiorũ coitione ignẽ efficit. Dicitur autem sol virtute grauis, sicuti & virtute calidus; quia vim habet producendi illud elementum, siue mistum, cuius formam grauitas necessariò consequitur. Quod verò aiunt nihil id, quo caret, tribuere; intelligitur de re, quæ id quod tribuendum est, neque actu, nec potestate in se cohibet. Quare absurdum non erit grauia moueri ab ijs, quæ non sunt actu grauia, vel leuia ab ijs, quæ actu leuia

uia non sunt; dummodo id sint virtute & potestate.

Pro explicatione tertij argumenti sciendum propositionem illã, mouens corporeum non mouet nisi moueatur, si absolutè, ac secundum eũ sensum, quem præsefert, sumatur, falsam esse; cùm magnes immotus ferrum ad se trahat. Est ergo ita intelligenda, vt nullum mouens corporeum moueat secundum locum, inijciendo immediatè, ac per se impulsũ rei motæ, quin ipsum moueatur. Magnes autem non eo pacto ferrum mouet, sed alterando prius medium, eiq́ue imprimendo attractoriam qualitatem. Vel, dicitur agens corporeũ non mouere immotum, idest, nisi actu vel potentia moueatur: quod pro certo habetur. Quin verò solius primi ac supremi mouentis proprium est nullum omnino motum, aut mutationem subire posse, sed sic omnibus influere, vt stabilis manens det cuncta moueri. Hisce modis explicata Aristotelis propositio firmam retinet veritatem, quantumlibet ei Theophrastus restiterit in eo opere, in quo locos ab Aristotele ante tractatos discussit. Cuius argumenta lege si placet apud Themistium in paraphrasi lib. 1. de anima cap. 17. & apud Zimaram in theorematis, propositione 94. Hinc perspicua iam est nostri argumenti solutio. In primis enim generantia non mouent corpora grauia & leuia imprimendo eis immediatè impulsum. Deinde non ita mouent, vt subire ipsa motum nequeant.

Quo sẽsu vẽrum sit nullũ corpus mouere nisi moueatur.

Theophrastꝰ

Ad quartum, nõ minùs naturale esse grauibus, & leuibus ad impediendum vacuum accurrere, quàm in suum proprium locum ferri. Siquidem dum vacui metu cientur, feruntur ad acquirendam dispositionem propriam, sibiq́ue naturalem, & in instanti generationis debitam, nimirum coniunctionem cum reliquis partibus vniuersi, proindeq́ue istiusmodi etiam motio ad generans referri debet.

Dũ metu vã cui mouẽtur corpora mouẽtur à genẽrantibus.

Ad quintum respondendum est argentum viuum moueri à generante, non tamen loco consistere, quia impeditur ob concursum causarum perennem illam agitationem efficientium. Cuius quidem rei præcipua causa est grauitas adiuta humiditate, fluxibilitate, & figura rotunda. Nam grauitas (quæ tanta argento viuo insidet, vt omnia metalla, auro excepto, in eo supernatent) propellit globum deorsum, qui cùm in plano stabilem situm non inueniat, in hanc & illam partẽ voluitur, vti accidit sphæræ ligneæ in planum demissæ: grauitatem autem cohibet humiditas quodammodo fugiens contactum corporis sicci, faciensq́ue vt partes colligantur in globum; fluxibilitas verò, & figura rotunda impediunt consistentiam.

De hac re Scal. Exercit. 105. in Card. n. 1.

De motu argenti viui.

Ad sextum dicendum non magis naturale esse corpori graui, & leui in locum sibi à natura præscriptum contendere; quàm igni calefacere; id tamen non sufficere vt calefactio generanti ascribi debeat; cùm hæc non sit ad acquirendam dispositionem igni naturalem modo antè explicato; quod de omnibus vitæ functionibus similiter dicendum erit. Dubitatio tamen de motu cordis, difficiliorem habet explicatum. Nam D. Thomas opusculo. 35. Capr. in 2. d. 7. q. 2. ar. 3. Fer-

Num motus cordis sit à generante.

Ferrariẽsis ad c.97.li.1. cõtra gẽtes alijq; nõnulli cõcedũt eũ à gene rãte esse. Verũ qui hãc sequũtur opinionẽ, nõ est cur nõ idẽ quoq; de nutritione sentiant, quod tamen ijdem negant. Nam sicuti motus cordis, ita & nutritio animanti naturalis est, eique ad tuendam vitam necessaria. Quare dicendum potiùs videtur motum cordis, cùm non sit saltem per se primò ad natiuam illam, quam diximus, dispositionem comparandam; non à generante, sed ab ipsa anima, vt à principe causa proficisci. Quæ videtur esse expressa Aristotelis sen tentia ad calcem libri de motu animalium, vbi de cordis motu dispu-

Cor quasi se paratum ani mal.

tans, ait cor esse quasi separatum animal, quod per se viuit, ac mouetur; ibidemque docet animantium operationes, è quarum numero haud dubiè est motus cordis, neutiquam ab externo motore pendere.

Quod verò ad appetitionem finis attinet, Aegidius in.2.d.25.q.5. Capreolus, & Hispalensis eadem distinctione.q.vnica, Caietanus in commentarijs.1.2.q.9.arti.4. Ferrariensis 3. contra gentes ad caput 89. alijque Diui Thomæ sectatores concedunt sicuti grauia, & leuia à suis genitoribus, ita voluntatem respectu finis ab auctore naturæ moueri. In qua opinione videtur esse D. Thomas. 1.par. quæst.105. arti.4. & quæst.106. arti.2. & loco citato contra gentes. Aduersaria tamen sententia, quam Henricus Gandauensis quodlibeto.9.quæst. 5. & Scotus in 2.dist.25.quæst.vnica, alijque complures sequuntur, amplectenda est, dicendumque nullam voluntatis, aut intellectus actionem ab externo auctore oriri eo pacto, quo motus grauium & leuium; tum quia functiones vitales non nisi à viuente sunt, vt ex Aristotele, & communi Philosophantium placito docuimus; tum quia intelligendi, & volendi actus non ordinantur ad obtinendam naturalem subiecti dispositionem, & conseruationem modo iam sæpius explicato.

Motus volũtatis in finẽ nõ est à Deo vt motus gra uium & leui um à gene rante.

Motus grauiũ & leuiũ ad pulsionẽ reuocatur.

Ad vltimum dicendum motus grauium, & leuium posse reduci ad pulsionem, vt aduertit D. Thomas ad caput 2.lib.7. huius operis; generantia enim quodammodo dicuntur pellere grauia & leuia, dum eis grauitatem, leuitatẽq; conferunt, qua ad sua loca tendant. Nec verum est omnes motus, qui ab externo motore fiunt esse præter naturam, vt ex 4.cap. huius libri constat. Non enim ad violentiam motus sufficit illius principium externum esse; sed requiritur præterea vt eidem res mota obnitatur.

Capitis

Capitis quinti Explanatio

HAOc autẽ dupliciter〉 Ex eo theoremate, cuius confirmationẽ ad calcẽ superioris capitis cõclusit, videlicet, Omne, quod mouetur, ab alio mouetur, ducit ad aliud, nimirũ, Necesse est quicquid mouetur, ab aliquo primo tãdẽ moueri, qp ex se motũ efficiat nec moueatur, qp si moueatur, nõ ab alio externo, sed à se ipso motũ accipiat. Hoc verò vt ostendat, sumit duo esse moueũ genera: alterum, qp ideo mouet, quia ab alio externo ipsũ impellente mouetur, vt baculus, qui lapidẽ mouet propterea quod manu cietur. Alterũ, quod ex se motionẽ efficit non motum ab alio externo, vt animal, cùm lapidẽ mouet. Theorema philosophicum.

CAP. V.

HAOc autem dupliciter: aut enim non per ipsum mouentem, sed per aliud quid mouens mouet, aut per ipsum. b Atque hunc quidem aut primum post vltimum aut per plura, vt baculus lapidem mouet & mouetur à manu, quæ ab homine mouetur, qui non vltrà mouet quod ab alio moueatur. Vtrumque sane dicimus mouere, videlicet vltimum mouentem & primum: sed magis primum, quippe qui vltimũ moueat, non autem hic primum, quin etiam sine primo vltimus non mouebit, ille verò sine hoc, vt baculus non mouebit homine non mouente. c Si igitur necesse est quicquid mouetur ab aliquo moueri, & aut ab eo quod ab alio mouetur, aut nõ ab eo, & quidem si ab eo quod ab alio mouetur, necesse est aliquid esse mouens, quod non ab alio primum. sed si tale primum fuerit, necesse non est alterum esse. Nam quod mouet ipsumq; ab alio mouetur in infinitũ abire nõ potest, siquidẽ infinitorũ nullũ est primũ. Si ergo quicquid mouetur ab aliquo mouetur: primus autẽ mouẽs mouetur quidẽ, sed nõ ab alio, ipse à se moueatur necesse est. d Hoc etiã modo hãc eandẽ rationẽ licet concludere: quicquid mouet tũ aliquid, tũ aliquo mouet. Aut enim se ipso id quod mouet, aut alio mouet, velut homo ipse, aut baculo. Et ventus dejecit aut ipse, aut lapis quẽ impulit. Fieri verò non potest, vt id quod mouet absq; eo moueat, quod se ipso mouet. sed si se ipso moueat non est necesse aliud esse, quo mouet. Sin vero aliud sit quod mouet aliud etiã est quod se ipso non aliquo mouebit, aut in infinitum abibitur. Si igitur quidpiam quod mouetur mouet, necesse est statũ esse, & non in infinitum abire. Nam si baculus mouet quia à manu moueatur, baculum mouet manus. Si verò & hanc aliud mouet, hanc quoque aliud quiddam erit mouens. Cùm igitur aliquo aliud semper mouet, id quod se ipso mouet, prius sit necesse est. Hoc itaq; si mouetur, nõ est autẽ aliud, quod ipsũ moueat, ipsũ se mouere necesse est. Quare hac etiã ratione id quod mouetur, aut protinus ab eo mouetur, quod se ipsũ mouet, aut in id, quod huiusmodi est tandẽ acceditur. e Sed præter ea, quæ dicta sunt, si hoc quoque modo consideremus, hæc eadem efficientur.

Text. 34. Text. 35. Text. 36.

b Atque hunc quidem〉 Partitur rursus id, quod posteriori modo mouet, in id quod ita mouet, vt sit primũ post vltimum, hoc est, quod per vnũ duntaxat medium mouet: & in id, quod mouet per plura media; quo pacto Socrates interuentu manus baculum, interuentu baculi lapidem ciet. Deinde ait primã mouens, & media partim inter se cõuenire, partim differre: conuenire, quòd omnia simul mouent: differre, quod primum primò moueat, atque ita vt à nullo externo motore cieatur; deinde quod magis moueat; cùm possit mouere absque secũdo, vt homo absque baculo, non contra baculus absque homine. Primum mouens primò & efficacius mouet.

c Si igitur necesse est〉 Theorematis, quod paulò ante assignauit, veritatem comprobat, ostenditque necessariò in mouentibus deueniendum esse ad vnum primum, quod non iam vlteriùs moueatur ab alio. Disputat autem in hunc modum. Quidquid mouetur, necesse est ab aliquo moueri; Non dari progressum infinitum in mouentibus.

ueri: vel igitur id à quo mouetur, mouetur à se tantùm, vel ab alio ipsum mouente: si à se tantùm, iam datur vnum primum mouens, cùm ex se moueat, nec aliunde motum recipiat. Quod verò non possit ab alio mouente moueri, & rursus illud ab alio ita vt detur progressus in infinitum, ex eo demonstrat, quia in mouentibus infinitis nullum est primum; si autem primum non est, neque postremum, cùm hoc pendeat ab illo. Si autem primum & extremum non sint, nullus erit motus.

d Hoc etiam modo) Quæ paulò ante dicta sunt hoc loco repetuntur. non desunt qui putent ea non ab Aristotele scripta, sed in textum è margine fuisse inserta.

Nam si quidquid mouetur, ab eo, quod mouetur, moueatur, aut hoc rebus ex accidenti conuenit, vt id quidem, quod mouetur, moueat, non tamen quia ipsum semper moueatur, aut non, sed per se. Ac primum quidem si ex accidenti, non necesse est moueri id, quod mouet. Quod si hoc sit, perspicuum est fieri aliquando posse, vt nihil eorum, quæ sunt, moueatur, cùm id, quod accidit, necessarium non sit, sed possit non esse. Si ergo id, quod esse potest, posuerimus, nihil quod esse nō possit, efficietur, sed forsitan falsum. At fieri non potest, vt motus non sit, cùm antea monstratum sit motum necessariò semper esse. f *Atque ex ratione hoc euenit. Nam tria necesse est esse, id quod mouetur, id quod mouet, & id quo mouet. Id igitur, quod mouetur, necessarium quidem est moueri, at mouere necessarium non est. Id autem quo mouet, & mouere & moueri. Cùm enim simul sit cum eo, quod mouetur, vnà cum ipso mutatur. Quod in his, quæ loco mouent, perspicuum est, cùm vsque ad aliquid necessariò se tangant. At quod sic mouet, vt id non sit, quo mouet, immobile est. Cùm igitur extremum id intueamur, quod moueri quidem potest, motionis autem principium non habet, & id, quod mouetur quidem, ab alio autē non à se ipso, rationi consonum est (ne dicam necessarium) tertium quoque esse, quod immobile cùm sit, mouet. Quapropter & Anaxagoras rectè dicit, mentem inquiens impatibilem esse, & non mistam, quippe cùm motus principium eā faciat. Hoc enim solum modo immobilis manens mouebit, & mistionis expers vincet.* g *At si non ex accidēti, sed necessariò id quod mouet, mouetur, ita vt, si non moueatur, non moueat, necesse est, id, quod mouet, quatenus mouetur, aut eadē motus specie, aut alia cieri. Dico autem vel calefieri id, quod calefacit, & quod sanat, sanari, & quod fert, ferri, aut quod sanat ferri, & quod fert augeri. Sed manifestum est fieri non posse. Dicere enim oportet vsque ad indiuidua diuidendo, ceu si quid geometriam doceat, id eandem geometriam doceri, aut si iacit, eodem iaci iactus modo. Quod si non hoc modo, sed alio atque alio genere, veluti id quod fert augeri, quod autem hoc auget, ab alio alterari, id verò quod alterat, motu alio quopiam cieri, stetur certe necesse est, quandoquidem finiti sunt motus.*

Text. 37.

Text. 38.

Di-

Ex posibili non sequi impossibile.

e Sed præter ea) Probat non quidquid mouet moueri, vel enim ex accidēte mouetur, ita scilicet vt ab eo, quod mouetur, moueatur, sed tamen accidentariò eueniat, vt id quatenus mouet, moueatur: vel mouetur per se. Si ex accidente, certè nō necessariò mouetur; atque adeo si ponatur non moueri, nullū accidet impossibile: licet enim ex eo quod esse potest, falsum interdum sequatur; nunquam tamen sequitur impossibile. At si ponamus id nō moueri, tolletur omnis motus, siquidem vt aduersarij volunt, quidquid mouet mouetur. Non igitur dicendum est omne id, quod mouet, aliūde moueri.

f Atque ex ratione) Antequam posteriorem partē inchoatę demonstrationis concludat, ostendit dari mouens immobile: sed enim priùs sumit tria esse in motu; mobile, id quo mouetur, siue instrumentum, & mouens. Atque id quod mouetur, non necessariò mouere inquit, cùm possit non mouere: at instrumentum simul mouere & moueri; mouere, quia ad id assumitur, moueri, quia attingit rem motam, saltem vsque ad aliquem terminum (in motu enim locali non semper mouens toto motu coniunctum est mobili,

Tria, quæ in motu inueniuntur.

bili, vt in iactu videre est) cùm igitur in motu detur aliquid, quod dum mouetur non necessariò mouet, item aliquid, quod dum mouet necessariò mouetur; consentaneum rationi est, vt detur etiam aliquid, quod moueat, & non moueatur. Corroborat autem hoc Aristoteles testimonio Anaxagoræ, qui Mentem, quam dixit primò mouere, & segregare omnia, mistionis, motusque expertem fecit.

g At si non ex accidente) Confirmat nunc posteriorem partem minoris, videlicet non omne, quod mouet, per se & necessariò moueri. Vel enim moueretur eadem specie motus, qua moueret, vel alia: quorum neutrum dici potest. Non primum, quia alioqui sequeretur eum, qui Geometriam, verbi gratia, docet, debere simul ab alio Geometriam doceri: & eum, qui saxum voluit, debere etiam volui. Non secundum, quia species motus finitę sunt, atque ita necessariò dãdus est status, veniẽdũq; ad aliquod mouẽs, quod nõ iam alia specie motus cieatur.

Species mõtũ finitas esse.

h Nam quidquid mouetur) Quia verò diceret quispiam non oportere dari infinitas species motus sed easdem transpositas, ita nimirum, vt quod loco mouet aliquid, alteretur ab illo, & quod alterat, ab alio augeatur, & quod auget rursus, ab alio loco moueatur, sicque in infinitum transponendo. Occurrit Aristoteles adhuc nihilominus sequi rem moueri à mouente affecto eadem specie motus. Vnũquodque enim magis mouetur à primo, quam ab intermedio motore. Quare si A. mouetur a B. & hoc à C. & hoc à D. magis, A. mouetur à D. quã ab alijs, vt si motum localiter mouetur ab alterato, & alteratum ab eo quod augescit, & hoc rursus a moto localiter, rectè sequitur à primo ad vltimum, vt motum localiter moueatur à moto localiter.

Præoccupatio.

Vnũquodque magis moueri à primo, quàm à medio.

Dicere autem fieri recursum, & quod altera ferri: perinde est ac si quod ferri, & quod docet doceri statim dicatur. h *Nam quicquid mouetur, á superiori etiam mouente moueri, & magis ab eo, quod in mouentibus primum locum occupat, manifestum est. Sed fieri hoc nequit cum eueniat, vt id discat quod docet, quorum alterum scientiam habere, alterum non habere necessarium est.* i *Absurdius præterea, quam hæc sint, accidit, videlicet, quicquid mouere aptum est, mobile esse si quicquid mouetur, ab eo mouetur, quod mouetur. Erit enim mobile, perinde atq; si aliquis dixerit, quicquid sanare potest, & sanat, sanari posse, & quicquid ædificare aptum est, ædificari posse aut continuo, aut per plura. Ceu si quicquid mouere aptum est, ab alio mobile sit, non quidem eo motu, quo id mouet, quod sibi propinquum est, sed alio, vt si quod sanare aptum est discere possit. At hoc ascendendo in eandem vt diximus speciem aliquãdo perueniet. Horum igitur alterum fieri non potest, alterum figmentum est, cũ absurdũ sit id quod alterãdi vim habet, potestatẽ, vt augeatur, necessario habere.*

Text. 39. k *Non ergo necesse est id, quod mouetur, ab alio semper moueri, quod & ipsum moueatur. Quamobrem status erit. Quare quod primò mouetur, aut ab eo mouebitur, quod quieuit, aut ipsum se mouebit. Quin etiam si considerare oporteat, vtrum motionis causa sit & principium, idne, quod se mouet, an quod ab alio mouetur, illud profectò quiuis ponet.*

Quod sequatur incõmodum si omne quod mouet, per se moueatur.

Mouens immobile esse principiũ mõtus causam.

Quonã modo si quid se moueat, sibi ipsi motus causa esse possit.

Varij modi mouendi se.

Nam

i Absurdius pręterea) Repetitio est eiusdem rationis, qua posteriorem assũmptionis partem confirmauit, etsi nunc magis vniuersim procedat. Ducit ergo ad illud incommodum, si omne quod mouet, per se mouetur; quia videlicet oporteat ea quæ mouentur, aut alia & alia motus specie affici absq; termino, quod figmentum est; aut semper id quod mouet eandem specie motionem subire, vt sanari id, quod sanat, siue ab alio proximè sanitatem capiat, siue mediatè, vt cùm fit recursus ad eundem motum propter specierum finitatem, vt paulò ante dictum fuit.

k Nõ ergo necesse) Ex ijs, quę hacten9 disputata sũt, cõcludit nõ oportere id, quod mouetur, moueri sẽper ab alio, q9 aliũde motionẽ accipiat, nec dãdã in infinitũ progressionẽ, sed in aliquo tãdẽ cõsistẽdũ. Tũ subdit id, quod ita mouet, vt ab alio nõ moueatur, esse principe motus causam; quãdoquidẽ quod per se tale est, id est magis tale, quã quod alterius beneficio tale est.

l Quare alio sũpto) Aggreditur ad explicãdũ si quid se moueat, quo nã pacto sibi ipsi motus causa esse queat. Ac primũ sumit, omne mobile, & in infinitũ diuisibile & cõtinuũ esse: q9 demõstratũ fuit lib. 6. huius operis, vbi effata ad cõmunẽ de motu disciplinã ptinẽtia ex ꝓfessio tradita sũt. Deinde ꝓponit modos oẽs, quibus cõcipere animo possimus aliquid se ipsũ mouere; videlicet

delicet quod aut tōtum moueat totum, aut pars totum, aut totum partem, aut pars partem.

m Fieri igitur nequit) Reijcit primum modum, quia si totum potest totum mouere, sequeretur idem eádem specie lationis ferre & ferri posse, eadem alteratione alterare, & alterari; atque adeò docere, & doceri, sanare & sanari: quod tamen fieri non posse liquet ex eo, quia eadem res secundum eandem formam esset in actu & potestate simul.

Nō posse totum mouere totum.

n Pręterea definitum est) Iure à se fuisse exclusum primum membrum ostēdit ex ipsā motus natura, quę cùm sit actus entis in potestate, vt in potestate est, consistit in quodam progressu ad actū, & perfectionē; id verò, quod mouet, qua tale, suam perfectionē, actuq; possidet. Quo fit vt nullum totum secundum eandem formam possit esse mobile & mouens simul.

Omne mouens, qua tale, esse i actu.

o Eius igitur) Ostendit non posse aliquid totius sic mouere totum vt vtraque eius pars ab vtraque moueatur; alioqui sequeretur non dari in eo vnum aliquod primum mouens, in quo tamen necessariò consistendum est. Consecutio autem probatur, quia vtrunque foret primum, aut neutrum primum foret; quandoquidem id primum est, quod alia mouet, & id, quod ab alio mouetur, primū non est, vt superiùs dictū fuit, siue loquamur de mobilibus, quę in se sui motus causam habent, siue de ijs, quę ab extero motore ciētur.

Nam quod per se causa est eo est prius, quod est per aliud.

l *Quare alio sumpto principio hoc dispiciendum est, si quid se moueat, quonam modo se moueat. Sane necesse est quicquid mouetur, in semper diuidua diuiduum esse. Hoc namq; ante monstratum est in his, quæ vniuersim de natura, videlicet quicquid mouetur per se, continuum esse.* m *Fieri igitur nequit, vt quod se mouet, omni ex parte se moueat. Namque vnum eadem & indiuidua specie latione totum ferretur & ferret, alteraretur & alteraret. Quare doceret, & doceretur simul, & eadē sanitate sanaret & sanaretur.* n *Præterea definitum est id quod mobile est, moueri. Hoc vero cum mouetur potestate est non actu. At quod potestate est, ad actum proficiscitur, rei autem mobilis actus imperfectus est motus, quod vero mouet actu est, vt quod calidum est calefacit, & omnino id generat quod formam habet. Quare idem eodem calidum simul erit, & non calidum, similiter & aliorū vnū quodque, quorum mouens habere id necesse est, quod eiusdem nominis sit ac rationis.* o *Eius igitur, quod se mouet, aliud mouet, aliud mouetur. Fieri autem non posse, vt se quidpiam ita moueat, vt ab vtroque vtrunque moueatur, ex his manifestum est. Nihil enim primum mouens erit, si vtrunq; vtrūque mouerit. Nā quod est prius magis causa est, vt moueatur, quam id quod hæret, atq; etiam magis mouebit. Etenim bifariam erat mouere, aliud quidem quod ab alio ipsum mouetur aliud vero se ipso.* Text. 40. Text. 41.

Quod ab alio mouetur, primū non est, vt superiùs dictū fuit, siue loquamur de mobilibus, quę in se sui motus causam habent, siue de ijs, quę ab extero motore ciētur.

p Pręterea necesse nō est) Quia statuerat ātea dari mobile, quod non aliūde, sed à se moueatur, docet non propterea id ita se habere quòd vtraque eius pars vtranque moueat: ostenditq; si A. verbi gratia, moueat B. non necessariò ab illo moueri, etsi per accidens ab eodem moueri queat. Vnde fit vt possit ab illo non moueri, quandoquidē id, quod per accidens est in vtrāque partem cadere nō repugnat.

Iraq; nihil censendum erit mouere se, quod vtraque illius pars alteri motum inferat, sed quia vna est mouens non mota, altera verò ita motum recipit, vt non necessariò efferat.

q At neque necesse est) Rursus probat non propterea aliquid se mouere quod vtraque pars vtranque moueat; primùm quia, vt dictum fuit, non semper mouens ab alio mouetur, sed aut motu vacat, aut se ipsum mouet, alioqui abeundum esset in infinitum, nec daretur in motoribus status, vnde fieret, vt contra id, quod passim experimur, omnis motus è natura rerum tolleretur. Deinde quia, vt est etiam superiùs traditum, nihil ita se mouet, vt totum moueat totum, at si vtraque pars eādem motione, qua mouet, moueatur, cùm in eo euentu vtraque sibi ipsi motum allatura sit, perinde erit, aut certe nihil obstabit quominus totum moueat totum, & idem se ipsum omni ex parte calefaciat, aut sanet.

Si essent infiniti motores nullum motum futurū.

r Atqui nec eius) Excludit modū aliū, quē excogitare quis posset, nimirū mouere aliquid se, quod vna, aut plures partes se ipsas moueāt, ita vt earum merito totū se ipsum mouere perhibeatur. Nam si totum ob vnam, aut plures partes, sibi ipsis motum afferentes à se ipso

moueri

moueri posset; aut moueretur ab aliqua parte, quę se moueret, aut sicut totum à toto, moueri diceretur. Si detur primum, vtique illa pars se ipsam primò mouebit, iamque totum non censebitur mouere primò se ipsum. Si posterius, certè partes ex accidente se mouebunt, quo pacto quęlibet continui pars merito totius per accidēs mouetur. Quare poterunt partes à motu cessare, cùm nihil obstet quo minus id, quod ex accidente est, non sit. Non est igitur asserendum totum mouere se, quia vna, aut plures eius partes se mouent.

s Ipsius ergo) Ex ijs, quę disputata sunt, colligit cùm aliquod totum se ipsum mouere dicitur, semper in eo dari partem vnam, quę moueat, & immobilis permaneat; aliam siue alias, quæ motum excipiant; atque hac solummodo ratione posse quid iam se ipsum mouere. Quod insuper explanat aiens, Cùm A. B. dicitur mouere se, moueri tum à se ipso tum ab alio; videlicet à se ipso, quatenus non ab externo motore agitur, ab alio, quatenus eius pars, quę motum efficit, à toto realiter distinguitur.

In ōni toto se mouente datur vna pars, quę alias mouet.

Quod autem magis à re, quæ mouetur, distat, principio propinquius est, quàm medium. p *Præterea necesse non est id, quod mouet, moueri, nisi à se ipso. Reliquum igitur ex accidēti contra mouet. Accipi igitur posse non mouere. Quamobrē aliud erit quod mouetur, aliud quod mouet immobile.* q *At neq; necesse est id, quod mouet, contra moueri, quin potius necesse est, vt vel immobile aliquid moueat, aut quod à se mouetur, siquidem motum esse semper oportet. Eo etiam, quo mouet, motu moueretur, quare calefaciens calefieret.* r

t Cùm autem illud) Ostendit in ōni mobili, quod sui motus causa est, duas illas partes reperiri, de quibus proximè egit, mouentem immobilem; motam, & quę non necessariò mouet. Hoc autem vt apertiùs euadat tradit varia genera mouentiū, & mobilium. Atq; in primis duo genera mouentium; alterum quod mouet, & est expers motus; alterū quod mouet, & ab alio mouetur. Deinde subijcit alia etiam duo genera mobilium: vnum, quod ita mouetur, vt simul moueat aliud, quod nullum motum efficit. Quę varietas quadripartita ad tria membra reuocari potest, quia duo in vnum recidunt, nimirum

In omni mobili, quod à se mouetur dari partem mouentē, & partem motam.

Text. 42. *Atqui nec eius, quod se primum mouet, aut pars vna, aut plures se se mouebunt. Nam si totū à se mouetur, aut ab aliquo ipsius, aut totum à toto mouebitur. Si igitur quia eius pars aliqua à se moueatur, ea profecto id erit, quod primum se mouet, quia si separetur, ipsa se mouebit, totum autem minime. At si à toto totum moueatur, hæ ex accidenti seipsas mouebūt. Quare si non necessario, sumātur non moueri à se ipsis.* s *Ipsius ergo totius alia pars immobilis manens mouebit, alia mouebitur. Hoc enim tantum modo fieri potest, vt aliquid se moueat. Præterea si totum se mouet, aliud ipsius mouebit, aliud mouebitur. Ipsum igiur A. B tum à se ipso, tum ab ipso A. mouebitur.* t *Cùm autē aliud moueat, quod ab alio mouetur, aliud vero, quod immobile est: & quod mouetur, aliud mouet, aliud nihil mouet:* v *id quod se mouet ex immobili mouente, & eo, quod mouetur (non mouet autem necessario, sed vt contingit) constare necesse est.*

Text. 43.

Sit mouens quod mouetur, & mobile quod mouet.

v Id quod se mouet) Tria genera proximè tradita reperiri ait in eo, quod se mouet; licet duo tantùm necessariò inueniri debeant, disputatque in hunc modum. Sit A. mouens immobile. Sit B. id quod mouetur ab A. & mouet C. quod C. ita moueatur à B vt nihil iam vlterius moueat: hoc totum A. B. C mouebit se ipsum, cùm vna eius pars moueat immobilis, alia moueatur. Cùm vero tres partes sint, duabus manentibus, quarum vna moueat, & non moueatur; altera vero moueatur, siue moueat, siue non, & tertia dempta adhuc nihilominus se ipsam mouebit: at si duæ illę non manserint vna sublata non mouebit se ipsum. Si ergo C. auferatur à B. se ipsum mouebit, cùm eiusmodi partes in se contineat, ipsum vero C. nec se mouebit, nec mouebitur, cùm abiunctum sit ab illis, à quibus motum accipiebat. quod si A. fuerit ablatum, id quod restat, nimirum B. C non mouebit se ipsum, quandoquidē B. non mouet C. nisi quia ab A. mouetur. Tantum igitur dempto C. id quod relinquitur se

De eo, quod se mouet.

mouet, cuius quidem vna pars sic motum efficit, vt immobilis sit, altera ita mouetur, vt necessariò non moueat. Quare planum est id, quod se mouet, necessario eiusmodi partes in se continere.

x Quę quidem aut se mutuò) Explicat quo nam modo partes illę, nempe mouens, & mota, quoad situm sese habere debeant, aitque illas aut se mutuò tangere, aut vnam duntaxat ab alia tangi. Nam cùm mouens & motum debeant simul esse, oportet inter id, quod mouet, & mouetur, dari mutuum contactum, qualis est inter ignem & aerem proximum, quem calefacit: vel saltem vnum tangere alterum, etsi tangendi reciprocatio non detur, vt videre est in mouentibus materia vacantibus, verbi gratia, in anima & intelligentijs orbium cœlestium motoribus, quę cùm suę virtutis influxu, & quasi tacta mobilia tangant, ab eis tamen non tanguntur.

Inter quę mouentia, & mobilia requiritur mutuę cõtactus.

y Quod si id quod mouet) Quoniam, vt dictum est, in eo, quod se ipsum mouet, datur vna pars immobilis, altera mota, quę non necessariò mouet, declarat etiam nunc quo ratione totum hisce partibus constans seipsum mouere perhibeatur: sumitque vtranque partẽ continuam, & magnitudine prędità esse. Nã quod pars mota, siue mobile tale sit, constat ex libro 6. huius operis: de mouẽte autem idẽ supponit hoc loco, antequam rei veritas demonstratione eluceat: præsertim cùm ad præsens institutum nihil attineat vtrum ita se habeat, an nõ. Hac hypothesi præmissa, quia toti, cui duæ illæ partes insunt, tria cõueniunt, mouere, moueri, & mouere se ipsũ, docet hoc postremũ non ei attribui, quod aliqua eius pars se ipsam moueat; sed potiùs ipsum totum esse, quod mouet, & quod mouetur, non quia moueat totum, aut à toto moueatur, sed quia id, quod mouet, & quod mouetur, sunt aliquid ipsius, & vnum ciet alterum, ita vt illud alterum non necessario motum edat.

Quopacto totũ constãs parte vna mota, & altera immobili dicatur mouere se.

Sit enim A. mouens quidem, sed immobile, B. autem & moueatur ab A. & moueat C. quod moueatur quidem ab ipso B. sed nihil moueat. Siquidem enim & per plura interdum in C. veniat, sit per vnum solum. Totum igitur A.B.C. ipsum se mouet. sed si C. abstulero, A.B. se ipsum mouebit, cùm A. sit mouens, B. id quod mouetur. At verò C. non mouebit se ipsum, nec omnino mouebitur: sed nec B.C. se ipsum sine A. mouebit, quandoquidem B. mouet, quia ab alio moueatur, non quia à sui ipsius parte vlla. Solum igitur A. B. ipsum se mouet. Necesse est itaque id quod se mouet, mouens immobile habere, & id quod mouetur, nihil autem mouet necessariò, x quæ quidem aut sese mutuò contingant, aut alterũ alterum. y Quod si id quod mouet continuum sit, quod enim mouetur necessario est continuum, constat totum se mouere, non quia eius aliquid tale sit, vt ipsum se moueat, sed quod totum se mouet, mouetur quę & mouet, quod id quod mouet, & id quod mouetur ipsius sit aliquid. Non enim totum mouet, nec totum mouetur, sed A. quidem mouet, B. autem tãtum mouetur, ipsum autem C. non vlterius à B. fieri enim nõ potest. z Dubium autem est si aut ipsius B. quod mouetur, quispiam aliquid auferat, an reliquum, ipsius A. mouebit, aut quod superest ipsius B. mouebitur. Nam si hoc fiat, non primum profecto à se ipso A.B. mouebitur, cum facta ab A. B. detractione id, quod eius restat, adhuc se ipsum moueat. Text. 44

An

Dubium.

z Dubium autem est) Dubitationem quandam proponit ex dictis oriundam, nimirum si in ipso se primùm mouente, quod sit A. B. duę insint partes, vna mouens immobilis, quę est A. altera mota, nempe B. nũ detracta aliqua portione parti ipsi mouenti, quę sit cõtinua, & altera itẽ portione ablata parti motę, quę cõtinua est, nũ inquã partes, quę manẽt, adhuc sic affectę esse debeãt, vt vna nihilominus moueat, & altera moueatur: si enim ita sit planè sequitur mouens A. B. ante detractionẽ non primò mouere se ipsum, cùm idem præstet dimissa parte.

Respõsio ad propos. dub.

a An vtrunque) Diluit propositã dubitationem aiens nihil obstare quo minus id, quod ob continuitatẽ potestate diuiduum est, nequeat ad diuisionis actum perduci, vtpatet in corpore solari. Itẽ fieri posse vt id, quod in tanta quantitate mouet, aut mouetur, in minori nec

consi-

consistere, nec proinde mouere, aut moueri queat; cùm res naturales quoad minimum definitę sint. Idem videre licet in corde, quod sectum motricem vim amittit. Quare nihil prohibet secundum hanc considerationem designari aliquid se ipsum primò mouens, quatenus videlicet notari potest quantitas, in qua eius pars mouens & pars mota non iam munia sua obire valeant.

b Ita primum mouens.] Ex ijs, quę hactenus de mouentium, & mobilium statu, ratione neque disseruit, colligit id, quod suscepte disputationis scopus fuit, videlicet, quod primum mouet in omnibus, quę mouentur, immobile esse oportere: siquidē ostensum fuit nō omne, quod mouetur agitari ab alio, quod vlteriùs ab alio motum capiat; sed consistendū in vno aliquo, quod si sit vltimum mouens, motu vacet; si verò non sit, haud iam ab externo aliquo motore pulsetur, sed in se sui motus causam habeat, ita vt vna pars motum edat, nec ab alia moueatur, cęteręs verò eundem motum excipiant, nec necessariò moueant.

Primum mouens debere esse immobile.

a *An vtrumque, aut alterum, nempe id quod mouetur, potestate quidem diuiduum esse nihil prohibet, actu autem indiuiduum, & si diuisum fuerit, non eamdem vltra potestatem habere? Quare nihil obstat, quominùs in diuiduis potestate primum habeatur.* b *Ita primum mouens immobile esse ex his quæ diximus manifestum est. Seu enim quod mouetur, ab aliquo autem mouetur, in immobili primo consistat, seu in eo, quod mouetur quidem, ipsū verò se mouet, & consistit, vtroq; sane modo euenit, vt quod primum mouet in omnibus, quæ mouentur, sit immobile.*

QVÆSTIO I.

NVM ARISTOTELES RECTÈ OSTENderit esse in mundi vniuersitate vnum motorem primum.

ARTICVLVS I.

RECTE ID AB ARISTOTELE demonstratum.

OMnibus rationibus probetur esse vnum mundi principem Deum. 12. lib. Metaphysicæ cū Aristotele fusiùs pertractandum erit. Nunc paucis expendemus num Aristoteles cap. 5. huius libri, & cap. 2. libri. 2. Metaphy. rectè ostenderit deueniendum esse ad vnum primum motorem. Porro tota eius probatio ex his duobus locis collecta in hunc fere modum concluditur: si non esset vnus primus motor, omnis causalitas causarum essentiali subordinatione mouentium, atque adeò omnis earum effectus tolleretur:

Ratio Aristotelis.

Natura causarum, quę essẽtialiter subordinatione mouent.

leretur: hoc autem est apertè falsum, ergo & illud. Maior ita probatur. In omnibus causis mouentibus essentialiter subordinatis prima est causa mediæ, & media vltimæ, siue mediæ plures sint, siue vna dũtaxat: remota autem causa remouetur id, quod ab ea pendet. Ergo si non datur prima, nec erit media, nec vltima, nec vllus effectus. Quòd autem in causis essentialiter subordinatis prima sit causa mediæ, siue mediarum, hunc in modum ostenditur. Sumatur tota multitudo causarum mouentium præter eam, quæ immediatè attingit effectum; quærimus num in tota illa multitudine sit aliqua causa mouens, & non mota; an quælibet ita moueat, vt ab alia moueatur: si detur primum, iam dabitur vna prima causa, quæ non aliunde motionem accipiat, & tamen ipsa alijs motionem afferat; siquidem omnes aliæ causæ inter se ita cohærent, atque ordinatæ sunt, vt posterior à priore motum accipiat: si detur secundum, tota causarum collectio erit mouens & mota. Sed hinc sequitur extra illam multitudinem necessariò existere aliquam causam, à qua cæteræ omnes moueantur, & quæ ex se expers motus sit: ergo vtrumlibet dicatur, non poterit non dari prima illa causa, quam inuestigamus.

Sequi verò id quod dicimus, nempe extra illam multitudinem existere talem causam, dupliciter ostendi potest: primùm quia si omnes illæ causæ mouent, & mouentur, omnes sunt instrumentales: at instrumentales esse non possunt, nisi ab alia principe causa cieantur. Deinde quia eadem ratio est in tota multitudine, quæ in singulis causis: quare si quælibet vindicat aliam à qua moueatur, etiam tota multitudo aliam seorsum positam, à qua motum recipiat, vindicabit. Quo patet non dari in mouentibus essentialiter subordinatis infinitum progressum; sed existere vnam primam causam mouentem, à qua cæteræ moueantur. Ita ferme sese habet ratio Aristotelis, quæ sane optima est; eaque vtitur D. Thomas. 1. Contra gentes cap. 13. & Scotus in quodl. quęst. 7. eandemque interpretes communi consensu approbant.

ARTICVLVS II.

REFVTATIO OBIECTIONIS CONtra demonstrationem Aristotelis.

Obiectio.

OBijciet tamen aliquis futilem esse consecutionem illam, quã intulimus, nimirum si quælibet causa infinitæ multitudinis habeat aliam à qua moueatur, necessario ipsam quoque multitudinem debere vindicare aliam seorsum constitutam, à qua motũ excipiat. Nam quòd à rebus diuisim sumptis ad totam collectionem non valeat consecutio; in multitudine numerorum videre est: non enim si quilibet ab alio superatur, iccirco oportet dari vnum, à quo

tota

tota numerorum multitudo vincatur.

Lege Ferr. c. 13. lib. 3. cõtra gent.

Huic obiectioni occurrendum est cum Capreolo in 1. d. 3. q. 1. ratione illam non concludere vi formæ, sed in subiecta materia duntaxat. Etenim cùm multæ causę mouent simul & mouentur, non solùm quælibet earum, sed etiam tota collectio, quatenus mota, est in potestate ad motionem subeundam: quod autem ita in potestate est, requirit aliam causam in actu constitutam, à qua excitetur, & in actum perducatur; hæc autem est causa mouens non mota. Responderi etiam potest cum Caiet. 1. par. q. 2. art. 3. (quod in idem ferme recidit) ideo diuersam esse rationem in numeris & in causis simul mouentibus, ac motis; quia causa proxima, siue cohærens cum effectu habet causalitatem completam, cùm re ipsa effectum producat, quę alioqui producere non posset: non obtineret autem completam, seu perfectam causalitatem, si penderet in causando ab alia superiori causa, & illa ab alia, sicque in infinitum, quia infinitus ascensus & descensus repugnant complemento, & absolutioni. Ex quo sequitur necessariò deueniendum ad aliquam causam superiorem, qua proximæ causæ vis & efficacitas compleatur; quæ cùm inter eas, quę mouentur, non occurrat, vtique extra illas quærenda erit. Quibus patet quanuis illa argumentandi formula à singulis ad totam multitudinem non valeat in numeris, valere tamen in re proposita, idest, in causis, quæ ita mouent, vt moueantur.

Dilutio. 1.

Dilutio. 2.

Capitis sexti Explanatio.

Dari vnũ primum motorẽ omni motu vacantem.

QVemadmodum in singulis, quę ab se mouentur, ostendit dari vnum quid immobile, à quo in reliquas partes motus deriuetur; ita nunc ex tota ratione motus, qui in natura conspicitur, probat dandum esse vnum primum motorem omni motu, mutationeque vacantem, ac sempiternum. Concludit ergo inprimis motoris perpetuitatem ex eo quia semper fuerit motus, qui absque mouente esse nequit; siue is motor vnus sit, siue plures, siue alia etiam mouentia ęterna habeantur, siue non.

CAP. VI.

Text. 45. *Cùm autem motum sempiternum esse oporteat, & non intermitti, necesse est aliquid, quod primum mouet seu vnum, seu plura, sempiternum esse, & id quidem quod*

Text. 46. *primum mouet, immobile. Eorum sane quæ immobilia quidem sunt, sed mouent, vnumquodque perpetuum esse ad præsentem sermonẽ nihil attinet. At vero necesse esse, vt aliquid immobile, omnisque mutationis simpliciter & ex accidenti expers, quod aliud mouendi vim habeat, semper sit, bis qui sic considerant fiet manifestum.*

a Fieri quam mutationem vnà cum ipsis animantibus incipere & desinere, atque adeo quędam principia immobilia interdum esse, interdum non esse; tamen fieri non posse, vt omnia huiusce ordinis, & conditionis sint, & aliquando esse incipiant cum antea non fuerint, vel esse desinant, cum fuerint. Id, quod ex eo probat, quia si quędam se mouentia aliquando sunt, aliquando non sunt, necesse est aliquam causam ortus & interitus ipsorum dari: siquidẽ omne, quod

a Fieri autẽ posse) Docet etsi fingamus quędam physicę generationis & interitus expertia modo esse, modo non esse, itemque licet fateamur partes mouentes, & per se insectiles, quę in animantibus motum edunt, per alimouetur,

mouetur, mutaturue, ſui motus, ac mutationis cauſam habet. Quod autem interdum eſt, interdum non eſt, ſi ſit compoſitum, generatur, & interit. Prętereà intereuntia, quę ſe mouent, affecta ſunt magnitudine: nullum enim inſectile moueri poteſt: at quod in his motum edit non neceſſario partes habet. Multo ergo minus ſupremum motorem partibus conſtare oportebit.

Primum motorē eſse ſempiternum.

b Vt igitur alia } Primum motorem ſempiternum eſſe ex eo concludit, quia continuę, ac perpetuę mutationis, quæ in rebus conſpicitur, non poteſt cauſa eſſe vnum aliquod ex ijs, quę ortum, & occaſum ſubeunt; cum nullum ſemper exiſtat, nec verò omnia, quia infinita ſunt, ac ſimul eſse nequeunt; ſi autem non exiſtāt, neutiquam eorū, quę ſunt, cauſa eſse poſſunt. Et verò licet, inquit, decies millies alia principia mouētia motus expertia, & multa ex eis, quę ſe ipſa mouent, occumbant, aliaque ſuccedāt, & in lucem prodeant, & eorum vnū mouēs immobile aliquid moueat, & illud aliud; neceſſariū tamen erit prętер ipſa dari aliquod primum mouēs, quod vniuerſa cohibeat, & cōplectatur, & communis cauſa ſit cur alia gignantur, alia intereāt, eiſdemque ad ſuas peculiares motiones adminiſtrandas vim cōmunicet.

Neceſſariò dandum vnū mouens primum.

c Itaque ſi perpetuus } Rationem, qua ex motus ęternitate ſempiternū eſse motorem primum oſtenderat, repetit: addens non modo ſi vnus ſit, ſempiternū eſse oportere; ſed idē quoque pronuntiandū ſi plures numerentur. Sed enim aſſerendum potius vnum eſſe, quam plures: quod ſi plures ſint, finitos potius, quam infinitos eſſe. Cùm enim finita ſufficiunt, ea potius ſumi debent, quā infinita: ſufficit verò vnus motor ſempiternus, qui alijs omnium motionum cauſa ſit, pręſertim cùm plura prima eſſe non poſsint.

Non eſse res multiplicandas abſq; neceſsitate.

d Perſpicuum verò } Primum motorem, & ęternum, & vnum eſſe comprobat ex perpetuitate, & vnitate motus. Nam cùm motus in natura ſemper fuerint, vt ſupra oſtenſum eſt, & ij ad vnum principem motum, à quo pendent, reduci debeant, hoc eſt ad cœleſtem motum, quem proinde ęternum eſſe oportet: cùm inſuper hic motus maximè vnus ſit, atque adeò continuus, ab vno, & ſempiterno pendeat neceſſe eſt. Nam ſi ab alio, atque alio motore efficerentur, non continuus foret, ſed vnus alium ſubſequeretur.

Primum motorem ſempiternū, & vnū eſse.

e His

a *Fieri autem poſſe* (*ſi cui placeat*) *ponamus, vt ſine ortu & interitu quædam aliàs ſint, aliàs non ſint. Nam ſi quid partibus vacans interdum eſt, interdū non eſt, id omne mutatione aliquando ſit, aliquando non ſit fortaſſis neceſſe eſt. Hoc præterea contingat, vt principiorum immobilium, quæ mouendi vim habent, quædam interdum ſint, interdum non ſint: at vt omnia, fieri non poteſt, cùm perſpicuum ſit his, quæ ſe mouēt, cauſam aliquam eſſe, cur aliàs quidem ſint, aliàs verò nō ſint. Quicquid enim ſe mouet, magnitudinem habeat neceſſe eſt, ſiquidem nihil, quod partibus vacet, mouetur. At quod mouet, non neceſſe eſt ex his, quæ dicta ſunt.* b *Vt igitur alia oriantur, alia intereant, idque continue fiat, nihil eorum cauſa eſt, quæ immobilia quidem ſunt, tamen nō ſemper ſunt, nec rurſus eorum, quæ ſemper hæc mouent, illa verò, alia. Perpetuitatis enim atque continuationis nec vnum eorum cauſa eſt, nec vniuerſa. Nam quod ſic ſe habet, ſempiternum eſt, & neceſſariò.* Text. 47. *Vniuerſa autem infinita ſunt & non ſimul omnia. Quamobrē conſtat etſi decies millies nonnulla principia immobilia mouentia, & multa eorum, quæ ſe mouent, intereunt, alia verò generantur, & hoc quidem cùm immobile ſit, illud mouet, aliud verò aliud. At tamen quidpiam eſt, quod continet, atque hoc præter vnumquodque horum: quod quidem cauſa eſt, vt alia ſint, alia non ſint, atque mutationis cōtinuæ. Et hoc hiſce, hæc autem alijs motionis ſunt cauſæ.* c *Itaq; ſi perpetuus motus* Text. 48. *eſt, perpetuum erit & mouens primum, ſi vnum: at ſi plura, plura & perpetua. Vnum autem potiùs, quàm plura; & finita, quàm infinita putandum eſt eſse. Sēper enim finita potiùs ſumenda ſunt, modò eadem fiant, cùm in rebus naturæ id quod finitum eſt, & melius, ſi eſse poſsit, ineſſe oporteat. Satis autē eſt ſi vnum, quod cùm immobilium primum ſempiternumue ſit, motionis principium alijs erit.* d *Perſpicuum vero etiam* Text. 49. *ex hoc eſt neceſſe eſse, vt quod primum mouet vnum aliquid ſit & ſempiternum.*

Etenim

e His ſane adductus } Ratione alia ſumpta ex principijs eorum, quę ſe mouent, ſuadet vnum eſſe perpetuum motorem. Ad quam probationem repetit quędam ex ijs, quę ſuperiùs dixerat, quę non eſt cur iterum à nobis explicentur.

f Equibus licet credere } Argumentatur hunc in modum. Fieri nequit, vt vllum principium eorum quę mouent mota per accidens, ſit cauſa perpetuę & continuę mutationis, cùm ea omnia ab alijs mota moueantur, nec ſuorum motuum, niſi alia in ipſis motione prędeunte cauſę ſint. oportet ergo aliud principiũ vltra hęc omnia cõſtituere, quod neutiquam motũ ſubeat, ac nec ex accidente mutetur. Hoc autẽ erit primum, à quo cętera vim mutuentur, alioqui motus vnus perẽnis, & ſempiternus non dabitur.

Etenim motum neceſſario ſemper eße demonſtratum eſt. At ſi ſemper neceſſe eſt & continuum eſſe, cum id, quod sẽper eſt, continuum ſit, quod autem deinceps, non continuum. At qui ſi continuus, vnus: vnus autem & ab vno eſt mouẽte, & vnius rei, quæ mouetur. Nam ſi aliud, atque aliud mouerit, Text. 50. *totus motus continuus non erit, ſed deinceps. e His ſane adductus aliquis credere poterit immobile aliquid primũ eſſe, & rurſus ſi ad eorum, quæ mouent, principia animaduertat. Eorum igitur quæ ſunt aliqua eſſe, quæ alias quidẽ mouentur, alias quieſcunt perſpicuum eſt. Atque hoc ipſo planum factum eſt, nec vniuerſa moueri, nec vniuerſa quieſcere nec alia quidem ſemper quieſcere, alia ſemper moueri. Qui enim ancipiti natura ſunt, facultatemque habent, vt aliquando moueantur, aliquando quieſcant, horum fidem faciunt. Cum autem talia conſpicua omnibus ſint, & duorum vtrãq; naturam demonſtrare volumus, nempe aliqua eſſe, quæ à motu ſemper vacant, alia vero, quæ ſemper mouentur, ad quod profecti, poſitoque illo quicquid mouetur ab aliquo moueri, hocque eſſe aut immobile, aut moueri, & id aut à ſe, aut sẽper ab alio, eo progreſſi ſumus, vt ſumeremus eorum, quæ mouentur, principium eßе, eorum quidem, quæ motu cientur, id quod ſe ciet, omnium vero id, quod eſt immobile. Cernimus autem & id quidem manifeſte, aliqua eße eiuſmodi, quæ ſe mouent, vt animantium & animalium genus. Atque hæc ſane ſuſpicionem præbebant, ne fortaſſe contingeret, motum, cum omnino non eßet, oriri, propterea quod in ipſis fieri id videremus, vt quæ immobilia cum ſint, rurſus, vt videtur,* Text. 51. *moueantur, Hoc igitur ſumendum eſt, vno motu hæc ſe mouere, & illo non proprie, quippe cum in ſe eius cauſam non habeant. Sed animalibus naturales alij inſunt motus, quibus non per ſe mouentur, vt accretio, imminutio, reſpiratio, quibus animalium vnumquodque, cum quieſcit, & ſe motu eo, qui ab ipſo proficiſcitur, non ciet, mouetur. Atque* aliquid eiuſmodi } Duplici ratione oſtendit id, quod à primo mouente primum mouetur, ſempiternum eſse. Prima ratio ita fere concluditur. Motus, qui non ſemper eſt, adminiſtratur à motore, qui per ſe, vel ex accidente mouetur; vt in ſuperioribus declaratum fuit: igitur cùm primum mouens motionis expers, perpetuumque ſit, atque ita affectum, vt nec per ſe, nec ex accidente moueatur, conſequens eſt vt id, quod ab eo primum cietur, ęternum ſit.

g Moueri autem ex ſe ex accidente } In prõptu erat obiectio cõtra proximè dicta. Nempe motores cœleſtiũ ſphęratum, quę ſub mobili primo voluuntur, ęternam & perẽnem motionem facere, & tamẽ ex accidẽte moueri. Occurrit bifariam dici aliquid moueri ex accidente, nimirum vel quia adiunctum eſt ei, quod ab alio ex accidente mouetur; vel quia mòtu, quem in alio edit, cietur, quopacto anima ex accidente fertur motu corporis, quod ipſa agitat. Docet igitur mẽtes, quę errantium ſtellarum globos circunuehunt, non moueri ex accidente hoc poſteriori modo; alioqui motũ ſempiternum efficere non poſſent, ſed priori modo, quatenus videlicet aſsident orbibus, qui primi mobilis circumactu per accidens rotantur. Iuxta hanc interpretationem, quę eſt D. Thomę, Alexandri, Auerrois, & aliorum interpretum, nomine principiorum intelliguntur cœleſtes mentes. Simplicius tamen ſphęras errantium ſtellarum, quę motu primę ſphęrę per accidens rapiuntur, deſignari credit.

Obiectio.

Dilutio.

h Atque aliquid eiuſmodi } Duplici ratione oſtendit id, quod à primo mouente primum mouetur, ſempiternum eſse. Prima ratio ita fere concluditur. Motus, qui non ſemper eſt, adminiſtratur à motore, qui per ſe, vel ex accidente mouetur; vt in ſuperioribus declaratum fuit: igitur cùm primum mouens motionis expers, perpetuumque ſit, atque ita affectum, vt nec per ſe, nec ex accidente moueatur, conſequens eſt vt id, quod ab eo primum cietur, ęternum ſit.

i Hoc verò ex eo quoque } Secunda ratio eſt. Niſi daretur corpus vnum, quod indefecto motu ſublunarẽ mũdũ ab ęterno regeret, nõ sẽper rerũ generatio, & interitus extitiſsẽt, hoc autẽ,

Necessitas cõ stituendi primum mobile apud Aristotelem.

vt fuit superiùs disputatum, à vero abest; ergo & illud maiorem suadet, quia si inter primum motorem, & res, quę gignuntur, atque occidunt, non intercederet primum mobile, cùm ipse primus motor semper eodem modo se habeat, & quod tale est, diuersitatis causa esse nequeat, vtique nulla ab eo rerum varietas manaret.

k At id, quod ab eo) Admonet nec ipsum primum mobile à primo motore agitatum per se sat esse ad generationum, & corruptionum varietatem inducendam, sed quia ob differentem situm & aspectum ad inferiora, & ob diuersitatẽ ipsarum rerum quę patiuntur, alijs temporibus aliter se habet, nunc ad motum euocat, nunc quietẽ affert. Hic aduerte Aristotelem lib. 2. de ortu, & interitu perẽnitatem generationum, & corruptionum attribuere primo mobili; earundem verò statas discrimina referre ad vim errantium stellarum, & obliquum motũ Zodiaci. Cui sententię non contradicit hoc loco, nõ enim pręcipuã, sed aliquo modo causam eius varietatis primum mobile constituit.

Atque horum causa est ipsum continens, & eorum multa, quæ ingrediuntur, vt nonnullorum alimentum. Cùm enim concoquitur, dormiunt, cùm verò distribuitur, expergiscũtur, atque se mouent, primo principio extrinsecus posito. Quamobrem à se non continenter mouentur. Nam ad eorum, quæ se mouent, vnumquodque aliud est mouens, quod ipsum quoque mouetur. In omnibus autem his primum mouens, & causa, vt ipsa se moueant, moueantur, sed tamen ex accidenti. Corpus namque locum mutat, quare & id, quod est in corpore, atque id etiam, quod in vecte se mouet. f *E quibus licet credere, fieri non posse, si quid immobile quidem est, sed tamen, cum moueat, ipsum quoque ex accidenti moueatur, cõtinuum motum id faciat. Quamobrem si necesse est, continuum motum esse, immobile aliquod primum mouens sit necesse est, quod ne ex accidenti quidem moueatur, si in rebus, vt diximus, esse debeat incessabilis aliquis & immortalis motus. Et id, quod est in se, & in eodem manere. Manente enim principio, vniuersum quoque maneat necesse est, quippe quod principio sit continuatum.* g *Moueri autem ex se ex accidenti idem non est, quod ab alio. Etenim ab alio, nonnullis etiam in cœlo principijs, quæ lationibus pluribus cientur, ineſt, alterum autem ijs solis, quæ intereunt.* h *Atqui si aliquid eiusmodi semper sit, mouens quidem aliquid, immobile autem, & sempiternum, id etiam quod ab eo primum mouetur, sempiternum sit necesse est.* i *Hoc verò ex eo quod perspectum est, quod generatio & interitus, & mutatio alijs rebus non aliter contingeret, nisi quidpiam, quod moueretur, moueret. Namque id, quod immobile est, vno eodemq; motu, & eodem modo mouebit, quippe quod nihil mutetur, eius, quod mouetur, habita ratione.* k *At id, quod ab eo mouetur, quod motu quidem cietur, sed ab eo quod est immobile, quod aliter atque aliter ad res se habeat, eiusdem motus causa non erit. Verùm quod in contrarijs sit, aut locis, aut formis, vnamquamque rerum aliarum contrarie motu afficiet, & alias in quiete, alias in motu constituet.* l *Ex his autẽ, quæ dicta sũt, planum etiam factum est, id, de quo initio dubitauimus, cur non omnia aut mouentur, aut quiescunt, aut alia quidem semper mouentur, alia semper quiescunt.* Text. 52. Text. 53.

l Ex his autem) Ex superiori disputatione conspicuum esse ait id, quod demonstrandum proposuerat, cur videlicet alia ppetuò moueantur, alia perpetuò quiescant; alia interdum moueantur, interdum quiescãt. Enim verò quędam semper moueri oportet; quia à mouẽte imobili, quod semper eode pacto se habet, & eundem perpetuò motũ edit, cientur. Alia nũquã mouentur, quia in mouẽtib9 nõ abitur in infinitũ. Alia interdum mouentur, interdum non: quia à mobili, quod semper mouetur, ita afficiuntur, vt ab eo nunc quietẽ, nunc motum accipiant. Porro in primo huiusce partitionis mẽbro cõtinẽtur corpora cœlestia: in 2. primo motor: in 3. res sublunares.

Nota in hoc capite ad text. 48. effatum illud, Semper id, quod finitum est, melius est,

est, si esse, potest, quo Philosophus monet finitatem, infinitati præferendam esse, & in ipsa finitate paucitatem & omnino vnitatem multitudini. Idem effatum inculcauit etiam 1.huius operis cap.6. text.50. & 12. Metaphys. c. vlt. text. 55. vbi statuit non esse bonã multitudinem principatus, ideoque vnum scripsit D. Thomas 2.lib. de regimine principum cap.2.

Effatum Philosophi hicũ.

Vnitatem præferendã multitudini.

2. Sed aliqua interdum mouentur, interdum minime. Huius enim causa nunc manifesta est, cùm alia ab immobili sempiterno moueantur, & ideo semper mutentur, alia ab eo quod mouetur, & mutatur, vt ipsa quoque necesse sit mutari. Id autem quod immobile est, cum (vt dictum est) simpliciter, eodemque modo, & in eodem semper permaneat, vnum simplicemq; efficiet motum.

QVÆSTIO I.

VTRVM PRIMVS MOTOR SECVNdum Aristotelem omni mutatione, & magnitudine vacet.

ARTICVLVS I.

QVÆ ARGVMENTA NEGATIVAM partem astruere videantur.

1.argum. QVod primus motor secundum Aristotelis doctrinam non sit ab omni prorsus mutatione, & magnitudine liber; conabitur aliquis in hũc modum suadere. Ab eo, quod vnũ, & immobile est, vt constat ex ijs quæ tradita sunt lib.2.de generatione cap.9.text.53. & cap.6.huius libri, text. 53. non nisi vnum quid effici potest; ergo si primus motor est vnus, & immobilis, nequaquam ab eo secundum Aristotelis placita rerum varietas, & distinctio procedere potuisset; quod falsum est. Corroboraturque argumentum, primo, quia causa debet in se effecta sua continere, atque adeò si ea multa sint, oportebit ipsam causam multiplicem esse, ac variam. Secundò, quia necesse est effectum repræsentare causam, quæ autem multa sunt, nequeunt appositè id, quod vnum est, repræsentare.

2.argum. Deinde quicquid est in eo, quod mouetur, esto in se illius motionem non recipiat, dicitur, saltem ex accidente, moueri; sed Deus secundũ Aristotelẽ extremo cap.huius lib.text.85. est in circũferentia primi orbis, qui perẽni motu circũuoluitur; ergo ratione illius dicetur, saltẽ ex accidẽte, moueri. Maior probatur, quia vt docet D.Tho.

Corpus Christi in diuina Eucharistia mouetur per accidens motu specierũ. 3.argum.

3.p.q.76.ar.6.corp9 Christi in diuina Eucharistia mouetur per accidens motu specierum, & Angelus motu corporis assumpti, vt idem ait.1.p.q.53.at.1.3. & tamen neque corpus Christi, neque Angelus eiusmodi motum in se recipiunt.

Tertiò Aristoteles in eo errore,& ipietate videtur fuisse,vt Deũ animal esse, atque adeo mole corporis præditum existimaret. Non igitur Deus apud illum magnitudine vacat. Probatur assumptum. Namque.12.Metaphysicæ cap.7.text.39.ita scripsit. φαμεν δε τον θεον ειναι ζωον ἀιδιον ἀριστον. Hoc est,dicimus autem Deum esse animal sempiternum, optimum. Quare Athenagoras Philosophus Athenensis in oratione,quam ad Marcum,& Commodum imperatores pro Christianis habuit, Aristotelem reprehendit, quod Deum animal ex anima, & corpore constitutum putarit, quod item censuisse Aristotelem scripsit Galenus in lib. de Philosophica historia, cap.25.Præterea Iamblichus non solum Platonicus,sed etiam,teste Simplicio,diligens Aristotelis expositor,in 1. lib.de secta Pythagorica affirmat custodiri in arcanis hæc Aristotelis verba. ὁ λογικὸς ζῶος τὸ μὲν ἐστι θεὸς τὸ δὲ ἀνθρωπος. ideſt,animalis rationalis aliud est Deus,aliud homo.

Athenagoras in oratione pro Christianis.

Galenus.

Iamblichus diligens interpres Aristotelis.

ARTICVLVS II.

PRIMVM MOTOREM DEVM OMNIS mutationis, & magnitudinis expertem esse.

VErùm quòd Deus opt.max.omnis prorsus mutationis,corporeæque magnitudidis expers sit,docet fides orthodoxa, cùm alijs sacræ paginæ testimonijs, tũ illo ex capite tertio Malachiæ,Ego Deus,& non mutor, & illo,ex cap.4. Ioannis, spiritus est Deus. Potestque id ex eo breuiter confirmari,quia Deus cùm sit primum ens,est simpliciter in actu,nulloque modo in potentia; id autem,quod mutari potest,necessariò est in potentia ad aliquid noue acquirendum;& omne item corpus,cùm sit continuum,est in potentia vt diuidatur. Præterea omne corpus est compositũ, & posterius partibus,ex quibus coalescit: atqui primum ens non potest esse vllare posterius; ergo nec corpus esse poterit. Itẽ Deo cõuenit id,quod perfectissimum est; sed spiritale,& immutabile est perfectius corporeo,mutationique obnoxio; ergo id Deo attribuendum est. Huc spectat illud D.Anselmi in Monologio, c.28. Iste spiritus,id est,Deus, qui sic suo modo mirabiliter singulari, & singulariter mirabili est; propter incõmutabilẽ æternitatẽ suã nullo pacto secũdũ aliquẽ motũ dici potest fuisse,vel fore: neq; cõmutabiliter est aliquid,quod aliquãdo aut fuit,aut nõ erit; neque nõ est,quod aliquãdo fuit,aut erit: sed quicquid est simul,& semel,& incõmutabiliter est. Hãc etiã di-

Malach. Ioan. 1.ratio. 2. 3. D.Anselmus.

uinæ

Lege Ficinũ li. de immortalitate animorum.

uinæ naturæ immutabilitatẽ teſtabãtur Platonici aientes animã eſse mobilẽ multitudinẽ, Angelũ multitudine immobilẽ, Deũ immobilẽ vnitatẽ. Appellabant enim Deũ vnitatẽ immobilẽ, eo quòd naturã poſsideat maximè vnã, & nulli prorſus obnoxiã mutationi, quod in res creatas non conuenit; tametſi Angelus reſpectu aliarum rerũ immobilis etiam vocetur, non ſimpliciter, ſed quod minus, quam illæ mutari conſueuerit. Platonici. Deus immobilis vnitas.

Nihil verò dictis obſtat, quòd diuinæ literæ nonnunquam Deo dimenſiones, hoc eſt, latitudinem, longitudinem, & profunditatem dant. Id enim vt Theologorum princeps Dionyſius 9. cap. de diuinis nominibus exponit, per metaphoram accipiendum eſt, ita vt latitudo ſit proceſſus diuinæ prouidentiæ ad res omnes; longitudo, Dei virtus à ſummo ad imum vsque peruadens; profunditas, Dei eſſentia à nullo comprehenſibilis. Nec item officit quòd doctores ſacri nõnunquam motum Deo attribuunt; ſimiliter nanque motus nomen improprio, & translatitio ſignificatu vſurpant; quo pacto, teſte eodem Dionyſio loco citato, moueri dicitur Deus propter actiones, quas ex ſe promit ſine vlla tamen ſui mutatione. Sicque attribuitur Deo motus rectus, flexuoſus, & circularis. Rectus, ad ſignificandam indeflexibilem conſtantiam, progreſſumque diuinarum actionum nuſquam inclinantem; hoc eſt, quia vt rectus motus à linea recta minime digreditur, ſed à quodam principio vſque ad finẽ æquabiliter euadit; ita diuina operatio à fonte totius eſſe egreſſa non curuatur; ſed per media omnia, vſque ad vltimum quaſi punctum, ſecundum ipſius diſpoſitionem pertingit. Motus autem flexuoſus, ſiue obliquus ex diuerſis conſtat, vt patet, ideoque Deo accomodatur, provt in eius operatione intelligitur progreſsio, & ſtatus. Progreſsio, quatenus diuina potentia in ſummo rerum vertice exiſtens, quaſi per quendam defluxum ad res alias deriuatur. Status, quatenus res à ſe productas in eſſe proprio tutatur, & conſeruat. Denique in motu circulari duo inſunt. Nam circulare corpus quod eo fertur, ex parte concaua continet alia, præterea redit ab eodem ad idem punctum. Sic igitur circularis motus Deo aſcribitur, quia Deus omnia ſuæ potentiæ ambitu continet; & vniuerſa ab ſe vt à principio orta, ad ſe ipſum, vt ad finem, quaſi in gyrum reuocat, & conuertit. Vt D. Auguſt. 4. ſuper Geneſ. ad lit. c. 20. ex Platone. Remotio obiectionis. D. Dionyſius. Motus quõ pacto de Deo dicatur. Rectus. Flexuoſus. Circularis.

Nullo autem prædictorum motuum, vel aliorum eiuſmodi, qui de Deo enuntiãtur, mutari dicitur Deus, cùm per eos nihil in ſe admittat, amittat ve, quo ex non tali talis, aut ex tali non talis in ſe ipſo fiat. In quam ſententiam lege caput Firmiter, de ſumma Trinitate; & fide Catholica, D. Auguſtinum lib. 10. ſuper geneſim ad literam cap. 25. & lib. 6. de Trinitate, cap 7. D. Anſelmum in Monologio. cap. 24. Hugonẽ victorium de ſacramentis p. 1. lib. 1. c. 13. Deus omni prorſus mutatione vacat. Cap. Firmiter. Auguſt. Anſel. Hug.

ARTI-

ARTICVLVS III.

RESPONDETVR PROPOSITÆ QVÆSTIONI ex mente Aristotelis: & expenditur ratio, qua ab eo primi motoris immobilitas probatur.

HIs ita explicatis ad quæstionem directò respondemus primũ motorem secundum Aristotelis doctrinam esse prorsus immobilem, atque omnis expertem magnitudinis. Id quod ex septimi, & octaui libri progressu satis constat, vbi Aristoteles inter cætera primi motoris attributa hæc duo potissimum indagauit, in eaq; confirmanda incubuit. Sed enim quia ratio, qua primi motoris immobilitatem ostendit, nõ nihil dubitationis continet, eam hoc loco paulò accuratiùs expendemus; habet autem sese illa in hunc modum. Constat in rerum vniuersitate multa esse, quæ moueantur. Cùm igitur omne, quod mouetur, ab alio moueri necesse sit, vel danda est infinita progressio; vel perueniendum ad aliquem motorem, qui ita moueat, vt non moueatur. Primum dici non potest, quia infinitum non datur in natura; ergo secundum. Quod si quis respondeat dari vnum primum motorem, qui non ab alio; sed à se ipso per accidens moueatur; id ex eo refellitur, quia quod per accidens mouetur nequit ex æternitate mouere; at primus motor æternam efficit motionẽ. Quare fateri necesse est illum & per se, & per accidens immobilem esse. Effatum verò illud. Id, quod per accidens mouetur, nequit ab æterno mouere inde, vim habet, quia quod per accidens cietur (intellige eo modo, quo anima ad motum corporis) perennem ac sempiternam continuare motionem non valet; cùm necesse sit paulatim langueſcere, ac motrici vi destitui.

Ratio Aristotelis.

Hãc rationẽ asserit etiã D. Damascenus lib. 1. fidei orth. cap. 4. D. Thom. 1. cõtr. gent. c. 23.

Porro disputatio hæc Aristotelis, nisi aliquid adijciatur, nõ colligit institutum, vt præter alios aduertit Scotus in primo dist. 8. q. 4. Nam cùm ex motu duntaxat physico procedat, tantum euincit perueniendum esse ad vnum aliquem cœlestium corporum motorem, qui omnis physicæ motionis expers sit. Diceret autem quispiã motorem hunc esse intelligentiam primi orbis motricem, quæ motu physico, nec per se, nec ex accidente affici potest, nec mouendo defatigatur, aut langueſcit; & tamen non est prima omnium causa, idest Deus, cuius vestigationem sibi locis citatis Aristoteles proposuerat. Vt igitur probatio hæc institutum conficiat complenda ratio erit ex 12. Metaph. cap. 7. vbi Aristoteles sumpto motu in tota suæ significationis amplitudine, ita vt etiam metaphysicas, siue spiritales motiones, quibus res vtcunque mutari possit, cõprehendat,

Non concludit nisi aliquid addatur

Complenda est ex ijs quę ab eodem trãdũtur 12. Metaph.

ostendit

ostendit perueniendũ esse ad vnum primũ motorem ab omni prorsus mutatione alienum, & absolutum; hoc fere modo. Cùm primũ mouens moueat per intellectum & voluntatem; omne autem, quod sic mouet, agat propter finem ab se cognitum, & amatum; vel primũ istud mouens agit propter se tantùm; vel alterius gratia: si propter se; ergo est omni ex parte immobile, quia iam non ab alio ad mouendum allicitur: si alterius gratia, iam de illo eadem quæstio redibit. Cùm ergo non liceat in infinitum abire, vtique standũ erit in primo aliquo motore, qui ab omni, etiam metaphorica, & impropria motione aliunde causata liber sit. Hic autem est prima omnium causa, naturæ totius moderatrix, quem Deum fateamur necesse est. Integra ratiõ

ARTICVLVS IIII.

OBVIAM ITVR PRIMI ARTIculi argumentis.

Lege Rich. in 2. d. 1. q. 2. circa 4. princi.

NVnc argumentis, quæ initio quæstionis proposita sunt, respondeamus. Ad primum dicendum est effatũ illud, Ab vno, qua vnum est, non nisi vnum prouenit, verum quidem esse, si intelligatur de causa naturali, quæ dũ eodem modo se habet, & passum similiter eodẽ modo affectum est, per se non nisi vnum producit, vt calor calorem, frigiditatem frigiditas: non autem si intelligatur de prima causa, quæ licet quoad suam substantiam maximè vna sit; tamen in sua potestate res omnes quantũlibet distinctas cohibet, ac tametsi species rerum naturalium, quæ sub lunæ orbe continẽtur, per causas secũdas modò efficiat, & conseruet; posset tamen eas omnes sine vllius rei interuentu se sola procreare, ac tueri. Quod verò contra obijcitur, Id, quod est vnum, non posse aptè à pluribus repræsentari, falsum est. In primis enim quilibet effectus per se sumptus, quatenus vnum quidpiam est, causæ suæ vnitatem appositè refert. Deinde cõueniens fuit multa, diuersaque effecta à Deo produci, vt vnumquodque, quoad eius fieri posset, diuinam adumbraret bonitatem, & quod vni ad eam adumbrandam deficit, ab alio vtcunque suppleretur, quod præclarè edocet S. Thomas 1. p. quæst. 47. art. 1. Explicatur effatum philosophicum. Vnũ à pluribus quomodo aptè repręsẽtari possit.

Pro secundi argumenti explicatione animaduertendum est duas requiri conditiones, vt aliquid censeatur ex accidente moueri motu eius, in quo esse dicitur. Alteram ita in eo esse, vt saltem naturæ viribus alibi esse nequeat: quam conditionem ponit D. Thomas 1. sentent. dist. 37. q. 4. art. 1. & in 2. d. 8. q. 1. art. 4. vnde infert non moueri animam per accidens ad motum solius manus; sed dum totum corpus mouetur. Adde requiri præterea vt id, in quo prædicto modo continetur, secundum se totum, locum mutet; qua de causa asserit etiam Quę requirũtur vt aliquid ex accidente moueatur. Prima conditio.

Opinio Philosophorum de motore cęlestis sphęrę.

etiam D. Thomas loco proximè citato, etsi (vt quorundam philosophorum opinio fuit) motor cuiusuis sphæræ cœlestis esset anima tui orbis, atque adeò in toto cœlo existeret; non proinde asserendum fuisse quemlibet motorem moueri per accidens motu suæ sphæræ, cùm illa ita circumagatur, vt totum situm non mutet. Altera conditio est vt id, quod ex accidente mouetur, sit innexum, vel quasi innexum ei, ratione cuius moueri dicitur. Quopacto se habet anima ad suum corpus, & Angelus ad corpus assumptum; atque etiam corpus Christi ad species diuinæ Eucharistiæ. Est enim etiam inter illud, & species, colligatio quædam orta ex ineffabili modo existendi in sacramento. Huiusce conditionis defectu intelligentia motrix cœli non dicitur ex accidente moueri; cùm perpetuò in eodē situ maneat, è quo alijs atque alijs sphæræ partibus, sibi mutuò succedentibus impulsum imprimit, vt D. Thomas in 1.p.q. 51.art. 3. ex Aristotele hoc in lib. capite vltimo, text. 84. aduertit. Hinc iam patet argumēti solutio. Licet enim Deus sit in rebus, quæ mouentur; nequaquam tamen per accidens moueri dicendus est: cū nullis locorum spatijs definiatur, nec vlli rei illigatus sit, sed suæ essentiæ immensitate vbique existat; quod rebus in argumento adductis minimè conuenit.

2.conditio.

Intelligentia nō mouetur per accidens motu cœli.

Cur Deus nō dicatur per accidens moueri motu rerū.

prępoccupatio

Aduerte tamen hoc loco motores orbiū Planetarum dici ab Aristotele hoc in libro capite 6. text. 52. moueri per accidens, non quidem ratione sui; sed ratione suorum mobilium, quia videlicet orbes, quos circumagunt, præter quam quod ab Occidente Orientem versus proprio motu cōmeant, rapiuntur etiam motu alieno, idest vertigine primi cœli ab ortu ad occasum. Quod tamen non conuenit primæ sphæræ, quæ vnicum duntaxat motum subit. Obijciat tamē aliquis, si ex eo intelligentiæ dicendæ forent per accidens moueri, quia ipsarum orbes ex accidente rapiuntur; eodem pacto debuisse eas extrinseca appellatione globosas, lucentesque vocari à figura, & luce eorundem orbium. Huic obiectioni occurrendum non eandem esse rationem in motu, quæ in figura, ac luce: hæc enim incorporeæ naturæ repugnant; motus verò non item, vt patet in anima rationali, quæ motu corporis per accidens mouetur. Adde, quod hæc suopte ingenio nō nisi res, quibus inhærent, nominant, motus autem non solum actiuè rem agentem, cui non insidet, appellat; sed etiam passiuè nuncupat rem subiectam, cui interdum non hæret, vt animæ rationalis exemplo liquet.

Lege D. Th. 1. contra gēt. c. 13.

Obiectio.

Dilutio.

Quęre si placet aliā sol. apud Sonc. 12. Metaph. q. 6.

Ad vltimum sunt qui dicant malè vertisse interpretes Aristotelē vbi ait Deum esse animal æternum, & optimum, debuisseque reddere, vitam aut viuens, non animal; quia animal, græco vocabulo nō ab anima dicitur, sicuti latino; sed à vita. Verùm, vt recte ait Bessario lib. 3. contra Calumniatorem Platonis, cap. 14. hi immerito iubent latinos interpretes græca nomina ex etymologia, non ex analogico vsu latinè reddere, vt ἄνθρωπον, non hominem vertant, sed

Quorundam responsio ad vltimū arg.

Quę nō probatur.

remi-

reminiſcentem, ſeu ſurſum ſpectantem; θεὸν, non Deum, ſed currentem, vel, videntem. ζῶον non vitam, ſed feruorem. Quare dicendum potius eſt cum D. Thoma, Alexandro Alenſi, alijsque expoſitoribus ad eum locum, Ariſtotelem non ſuo iudicio Deum animal appellaſſe; cùm inibi mox ſubijciat, demonſtretque diuinam mentem ab omni materia, & magnitudine prorſus abiunctam eſſe: ſed ex vulgari ſermone hominum, qui vt Deo vitam attribuerent, animal eum vocabant, quòd vitæ functiones in animalibus manifeſtè apparerent. Id verò propterea fecit Ariſtoteles, vt ex publica opinione confeſſum acciperet, quod aſtruere nitebatur, nempe ineſſe Deo vitam. Iure tamen à Magno Alberto, alijsque nonnullis reprehenditur, quod vulgi vocem quaſi ſuam vſurpans Deum animal vocarit, ſcripſit enim, φαμὲν τὸν θεὸν ζῶον, ideſt dicimus Deum animal: oportet enim philoſophum, cùm de Deo loquitur, ab ijs nominibus abſtinere, quæ diuinæ naturæ excellentiam dedecent, errantisque vulgi ſermonem potiùs corrigere. Quod verò ex Iamblicho protulimus accipiendum erit non quaſi dogma ſchola Peripateticæ, ſed Platonicæ, quæ animal rationale in Deos, ſeu cælites quoſdam immortales, & in homines diuidebat, vt conſtat ex Timæo, & ex Porphyriana Iſagoge capite de differentia.

Ariſtotelem non ſuo iudicio Deũ animal vocaſſe.

Debuiſſe tamen ab eo vocabulo abſtinere.

Schola Platonica animal rationale in Deos & homines diſtribuebat.

Capitis ſeptimi Explanatio.

Text. 54.

CVm igitur tres ſint] Non parua eſt interpretum diſſenſio quid hoc loco monſtrare velit Ariſtoteles. Dicendum tamen propoſitum illi eſſe eum motum, quo primum mobile à motore primo agitur, indagare. Docet ergo in primis latonem inter omnes motus primum eſſe. Nam cùm motus triplex ſit, vt 5. libro explicatũ fuit: ad quantitatem, ad qualitatem, & ad locum, hunc alios antecedere inde patet, quia cæteri absque illo eſse nequeunt. Etenim, vt in primo de generatione ex profeſſo diſcritur, nihil poteſt accrementa ſumere niſi alteretur; nec poteſt alterari niſi loci mutatione præcunte: ſiquidem

Excellentia motus localis.

CAP. VII.

Text. 54. *PErſpicua vero etiam magis hæc fient, ſi aliunde exordiamur. Diſpiciendum enim eſt, vtrum continuus aliquis motus eſſe, nec ne poſsit, & ſi poteſt, quis ſit, & quis motuum primus. Conſtat enim ſi motum perpetuo eſſe neceſſe eſt, primus autem hic & continuus eſt, primum mouentem, hunc motum efficere, quem vnum & eundem eſſe continuũ & primum neceſſe eſt.* Text. 55. a *Cùm igitur tres ſint motus, is, qui in magnitudine, & is, qui in loco quem græce, φορὰν, hoc eſt lationem nuncupamus, hunc eſſe primum neceſſe eſt.*

Alimentum partim esse dissimile, partim simile rei, quę nutritur.

alimentum, cuius accessu res accreseit, partim est dissimile, partim simile: dissimile, quia rei alendę primum aduersatur, vtpote contrarijs affectum qualitatibus; simile, quia viuens ministerio altricis virtutis ipsum decoquit, & prępparat, sibique tandem assimilat; hoc autem non nisi alterando prestat. Deinde quod hanc alterationem latio pręeat ex eo suadet, quia alterans educit de potestate in actum rem, in quam agit; atque ita non semper erga illam eodem modo affectum est. Quare oportet vt ad agendum, patiendumque sese ambo accommodent, ac sibi mutuo accedant, quod lationis interuentu fit. Ita verò patet lationem esse primum omnium motum, immo & perpetuum, cum semper motus detur. Porro autem cùm duplex sit latio, circularis, & recta, & illa prior sit, quam hęc, vt progressu planum fiet, constat motum circularem inter omnes motus, etiam locales, primum locũ obtinere.

Duplex latio.

Accretio enim esse non potest, nisi alteratio præcedat. Quod enim augescit partim ex simili, partim ex dissimili augescit, cùm alimentum contrario contrarium dicatur, & quicquid accedit, simile simili id omne euaserit. Mutatio itaq; ea, quæ in contraria est, alteratio sit necesse est. Vt si alteratur id sit oportet, quod alteret, & ex potestate calido actu calidum efficiat. Quamobrem constat id quod mouet non similiter se habere, sed ad id, quod alteratur, interdum propiùs accedere, interdum longiùs ab eo remoueri. Hæc vero absque latione esse non possunt. Si igitur motum semper esse necesse est, lationem quoque necesse erit motuum primam semper esse, atque si lationis alia sit prima, alia posterior, eam, quæ prima est. Omnium etiam affectionum raritas & densitas principium sunt, cùm graue & leue, molle & durũ, calidum & frigidum densitates quædam esse & raritates videantur. At verò densitas & raritas concretio sunt, atque secretio, quibus substantiarum generatio & interitus esse dicitur, quæ autem coguntur & disijciuntur loco mutari necesse est. Atqui & eius, quod augescit, & imminuitur, magnitudo loco mutatur. c *Atque etiam ex his, si consideremus, lationem primam esse perspicuum erit. Ipsum enim primum, vt* Text. 56. *in alijs, ita & in motu multipliciter dici potest. Dicitur autem id prius, quod cùm non sit, alia non erunt, illud verò sine alijs. Item tempore atque essentia.* d *Quare cùm necesse sit motum continenter esse, erit autem continenter, aut is qui cõtinuus est, aut is qui deinceps, magis verò qui continuus, præstatq; continuum, quàm deinceps esse, atque id, quod præstat in natura esse, modo posit arbitramur, potest autem continuus esse: quod quidem posteriùs demonstrabitur: nunc verò ponatur, atque hunc nullum alium nisi lationem esse posse, certe lationem primam esse necesse est.*

Veterum dogma de raritate & densitate.

b Cum autem affectionum) Aliud subijcit argumẽtum ex sententia veterum philosophorum, qui raritatem & densitatem omnium qualitatũ principia faciebant, & densitatem ipsam coitu, raritatẽ dissipatione partiũ fieri arbitrabantur, ijsdemque rerum generationem, & interitum constare aiebant. Cùm enim coitio, siue concretio, & dissipatio absque latione non detur, patet eos motui locali primum locum dedisse.

Modi prioris.

c Atque etiam) Vt aperiat qua ratione latio omniũ motuum primus sit, proponit tres modos prioris, videlicet prius natura, tempore, dignitate. Etsi enim plures numerentur tũm categorijs capite de hac ipsa re, tum lib. 5. Metaphys. cap. 11. tamen hi tres præcipui habentur. Dicitur autem prius natura id, sine quo aliud esse non potest, ipsum vero sine eo esse potest, vt animal sine homine, non contra. Prius tempore nuncupatur id, quod prius tempore existit. Prius perfectione, quod excellentiorem obtinet naturam.

Prius naturâ.
Prius tepore.
Prius perfectione.

d Quare cùm necesse sit) Statuit lationem tribus illis modis, quàm motus alios priorem esse. Ac quòd natura prior sit ita probat. Latio potest esse absque alijs motibus: ipsi verò absque latione esse nequeunt: ergo latio prior est. Antecedens ostenditur, quia latio est continua; nullus autem cęterorum motuum continuus est, ita vt iugem continuitatem absque intermissione habeat. Hoc assumptum probatur,

Motus localis natura prior cęteris motibus.

Nulla

batur, quia, vti iam ostensum fuit, oportet dari continenter in natura rerum vnum quendam motum; is autem vel continuus erit, vel deinceps: cumque magis conueniat esse continuũ (siquidem hic est magis vnus, & natura semper facit optimum quod potest) cùm præterea sola latio continua esse queat, vt progressu patebit, fit vt is tantum motus re ipsa perennem continuitatem seruet, isque semper detur, atque adeò vt prior natura sit reliquis motibus.

Natura semper facit optimum, quod potest.

e Tempore autem) Quòd latio cæteros motus tempore antecedat ex eo suadet, quia æternum prius tempore est, quam non æternum; sola verò latio, quę cœlestibus sphęris conuenit, æterna est: cæteri verò motus, vt qui rebus caducis, interituique obnoxijs insint, æterni esse nequeũt. At enim quia opponeret quispiã in rebus, quę oriuntur, generationem omnium mutationum primam esse, motumque localem postremum; maximè si id, quod gignitur, animal sit: id enim priusquam lationem ineat, generari, alterari, & accrescere oportet. Occurrit tametsi respectu rei, quę gignitur, generatio primum locum sortiatur; simpliciter tamen lationem reliquis motibus priorem esse: propterea quod necesse sit existere in natura causam quandam vniuersalem, quę loco moueatur, & ad rerum omnium generationem cõcurrat; nempe cœlum. Itẽ verò quia ipsam rẽ genitã antecedit generans, quod iam antea locales mutationes subierat.

Motus localis prior tempore.

Obiectio.

Dilutio.

Nulla enim ingruit necessitas, vt vel augeatur, vel alteretur, vel gignatur, vel intereat id quod fertur. Harum autem motionum nulla esse potest si continua non sit, quam primum
Text. 57. *mouens efficit.* e *Tempore etiam primam cùm ea sola cieri sempiternæ res possint. At in vnoquoque eorum, quæ generationem subeunt & interitum, vltimus motuum latio sit necesse est. Nam postquam sunt genita, alteratio primum est & accretio: perfectorum autem motus, latio est. Verùm aliud prius sit necesse est, quod latione moueatur, & his, quæ fiũt, generationis causa sit, generationi minime obnoxium, vt id, quod genuit, eo, quod est genitum. Ob hoc enim generatio motionum prima esse videbitur, quod genitam rem esse primum oporteat. Quod quidem in singulis rebus, quæ oriuntur, ita se habet, sed aliquid prius ex his, quæ fiunt, moueatur necesse est, quod ipsum non fiat, & hoc item aliud prius. Cùm autem generatio prima esse non possit, quæcunque enim mouentur interire possent, perspicuum est nec vllum motuum, qui sunt deinceps, priorem esse. Dico verò deinceps accretionem, alterationem, imminutionem, interitum, cùm generatione posteriores sint omnes. Quare si generatio latione prior non est, nec*
Text. 58. *aliarum mutationum vlla erit.* g *Omnino autem id, quod gignitur, imperfectum videtur, & ad principium proficiscẽs. Quò fit, vt, quod generatione posterius est, natura sit prius. Omnibus autem, quæ gignuntur postremò latio competit. Quamobrem viuentium alia omnino immobilia instrumenti penuria sunt, vt plantæ, & animaliũ genera complura, alijs iam perfectis inest. Quare si latio his magis inest, quæ magis naturam adepta sunt, motus quoque hic aliorum primus*
Text. 59. *erit essentia tum ob hæc ipsa,* h *tum quia quod mouetur minime omnium motionum latione ab essentia abscedit.*

Hac

f Quęcunque enim) Probat generationem non esse omnium motuum primum, quia alioqui omne, quod mouetur interiret; siquidem oporteret omne mobile, antequam loco moueretur, gigni; quidquid autem gignitur dissolubile est: at quod non omne mobile intereat, patet in sphęris cœlestibus.

g Omnino autem id quod gignitur) Lationem dignitate priorem esse, ita concludit. Natura progreditur ab imperfectis ad perfectiora: ergo id, quod generationis ordine postremũ est, perfectione, atque essentia primum erit; at rebus, quę gignuntur, motus ad locum vltimo conuenit, vt in animalibus liquet, quorum nonnulla motu carent, vt quę scopulis inhęrescunt: Quę verò mouentur, non nisi cùm suam perfectionem obtinuere, & membrorum firmitatem habent, lationem ineunt. Ergo is motus cæteris præstat.

Motus localis prior dignitate.

Latio nõ remouet subiectum à naturę suę statu.

h Tum quia quod) Secundò id ex eo comprobat, quia latio inter omnes motus minimè subiectum dimouet à naturę suę statu. Etenim nec quantitatem mutat, vt accretio; nec qualitatem, vt alteratio; nec substantiam, vt generatio, & corruptio.

i Ex eo autem) Tertiò idem confirmat, quia ille motus cæteris pręcellit, quo maximè propriè res per se moueri dicuntur: ità verò sese habet motus ad locum. Nam accretio fit etiam ab alimento; alteratio sępe lationem prærequirit: latio autem per se absque alterius adminiculo, & interuentu administratur.

Nullum motum præter localem potuisse ab ęterno cõtinuari.

k Nunc autem quę) Inuestigaturus deinceps qui nam motus inter lationes primus sit, ostendit nullum alium motum pręter eum, qui ad locum est, potuisse ex ęternitate continuari: argumentaturque hoc modo. Cæteri motus versantur inter oppositos terminos, qui & certi sunt, & intermediam quietem exigunt, cùm ad diuersos motus spectent. Oportet igitur eos omnes finitos esse. Aduerte tamen id, quod Aristoteles ait de media quiete, non in vniuersum ita se habere: cùm fieri possit, vt eodem instanti quo calefactio inchoatur, terminetur frigefactio. Itaque ratio probabilis tãtum est. Qua de re in progressu.

Hac enim sola nihil, quod insit, mutatur, quomodo eius, quod alteratur, qualitas, eius, quod augescit & decrescit, quantitas. i *Ex eo autem perspici potest maxime, quod mouens se ipsũ hoc motu, qui in loco fit, maxime proprie se cieat, idq́, quod se mouet, rerum quæ mouentur, & mouent principium, & primum esse affirmamus. Perspicuum itaque est lationem principatum in motibus tenere.* k *Nunc autem quæ latio prima sit, demonstrandum est, idque quod nunc, & antea etiam positum est, continuum aliquem & perpetuum motum esse posse, eadem methodo simul patebit. Aliorum sane motuũ nullum continuum esse posse ex his constat. Omnes motus & mutationes ex oppositis sunt in opposita, vt generationis & interitus termini, ens & non ens, alterationis contrariæ affectiones, accretionis imminutionis magnitudo & paruitas, aut perfecta & imperfecta magnitudo. Contrarij autem qui in cõtraria. Quod verò cùm prius fuerit, hoc motu non semper cietur, quiescere antea necesse est. Quare, vt constat, id, quod mutatur, in contrario quiescere:* l *similiter & in mutationibus. Nam quæ simpliciter generatio est, & interitus, opponuntur, atque etiam singulæ inter se. Quare si fieri non potest vt oppositis simul mutetur, mutatio continua non erit, sed medium tempus inter eas intercedet. Nihil enim interest, contrariæ sint, an non contrariæ mutationes hæ, quæ in contradicentibus sunt, modo eidem adesse simul non possint: ad rationem etenim hoc nihil conducit. Nec si non necesse est in contradictione quiescere, nec item quieti mutatio aduersatur (cum id, quod non est, fortasse non quiescat, interitus autem in id, quod non est) sed si solum inter ipsas tempus sit: ita enim demum continua non est mutatio.*

Text. 60. Text. 61. Text. 62.

Oppositę mutationes in vnam continuam coalescere non possunt.

l Similiter & in mutationibus) Ex oppositis mutationibus vnam continuã mutationem confici non posse ex eo suadet, quia vel res, exempli causa, pariter generatur, & interit, atque ita simul oppositas sustinet mutationes, quod fieri nequit; vel postquam genita est, ad interitum ruit, sicque inter generationem & interitum cadit intermedia quies, quę continuitatem soluit. Monet verò nihil referre vtrum mutationes, quę inter contradicentes terminos versantur, propriam habeant contrarietatem, an non; modò sint eiusmodi, vt eidem simul inesse non possint. Itemque non oportere rem, quę gignitur, in termino contradicente quiescere; cùm non dum extet, & nihil nisi, quod existentiam habet, quietem obtineat. Nec denique opus esse, vt quieti mutatio propriè aduersetur, dummodò ratum maneat hisce mutationibus perennem continuitatem inesse non posse.

Nihil nisi quod existit, quiescit.

Vnum vni contrarium.

m Nec verò conturbari) Quia de motu sic egit, vt ei duo contraria opposuisse videatur, nimirum & quietem & motum, quo ad terminum contrarium peruenitur; cùm tamen vnũ vni tantum contrarium esse debeat, occurrit nihil incõmodi esse vni duo aduersari, alia tamẽ

& alia

& alia ratione: quomodo æquale & mediocre aduersatur ei, quod excedit, & quod exceditur: illi quatenus ab eo superatur, huic quatenus superat. Sic ergo motus diuersa oppositionis specie alteri motui, & quieti repugnat, videlicet motui contrariè, quieti priuatiue. Illud tamen certum est, oppositas mutationes eidē simul competere nunquā posse.

Nam nec in prioribus contrarietas conducebat, sed simul ineſſe nō poſſe. m *Nec verò conturbari quispiam debet, quod idem pluribus contrarium esse consequatur, vt motus statui & ei motui, qui est in contrarium, sed id tantum sumere, cōtrarium motū & motui & quieti opponi, non secus ac æquale & mediocre ei quod excedit & ei quod exceditur. Ad hæc fieri non posse, vt seu motiones, seu mutationes oppositæ simul insint.* n *In generatione item & interitu omnino absurdum videbitur, si quod genitum est affatim interire necesse sit, nulloque tempore permanere. Quamobrem argumētum, quod aliorum fidem facit, ex his sumetur. Naturale enim est, vt similis in omnibus sit ratio.*

Text.63.

m Nec verò conturbari) Ostendit motum rectum & circularem non esse contrarios, quia non pugnant circa idem subiectum. Quod autem motus rectus & circularis non pugnent, ostendit, quia non pugnant circa idem subiectum. Quod autem motus rectus & circularis non pugnent, ostendit, quia non pugnant circa idem subiectum. Quod autem motus rectus & circularis non pugnent, ostendit, quia non pugnant circa idem subiectum.

n In generatione) Generationē, & corruptionem inter se non continuari ex eo concludit, quod minimè conueniat vt ei se, quod alicui natura per generationem contulit, id per interitū confestim adimat. Vnde etiam vult rationem duci posse ad idem in cæteris motibus, mutationibusque cōprobandū.

Generationē & corruptionem non cōtinuari inter se.

Capitis octaui explanatio.

AT a verò infinitum) Probat iam nullam lationem, circulari excepta simul continuam & sempiternam esse posse. Motus inquit omnis ad locum aut rectus est, aut circularis, aut ex vtroque mixtus: sed neque rectus, neque mixtus potest infinitam habere continuitatem; ergo soli lationi, quę in orbem fit, id competet. Assumptio probatur, quia magnitudo recta infinita nulla datur, vt libro 3. demonstratū fuit: at tam motus rectus, quā mixtus, si infinitus sit, infinitā poscit magnitudinem. Quo fit vt nequeat is motus perpetuus esse nisi mobile retrocedat, si autem retrocedat, motus erunt contrarij, quos inter se continuitatē habere impossibile est: siquidem vt cōstat ex ijs, quæ libro 5. explicata sūt, tria requiruntur ad motus continuitatem, videlicet vnitas mobilis, temporis, & formæ, quę in contrarijs motibus simul inueniri nequeunt.

Neque motū rectum, neq; mistum posse habere infinitam continuitatem.

CAP. VIII.

Text.64.

AT a verò in infinitum aliquem vnum continuumque motum esse posse, eumque esse conuersionem nunc dicamus. Quicquid fertur aut in orbem, aut per rectā mouetur, aut admisto motu. Quare si illorum neuter continuus motus est, nec is esse potest, qui ex vtrisque cōstat. Quod autem per rectam ac finitam fertur, continenter non ferri perspicuum est, quippe cum reflectatur. Quod verò per rectam reflectitur, contrarijs motibus mouetur. Is enim quo sursum pergitur, ei quo deorsum, loci contrarietate aduersatur, & is, quo in partem anteriorem ei, quo in posteriorē, & is item, quo sinistrorsum, ei, quo dextrorsum. Hæ enim loci contrarietates. Quis autem est vnus atque cōtinuus motus, priùs definitum est, eum scilicet esse qui vnius est, & vno tempore, & in eo quod speciei differentiam non habet. Tria namque sunt id quod mouetur, vt homo vel Deus: & quando, vt tempus: & tertium id, in quo, quod quidem est aut locus, aut affectio, aut species aut magnitudo. At vero contraria specie differunt, & non sunt vnum. Loci autem quæ commemoratæ sunt differentiæ. b *Mo-*

b Motum autem qui) Quod motus reflexi inter se contrarij sint probat. Quia si duo mobilia

Motus reflexos esse contrarios.

bilia per eandem lineam rectam simul ferantur, alterum ab A. in B. alterum à B. in A. mutuò sese impedient, perdentque. Monet autem inter motionem, qua ad superum locum itur, & eam, qua motus ad latus deflectit, prędictam repugnantiam non cerni, cum eę mutationes sibi impedimento non sint.

Non posse motũ rectũ perpetuã habere cõtinuitatem.

c Sed motum } Rectum motum perpetua continuitate prędictum dari non posse ita ostẽdit. Motus rectus nequit perpetuari, nisi per recursum; sed in puncto recursus, tam in linea recta, quàm in circulo datur quies: non ergo talis motus perpetuam continuitatem habebit. Antequam verò assumptionem probet, ait non idem esse moueri in circulum, & super circulo. Nam id quod super circulũ mouetur, potest motũ perpetuare, vt in eę lesti motu patet: nõ autem id quod mouetur in circulum, ita videlicet vt procedat ab A. in B. & regrediatur a B. in A. per eandẽ partẽ circuli: in hoc enĩ motu interuenit reflexio, in priori verò non.

b *Motum autem qui ex A. in B. est ei qui ex B. ad A. cõtrarium esse id indicat, quod simul si fiant, mutuum sibi statum ac requietem afferunt. Nec secus in circulo, vt qui ex A. in B. ei qui ex A. in C. Nam si sint continui, & recursus nõ fiat, sese mutuò ad statum reducunt, propterea quod contraria vicissim se perdant, atque impediant. Sed non ei qui sursum is qui in latus.* c *Sed motum cõtinuum super recta fieri non posse, eo maxime licet perspicere, quòd rem, quæ recurrit, non solum si super recta, sed etiam si super circulo feratur, stare necesse sit. Non enim idem est in orbem ferri, & super orbe. Nam id quod mouetur motum interdum continuat, interdum ad id rediens, vnde discessit, recurrit.* d *Stare autem necesse esse non tantum sensus, sed ratio quoque fidem facit. Atque principium hoc est. Cùm tria sint, principium, medium, & finis; medium cum vtroque comparatũ vtrumque est & numero quidem vnum, ratione duo. Præterea aliud est potestate esse, aliud actu.* e *Quare quodcunque rectæ lineæ punctum, quod inter extrema positum sit, potestate medium est, actu non est, nisi eam diuiserit, & cùm constiterit, rursus incipiat moueri. Sic verò est medium. Nã principium fit & finis, principium quidem posterioris, finis prioris. Dico autem vt si A. quod fertur, steterit in B. atq; ad C. rursus feratur.* f *Sed cùm fertur continenter, nec accessisse ad punctum B. potest, nec ab eodem recessisse, sed tantum in momento esse, nullo verò in tempore nisi in eo toto, cuius diuisio est. Quod si accessisse quispiam & recessisse posuerit, ipsum A. quod fertur, semper stabit, cum fieri non possit, vt ipsum A. ad B. accesserit, & simul ab eodẽ recesserit. Quare in alio & alio temporis puncto. Ita id quod est in medio, tempus erit, ipsum q; A. in B. quiescet, nec secus in alijs punctis, cum eadem omnium ratio sit. Cùm autem A. quod fertur ipso B. medio vt principio & fine vsus fuerit insistat necesse est, propterea quod duo faciat, perinde atque si animo conciperet. Sed ab A. quidẽ puncto, quod principiũ est recessit, in C. verò fuit cũ motionẽ absoluit stetitq;.* g *Quo*

d Stare autem } Mobilia in prędictis reciprocationibus retardari probat tũ testimonio sensuum; tum ratione; priùs tamen duo sumit. Alterũ, in linea, super qua fit latio, tria reperiri; principium, medium, & finẽ; mediumque cum principio & fine collatum vtriusque rationẽ obtinere, proindeque etsi re vnũ sit, ratione diuersũ esse. Alterũ est, medium lineę punctũ non esse medium actu, idest, ita medium, vt comparatione motus actu sit principium & finis; sed potestate, id est, posse tale fieri, seu vt tale sumi à re mota, si eo perinde vtatur, ac si re ipsa ita se haberet.

Mediũ punctum lineæ non esse medium actu.

e Quare quodcunque } Ratio, qua propositum concludit, hęc est. Nullum mõbile potest ad punctum aliquod peruenire, ab eodemque recedere, illo vt principio & fine vtendo, nisi antequam recedat, interiecta quiete subsistat: sed id, quod reflectitur, peruenit ad punctũ vt in eiusmodi puncto interquiescat.

f Cùm

f Cùm fertur continenter.) Sensus est. Id, quod continuo motu agitur, momẽto solum, non tempore in B est, nisi dicatur esse illic in tempore ratione momenti, quod illius temporis pars est: quopacto id, quod fit hodie, dicatur in hoc mense fieri. Vocat autem momentum diuisionem temporis: quia tempus momentis diuiditur, sicuti punctis linea, lineis superficies, superficiebus corpora.

Cur momentum appelet et Aristoteles, diuisionẽ temporis.

g Quocirca & dubitationi.) Contra superiora hunc in modum obijceret quispiam. Si mobile ab eodem puncto spatij simul abesse, eidemque adesse non posset, sequeretur diuersorũ mobilium æquę velocitatis quę in principio duarũ æqualium linearum cõstituta essent, alterũ prius ad lineæ metam, quàm alterũ peruenturum esse, quod est apertè falsũ. Probatur sequi: sit enim linea A. B. C. cuius medietas sit B. C. Designeturque alia linea D. E. æqualis medietati B C. tũc moueatur mobile F. motu continuo super tota linea A. B C. in instanti autem, in quo venerit ad pũctũ B, incipiat moueri mobile G. super linea D. E. & sit æquę velocitatis cum mobili F, tunc mobili G. prius veniet ad punctum E. quam mobile F. ad punctũ C. quia cùm mobile G. discedat à puncto D in eodem temporis puncto in quo mobile F. venit ad punctũ B. & mobile F vt ais, non possit simul ide abscedere; sequitur mobile G. prius discedere à puncto quod est initium suę lineę, quàm mobile F. discedat à puncto B. ac proinde citiùs venire ad punctum, qui est terminus suę lineę. Huic dubitationi respondet Aristoteles non eãdem esse rationem in puncto, quod est medium lineę supra quam mobile continuè mouetur, atque in puncto reflexionis. Etenim punctum, quod est in medio, non est actu finis nec principium, sed potestate duntaxat, ac proinde mobile non vtitur eo quasi esset actu duo, nec ad illud accessisse, & recessisse perhibetur quandiu vt punctum medium sumitur, sed tantùm dicitur per instans in eo fuisse: at verò punctum reflexionis actu est finis vnius, & exordium alterius, ideòque dicendum non est mobile momento tantùm in eo fuisse, sed ad illud peruenisse, deinde abscessisse; atque adeo inter eum accessum, & abscessum interiecta quiete à motu aliquandiu cessasse.

Obiectio.

Responsio.

Punctum, in medio nõ est actu finis, nec principium.

h Eodem

Text. 66. *g Quocirca & dubitationi hunc in modum occurrendum est. Exoritur enim hæc dubitatio. Nã si E. linea lineæ F. æqualis sit, atque A. continue ab extremo ad C. feratur, simulque A. in B. sit puncto, & D. ab F. extremo æqualiter, eademque celeritate ad G. feratur, ipsum D. antea ad B. perueniet, quã A. ad C. quod enim prius recessit ac abijt, id prius accedat necesse est. Nec verò ipsum A. in B. simul fuit & ab eodem recessit: quæ causa est, vt posterius perueniat. Nam si simul, non posteriùs perueniret. At necesse est consistere. Cùm itaque A. in B. fuit, D. ab F. extremo simul moueri poni non debet. Nam si A. in B. fuit, ab eo etiam discessit, idque nõ simul. At in diuisione temporis in illo erat & non in tempore. Hic igitur in continuo ita dici non potest. In eo vero, quod retrocedit, ita dicere necesse est. Nam si G. ad D. feratur, rursusque retrocedens deorsum cieatur, D. vt principio & fine vtitur, vno scilicet puncto, vt duobus. Ideo insistat necesse est, nec simul ad D. accessit, & ab eo discessit. Eodem enim*

Text. 67. *momento ibi esset, simulque non esset. Atqui solutio ea afferenda non est, quam nuper attulimus, cùm dici non possit, G. in diuisione in D. esse, & nec accessisse, nec recessisse. Nam ad finem, qui actu est, non autem potestate, accedat necesse est. Id verò, quod est in medio potestate est, hoc autẽ actu, & finis quidem, cùm ex loco infero in superum itur, principium, cùm ex supero in inferum. Quare & ipsorum motuum similiter. Quod igitur super recta retrocedit, consistat necesse est, ita cõtinuus mõtus sempiternus esse super recta non potest. h Eodem modo his occurrendum est, qui Zenonis rationem interrogando afferunt, petuntque diuiduũ trãsiri semper oportere: hæc autem esse infinita, & quæ infinita sunt transiri non posse, vel vt alij eãdem rationem aliter interrogant, petentes, cùm aliquid mouetur, id simul quodcumque, quod fiat, dimidium prius enumerare: quare cũ totũ spatium trãsierit, fieri, vt numerum numerauerit infinitum: quod quidem omnium consensu esse non potest. In*

h Eodem modo) Conabatur Zeno motum tollere tum alijs rationibus, tum ei, quod si motus esset, cùm in quolibet spatio insint infinita dimidia motu percurrenda, oportet infinitum finito tempore transiri: quod repugnat. Huic argumento respondet Aristoteles lib. 6 nihil minùs si infinita dimidia spatij finito tempore conficiantur, cùm in ipso etiam tempore finito inueniantur infinita dimidia spatij dimidijs sese adęquantia. Porro hęc responsio etsi & ad disputantem satis fuerit, tamen ad rem ipsam, & veritatem non omnino satisfacere videtur, cùm adhuc omissa magnitudine superfit explicandum quo nam pacto infinitę partes temporis intra finitę durationis terminos pertranseat.

Ratio Zenonis.

Resp. Aristo.

i Verum dicendum est) Zenonis argumento eā nūc adhibet responsionem, quę ad rei naturā simpliciter accommodata sit, & cum ijs quę proximè dicta sunt, cohęreat. Traditum est enim puncta in media magnitudine potestate duntaxat, nō actu esse, in actū autē venire si quis lineā secuerit. Hoc ipsum ait de partibus magnitudinem integrantibus affirmari posse: videlicet potestate solùm plures, atque infinitas esse, ijsque continuatis dari motū continuū, actu verò diuisis continuitatem illico dissolui. Igitur quęrenti num infinitę partes temporis, seu magnitudinis pertrānsiri possint, respondēdum erit partim posse, partim non posse. Si enim actu sint, non poterunt; quia repugnat percurri infinitū actu: si potestate, quomodo sunt in continuo, nihil obstabit, quominus percurrantur: conficiuntur enim tunc ex accidente, ideſt ratione totius & per modum vnius.

Alia responsio ad rei naturam simpliciter accommodata.

Repugnat percurri infinitū actu.

In primis igitur de motu sermonibus eo dissoluebamus, quod tempus infinita in se haberet. Nullum enim incommodum est, si tempore infinito infinita aliquis transeat. Æquè autem infinitum in longitudine inest, ac tempore. Sed hæc solutio ad interrogātem quidem satis est, cum interrogaretur an finito tempore infinita transiri, ac numerari possent. Ad rem autem ipsam & veritatem non est satis. Nam si longitudine omissa, & interrogatione, an finito tempore infinita possint transiri, de ipso tempore aliquis hæc interroget, (infinitas enim tempus habet diuisiones) ea sane solutio haudquaquam sufficiet. Verum dicendum est, quod in proximis diximus sermonibns. Nam si aliquis continuum in duo diuidat dimidia, is vno puncto, vt duobus, vtitur, quippe qui illud & principium faciat, & finem. Ita autem facit tum is qui numerat, tum is, qui in dimidia diuidit, quo quidem sic diuidente, nec linea continua erit, nec motus, quòd rei continuæ continuus sit motus. In continuo autem insunt quidem infinita dimidia, non actu sed potestate: quod si actu fecerit, cōtinuū non faciet, sed stabit: quod accidere ei manifestum est, qui dimidia numerat, cum vnum punctum, vt duo necessariò numeret. Namque alterius dimidij principium erit alterius finis, nisi continuam lineam vt vnum, sed vt duo numerat. Quare ad interrogantem, si infinita aut in tempore, aut in lōgitudine possint transiri, dicendum est, partim posse, partim non posse. Quæ enim actu sint non posse, quæ autem potestate, posse. Nam qui continue mouetur ex accidenti infinita transijt, simpliciter vero minime: quandoquidem lineæ accidit, vt dimidia sint infinita, eiusque essentia diuersa habeatur. Text. 68.

k *Perspicuum verò etiam est, si quispiam temporis punctum, quod prius posterius ve diuidit, ratione ad rem habita, posteriori semper non tribuat, fieri, vt idem simul sit & non sit, & cùm factum est, non sit. Punctum quidem vtriusque commune est, nempe prioris & posterioris, & vnū ad idem numero est, ratione verò non idem, cùm alterius finis sit, alterius principium, at rei habita ratione posterioris est semper affectionis.* Text. 69.

Sit

k Perspicuum verò) Tradiderat paulò ante non posse in eodem momento dari accessum mobilis ad aliquod punctum spatij, & recessum ab eodem, id ipsum nunc diligentiùs comprobat momenti naturam explicando. Docet igitur momentum quod prius & posterius secat, licet ex se ad vtranque pertineat tanquam finis vnius & initium alterius: tamen si rei, quę mouetur, ratio habeatur, posteriori tempori ascribendum esse, alioqui futurum vt idē simul

De momento quod secat prius & posterius.

sit,

fit, & non fit; itemque vt cùm res genita est, non existat, verbi gratia, si aliquod corpus ex albo nigrescat, instans quod diuidit tempora, in quibus id modo album, modò nigrum vocatur, ad vtrumque eorum temporum spectat, estque terminus eius, in quo fuit album, & exordium illius, in quo est nigrum. Verùtamen si attendatur ad subiectum, quod ex albedine ad nigredinem tendit, tunc eiusmodi instans nigredini erit asscribendum, pronuntiandumque tale subiectum in eo instanti nigrum effectum esse: alioqui si tam ad albedinem quam ad nigredinem pertineat, dicetur res simul alba, & non alba, ac postquam nigra erit, non dū nigra erit. Quod hunc in modū Aristoteles cōcludit. Sit tempus A.B. sit momentum C diuidēs A. & B. sit mobile D. ex albedine ad nigredinem tendens; quod toto tempore A. fuerit in albedine, & toto B. sit in nigredine. Si C. inquit, cōmune esset ipsis A. & B. habita ratione D. sequeretur D. in ipso C. esse album & non album, album, quia in quolibet momento ipsius A. erat albū; non album, quia in quolibet ipsius B. atq; adeo in C. quod est eius principium, nō est album. Quare ne hoc absurdum admittatur, dicendum erit C. ad solum B. spectare, & in quolibet momento ipsius A. rem esse albā, in quolibet ipsius B. atque adeo etiam in C. nigram esse. Deinde quod de motu asseruit, idem de generatione, & corruptione suo modo existimandum esse monet. Hinc verò notum haberi vult momentum esse quidpiam insectile; proindeque verum esse, quod antea tradiderat, nimirum in eodem instāti accessum, & recessum eiusdem mobilis dari non posse.

Sit tempus A.C.B. res D.E. quæ in toto tẽpore A alba sit, in B. verò non alba. In C. igitur alba & nõ alba, cùm in quouis ipsius A. verè dicatur alba esse, si omni hoc tempore erat alba & in B. non alba, ipsumq; C. vtrique cõmune est. Non itaq; dandum est in toto, sed vltimum C. excipiendũ, atq; hoc quidẽ posterius est. Atque si album in toto A. aut fiebat, aut peribat in A, in C. profectò factum est aut perijt. Quare album esse, aut non album in eo primùm verè dicitur: aut cùm ortum est, non erit; & cum interijt, erit: aut simul album & non album, & ens omnino, atque non ens simul esse necesse est. Quòd si id, quod cum sit, prius non erat necessariò gignitur, & tum cùm giginitur, non est, fieri non potest, vt tẽpus in indiuidua tempora diuidatur. Nam si in A. tempore, D. album fiebat, simulq; factũ est, & in alio est indiuiduo tẽpore, quod hæret, nempe in B. si in A. fiebat, non erat, in B. autem est, generatio aliqua media sit necesse est. Quare & tempus erat, in quo factum est. Non enim eadem his erit ratio, qui indiuidua non statuunt: sed factum est, & in temporis eius, in quo fiebat, puncto extremo est, cum quo nihil cohæret, neque deinceps sequitur. Indiuidua autem tempora deinceps sequuntur. Perspicuum autem est si in toto tempore A. fiebat, id tẽpus, in quo factum est & fiebat, eo omni,

Text. 70. *in quo duntaxat fiebat, maius non esse.* L *Atque hæ quidem, & aliæ quædam eiusmodi propriæ sunt rationes, quibus aliquis ductus hoc crediderit. Logice autem si consideremus, hoc ipsum ex his effici cuipiam videbitur. Nam quicquid cõtinuè mouetur, quo latione peruenit, eo quoque, si nihil prohibeat, antea ferebatur. Vt si in B. peruenit, in B. quoque ferebatur, nec tum solum cùm prope erat, sed mox atque incepit moueri.* Cur

Non dari in eodem instāti accessum, & recessum.

L. Atque hę quidem) Redit ad institutum, probatque alijs rationibus communibus tamen & logicis, hoc est, probabilibus motus reflexos continuos esse non posse, ducitque in primis aduersarium ad duo absurda hoc modo. Motus ab A. in B. (vt ait) est continuus cũ motu à B. in A. ergo cum mobile incipit moueri ab A. in B. simul etiam dicetur moueri à B. in A. quia omne, quod continuo motu cietur, vbi primum moueri incipit, dicitur moueri ad quẽcunq; terminum peruenire tandem debet. Cum igitur motus ab A. in B. & à B. in A. sint cõtrarij, admittendum erit idem mobile simul contrarijs motibus agitari, quod à vero abest. Deinde cum mobile incipit moueri ab A. in B. iam mouetur ad A. sed nihil proficiscitur in contrarium nisi ex suo contrario: ergo cùm primùm incipit moueri ab A. antequã perueniat ad B. iã mouetur ex B. in quo neq; est, neq; vnquam fuit, quod perspicue absurdum est.

Nihil proficiscī in contrarium nisi ex cõtrario

m Præterea ex hisce) Alia ratione idem comprobat. Omne inquit mobile, quod motu aliquo cieri debet, nec dum tamen cietur, opus est vt prius sit in quiete ei motui contraria, qualis est quies in termino à quo: cùm enim alterum priuatiuè oppositorum abest, adesse alterũ necesse est; atqui cùm mobile mouetur ab A. in B. non dum mouetur motu reflexo, qui fit à B. in A. alioqui moueretur simul motibus contrarijs; ergo antequam tali motu moueatur, quiescere oportet in termino à quo, scilicet in B. ac proinde dabitur quies inter illos duos motus, ex quo fiet vt continui non sint.

n Est verò & hæc ratio) Hæc est alia ratio ad idem confirmandum, aliquã tulum magis propria, quia petitur ab ijs, quæ magis per se motũ attingunt; videlicet. In alteratione ex non albo ad album progrediente, simul non album interijt, & factum est album: ergo si eiusmodi alteratio continuata sit cum ea, qua ex albo ad non album fit reflexio, sequetur simul album & non albũ fieri: immo simul fieri, & interire albũ; & corrumpi, ac fieri non album. Quod repugnat.

Simul interijt non albũ, & factum est album.

o Præterea non si tempus) Postremam affert rationem, quę sit veluti superiorum correctio. Esto, inquit, in puncto recursus nulla foret interiecta quies, non iccirco tamen motus reflexi iudicandi essent continui, sed contigui, siquidem specie distinguũtur, sibique mutuò aduersantur. Quo fit vt eodem termino communi copulari nequeãt. Videtur autem significare hoc loco Aristoteles, tametsi hactenus propositæ rationes non omnino conuincant dari semper in puncto reflexionis quietem; nihilominus illud saltem haberi motus reflexos non debere continuos existimari.

Cur enim magis nunc, quàm prius? similisque aliorum ratio est. Quod autem ex A. in B. fertur, rursus in A. continuo veniet motu. Cùm igitur ex A in B ferebatur, tum quoque eo motu ferebatur, qui est ex C. in A. Quare simul motibus cõtrarijs qui recti sunt. Simul vero etiam ex hoc, in quo non est, mutatur. Si itaque hoc esse nõ posśit, in C. stetur necesse est. Non igitur vnus motus, cùm vnus is non sit, qui statu intercipitur. m *Præterea ex hisce in omni motu vniuerse magis planum fiet. Quicquid enim mouetur aliquo dictorum motuũ omnino mouetur, & statibus oppositis quiescit, cùm nullus præter eos alius detur. Quod verò hoc motu non semper mouetur (dico autem aliquem eorum, qui specie differunt, non si totius aliqua sit pars) oppositа quiete quiescere prius necesse est, propterea quod quies priuatio sit motus. Quare si motus recti sunt contrarij, & fieri non potest vt contrarijs simul motibus moueatur id quod ex A. in C. fertur, ex C. quoque ferri in d. non poterit. Cùm vero non simul feratur, eo autem cieatur motu, in C. prius quiescat necesse est. Ea enim quies motui, qui ex C, contraria est. Ex his igitur quæ dicta sunt constat motum continuum non esse.* n *Est vero & hæc ratio his, quæ allatæ sunt, magis propria. Non album enim simul interijt, & factum est album. Si igitur alteratio, quæ ad album est & ex albo, continua sit, nulloque permaneat tempore, simul nõ album interibit, & album fiet, atque etiam non album: idem namque trium erit tempus.* o *Præterea non si tempus continuum est, iccirco & motus, sed deinceps. Quo autem pacto contrariorum idem fuerit extremũ, veluti albedinis & nigredinis.*

Text. 71.

Text. 72.

QVÆSTIO I.

VTRVM MOBILE, QVOD REFLECTITVR; necessariò quiescat in puncto reflexionis.

ARTI-

ARTICVLVS I.

PROPOSITÆ QVÆSIONIS enodatio.

De hisce opinionib9 AEgidius & Venetus ad ex. 65. M. Alber. tract. 3. cap. 2. Iauellus q. 12. huius lib. Maironi9 in 2.d.13.q.8.

IN hac controuersia, de qua 7. & 8. huius libri capite disseruit Aristoteles, variæ sunt interpretum sententiæ. Nam Auerroes affirmantē partem veram credidit in motibus reflexis naturalibus. Alij eandem in omni motu veram putāt, si modò quies accipiatur nō pro negatione motus in tempore, quo suapte natura mobile cieri posset; quæ est propria, & germana huius nominis vsurpatio; sed pro quacunque motus vacuitate, siue momento insit, siue in tempore. Alij contendunt per se in omni reflexione dari quietem propriè dictam, ex accidente verò, hoc est, si mobile aliqua aduentitia necessitate aliunde interpelletur, non dari. Diuersę opi.

Verùm omissa ad contrarias partes disceptatione, quatuor conclusionibus hæc quæstio explicanda est. Prima sit. Cùm mobile ab externo motore per spatium plenum cietur, nec ei opponitur corpus durum, aliudvè agens vehementius, à quo aliorsum deflectatur, semper datur quies in puncto reflexionis. 1. conclusio.

Hæc conclusio hunc in modum probatur. Sit corpus aliquod graue vt tria, quod impulsu sex graduum, verbi gratia, per aerem, siue aquam in sublime feratur; huiusmodi ascēsui resistunt tres illi gradus grauitatis, & medium, quod ponamus habere quartam partem vnius gradus resistētiæ; ergo tandiu duntaxat impetus ille mouebit sursum corpus graue vt tria, quousque impetus adeo debilitetur, vt sit tantummodo vt tria cū quarta parte vnius gradus actiuitatis; tunc enim inter impulsum, & totā resistētiam ad motum sursum erit proportio æqualitatis; atque adeò cessabit actio: sed deinceps ad descensum tātummodo impellet grauitas vt tria, resistent verò tres gradus impulsus cum quarta parte vnius gradus; medium autem (vt posuimus) habet aliam quartam partem gradus, qua descensui obsistit; ergo, cùm à proportione minoris inæqualitatis non procedat actio, tādiu graue eo in loco quiescet, quousque duæ quartæ vnius gradus impulsus remittantur, incipiatque impulsus minor esse, quàm virtus deorsum trudens. Adiecimus in hac conclusione, cùm mobile ab externo motore cietur; quia si mobile sit viuens, quod à propria forma agitur, nō est, cur tunc in puncto recursus necessariò dāda sit quies; cùm enim auis exempli causa, volatu locum aliquem attingit, nihil sanè cogit asserere nō posse illam immediatè post instans, quo eiusmodi locum tenuit, ab eodem recedere. Probatio. A proportiō ne minoris inęqualitatis nō procedit actio.

Secūda cōclusio. Si mobile p spatiū vacuū ferretur, nō oporteret 2. conclusio

Cõfirmatio. in puncto reflexionis quietem dari. Hæc ita suadetur, sumatur grãue vt tria, quod per spatiũ inane impulsu vt sex aliunde sibi iniecto in superiorem locum euadat. Huic ascensui tantummodò resistit grauitas vt tria; cùm medium nihil obnitatur; ergo tandiu graue in sublime tendet, quousque impulsus continua remissione debilitetur, peruẽniaturque ad instans, in quo grauitas, & impulsus proportionem æqualitatis inter se habeant: sed immediatè post eiusmodi instans iam impulsus erit minor, quàm vt tria; siquidem continuè debilitatur; ergo tẽpore ꝓximè sequẽti mouebitur corpꝰ graue deorsum. Quare nulla tunc quies inter vtrũque motum intercedet; sed vnum idemque momentum erit simul primum non esse ascensus, & vltimum non esse descensus.

3. Cõclusio. Tertia conclusio. Cùm mobili in sublime proiecto occurrit descẽdens corpus durum, aut quoduis agens fortius, à quo in contrariam partem impellitur, non opus est dari quietem in puncto reflexio-

Probatio. nis. Hæc probatur, etenim si grano milij sursum proiecto occurrat magna moles ferrea, haud dubiè nulla interponetur quietis mora in pũcto, quo milij granum reflectitur; alioqui eiusmodi granum molem ferream in medio aere detineret, quod est perspicuè absurdum.

Quid asserendum de quiete cum vnum corpus ad alterũm proijcitur. His adde non solùm cùm vnum corpus è superiori loco alteri occurrit modo paulò ante explicato; sed etiam cũ quolibet modo vnũ ad alterum proijcitur, ita vt neutrũ comprimatur, alterivè cedat, haud oportere dari quietem in puncto reflexionis: quod probatur. Nam si in eo euentu proiectum corpus quiesceret, sequeretur non posse iam illud cum impetu resilire, quod experientiæ aduersatur. Etenim corpus proiectum post quietis morulam non posset à corpore obiecto moueri; tum quia corpora, quæ attrahendi, & expellendi vi carent, nequeunt loco mouere, nisi ipsa pariter loco cieantur; tum quia cùm naturæ necessitate, & non liberè agant, haud dubiè mouerent eo tempore, quo mobile (vt aduersarij fingunt) interquiescit; cum patiens agenti, quantum res poscit, propinquum sit. Denique quod tunc nec à proiectore per vim impetus ab eo iniecti moueri posset, inde patet, quia si talis impetus post quietem moueret, cur non etiam eo tempore, quo corpus quiescere dicitur, moueret? Asserendum est igitur hæc mobilia non quiescere in puncto reflexionis; sed primum non esse motus directi esse vltimum nõ esse reflexi, mouerique reciproco motu ab illo ipso impetu, quo priùs directè ferebantur: hic enim impetus propter obstaculum, in quod incurrit, ducit corpus in oppositam partem, tametsi in eo conflictu

Impetus proiecti corporis in conflictu minuitur infringatur, & flaccescat, vt experimento constat. Diximus, si corpus proiectum, & quod ei opponitur adeò dura sint, vt neutrum comprimatur, alterivè cedat; quia si proiectũ cedat cõprimaturvè, poterit aliqua sui parte in pũcto reflexionis quiescere, vt videre est in pila ad parietem proiecta: sensu enim patere videtur superficiem, qua pila primò parietem attingit, quiescere in pũcto recursus. Pila

nanque

nâque post primum contactum impetus versus parietem vi comprimitur, ipsumque parietem secundum maiorem, ac maiorem suæ superficiei partem successiuè pertingit, quousque resilire, & parietem successiuè deserere incipit.

Quarta conclusio. In cæteris mutationibus, vt plurimùm, datur quies in puncto, vbi fit reflexio, non tamen necesse est eam quietem perpetuò dari. Prior pars huius assertionis ostenditur. Nam inter generationem, & interitum eiusdem rei perpetuò cadit quies, siquidem substantia gignitur per primum sui esse; interit verò per primum non esse, at inter primum esse, & primum non esse rei genitæ necesse est interponi tempus, in quo illa existat; cùm materia non nisi tempore ad aliam excipiendam formam disponatur. Præterea cùm aggeneratio, & corruptio substantialis ei opposita accretionem, & diminutionem adiunctam habeant, necessariò etiam inter accretionem, & diminutionem intercedet quies, propterea quod, vt proximè dictum fuit, nequit noua forma aduenire priore abscedente, nisi inductis dispositionibus, quæ momento inferri nequeunt: Quod denique inter oppositas alterationes maiori ex parte quies intercipiatur, ex eo constat, quia rarò accidit agens contrarium ita patienti applicari, vt primum non esse vnius alterationis sit vltimũ non esse contrariæ. Posteriorem verò eiusdem assertionis partem ea ratio ostendit, quia saltem in ijs, quæ ad natiuam temperiem redeũt, vt cùm aqua remoto calefaciente se se in pristinam frigiditatem reuocat, non est incommodum primum non esse calefactionis, esse vltimum non esse frigefactionis.

4. conclusio.

Probatio prioris partis.

Aggeneratiõ habet coniũctam accretionem.

Probatio posterioris partis.

ARTICVLVS II.

OBIECTA ADVERSVS EA, quæ proximè dicta sunt.

VErũ cõtra ea, quæ proximo articulo statuimus, videtur esse in primis auctoritas Aristotelis superioribus capitibus indiscriminatim asserentis id, quod loco mouetur & reflectitur, quiescere vbi fit reciprocatio: tum etiam tria potissimum argumenta, quibus id stabilire adnixus est. Primum, quia si inter motum directum, & reflexum non daretur quies, essent ij motus inter se continui, proindeque contrarij motus, atque adeò specie distincti inter se continuarentur, quod fieri nequit. Deinde quia mobile, quod reflectitur, existit in puncto reflexionis tanquam in principio, & fine actu: quod non videtur in eodem instanti posse fieri. Postremò, quia mobile, antequam moueri incipiat, quiescere debet sub termi-

Argumenta Aristotelis.

1.

2.

3.

no

no à quo. Quare cùm terminus ad quem motus directi sit terminus à quo reflexi, necessariò mobile interquiescet in puncto reflexionis.

Alia argumẽta contra primam concl.

Deinde contra primam conclusionem hunc in modum obijcitur. Vbi primùm cessat ascensus lapidis mox vanescit totus impetus, quo sursum ferebatur: ergo nihil moræ inter eius ascensum, & descensum interponetur, atque adeò nulla illic dabitur quies. Probatur antecedens, quia, vt docuit Aristoteles hoc in libro cap. 10. text. 82. causa motus proiectorum est in medio; medium autem non impellit nisi dum à tergo vrgens per suum motum vehit mobile; ergo vbi primum lapis deferri desijt, omnis impulsus cessat.

Contra secũdam.

Item contra secundam. Ipsa intercapedo spatij vacui remoratur mobile, alioqui per vacuum fieret motus in instanti; ergo mobile in vacuo non poterit immediatè post primum non esse ascensus moueri.

Contra tertiam.

Denique aduersus tertiam. Si ænea pila atramento conspersa sursum iaciatur, eique occurrat corpus durum, inficietur eiusmodi corpus atramento pilæ; hæc autem infectio non videtur posse momento fieri; fit igitur in tempore quiescente pila. Deinde si moles ænea minimè cedens ad parietem allidatur, cùm illum secundum partes aliquas diuiduas tangat, nequibit secundum eas omnes partes simul diuelli, ne interim dũ aer ad pũctũ mediũ accurrit, in interiecto spatio vacuum detur, vt in 4. huius operis libro dicebamus. Necesse est igitur mobile interquiescere dum aliæ, atque aliæ partes succedente aere paulatim abiunguntur. Quare non videtur negandum in hisce euentis inter accessum, & recessum corporum, mediam quietem interponi.

Cap. 9. q. 1. ar. 5. in sol. 4

ARTICVLVS III.

DILVTIO OBIECTORVM.

NIhilominus dicendum vera esse, quæ articulo proximo asseruimus. Ac primum quod ad Aristotelem attinet, sunt qui illum hac in re parum attentè philosophatum esse dicant. Alij verò eum ab hac calumnia, vti par est, vindicant, aiuntque ideo loco citato docuisse dari quietem in puncto reflexionis, quod maiori ex parte dari soleat; ac tametsi videatur id vniuersim concludere; non proinde tamen censuisse ostẽsum id ab se rationibus firmis, sed probabilibus tantùm, & ad veritatis speciem adductis, disputasse. Quare soluenda à nobis erunt eius argumenta quatenus absolutè astruere videntur necessariò prædictos motus intermedia quiete disiungi.

Respõsio ad 1. arg Aristotelis.

Ad primum neganda est consecutio ex ipsius Aristotelis doctrina hoc in libro ad initium capitis. 9. text. 73. vbi docet sufficere aliquando

quando vnum, idemque momentum ad disiungendos, & discontinuandos motus duos, vti videre est in descensu canis, qui de turri decidens in medio lapsu intermoritur; in eo namque descensu vnũ, & idem instans motum canis à cadaueris motu distinguit; cùm idem sit primum non esse prioris motus, & vltimum non esse posterioris; siquidem in eo puncto temporis, quo canis interit, cessat eius motus, (quia ad motus singularitatem, exigitur rei motæ identitas) & in eodem incipit motio cadaueris; quod qua ratione intelligendum sit libro. 5. exposuimus.

Ad secundum inficiamur non posse idem punctum esse actu principium & finem, quatenus in eodem instanti alio, atque alio modo sumpto terminari, & inchoari possunt motus totales diuersi, vt proximè diximus. Ad 2.

Ad tertium neganda est propositio; fieri enim potest, vt lationem sine vlla morula alteratio continenter sequatur. Quæ est ipsius auctoris solutio. 5. huius operis cap. 4. text. 40. Ad 3.

Quæ verò à nobis obiecta fuere, ita diluentur. Ad id, quod contra primam conclusionem opposuimus, dicendum impulsum, quo lapis defertur, in ipso lapide hærere. Neque Aristotelem loco citato totam causam motus proiectorum ad medium referre; sed affirmare eiusmodi motum dependere partiatim à medio, quatenus impetus, quo proiecta feruntur, vi medij à tergo vrgentis incrementa sumit, vt fuit à nobis. 7. libro explicatum. Dilut. obiec. cõtra 1. cõcl. C. 2. q. 1. ar. 8.

Ad aliud contra secundam occurrendum, etsi propter spatij vacui intercapedinem necessariò mobile tempus consumat; non posse tamen spatium vacuum, mobile ne moueatur detinere, cum ea detentio non nisi à resistente fieri queat; quod in vacuo nullum est. Dilut. obiec. cõtra 2. cõcl.

Ad primum contra tertiam respondendum est, dum pila ænea atramento illita alterum corpus imbuit, ipsum atramentum, hoc est, corpus, in quo ater color inest, necessariò cedere, deprimique aliquantulum, ac proinde in eo euentu morulam cadere, & quietem, vti superiùs, de pila, cuius partes ob mollitudinem cedunt, astruximus. Dilut. 1. obiec. cõtra 3. cõcl.

Ad secundum dicito, Si inter pilam, & corpus, quod tangitur nihil aeris, aut alterius corporis, quod illico metu vacui rarescat, interiectum sit, (intercipi verò, vt plurimum, solet, docente Aristotele lib. 2. de anima cap. 11. text. 113.) tunc nequire immediatè post momentum contactus totam pilam à pariete diuelli, atque adeò quietem aliquam inibi futuram. Sed enim id non ex vi motus reflexi, sed propter vacui periculum eueniet. Dilut. 2. obiec. contra eandẽ concl.

QVAESTIO

QVÆSTIO II.

DE INCEPTIONE, ET desitione rerum.

ARTICVLVS I.

PRÆLVDIA AD FVTVRAM disputationem.

HIus controuersiæ occasio sumpta est ex ijs, quæ tradidit Aristoteles tum cap. 8. huius libri text. 65. tum libro 6. cap. 5. text. 43. & sequentibus, vbi quædam ad rerum inceptionem, & desitionem spectantia perstrinxit. Vt autem quid dicendum sit aperiamus, nonnulla prænotanda erunt. Primum sit, inceptionem significare initium durationis rei, desitionem vero finem durationis eiusdem. Quò fit vt qui quonam pacto res incipiant, ac desinant inquirit, non aliud scisciteturquàm quomodo se habeant instantia, quibus vtrinque rei duratio clauditur, an scilicet ex parte principij connumerandum sit instans cum tempore, in quo res existere dicitur, ita vt in illo iam sit, & immediatè ante non extiterit, an verò pertineat ad tempus præteritum, in quo res nondum erat, ita vt in ipso nondum existat, sed immediatè post. Similiter ex parte finis pertineat ne instans ad id tempus, in quo res adhuc est, ita vt in ipso res existat, & immediatè post non sit, an verò spectet ad tempus futurum, in quo res iam non existit, ita vt in eo instanti non sit, & immediatè ante extiterit. Ex quibus intelligere fas erit vnamquanque rem altero duorum modorum incipere; nimirum vel in instanti, quo ita est, vt immediate ante non fuerit, quod philosophi in scholis vocant incipere per primum sui esse siue intrinsecè; vel in instanti, quo ita non est, vt immediate post sit, quod appellant incipere per vltimum non esse siue extrinsecè. Pari etiam ratione colligere licebit altero duorum modorum quamlibet rem desinere; aut scilicet in instanti, quo ita est, vt immediatè post non sit, quod vocant desinere per vltimum sui esse & intrinsecè, aut in instanti, in quo ita non est, vt immediatè antea fuerit, quod appellant desinere extrinsecè, seu per primum sui non esse.

Inceptio, & desitio quid.

Quot modis res incipiãt.

Quot modis res desinant.

C.6.q.

Deinde aduertendum est etsi quædam entia sint, quæ, vt libro 4. exposuimus, neque instantibus nostri temporis, neque tempore mẽsurentur, vt Angeli; posse nos tamen eorum inceptionem, & desi-

Cap.14.q.1 art.1.

tionem

tionem ad noſtra inſtantia, tempusque coaptare, ita vt dicamus ea incipere per primum ſui eſse, cùm eorum inceptio reſpondet alicui noſtri temporis inſtanti, in quo iam ſunt; & incipere per vltimum non eſse ſi non exiſtant, niſi immediatè poſt aliquod inſtans noſtri temporis.

ARTICVLVS II.

DE INCEPTIONE, ET DESITIONE rerum ſucceſsiuarum, inſtantium, aliorumque id genus.

C.6.q.1. ar.2. VT igitur à rebus, quæ in ſucceſsione conſiſtunt, ordiamur; ſit prima aſsertio. Motus, & tempus incipiunt per vltimum ſui non eſse, deſinuntque per primum ſui non eſse. Hæc aſsertio ita probatur. Motus, & tempus, vt 6. lib. oſtenſum fuit, non poſsunt in inſtanti eſse; ergo non habent primum, neque vltimũ inſtans, in quo ſint, atque adeò non incipiunt per primum ſui eſse, nec deſinunt per vltimum ſui eſse; ſed quæcunque non ita incipiunt, & deſinunt, neceſsariò incipiunt per vltimum non eſse; & deſinunt per primum ſui non eſse igitur; motus & tempus incipiunt, & deſinunt prædicto modo. Id quod de motu diximus, pari ratione de quiete aſserẽdum eſt. Nam quies, cùm ſit negatio motus in ſubiecto apto, & in tempore à natura conſtituto, neutiquam in inſtanti eſse poterit; ſed in tẽpore, vt Ariſtoteles lib. 6. huius operis, cap. 3. text. 30. probat.

1. aſsertio. De inceptione, & deſitione motus, & temporis.

Quare non rectè quidam negantes quietem in inſtanti eſse, eam nihilominus deſinere inquiunt per vltimum ſui eſse; conuincuntur enim malè concedere, quod rectè negant; ſiquidem quicquid per vltimum ſui eſse deſinit, in inſtanti eſt; quia de eo verè dicimus, nunc, ideſt, in hoc momento exiſtit, & immediatè pòſt non erit; quare exiſteret quies in momento, & quod inde conſequens eſt, coguntur prædicti auctores concedere motum in inſtanti. Erit tamẽ qui obijciat. Ariſtoteles. 6. huius operis cap. 3. text. 31. aſserit id quieſcere, quod ſimiliter ſe habet nunc, ac priùs; ſed id quod in tempore antecedente quieuit, ſimiliter ſe habet in inſtanti, quo id tempus claditur, ac ſe habebat priùs; ergo in eo inſtanti quieſcit. Huic obiectioni, omiſsis aliorum ſolutionibus, occurritur illius loci Ariſtotelici hanc eſse ſententiam. Illud quieſcit, quod nunc, ideſt, hoc tempore ſimiliter ſe habet, ac priùs. Itaque non oportet, vt quod ante hoc inſtans quieuit, in eodem quieſcere dicatur, in eo enim nec verè dicimus mobile moueri, nec quieſcere; ſed non moueri.

Quies nõ dẽ finit per vltimũ ſui eſse.

Obiectio.

Solutio. In inſtãti nec mouetur, nec quieſcit mobile.

Secunda aſsertio. Res permanentes, quæ abſolutè cum motu incipiunt, ac deſinunt, incipiunt per vltimum non eſse, & deſinunt per primum non eſse. In hac aſsertione motus nomine intelligenda

2. aſsertio.

est quæuis mutatio successiua. Diximus, quæ absolutè cum motu incipiunt, ac desinunt; quia quæ secundum aliquid sui momentanea mutatione inchoantur, deinde quoad aliud, per motum efficiuntur; simpliciter incipiunt per primum sui esse; licet quoad id, quod motu inducitur, incipiant per vltimum non esse, vt patet in solis illuminatione. Sol enim eo ipso momento, quo à Deo procreatus est, quoquouersum per totam sphæræ suæ regionem lumen diffudit; & in eodem (extrinsecùs tamen) cœpit per mutationē successiuam in omnibus partibus, ad quas mouebatur, lumen augere. Itaque subita illa effusio lucis incepit per primum sui esse; lucis autem circumuectio, & incrementum in alijs, atque alijs hemisphærij partibus successiuè peracta non nisi per vltimum sui non esse inchoata est. Aduerte autem cùm dicimus in hoc instanti non esse motum tempusve, & immediatè post fore, nomine instantis non esse accipiendum verum, & reale instans, sed imaginarium. Nāque vt lib. 6. exposuimus, sicuti fieri nequit, vt initio motus detur aliquod mutatum esse; ita nec dari potest verum, & positiuum instans, quod ad eum motum, vel tempus intrinsecè attineat; quicquid in contrariam partem scripserit Iandunus eodem lib. q. 15. alijque nonnulli, quos loco citato refutauimus. C. 6. q. 1. art. 1.

3. assertio. De inceptione, & desitione indiuisibilium.

Sit tertia assertio. Indiuisibilia rerum successiuarum, idest temporis instantia, & puncta motus, quæ mutata esse nuncupantur, incipiunt per primum sui esse, desinuntque per vltimum sui esse. Hæc facilè suadetur, quia isthæc indiuisibilia habent totum suum esse in instanti, nec valent consistere vltra momentum, quod necessariò est & primum esse eorum; cùm antea non extiterint, & vltimum esse; cùm immediatè post interitura sint. Id, quod de indiuisibilibus temporis, & motus asseruimus, dictum quoque volumus de actionibus momentaneis; cuiusmodi sunt volitio, & intellectio; cùm per solum instans durant. In his enim eadem ratio conspicitur: siquidem totum suum esse in instanti solùm possident, nec ante illud extitere, aut immediatè post existent. Sciendum tamen actiones intellectus, & volūtatis non semper momentaneas esse: cum substantiæ intellectrici liberum sit eas tempore conseruare, non solum cum eàdem, sed cum maiori intensione, adhibente potentia successiuè vehementiorem conatum, vt in 3. lib. diximus.

Actiones intellectus, & voluntatis nō semper sunt momētaneę.

C. 2. q. 1. art. 3.

Refellitur opinio Gregorij de mora actuū voluntatis.

Verū Gregor. in 1. d. 17. q. 2. art. 2. Lichetus in 2. d. 2. q. 1. alijq; nonnulli existimāt nō posse viribus naturæ fieri, vt aliquid præter rerū fluētiū indiuisibilia, desinat per vltimū sui esse. Vnde cōcedit Greg. necessariò omnē volūtatis actionē aliquāto tēpore durare. Quæ tamē sentētia minimè ꝓbāda est. Potest enim volūtas pro sua libertate eū actū, quē in hoc instāti elicuit, immediatè post abijcere; alioquin necessario etiā per aliquantū tēpus cōtinuaret actū vitiosum, quem semel inchoauit, quod nequaquam est admittendum.

Lege Scot. in quodlibetis q. 12. art 3.

ARTI-

ARTICVLVS III.

DE INCEPTIONE CERTÆ, incertæque formæ in ſubiecto.

SVperiori articulo explicatum fuit quo pacto formæ, quæ motum ſequuntur, ſimpliciter ſeſe haberent quoad deſitionem, & inceptionem, non ſpectando certum vel incertum earum gradum, aut extenſionem in ſubiecto, ſed abſtrahendo conſiderationē ab vtroque. Nunc igitur de ijsdem formis ſecundum poſteriorem hunc modum diſceptabimus. Sed obſeruandum primò erit accidentarias formas (loquimur autem de ijs tantùm, quæ & intenſionem, & extenſionem vendicant) licet naturam certam, ac determinatam habeant; poſſe tamen expendi vel ſub certo gradu, & latitudine, verbi gratia, calorem in octauo gradu, quo pacto dicetur à nobis hoc loco forma certa; vel ſub incerta latitudine, vt calor abſolutè; quomodo appellabitur forma incerta.

Diuerſa cōſideratio formarum accidentalium.

Forma certa.

Forma incerta.

Deinde recolendum eſt in qualibet quantitate alias eſſe partes formales, vel quaſi formales, vt puncta, lineas, ſuperficies; alias materiæ vicem obtinentes, nempe cæteras, è quibus corpus categoriæ quantitatis coaleſcit. Porro priores partes, ſi ſumantur verſus eam dimenſionem, quam copulant, vt extima ſuperficies huius tabulæ verſus profunditatem, certæ omnino ſunt. Poſteriores autem poſſunt quidem certæ eſſe, habereque inter ſe ordinem primæ, & ſecundę, ſi ſpectentur ſub tanta, vel tanta dimenſione, verbi gratia, vnius palmi. Verùm ſi aliter accipiantur incertæ ſunt; nec habent ordinem primæ, & ſecundæ, cum ante quamlibet ſit alia prior. Vnde immediatè poſt primam ſuperficiem tabulæ non ſequitur pars aliqua certa verſus profunditatem, ſed infinitæ. Hinc fit vt incipere formam in ſubiecto indeterminato nihil aliud ſit quam incipere in parte indeterminate ſumpta, hoc eſt, in infinitis partibus, quæ poſt certam aliquam ſuperficiem immediatè ſequuntur. Incipere autem in ſubiecto certo ſit incipere in tanta, vel tanta magnitudine.

Quid ſit incipere formam in ſubiecto indeterminato.

His poſitis ſit prima aſſertio. Forma certa in ſubiecto certo incipit per primum ſui eſſe. Probatur, quia ſi non inciperet per primū ſui eſſe, ſed per vltimum non eſſe, daretur inſtans, in quo verum eſſet dicere, Nunc tota hæc pars aquæ, verbi gratia, non eſt calida vt duo, & immediate poſt erit calida vt duo: quod tamen falſum eſſe oſtenditur. Nam vel in eo inſtanti deſideratur aliquid ad perficiendum calorem vt duo vel nihil: ſi nihil, iam in eo inſtanti tota illa pars erit calida, vt duo, quod negabatur: ſi

1. aſſertio.

vero deest aliquid, cùm id non possit esse insectile; quia insectile adiectum alicui non efficit maius, vtique erit sectile, atque adeò priùs inducetur eius medietas, quàm totum. Quare post illud momentum, dabitur quoddam aliud instans, in quo tota illa subiecti pars nõ dum sit calida vt duo, & ex consequenti punctum illud temporis antea designatum non erat vltimum non esse caloris vt duo in tota illa parte. Quo fit vt negari non possit prædictum calorem incipere per primum sui esse.

Ante instans, quo certa forma incipit, quid desit.

Illud verò hoc loco ignorandum non est in toto tempore antecedente momentum, quo certa illa forma incipit per primum sui esse, toto, in quam, collectiuè sumpto, nihil illius formæ deesse in acquiri (liceat enim tritum in hac materia loquendi modũ vsurpare) quia in toto eo tempore acquirebatur latitudo illa caloris vt duo; deesse tamen in acquisito esse; siquidem nondum acquisitionis motus cessauit: at in instanti terminatiuo, in quo motus euanuit, adesse iam omnes illas partes in statu quieto. Si autem loquamur de tempore antecedente diuisiuè sumpto; deesse aliquid sectile, quod acquirendum supereſt per subsequentem motus partem; cùm in eo pars vna antecedens, alia subsequens designari possit.

2. assertio.

Sit secunda assertio. Forma certa in subiecto incerto, seu indeterminate sumpto, incipit per vltimum non esse. Hæc ita probatur. Calor, verbi gratia, vt est communis philosophorum vox, acquiritur in subiecto vniformiter difformiter. Erit igitur aliquod instans, in quo in prima superficie versus agens sit calor vt duo & in partibus, quæ post primam superficiem immediatè sequuntur, sit quicquid est infra calorem vt duo (nisi enim ita res haberet non extenderetur calor vniformiter difformiter, vt consideranti patet) Rursus eiusmodi subiectum immediatè post calefiet; vel ergo immediatè post acquiret calorem vt duo, vel minorem. Non minorem, quia sequeretur non habuisse antea quicquid est infra calorem vt duo; acquiret igitur calorem vt duo, atque ita calor certus in incerta parte incipiet per vltimum non esse.

Extensio vniformiter difformis qualitatum.

Lib. 1. q. 3.

Obiectio. 1.

Sed iam aliquis obijciat. Id, quod in hoc instãti deficit ad calorem vt duo est quid sectile; prius ergo eius medietas acquiretur, quam totum; atque ita eiusmodi calor certus in parte incerta non comparabitur immediate post; hac quippe ratione paulo superius ad primã assertionem confirmandam vsi fuimus. Secundò. Calor extenditur vniformiter difformiter; non poterit ergo certæ intensionis calor in aliquam partem subiecti immediate post diffundi. Tertiò. Forma certa nequit incipere nisi euanescente ea parte motus, per quam inducitur: siquidem quãdiu motus durat, efficitur forma, dum autem efficitur, non certa, sed incerta est: atqui non potest ea pars motus immediatè post interire; quia cùm immediatè post sit futura, esset simul, ac simul interiret, ergo, &c.

Obie. 2.

Obie. 3.

Dilut. 1. obie.

Ad primum horũ concesso antecedente neganda est consecutio.

Nam

Nam cùm id, quod deest ad calorem vt duo, incertum, indeterminatumque sit, vtpote quidquid est infra calorem vt duo, nequit in eo designari medietas, quæ priùs comparetur: id enim, quod incertum est, in duas medietates secari non potest, ideoque nec licebit accipere instans, ante quod totum acquisitum non sit in parte incerta. Ratio verò, qua primam conclusionem astruximus, sumebat partem certam, in qua calor, qui deerat, necessariò erat certus, proindeque diuiduus in duas medietates. Nam calor, qui certo instanti insidet in parte aliqua certa & definita, non potest non certam intensionem vindicare, ac si quid ad calorem vt duo deficit, id quoque certũ est.

Ad secundum dicendum, quanuis prima veluti productio caloris incedat vniformiter difformiter, postmodò tamen etiam vniformiter progredi; aliter non posset ignis perfectè sibi passum assimilare. Postquam igitur calorem vt duo in primam superficiem intulit, ipsum deinde per passum effundit, vsque dum id sibi assimilet, & in ignem conuertat. Ac saltem in toto minimo, quod versus ignẽ est, negari non potest sæpe numero esse calorem vt octo, vniformiter, antequam ignis generetur. Dilut. 2. obj.

Ad tertium dicendum portionem motus, per quam producitur pars illa caloris in parte incerta, immediatè post incipere, & desinere: id enim nihil est aliud, quàm immediate post sequi partes infinitas, easdemque euanescere; ita tamen vt sicut non datur prima, quæ incipiat, nec etiam detur prima, quæ desinat. Dilutio. 3.

Sit tertia assertio. Forma incerta in subiecto incerto incipit per vltimum non esse. 3. assertio.

Hanc assertionem vt probemus supponimus id, quod in libris de cœlo ostẽdimus, nimirum potentias actiuas quoad sua effecta spectata secundum distantiam, habitaque ratione indiuisibilium terminorum quantitatis, quibus spatium definitur, terminari extrinsecus versus maximum, idest, dari superficiem, in qua, verbi gratia, non sit lux à corpore lucido producta, & ante illam sit. Lib. 1. cap. 11. q. 3.

Hoc posito confirmatur assertio in hunc modum. Producat corpus lucidum vniformiter difformiter lucem in aere vsque ad non gradũ: vtique dabitur vna superficies, quæ nihil omnino lucis habeat, ita tamen vt in parte aeris illi superficiei immediata versus agens sit aliquid lucis: moueatur deinde corpus lucidum versus illã superficiẽ, quam antea luce sua nõ dum attigerat. In instanti, quo moueri cœperit, verè quiuis dixerit in parte aeris, quæ sequitur post prædictã superficiem, nihil esse lucis, & immediatè pòst aliquid lucis futurũ, quod necessariò erit indeterminatũ. Igitur forma indeterminata in subiecto indeterminato incipit per vltimum non esse. Cõfirmatio.

ARTICVLVS IIII.

DE DESITIONE FORMÆ, TAM certæ, quàm incertæ in subiecto.

ARTI-

1.assertio. QVod verò ad formarum, de quibus hactenus egimus, desitionem attinet, sit prima assertio. Forma certa in subiecto certo desinit esse completa, atque perfecta in subiecto per vltimum sui esse; absolutè verò, seu ex toto, ita vt nihil eius remaneat, desinit per primum non esse. Hæc quoad priorem partem ita

Cõfirmatio prioris partis suadetur. Sit calor vt duo in aliquo subiecto. In instanti, quod est vltimum non esse motus contrarij licebit dicere. Nunc est tota latitudo caloris vt duo in hoc subiecto, & immediatè post non erit iam tota, quia aliquid per motum abijcietur; ergo & cæt. Deinde posterior pars ostenditur. In instanti terminante motum, quo eiusmodi

Cõfirmatio posterioris partis. subiectum antea calidum, redditum est omnino frigidum, fas erit dicere nihil iã in eo esse caloris, & immediatè ante aliquid fuisse: ergo calor desijt in ipso quoad omnem sui partem per primum non esse.

2.assertio. Sit secunda assertio. Forma certa in subiecto incerto tam secundum omnes suæ intensionis partes, quàm secundum aliquam earũ,

Suadetur quo ad priorem partem. desinit per vltimum sui esse. Hæc quoad priorem partem videlicet quod calor vt duo, exempli gratia, existens immediatè post primam superficiem contiguam agenti aboleatur totus per vltimum sui esse probatur; quia huiusmodi calor non interit nisi accessu frigiditatis etiam vt duo; hæc autem in parte incerta incipit per vltimum non esse, vt constat ex secunda superioris articuli assertione. Quare cùm vltimum non esse frigiditatis, sit vltimum esse caloris; consequens

Quoad posteriorem. fit vt prædictus calor desinat per vltimum sui esse. Deinde ostenditur eadem assertio quoad posteriorem partem hoc modo. Si calidum agat in aquam summè frigidam, in vltimo non esse calefactionis verè quiuis dixerit in parte subiecti, quæ est vltra primam superficiẽ cõtiguam calido, dari frigus vt octo, & immediate post non dari; sed aliquid iam ei fuisse detractum subeunte calore. Igitur frigus vt octo in parte incerta desinit quoad aliquam sui partem in subiecto incerto per vltimum sui esse.

3.assertio. Sit tertia assertio. Forma incerta in subiecto incerto desinit similiter per vltimum sui esse tam quoad omnes partes suæ intensionis, quàm quoad aliquam earum. Hæc quoad priorem partem, ita suadetur. In aere vniformiter difformiter illustrato necessariò datur aliqua superficies, in qua nihil iã insit lucis, insit tamen in parte aeris eidem superficiei immediata versus luminosum. Hoc posito, si luminosum retro cõmeet, in instanti, quo eiusmodi retrogressio inchoabitur, erit non nihil lucis in parte illa quæ proximè antecedit prædictam superficiem, & immediatè post eiusmodi instans, non erit, siquidem immediatè post subtrahitur ab ea luminosum; ergo cùm ea pars aeris sit incerta, habetque incertam lucem, vtpote quæ est immediatè citra non lucem; perspicuum relinquitur lucem incertam in subiecto incerto in totum desinere per vltimum sui esse. Deinde probatur eadem assertio quoad alteram eius partem. Ea lux, quæ in aere illustrato est vltra primam superficiem versus luminosum, est incerta,

incerta, & in subiecto incerto, vtiam patet. Incipiat ergo luminosum retro moueri; immediatè post instãs, quo moueri cœperit, imminuetur aliquid de luce, quæ erat post primam superficiem: ergo lux incerta in subiecto incerto amittit partem suæ intensionis per vltimum sui esse; quod erat probandum.

ARTICVLVS V.

DE INCEPTIONE, ET DESITIONE SVBstantiarum, quæ gignuntur, & intereunt, & earum rerum, quæ creantur, quæque in nihilum recidunt.

RElíquum est vt de ijs rebus agamus, quæ per generationem, vel creationem incipiũt, quæque per corruptionem, vel anihilationem desinunt. Sit prima assertio. Substantiæ, quæ gignuntur, & intererunt, incipiunt per primum sui esse, desinunt per primum non esse. Hæc quoad priorem partem corroboratur primũ testimonio Aristotelis, qui hoc in libro, cap. 8. text. 69. & lib. 6. cap. 5. text. 45. & vbicunque de ortu, & interitu substantiarum disserit; eas momento gigni, momentoque interire docet. Quod confirmat etiam Auerroes 4. libro huius operis comm. 129. & lib. 5. comm. 8. Simplicius eodem lib. ad tex. 8. cæterique philosophi communi assensu. Potest autem hæc ratio ad id probandum afferri. Nam forma rei generabilis non incipit esse in materia, nisi in statu, quo incipiat sese tueri ab aduersarijs, atque etiam operari; cùm vnũquodque suæ operationis gratia sit: at verò vt agere & resistere incipiat, (quãuis ad actionem & resistentiam continuandam non eodem prorsus modo res habeat) vidẽtur requiri certæ dispositiones, atque adeò præfinita extensio materiæ, sicuti & ipsa forma certum essentiæ limitem habet. Igitur cùm primùm ea materia congruenter præparata est, in totam simul atque in instanti forma inducitur, in eoque res genita simul fit, & est, proindeque incipit per primum sui esse. Atque hæc ratio etsi non planè rem demonstret, & cõuincat, tamen in hac materia grauia philosophorum ingenia similibus argumentis acquieuere, vt propositam conclusionem statuerent, & in schola celebrẽ facerẽt.

1. assertio.

Ostenditur prior pars.

Posterior pars assertionis hunc in modum suadetur: semper cum generatione vnius rei, alterius corruptio coniuncta est; & contrà, vt docet Aristoteles 1. de generatione cap. 3. text. 20. Cùm ergo substantiæ, quæ gignuntur, incipiant per primum sui esse, vt ostensum fuit, necessariò fatendum erit easdem, cùm intereunt, desinere per primum non esse; ita vt in eo puncto temporis, quo res genita primum cohæret, iam ea, quæ interijt, non existat.

Res, quę gignitur, simul fit & est.

Cõfirmatio posterioris partis.

Cum generatione vnius semper coniuncta est alterius corruptio.

Sit

2.a.ſſe.tio. Sit ſecũnda aſſertio. Ea, quæ propriè creantur, quæque propriè ad nihilum reuocari queunt, vt Angeli, & animæ rationales incipiunt per primum ſui eſſe. Hæc aſſertio quoad priorem partem ex eo concluditur, quia Deus ad creandum exhibet concurſum infinitæ potentiæ, idque ſine adminiculo vel opera alterius rei, ad cuius moram, & tarditatem ſeſe accommodet, atque adeó ſubitò, & momento creat. Item quia huiuſmodi res habent eſſe indiuiſibile, atque ita ſuaptenatura producibile in inſtanti, ſeu per primum ſui eſſe. Conſule D. Tho... contra gentes c. 19. & 1 p. q. 63. art. 5. & in 2. d. 1 q. 1. a. 2.

Poſterior verò pars ea ratione confirmatur, quia ſi velit Deus rem quãpiam in nihilum redigere, veriſimile eſt ſubtractum iri ab eo per primum non eſſe concurſum, quo illam antea conſeruabat; maximè cùm eiuſmodi res habeant eſſe momento in nihilum reducibile. Diximus, ſi velit Deus; quia vt D. Thomas ait 1. p. q. 104. art. 4. Deus, quæ ipſius eſt in omnia exuberans, & benefica bonitas, rem nullam in nihilum redigit.

Deus nullã rem in nihilum redigit.

3 aſſertio. Sit tertia aſſertio. Qualitates ſupernaturales, quæ etiam, licet impropriè, creari dicuntur, vt alibi monuimus, aliquando incipiunt per primum ſui eſſe; aliquando per vltimum non eſſe. Hæc probatur; quia poteſt Petrus, verbi gratia, perfectè ad gratiam diſponi, vel in hoc inſtanti, in quo ei ſtatim gratia diuinitus infundetur; vel immediatè poſt hoc inſtans, quo euentu accipiet gratiam per vltimum non eſſe. Hoc in lib. c. 2. q. 1. art. 1.

Poteſt gratia infundi per vltimum nõ eſſe.

ARTICVLVS VI.

DVBII CVIVSDAM ENODATIO.

Nũ Angelus creari poſsit per vltimum non eſſe.

QVæret tamen adhuc quiſpiam eſto ea, quæ propriè creantur, ſecundum communem, & ordinariam legẽ eo modo, quo diximus, incipiant; vtrum nihilominùs poſsit Deus Angelum, verbi cauſa, per vltimum non eſſe creare. Dubitandi ratio ex eo ſumitur, quia cùm poſt vltimum non eſſe ſequatur tempus, oportebit quidquid ita producitur, in tempore effici, & accomodatè ad naturam temporis, ideſt, ſucceſsiuè, & per partes; quod tamen in ea, quæ inſectilia ſunt, proindeq; neceſſariò totũ ſuum eſſe ſimul & impartibiliter accipiunt, vt Angelus, minimè cõuenire poteſt, etiam diuina virtute; alioqui iam ea, quæ omnino partibus vacant, partibus conſtarẽt, & à propria natura deciderent. Secundo, quia ſi res permanentes incipere poſſent per vltimum non eſſe, pari etiam ratione res ſucceſsiuæ, vt motus, & tempus, poſſent incipere per primũ ſui eſſe; cùm vtrobique æqua repugnantia eſſe videatur.

Vt huic dubitationi fiat ſatis prænotandum eſt dupliciter intelligi poſſe rem aliquam creari per vltimum non eſſe: vno modo, ita vt illius effectio menſuretur tempore, & ad eius fluxum naturamque, ſecun-

ſecũdũ alias & alias partes ſeſe accõmodet: altero, vt exiſtat quidẽ eius ductio dũ tẽpus fluit, & tñ nec producatur ſucceſsiuè, nec tẽpore mẽſuretur; ſed tota ſimul efficiatur, & in ſe tota ſimul, atq; ĩpartibiliter exiſtat. Hinc ad propoſitã dubitationẽ reſpõdemus cũ Grego. in 1. d. 17. q. 2. ar. 2. & alijs, nõ poſſe, etiã diuina virtute, Angelũ creari per vltimũ nõ eſse, ſecundum priorem ſenſum, vt prima ratio earum, quas proximè attulimus, concludit; poſſe tamẽ ſecundũ poſteriorẽ. Hoc enim pacto omnia, quæ Deus initio mũdi creauit, etiã nũc in quolibet inſtãti, ac dũ tẽpora decurrunt, conſeruat, totũ ipſorum eſſe eis indiuiſibiliter, ac ſine vlla, eiſdẽ interna, ſucceſsione conferendo. Reſponſio ad dub.

Iã igitur cõſtat quid ad primũ argumentũ reſpõderi debeat. Ad ſecũdũ verò negãdũ eſt, quod aſsumit. Nã ex eo quod res permanẽtes per vltimũ nõ eſse pdicto modo incipiãt, nõ ſequitur eas nõ habere ſimul totũ eſſe: at ſi motus, vel tẽpus per primũ ſui eſse inciperẽt, obtinerẽt totũ ſuũ eſse ſimul, quod repugnat naturę ſucceſsiuorũ. Vnde patet non eſse vtrobique parem repugnantiam. Solutio arg.

Capitis noni Explanatio.

Conuerſionẽ poſſe in infinitum continuari.

Qa Vi autẽ fit) Poſtquã docuit cæteros motus, mutationesve ęternã cõtinuitatẽ nullo modo habere potuiſſe, nũc cõuerſionẽ, & in infinitũ cõtinuari poſſe, & inter oẽs motus ſimpliciter primũ eſse oſtẽdit. Nã ex infinita, inquit, cõtinuitate motus, qui in orbẽ fit, ab eode ad idẽ pũctũ redeũdo, nullũ exiſtit incõmodũ. Nõ enim quod quiſpiã forſitan obtẽderet) ex eo ſequetur ide cõtrarijs motibus ſimul agitari, aut motũ continuũ ex cõtrarijs, & ſpecie differentibus componi; ſiquidem non omnis motus, quo ad aliquem terminum itur, contrarius eſt ei, qui ab eodẽ inchoatur termino licet in motu, qui fit ſuper linea recta, ex qua maximam locorum diſtantiam metimur, ita res habeat.

b Cõuerſio enim ab eode) Aliãs ſubdit rationes cur potiꝰ cõuerſio, quã cęteri motus cõtinuitatẽ ſortiri queat. Vna eſt, quia quod in orbem agitur, vnã & cõtinuã lineã perpetuò decurrit, nec ab vno extremo ad aliud progreditur. Vnde eſt, quod in reflexu hęrere, aut moram trahere nequaquam oporteat. Cur cõuerſio continua eſse poſsit.

c Et is quidẽ) Alia ratio eſt, quia in motu circulari recurſus à pũcto ad idẽ pũctũ nõ fit in ijſdẽ, hoc eſt per eandẽ lineę partẽ. Cũ enim v.g. ſol ab oriẽte in occidentẽ per noſtri hemiſphærij lineã fertur, rurſus ab occaſu ad ortũ per aliã circuli partẽ, hoc eſt, per lineã inferioris hemiſphęrij cõmeatiat motu recto per eandẽ lineã, idẽque omnino ſpatiũ terẽdo, eò, vnde mobile digreſsum fuit, repedat.

Nõ poſſe cõtinuari in ſemicirculo perennẽ motũ.

d Quare nec in ſemicirculo) Ex dictis colligit nec in ſemicirculo, nec in alia circuli portione ingens motum poſſe continuari; quandoquidẽ in nulla parte circuli principiũ & finis coeunt, vti in circulo; proindeque in nullo ab eodem ad idem, niſi per idem ſpatium reditio eſt. Vnde ſequitur tales motus ſibi aduerſari, nec ex ijs vnum quid poſſe coaleſcere.

e Perſpicuum verò) In nullo aliorum motuum perpetuam continuitatem inueniri ita concludit. Vbi progreſsio & regreſsio non fit per diuerſa media, ſicuti in circulo, ſed ſæpè per eadem, vt in diametro, non datur perpetua continuatio, vt ex dictis conſtat, oporteque mediã

CAP. IX.

Text. 73. Qa *Vi autẽ fit ſuper circulari vnus erit & cõtinuus, cũ nihil ſequatur quod eſſe nõ poſsit. Nã quod ex A. mouetur, eodẽ impetu in A. ſimul mouebitur, ſi quidẽ in id moueatur, in quod veniet. Sed neq; cõtrarijs neq; oppoſitis ſimul ciebitur. Nõ enim oĩs, qui ex hoc motus eſt, ei eſt cõtrarius, aut oppoſitus, qui eſt ad hoc. At cõtrarius quidẽ eſt rectus. Hoc enim cõtraria sũt in loco, vt qui eſt per diametrum, quãdoquidẽ plurimũ diſtat. Oppoſitus autẽ eſt qui per eãdẽ lõgitudinẽ. Quare nihil impedit cõtinue motũ fieri et nullo tẽpore intermitti.* b *Cõuerſio enĩ ab eodẽ in idẽ, motus eſt, qui autẽ fit rectà, ab eodẽ in aliud.* c *Et is quidẽ, qui in circulo, nũquã in ijsdẽ eſt: qui autẽ rectà ſæpius in ijsdẽ. Is igitur qui in alio & alio sẽper fit, poteſt cõtinuè cieri, qui verò in ijsdẽ fit sæpius, nõ poteſt. Motibus enim contrarijs simul moueatur neceſſe eſt.* d *Quare nec in semicirculo, nec in alia vlla circunferẽtia cõtinuẽter fieri motus poteſt, quod sæpiꝰ moueri in ijsdẽ neceſſe sit, & cõtrarijs mutari mutationibus.* Non

quietem interponi: atqui in alteratione cùm mobile progreditur ab albo in nigrum, & à nigro redit in album, fit recursus per eadem media, nimirum per medium colorē. Igitur necesse est inter huiusmodi accessum, & regressum quietem dari. Monet autem nihil referre vnum sit, an plura media, quia quodlibet ad dissoluendam continuitatem sat erit. Prętereа eandem esse rationem in accremento, & decremento; imò & in generatione, & interitu: quia etiam cùm ignis, verbi gratia, in aerem, & rursus aer in ignem vertitur, medium aliquod interuenit, nimirum prę paratio materię ad eiusmodi formas. Sumit enim generationem & interitum vnà cū antecedentibus dispositionibus.

Error Heracliti & Cratyli.

f Ex his itaque } Errorem Heracliti, Cratyli, & aliorum, qui omnia in continuo fluxu versari aiebant, ijs quę hactenꝰ disputata sūt, confutatum esse inquit. Nam cùm ostensum sit nullū motum, excepta cōuersione, ꝑpetuari posse, liquet non continenter res fluere, alterationem vè subire; in qua illi rerū ortum, & interitum collocabant.

Text. 74.

Non enim principio finem coniungit: qui verò fit in orbem coniungit, atque solus perfectus est. e *Perspicuum verò ex hac diuisione etiam est ne alios quidē motus continuos esse posse. Fit enim vt in omnibus per eadem sæpe moueatur, vt in alteratione per media, & in eo, qui est in quantitate per magnitudines medias, in generatione & interitu eodē modo. Nihil enim interest pauca an multa ea facere, in quibus est mutatio, nec aliquod medium addere, aut auferre, quod per eadem motum fieri modo vtroque accidat.* f *Ex his itaq; perspicuū est neq; eos naturales recte dicere, qui sensilia omnia sēper moueri inquiunt. Nam horum motuum aliquo potissimum alteratione, eorum sententia cieātur necesse est. Fluere enim sēper dicunt, atque imminui. Præterea generationem & interitum alterationem esse statuunt. Præsens verò oratio omnē motum complexa est, nempe nullo motu, præterquā conuersione, fieri posse, vt continenter quicquam cieatur, quare nec alteratione, nec accretione. At ad docendum quidem nullam, præter conuersionem, infinitam esse, continuamq; mutationem, hæc satis sint dicta.* g *At verò lationum conuersionem primam esse manifestū est. Nāque omnis latio, vt antea diximꝰ, aut in orbē est, aut in rectū, aut mista. Hac autē priores esse illas necesse est, quippe quæ ex eis constet. Recta verò eam, quæ est in orbem, cùm simplex magis sit & perfecta. Nam fieri quidem non potest, vt super infinita recta linea latio fiat, quandoquidē infinitū eiusmodi non est, at neque si esset, quicquam moueretur, cùm id nō fiat quod est: infinita autem non potest transiri. At quæ super finita recta fit, si retrocedat cōposita erit, & duo motus:* h *si verò non retrocedat, imperfecta, & quæ intereat. Porro imperfecto perfectum, & quod interire non potest, eo, quod potest, natura prius est & ratione & tempore.*

Text. 75.

Conuersionem esse omnium lationum primā.

g At verò lationū } Reuertitur ad ostendendum conuersionē omniū lationum primā esse; argumētaturq; hoc modo. Omnis latio aut circularis est, aut recta, aut ex his mixta: sed hęc est posterior illis duabus; quia omne compositum est posterius simplici: itē etiam recta est posterior circulari: ergo circularis est omniū prima. Esse autem rectam circulari posteriorē ex eo constat, quia circularis est simplicior & perfectior, vt satis indicat natura circuli, supra quē fit, qui absolutior, & simplicior figura est, vtpote cui nihil possit addi; cùm tamen rectę lineę semper aliquid adijci possit, quandoquidem infinita non datur. Quin vero etsi illa extaret, non esset in tota ea motus; quia pertransiri nō poterat. In linea verò finita motus perpetuus haudquaquam erit, nisi per reflexionem, proindeque non vnus cōtinuus, sed multiplex dicetur. Quod verò multiplex est, simplici est posterius.

Circulus figura simplicior, & absolutior.

Excellentia motus circularis.

h Si verò non retrocedat } Si mobile, quod lineam rectam conficit, nō retrocedat, euanescet, inquit, motꝰ, ac certo limite cōcludetur, videlicet lineę termino; proindeque à perfectissimi motus, qualis conuersio est, absolutione degenerabit: &, quod inde sequitur, cōuersio tali motu prior erit natura, ratione, & tēpore. Natura, quia immortalis, ac nobilior. Ratione, idest, definitione, quia habitus est definitione prior, quam priuatio (hęc enim illum ad suę essentię notionem exigit, non contra) & omne perfectum habet sese ad id, quod imperfectum est, tanquam habitus ad priuationem. Tempore, quia omnibus retro seculis perseuerauit.

i Ex ratione autem fit } Redit ad disceptationem de perenni motus continuitate, & quamobrem conuersio, non autem recta latio, perenniter continua esse queat, edisserit. Ea, inquit,

quit, latio continua, ac perpetua esse potest, cuius mobile ex æquo, atque indiscriminatim semper est in principio, medio, & fine spatij: atqui ita se habet sola conuersio: ergo &c. Probat assumptionem, quia in linea recta, supra quam recta latio exercetur, distincta & determinata sunt principium, medium, & finis; cùm in ea detur actu principium, vnde motus incipit, & finis, in quem definit, & in quo mobile quiescit; in circulo verò nequaquam id accidit; cùm nullum eius pũctũ finis magis, quã medij, aut principij rationem obtineat. Vnde est quod sphæra moueri simul, & quodammodo quiescere dicitur. Moueri, quia reuera circũagitur: quiescere, quia totum locũ, siue spatium non mutat, sed voluitur circa cẽtrũ, quod fixum, immobileque est, & principij, medij, ac finis vicem sortitur principij, quatenus ab eo omnes æquales lineæ ad circumferentiã ducuntur: medij, prout æqua distantia à peripheria disiũgitur: finis, prout omnes in eo lineæ terminantur.

Sphæram simul moueri, & quodammodo quiescere.

Latio etiam, quæ sempiterna esse potest, prior ea est, quæ non potest. Atqui conuersio perpetuari potest, aliorum autem neque latio, neque alius vllus potest. Status enim sit necesse est, qui quidem cùm est, motus interijt. i *Ex ratione autem fit, vt motus, qui in orbem est, vnus sit & continuus, & non is qui rectus est. Recti enim motus principium, medium, & finis distincta sunt, & in se omnia continet: quo fit vt id sit, Vnde quod mouetur incipiet, & id item ad quod desinet: siquidem in extremis res quælibet quiescit, cum in eo vnde, tum in eo ad quod. At verò conuersionis non distincta. Nam eorũ, quæ sunt in linea, tur hoc potiùs, quam illud, terminus est: cum eorum quodlibet principium æque sit, mediũ & finis, vt in principio & fine aliquid semper sit, & nunquam. Vnde & sphæra quodammodo mouetur, & quiescit, cùm eundem occupet locum. Causa autem est, quoniã centro omnia hæc conueniũt, quippe quod magnitudinis & principium sit, & medium, & finis. Quare cùm extra circunferentiam hoc sit, nihil est vbi id quod fertur quiescat, perinde atque transierit. Semper namque circa medium fertur, non ad extremum. Quòd verò id maneat, totum semper, & quodammodo quiescit, & continenter mouetur.* k *Accidit autem reciprocatio. Nam & quod motuum mensura conuersio sit, primam esse ipsam necesse est, siquidem primàm omnia metitur: & quia prima, aliorum est mensura.* l *Atqui & æquabilis conuersio sola esse potest. Quæ enim recta à principio ad finem inæqualiter ferũtur. At in sola conuersione nec principium inest, nec finis, sed extra.* m *At verò lationem motuum primam esse omnes testantur, quotquot de motu mentionem fecerunt. Eius nãque principia hisce tribuerunt, quæ hunc motum efficiunt.*

Text. 76.

Text. 77.

Etenim

K Accidit autem) Cùm rationes ad circularis motus principatum, & continuationẽ spectantes admodum inter se cognatæ sint; non seperatim sed mixtim eas pertractat Aristoteles. Hoc igitur loco rursus probat conuersionem inter cæteros motus primarium locum habere, eo quod omniũ mensura sit. Additque esse mensuram & esse primum inter se reciprocari. Nam cùm conuersio sit mensura, necessariò vendicat primum locum, & quia primum locum vendicat mensura est: siquidem primum in quolibet genere reliqua eiusdem generis metitur.

l Atqui & æqualis) Eandem assertionem confirmat ex eo, quia inter omnes motus sola cõuersio æquabilis est, eãdemque velocitate perficitur; quod maiorem arguit nobilitatem. Quod enim sibi simile est magis est vnum, vnitas verò multiplicitati anteponitur. Non seruare autẽ reliquos motus æquabilitatem inde ostendit, quia quo mobilia à quiescente, hoc est ab eo, vnde moueri cœperint, quod immobile est, longiùs eunt, eò maiori impetu feruntur. Cuius rei causam, & cur in ijs quæ per vim mouentur, & in animantibus diuersus inæquabilitatis modus reperiatur alibi exposuimus.

Inter omnes motus solam conuersionẽ esse æquabilem.

Lib. 2. de cœlo. cap. 6. p. 1.

m At verò lationem) Quod de lationis primatu docuit cõrroborat testimonijs veterum philosophorũ. Nãque quicunque in constituendis rerũ naturaliũ principijs de motu aliquid tradiderunt lationi principẽ locũ assignarũt. Anaxagoras enim mentẽ, Empedocles concordiã, & discordiam motrices causas fecere. Leucippus & Democritus affirmarunt sua illa insectilia tulere, eorpus-

Veteres Physici lationi primatũ decernere.

corpuscula huc, illuc, concursione, & dissipatione per inane ferri, nec vllum alium motum subire præter lationem; etsi quę ex ipsis concrescerent cęteris quoque mutationibus forent obnoxia. Thales & alij, qui elementum vnum, aut medium quidpiam inter elementa principium esse existimarunt, cùm rerum ortus & interitus ad densitatem & raritatem, coitionemque & secretionem retulerint, similiter lationi primas dedere. Quod fecit etiam Plato dum animam se ipsam mouentę, cęteraque omnia agitantem inuexit. Qua de re. 1. huius operis copiosius.

Thales.

Plato.

Etenim secretio, & concretio motus sunt in loco, quo quidem modo mouent concordia & discordia, cùm altera ipsarum dissipet, altera congreget. Mentem etiam quæ priùs mouit Anaxagoras ait segregare. Similiter verò & quicunque nullam talem statuunt causam, per inane autem inquiunt moueri. Et hi namque naturam motu, qui est ad locum, cieri affirmant, siquidem motus per vacuũ latio est, & perinde quasi in loco. Aliorum autem nullum primis inesse censent, sed his, quæ ex illis. Etenim augeri, imminui, & alterari atomis compactis atque seiunctis inquiunt. Nec secus quicunque densitate & raritate generationem faciunt atque interitum. Nam secretione & concretione hæc disponunt. Præter hos ij sunt, qui motus causam animam faciunt. Id enim quod se mouet, eorũ quæ mouentur, principium aiunt esse: n animal autem omnisque animans motu, qui in loco est, se mouet. Et id proprie moueri solùm dicimus, quod motu, qui ad locum est, mouetur. Id vero si eodem in loco quiescat, augeatur autem, aut imminuatur, aut alteretur aliqua ex parte, non simpliciter dicimus moueri. o Motum itaque semper fuisse, omniq; tempore futurum esse, quidue motus sempiterni sit principiũ, & quis motus primus, quisque sempiternus duntaxat esse possit, mouẽs & primum immobile esse dictum est.

n Animal autẽ} Rei propositę confirmationem eo argumento cõcludit, quod animãtes, quę inter illa, quę ab se mouentur, nobilitate excellunt, motu ad locũ se ipsas mouent. tum præterea quia communi loquendi vsu mouum pro latione vsurpamus, & ea simpliciter moueri dicimus, quę loco cientur, non ita verò quæ augescunt, aliamve eiusmodi motionẽ subeunt.

o Motũ itaque} Ea de quibus toto hoc libro disseruit, summatim colligit, vt ad illa, quę proximo capite continentur, gradum faciat, & quia tursus de primo motore agere instituit, quid de eo iam supra demonstrarit, extremo loco repetit.

Capitis decimi Explanatio.

Ha Oc autem partibus} Aggreditur ad probandum motorem primum vacare partibus, & magnitudine, essęq; e virtute infinita prędituin. Vt verò institutum confirmet, nonnulla præsumit theoremata. Primum est nullam vim finitam posse infinito tempore mouere. Ad cuius veritatem aperiendam supponit tria concurrere ad motum; nimirum virtutem mouentem, mobile, & tempus, quod motu cõsumitur: atque hęc omnia aut esse infinita, aut finita, aut quædam infinita, alia finita, vnum vel duo. Deinde appellat vim mouentem A. mobile B. tempus C. tum accipit aliam vim mouentem minorem, quàm A. siue sit pars ipsius A. siue non quam vocat D. item partem aliquam ipsius B. quę sit E. & ab ipsa D. creatur. His positis ita argumentatur, E. mouetur in tempore, quod tempori C. infi-

Vim finitam non posse tẽpore infinito mouere.

Probatio.

CAP. X.

Ha Oc autem partibus necessariò vacare, nullamque habere magnitudinem nunc dicamus, priùs hisce definitis quæ hoc antecedunt. Quorum vnum est fieri non posse vt finitum vllum infinito moueat tempore. Tria enim sunt id quod mouetur, id quod mouet, & tertium, nempe tẽpus in quo. Hæc autem aut omnia infinita, aut omnia finita, aut aliqua, vt duo aut vnum. Sit igitur A. mouens C. quod mouetur B. & tẽpus ĩfinitũ C. ipsũ igitur D. moueat partẽ ipsius B. quæ sit E. Certe non in æquali ipsi C. quod in maiori, maius. Quare

Text. 78.

infinito æquale non est: siquidem A. quę est maior virtus, mouet maiori tempore, vt positum fuit; mouet autem tempore C, ergo minori tempore, non autem ipso C. infinito, virtus D. ipsius B. partem, quę est E. mouebit. Cùm igitur D. moueat E. tempore minori (hoc vocetur F.) si ipsi D. pars alia adiecta fuerit, deinde alia, ipsum A. tandem consumetur. Similiter si ipsi E. alia pars ipsius B adijciatur, deinde alia, totum B tandem exhaustum erit: additur autem tempus ipsi quidem F. proportione, vt quantum virtutis adijciatur, tanto plus temporis proportione mouere queat, nũquam tamen consumetur, cùm sit infinitum. Igitur tempus, quod additur, totum finitum efficit, temporeque finito tota virtus A. totum B. mouebit, atque adeò fieri non poterit, vt tempore infinito finita virtus moueat.

Summa rationis antea propositę.

Porro tota hęc ratio breuius & apertius ita concluditur. Si aliqua virtus moueat, verbi gratia, pondus quatuor librarum tempore infinito, certè quarta eius pars mouebit pondus vnius librę in parte temporis minori atqui adeò tempore finito. Itęq; dimidium illius virtutis mouebit medietatę prędicti põderis tempore duplo maiori; atque adeò tota virtus in vnum collecta mouebit totum pondo tẽpore quadruplo maiori. Cùm igitur tempus alio tẽpore finito quadruplo maius necessariò finitum sit, cõsequens est, vt virtus finita tempore infinito mouere nõ possit.

Text. 79.

Quare tempus F. infinitum non est. Si igitur ipsi D. additio sic fiat, ipsum A. consumam, etsi ipsi E. ipsum B. At tẽpus non consumam æquale semper auferendo, quippe quod sit infinitum. Vniuersum itaque A. totum B. finito tempore C. mouebit. Ab eo igitur, quod finitum est motu infinito nihil potest moueri. Ita constat fieri non posse, vt quod finitũ est tempore moueat infinito. b *At verò vim infinitam in magnitudine finita omnino esse non posse ex his constat. Sit enim maior semper virtus, quæ minori tempore æquale facit seu calefacit, seu dulcedinem afferat, seu proijciat, seu omnino moueat. Ab eo itaque quod finitum quidem est, infinitam autem habet vim id quod patitur, aliquid pati & magis, quàm ab alio necesse est. Amplior enim est virtus infinita. At tempus nullum esse potest. Sit namque A. tempus, in quo vis infinita calefecit, aut pepulit: in quo verò finita aliqua sit A. B. Huic si maiorem aliquam, finitã verò semper adijciam, ad eam tandem perueniam, quæ A. tempore mouerit. Finito enim si semper adiecero, definitum omne superabo: et si abstulero, identidem diminuam. Finita igitur & infinita æquali tempore mouebit, quod esse non potest. Nulla igitur finita magnitudo vi infinita prædita esse potest.*

Text. 80.

c *Neque igitur finita, ea quæ est infinita. Quod in minori magnitudine maior virtus esse possit, multò tamen maior in maiore. Sit igitur A. B. infinita magnitudo: certe B. C. aliquam vim habet, tempore aliquo nempe E. F. mouit D. si itaque ipsius B. C. duplam accepero in dimidio temporis E. F. mouebit. Hæc namque sit proportio. Quare in tẽpore F. G. mouebit.* Sic

1. obiectio.

Est tamen in prõptu obiectio aduersus hanc Aristotelis probationem, quia ad calcem libri superioris traditũ fuit siqua virtus pondus aliquod moueat, dimidium eius virtutis posse medietatem illius ponderis per idem spatium eodem tempore mouere, similiterque quartam partem virtutis posse eodem tempore ferre quartam partem ponderis. Hoc autem in loco contrarium asseritur.

2. obiectio.

Secundò, opponet aliquis, Intelligentię habent finitam virtutem, & tamen secundũ Aristotelem mouerunt ab ęterno cœlestes globos. Igitur non repugnat finitam virtutem mouere tempore infinito.

Dil. 1. obiect.

Ad primum horum variè responderi solet. Quidam opinantur rationem Aristotelis probabilem tantùm esse. Alij intelligendam solum modò de virtute motrice, quæ paulatim languescit, & minuitur. Hęc enim etsi aliquanto tempore mouere possit partem illius ponderis, quam initio motus exuperat; non tamen eandem infinito tempore mouebit, quia progrediẽte motu ab illa vincetur, ac tandem vanescet. Septimo autem libro sermo erat de virtute, quę eadem semper manet, seu quę semper excessum retinet comparatione resistentię.

Dilut. 2. obi.

Ad secundum respondendum est theorema Aristotelis sic esse intelligendũ. Id quod mouet per se & independenter tempore infinito habet infinitam virtutem. Qua de re in progressu plura.

b At

In magnitudine finita non posse residere virtutem infinitã.

b At verò vim infinitam) Secundum theorema est. In magnitudine finitã nõ posse infinitam virtutem inesse. Hoc vt suadeat prẽmittit maiorem virtutem minori tẽ, ote idem effiere, quod in maiori minor, itemque virtutem infinitam citiùs mouere, quàm aliam quãlibet virtutem finitam. Tum ita ratiocinatur. Si in magnitudine finita esset infinita virtus, nullum tempus mouendo consumeret; demonstratum est autem 6 huius operis cap. 3. omnẽ motum tempore effici, ergo in magnitudine finita nequit esse infinita virtus. Maiorem ostendit, quia si eiusmodi infinita virtus ad mouendum tempus exigeret, sequeretur posse finitam & infinitã virtutem equali tempore mouere, quod est contra hypothesim. Consecutio probatur, quia cùm quoduis finitum facta ipsi adiectione possit aliam finitam rem tandem superare, eousque finita virtus excresceret, vt finitudinem illam temporis vinceret. Quid momenti hęc Aristotelis ratio habeat suo loco separatim expendemus.

In magnitudine infinita non posse dari finitã virtutem.

c Neq. igitur fieri potest) Tertium theorema est, in magnitudine infinita non posse inesse finitam virtutem. Quod ita probat. Virtus magnitudinis infinitę exuperat quancunque virtutem finitam: ergo necessariò est infinita. Assumptum confirmat, quia licet non semper virtus ex equo respondeat mobili, & in minori magnitudine magnę interdũ vires insint, vt in seminibus, aliisque id genus; tamen in mole infinita infinitas vires esse oportet.

Sic igitur semper accipiendo, magnitudinem quidem A. B. nunquam transibo, tempore verò dato semper minus accipiam. Quamobrem virtus erit infinita, quippe quæ finitam virtutem omnem exuperet, omnis autem finitæ virtutis tempus quoque esse finitum necesse sit. d *Nam si aliquo in tempore tanta virtus moueat, in minori quanquam terminato proportionis conuersione maior mouebit. Infinita autem omnis vis perinde est, atque multitudo & magnitudo, quæ terminatam omnem excedit.* e *Potest autem sic quoque hoc demonstrari. Aliquam enim vim infinita magnitudine accipiemus, quæ eiusdem sit generis atque est ea, quæ est in infinita, quæve eandem metietur. Vim itaque infinitam in magnitudine finita, aut finitam in infinita non posse esse ex his constat.* f *De his autem, quæ feruntur, recte habet in primis dubitationem quandam afferre. Sic enim quicquid mouetur, ab aliquo mouetur, quopacto eorum, quæ se non mouent, nõnulla continenter, eo, quod mouet, non tangente, quæ iacimus, mouentur? Quod si is qui mouit, aliud quidpiam simul mouet, vt aerem, qui, cùm mouetur, mouet, æquè fieri non potest, vt primo non tangente neque mouente moueantur. Sed simul omnia moueri & quiescere, cùm mouens primum quieuerit, necesse est, quanquam perinde faciat vt lapis, nẽpe vt id moueat quod mouit.* g *Necesse est autem hoc quidem dicere id, quod primùm mouit, efficere, vt aer, aut aqua, aut aliquid eiusmodi, quod mouere mouerique aptum est, possit mouere. At*

Text. 81.

Text. 82.

Text. 8

d Nam si aliquo in tempore) Secundò idẽ stabilire conatur hunc in modum, Aliqua pars illius infinitę magnitudinis pollet virtute ad mouendum aliquanto temporis; maior autem pars, cùm maiores vires possideat, minus consumet temporis: ergo tota moles infinita nihil tẽporis cõsumet, & ex cõsequenti infinitam virtutem motricẽ obtinebit.

e Potest autem sic) Tertiò idem ex eo corroborat, quia si magnitudini infinitę inesset finita virtus, posset alia virtus finita eiusdem rationis existens in magnitudine finita metiri illam, quę est in infinita magnitudine: atque adeo posset etiam magnitudo illa infinita mensurari ab ea quę finita est, cùm eadem ratio quoad hoc videatur esse in magnitudine, quę est in virtute.

Dubitatiõ.

f De his autem, quę feruntur) Duo quędam interponit dubia ad motum pertinentia, Alterum est, quî fieri possit, vt iacta, verbi gratia, lapis, aut telum, quod sursum intorquetur, postquam discesserit ab eo qui iecit, motum continuent, cùm nec ipsa se moueant, nec videantur à proiectore cieri, vtpote à quo post initium motus rangi desierunt. Non enim satisfaciet qui dixerit huiusmodi corpora ab aere tergum vrgente cieri, hęrebit namque eadem rursus quęstio, qua ratione aer ille proximus nullo tangente moueat.

g Necessa

g Necesse est autem } Dubitationem propositam diluit aiens id, quod primò mouet, verbi gratia, manum, mouere medium, per quod fit iactus, nempe aerem sibi attiguum; tum vnã aeris partem aliam sibi vicinam pellere, deinde hanc aliam, donec ea, quę lapidi cohęret, ipsum lapidem vehat. Incipere autem motum proiecti corporis languescere cùm vis mouendi partibus aeris impressa deficere incipit; & omninò cessare motum, cùm prędicta vis euanuit, hoc est, cùm tanta esse desijt, quanta ad mobile vlterius prouehendum requiritur. Responsio.

h Sane is motus } Addit motũ iactus non conuenire corporibus, quę perenni, & continuo motu agitantur, sed quę interdum a motu cessant, vt sagittę, & lapidi. Et verò quod hæc cũ iaciũtur, nõ ferantur cõtinuo motu ex eo ostendit, quia nõ ab eodẽ mouẽte impellũtur, sed ab alio, & alio, vt à manu & aere, vel aqua, varijsque partibus intermedij corporis, quę omnes a prioribus impetum accipiunt, & in vicinas transfundunt. Docet autem fieri iactum in aere, & aqua, quia hęc elementa cedunt, & agilia sunt, non autem terra ob ingentẽ crassitiem, & repugnantiam. Ignis verò nõ meminit, quod eius sphęra procul à nobis sit. Iactus quibus competat.

At non simul mouere desinit & moueri, sed simul atque is qui mouet mouere desierit, desinit moueri, adhuc autem est mouens: quocirca aliud mouet quod hæret, cuius eadem est ratio. Cessat autem cùm vis mouendi in id, quod hæret, minor imprimitur. Prorsus verò desinit, cùm id quod prius est, non vltra effecerit, vt moueat, sed solùm vt moueatur. Atque hæc desinere simul alterum quidem mouere, alterum moueri totumque motum necesse est. h *Sane hic motus in his fit, quæ aliquando possunt moueri, aliquando quiescere, continuus itẽ non est, sed apparet, quandoquidem earum sit, quæ aut deinceps sequuntur, aut se tangunt. Neque enim mouens est vnum, sed mutuò sibi hærent. Quo circa in aere & aqua hic fit motus, quem antiperistasin esse aliqui inquiunt.* i *Fieri autem non potest, vt aliter quàm dictum est, ea dissoluãtur, de quibus dubitatum est. At verò antiperistasis moueri simul cuncta facit, & mouere: quare & quiescere. Nunc autem vnumquid moueri continuè videtur: à quo nam igitur?*

Text. 83. *nonenim à se ipso.* k *Quoniam autem in rerum natura cõtinuus motus est necessario, ille verò est vnus, & is qui vnus est, vnius sit magnitudinis necesse est, (cùm id non moueatur, quod magnitudinis est expers) vnius prætereà & ab vno, alioquin continuus non erit, sed hærens alter alteri & diuisus, id sane quod mouet, si vnum est, aut, cùm mouet, mouetur, aut est immobile. Si igitur moueatur, vna sequi oportebit, vt & ipsum mutetur, simulque ab aliquo moueatur quãobrẽ stabitur, ad idq; accedetur, vt ab ĩmobili moueatur. Hoc enim necesse non est, vt simul mutetur, sed mouendi semper facultatem habebit. Nam laboris quoque est expers hæc motionis ratio & modus.* m *Atque etiam æquabilis hic motus est, aut solus, aut maxime: siquidem quod mouet nullam habet mutationem.* Oportet

L Fieri autem nõ potest } Fuere qui motũ iactus per antiperistasim fieri dicerent, hoc est, quia corpus circunstans motu vacui in locum succedit eius, qd pellitur, atq; ita successiua locorũ permutatione res proiecta alibò subinde transfertur. Horum sententiam corrigit Aristoteles aiens, etsi in motu iactus antiperistasis interueniat, non hanc tamen integrã esse causam cur proiecta corpora per aquam, aerem vè ferantur, sed eam etiam, quam ipse superiùs attulit. Opinio quõrundã de mõtu iactus.

Nam in prędicta antiperistasi cuncta simul mouent & mouentur; hoc est tam partes aeris per quas sagitta defertur, quam sagitta simul mouent, motumque accipiunt; quãdoquidem illæ à tergo sagittam, & à parte anteriori à sagitta feriuntur. Vt verò hęc omnia simul mouent, & mouentur, ita pariter à motu cessant. Quod in motu iactus non accidit. Namque cessante antiperistasis causa, & quiescente eo qui sagittam emisit, adhuc sagittà motum prosequitur: at cùm illa à se non moueatur, alia eius motus causa danda est, videlicet iaculator à quo impetus exijt Lege quæ de hac re supra disputauimus.

k Quoniam autem } Explicata controuersia de causa motus proiectorum, quem asseruit continuum non esse, redit ad primum motorem, eumque vnum esse probat ex continuitate primi, ac sempiterni motus, qui nisi & ab vno motore efficeretur, & vnius esset magnitudinis; tolla

Immobilitas primi motoris.

continuus esse non posset. Deinde immobilitatem primi mouentis ex eo concludit, quia cùm in mouentibus non detur progressus in infinitum deueniendum est ad vnum, quod non iam aliunde motum accipiat. At quod eiusmodi mouens nec à se ipso per accidens moueri queat, ex ijs, quę superiùs dicta sunt, colligi potest. Nam cùm nihil à se ex accidente moueatur, nisi vna parte mouente, altera mota; quod solis rebus magnitudinem habentibus conuenit; cũq; ostensum fuerit id quod infinito tempore mouet, magnitudine carere, fit vt necessariò fateri debeamus primum mouens omnis magnitudinis expers esse.

L Nam laboris quoque) Ex eo quod primum mouens neutiquam moueatur, ostendit ipsum absque lassitudine, & fatigatione motũ efficere. Quod rebus viuentibus corporea mole prędit is, quibus motio laboriosa est, haudquaquam euenit; siquidem lassantur dum in opus

Primum mouens mouere absque lassitudine.

incũbunt, cùm ita agant vt assidua per pesione, & imminutione spirituum vitalium paulatim eis vires deficiant.

Oportet verò si motus sibi similis esse debet, id quoque quod mouetur nullã, ratione eius habita, mutationem pati. n *Necesse est autem aut in medio esse, aut in circulo: hæc enim, principia. At quæ ad mouendum proxime accedunt, celerrime mouentur. Eiusmodi autem est circuli motus. Ille igitur est mouens.* o *Existit autem dubitatio, an quidpiam quod moueatur possit continenter mouere, non autem (vt quod pellit) rursus & rursus, & ex eo, quod deinceps, continuè moueat. Ipsum enim aut pellere aut trahere, aut vtrunque facere oportet, aut certe aliud esse, quod ab alio excipiat, vt de his, quæ iactuntur, nuper est dictum: siquidem aer diuiduus cùm sit, aut etiam aqua, alius atque alius mouet subiens motum: vnus autem neutro modo esse potest, sed hærens: quare is solus continuus, quem id facit, quod immobile est. Nam cùm eodẽ modo semper se habeat, ad id quoque quod mouetur, similiter continenterque habebit.* p *His definitis primum & immobilem mouentem magnitudinem vllam habere non posse manifestum est. Nam si magnitudinem habeat, aut finitam eam esse, aut infinitam necesse est. At magnitudinem infinitam esse non posse ante in Physicis monstratum est. Nunc verò finitam vi finita præditam non posse esse, fierè item non posse, vt à finita tempore infinito quicquam moueatur, demonstrauimus. Mouens autem primum sempiternum sempiternoq; tempore motum ciet. Quamobrem constat indiuiduum esse & nullam habere magnitudinem.*

Text. 84.

Text. 85.

Text. 86.

m Atque etiam æquabilis) Motum primi mobilis æquabilem esse, ac sibi simile ex primi mouentis stabilitate, & immutabilitate colligit. Nam cũ primum mouens omnis mutationis expers sit, consequẽs est, vt primum mobile cũ æquabilitate summa efficiat. Vnde etiam ipsius primi mobilis constantiã & immortalitatem arguit, quia maximè naturæ consentaneum est, vt motus & mobile sibi mutuo respondeãt.

Æquabilis motus suprẽmę sphęrę.

n Necesse est autem) Edocet vbi nã primus motor sit aiens cùm in vniuerso duę sint partes, in quibus debere esse potissimum videatur, nẽpe mũdi centrum, & circunferentiam suprẽmi orbis, quę sunt duo principia mundanę sphęrę, potius dicendum in circunferentia esse, atque in ea parte quę rapidissima vertigine circunuoluitur, vbi scilicet linea peripherię æqualiter distat a polis: siquidem in eam partem magis influit, suęque potentię apertiora signa exhibet.

Dub.

o Existit autem dubitatio) Alteram affert dubitationem, quę ad continuitatem primi motus, & suprẽmi motoris vim declarandam spectat. Num scilicet fieri possit vt id quod sic mouet, vt moueatur, motionem facere queat perennem, atque ita continuam, vt non solũ media quiete non interrumpatur, sed etiam perfectè æquabilis, ac sibi vndequaque similis sit. Respondet haud posse id fieri: quia vel eiusmodi mouens ab se rem motam pelleret, traheret vè immediatè, vel interuentu aliorum corporum, quorum alia in alia impetum transfunderent, vt in motu iactus dictum est: nullo vero horum modorum efficit motum omnino continuum, & perfectè æqualem perennemque cum tale mobile defectui subiaceat. Quare solum id quod immobile est, semperque eodem modo se habet, eam motionem posse edere, videlicet æquabiliter continuam & perpetuam.

Respon.

p His definitis) Colligit tandẽ præcipuum huius loci institutum, nempe motorẽ primũ

omnis

omnis materiæ & magnitudinis expertem esse: argumentaturque in hunc modum. Si primus motor magnitudinem haberet, vel ea esset infinita, vel finita. Non infinita, quia vt in tertio huius operis libro ostensum est, nulla datur infinita magnitudo. Sed neque etiam finita esse potest; quia primus motor, cùm mouerit tempore infinito, pollet infinita virtute; in magnitudine autem finita non potest esse infinita virtus, vt superiùs fuit demonstratum. Constat ergo motorem primum omni prorsus magnitudine vacare.

C.8.q.2.a.2. Primus motor expers omnis magnitudinis.

QVÆSTIO I.

NVM ARISTOTELES COGNOVERIT Deum vbique esse.

ARTICVLVS I.

CONSTARE DEVM ESSE VBIQVE, ETSI ea de re gentium Philosophi dissenserint.

Hac de re D. Th. 1.p.q.8. M. Alb in 1. d.37. ibidēq; alij doctores

DEVM vbique esse docent complura sacrarum litterarum testimonia Psal. 138. Si ascendero in cœlū, tu illic es; si descēdero in infernum, ades. Ieremiæ 23. cœlum & terram ego impleo. Sapient. 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Quod etiam ea ratio conuincit, quia cùm Deus res omnes immediatè conseruet conferendo eis esse, & in omni agente immediatè operetur; vtique oportet eum in omni re creata existere, nec ab ea distare. Quæ omnia ex ijs, quæ 2. & 7. huius operis diximus, perspicua sunt.

Psal. Ierem. Sapient.

Lib.2.c.7.q.10.& q.12. Lib.7.c.2.q.1.art.2.

Quòd verò ad Philosophos attinet, non fuit hac in re consentiēs eorum opinio. Nam AEgyptij Deū in cœlesti domicilio, vt in proprio loco statuebāt, ideoque ipsum, vt erant Hieroglyphicis assueti, cœrulea veste indutum, manu altera Zonam, altera sceptrum tenentē pingebant, vt testatur Eusebius lib. 3. de præparatione Euāgelica; nimirum zona, cingulove admirabilem Dei potentiam, qua vniuersa continet, & colligat; sceptro, regiam illius dignitatem; veste cœrulea, eiusdem in cœlo habitaculum significantes. Alij, quos Aristoteles in extremo capite huius libri commemorat, arbitrati sūt Deum in centro mundi esse, fortasse vt inde operationes suas, quasi lineas, ad totam mundanæ machinæ peripheriam explicaret. Alij, quorum mentionem fecit Iustinus Martyr in sua paræneſi ad gentes, Dei sedem sphæra ignea, vel supremo cœlestium corporum globo definierunt.

Lege Cyrillum Alexan. lib.1. contra Iuli.

AEgyptij. Eusebius. Iustinus Philosophus.

Melior tamē Philosophorum pars Deum vbiq; esse, ac totā rerū

vniuersitatẽ sui numinis præsentia complere, pronuntiauit. Id quod in primis disertè docuit in Aselepio Mercurius, & Orpheus in Saturni hymno hisce verbis.

Mercurius Orpheus.

Ὃς ναίεις κατὰ πάντα μέρη πόσμοιο γενάρχα.

Idest qui omnes mundi partes habitas generationis princeps. Itẽ Pythagoras, qui Deum appellabat ψυχωσιν τοῦ παντὸς, idest, animationem vniuersi. Ac quisnam esset Deus, teste Lactantio libro. 1. cap. 5. ita describebat. Deus est animus per vniuersas mundi partes, omnemque naturam pertinens, & diffusus, ex quo omnia, quæ nascuntur, animalia vitam capiunt. Quod poeta latinus in suo poemate sic expressit.

Pythagoras.

Lege Syluianum Episcopum lib. 1. de prouidentia.

Deum nãque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

4. Georg.

Idem Heraclitus docuit, qui referente Aristotele 1. de partibus animalium cap. 5. casam aliquando ingressus furnariam, cùm ignis hyberni gratia diutius sedisset, ad quosdam se quærentes, quos tã vilem ingredi domum puderet, introite, inquit, sunt enim hic etiã dij. Idem censuere Philolaus, Archytas, Parmenides, Anaxagoras, & ex Stoicis Boethus, ex Platonicis Amblicius, & Plotinus, atque alij, quos recenset Ficinus lib. 2. de immort. animorum cap. 6. & Eugubinus lib. 4. de perenni philosophia.

Heraclitus.

Alij.

ARTICVLVS II.

PROBABILE VIDERI NON IGNORASSE Aristotelem vbique Deum esse.

QVæ tamen hac in re fuerit Aristotelis sententia haud planè constat. Quod enim non vbique Deum esse putarit, exquibusdam eius dictis colligi videtur. Nam extremo cap. huius libri text. 84. cùm docuisset duas esse potissimùm in vniuerso partes, in quibus Deus maximè esse videretur, nempe medium, & circũferẽtiã, quæ totius sphæræ principia sunt, statuit Deũ esse in mũdi circũferentia, vbi primus orbis rapidiori vertigine circunuehitur. Deinde 1. de cœl. cap. 3. tex. 22. approbat commune elogium, & consensum mortalium Deo in cœlesti opificio sedem attribuẽtium. Præterea secundo eiusdem operis capite duodecimo text. 66. & secundo de generatione cap. 10. tex. 59. ait corpora, quæ lõgè à Deo abscessere, turbulento motu agi, esseq; interitui obnoxia. Item in libro de mundo ad Alexandrũ statuit haudquaquã diuinitati cõsentaneum

Argumenta in partem negatiuam.

Lib. de cœl.

De generat.

Lib. ad Alex.

neum esse, vt Deus inferioris mundi rebus interfit: quod exemplo regis declarat. Quapropter, inquit, si è dignitate regis minimè foret, Xerxem administrare cuncta, ipsisque operibus faciendis præsentem adesse: longè id nimirum minus Deo conuenit. Quare augustius id, decentiusque existimandum est, Deum summo in loco esse collocatum. Hæc Aristoteles. Ex quibus locis, hoc præsertim vltimo, non obscurè elici videtur, illum in eo errore fuisse, vt putarit Deum non vbique; sed in cœlesti dumtaxat, ac supremo orbe consistere. Atque hanc eius fuisse mentem asserit Iustinus Philosophus in oratione parænetica ad gentes.

Pro parte affirmat iua.

Alij contrà sentiunt, affirmantque non latuisse Aristotelem, Deũ toti mundo, singulisque eius partibus esse præsentem. In quam sententiam lege Simplicium hoc in libro com. 84. Themistium. 1. Metaph. paraphr. 12. Philoponum 1. de anima text. 40. Et ex recentioribus Nicolaum Leonicum in dialogo de animorum essentia, Fernelium in lib. de abditis rerum causis cap. 2. Eugubinum. 4. de perenni philosophia cap. 7. Toletum lib. 8. huius operis cap. 10. q. 7. Quòd ergo ita Aristoteles existimarit, ostendi potest inprimis ex eo, quia 1. de partibus animalium cap. quinto commendat dictum illud Heracliticũ, quod superiùs retulimus, videlicet nec ab exigua domũcula abesse Deum. Item quia, vt alibi statuimus, verisimile est cognouisse illum creationem, nec ignorasse materiam primam fuisse immediatè à Deo productam, ab eodemque immediatè conseruari: præterea agnouisse diuinam prouidentiam actionemque ad res omnes, etiam sublunares, porrigi. Quare cùm nihil primò in rem distantem agere queat, vt idem septimo huius operis cap. 2. text. 9. docuit: consequens est, vt putarit Deum non cœlesti tantum sed sublunari etiam mundo adesse.

Hoc in lib. c. 2. q. 2. art. 2.

Hæc potissimum argumenta pro hac parte afferri possunt; quam, vt de Aristotelis ingenio credere par est, verisimilẽ iudicamus. Quæ verò in contrariam partem adducta sunt, vnam fere, eandemque explicationem habent; quam præter alios, ad textum illum octogesimum quartum huiusce libri D. Thomas affert; nimirum Aristotelem non constituere Deum in supremo globo cœlestium sphærarũ, quasi illum eo loco definiat, ac circunscribat; sed quòd inibi vberior, atque illustrior sit eius operatio, maioremque suæ virtutis significationem det ob incitatissimum in ea cœli parte motum. In alijs autem locis lib. de cœl. & de generatione distantiam accipit non pro intercapedine spatij; sed pro naturæ dissimilitudine; ita vt illa dicãtur à Deo longiùs distare, quæ pefectionis gradu ad eum minùs appropinquant. Quo etiam modo D. Augustinus duodecimo cõfessionum capite septimo scripsit Deum fecisse vnum prope se, ideſt naturam Angelicam; alterum prope nihil, ideſt, materiam primam; vbi non de spatij propinquitate, aut distantia loquitur, vt palam est. Verùm locus ille ex libro de mundo ad Alexandrum

concl.

Sol argumẽtorum ꝓ parte negatiua.

D. Dugust.

Cõtrouersia de auctore libri de mundo ad Alexand.

xandrum plus negotij exhibet. Sunt qui eum librum Aristotelicum esse negent. Alij ipsum pro Aristotelico habent, vt in proœmio huius operis retulimus. Pag. 46.

Deus opinione Aristotelis mouet per se immediatè primũ mobile.

His ergo posterioribus qui assentiri volet, Aristotelemque tueri, dicat, si placet, eum non absolutè à rebus singulis diuini Numinis præsentiam remouere, sed duntaxat affirmare Deum non ita rebus omnibus naturalibus adesse, quasi eas per se appropriatè efficiat, sicuti Aristotelico dogmate (etsi falso, vt aliàs patebit) primi orbis motum absque alieno ministerio exequitur. Neque item in tota mundi vniuersitate eodem modo esse, licet in tota re vera sit; sed in supremo orbe, qui locus excelsior est, & diuinior, vt in regia domo insidere; in reliquis verò mundi partibus, vt in regno, quod tamẽ Numinis sui immensitate, & præsentia repleat. Lib. 2. de cœlo.

QVÆSTIO II.

SIT NE DEVS EXTRA cœlum, an non.

ARTICVLVS I.

DISPVTATIO CONTROVERSIÆ in partem negatiuam.

Auctores partis negat.

NEgatiuam huiusce quæstionis partem secuti sunt Scotus in 1. d. 37. quæst. vnica D. Bonauentura art. 2. quæst. 1. num. 22. Durandus q. 1. Capreolus quæst. vnica art. 3. alijque non nulli, pro qua hæc potissimùm sunt argumẽta. Andreas Novocastrensis in 1. d. 37. q. 1,

1. ratio. Extra cœlum nihil est: sed Deus non potest esse in nihilo; non est igitur extra cœlũ.

2. ratio. Itẽ, si Deus esset in spatio, quod vltra cœli complexum imaginamur; cùm spatium istud re vera nihil positiuum, aut reale sit, pari ratione fas esset dicere Deum esse in cæcitate, alijsque priuationibus: quod absurdum est.

3. ratio. Deinde, sicuti eiusmodi spatium sola mente concipmus, ita consequens est, vt Deus non re ipsa, sed nostra tantũ conceptione inibi existere dicatur. Non ergo Deus re vera extra cœlum existit.

4. ratio. Accedit quòd substantię expertes materiæ non sunt in loco, nisi per operationem: Deus verò extra mundum nihil operatur; sicuti neq; ante mundum conditũ quicquã operabatur: quod D. August. lib.

lib. 11. Confeſsionum cap. 12. hiſce verbis ait. Dicenti quid faciebat Deus antequam faceret cœlum, & terram, reſpondeo nõ illud, quod quidam reſpondiſſe perhibetur ioculariter eludens quæſtionem vio lentam: Alta, inquit, ſcrutantibus gehennas parabat. & paulo poſt; antequam faceret Deus cœlum, & terram non faciebat aliquid: ſi enim faciebat quid niſi creaturam faciebat?

Reſpõſio ad quęſtionem, quid faciebat Deus ãtequã mundum cõderet.

Denique huic ſententiæ ſuffragatur idem D. Auguſtinus lib. 3. contra maximũ cap. 21. quo loco ſciſcitantibus vbi nam Deus eſſet antequam mundum fabricaret, reſpondet fuiſſe in ſe ipſo. Quod repetit ſuper pſal. 122. in illa verba. Leuaui oculos meos in montes. Nec ibi vllam imaginarij ſpatij, in quo Deus extiterit, mentionem facit.

D. Auguſti.

ARTICVLVS II.

CONSTITVITVR PARS AFFIRMATIua teſtimonijs philoſophorum.

ADuerſaria tamen pars quæſtionis vera eſt: quam docuit inprimis Triſmegiſtus in Aſclepio, vbi ita inquit, Deus ſupra verticem ſummi cœli conſiſtens vbique eſt, omniaque circumſpicit. Eſt enim vltra cœlum ſpatium ſine ſtellis ab omnibus rebus corpulentis alienum. His concinit illa Dei definitio, quæ ab eodem tradita dicitur; Deus eſt intelligibilis ſphæra, cuius centrũ eſt vbiq;, circunferentia nuſquam. In qua deſcriptione per ſphæram, quæ omnium figurarum abſolutiſsima eſt, ſumma diuinæ naturæ perfectio ſignificatur. Vel certè æqualitas omnium diuinorum attributorum; quia vt inquit D. Ambroſius in cap. 3. Epiſtolæ ad Epheſ. ſicuti in ſphæra quanta eſt altitudo, & latitudo, tanta eſt profunditas; ita & in Deo omnia ſunt æqualia. Per centrum, indicatur indiuidua, atq; omnimoda Dei ſimplicitas. Quod propterea vbique eſſe dicitur, quia Deus vbique totus eſt; ac res omnes penetrat eſſentiæ ſuæ præſentia. Vnde Marius Victorinus libro 4. aduerſus Arium ſcripſit Deum ſedere quaſi in centro rerum omnium, atque inde vniuerſali oculo cuncta cõſpicere: quoniam, inquit, à centro ſimul in omnia vnus eſt aſpectus. Denique per circunferentiam omnes terminos effugientem, declaratur immenſitas diuina; quæ nullis, neque intra neque extra cæli ambitum, limitibus coercetur. Quod quidã hiſce carminibus expreſsit.

Triſmegiſtus.

De hac Triſmegiſti ſententia Alanus in lib. de maximis Theo. propos. 7. Alenſis 2. p. q. 15. mẽb. 3.

Deus intelligibili ſphęrę comparatur.

D. Ambroſi.

Marius Victorinus.

Vt tota per artus
Corporeos mens vna ſubit; ſic vnus in vna
Mundi mole Deus, mundo tamen amplior ipſo
Tendit in immenſum, nulloque includitur arcu
Sphæra Deus viuens; centri tumor occupat omnem,
Curuatura locum neſcit.

Præterea

Præterea idem placitum de existentia Dei extra mundum secutos fuisse alios quosdam ex antiquis philosophis & Platonem, atque Aristotelem testatur Eugubinus lib.4.de perenni philosophia cap.1. & 2. Quod item de Platonicis asserit Ficinus lib.2.de immortalitate animorum cap.6. Decere, inquit, Platonici putant infinitum bonũ per immensum exuberando ita sese integrum fundere, vt nullam vel imaginariam vniuersi particulam, siue in mundo sit, siue cogitetur extra mundum, relinquat sua præsentia distitutam.

Platonici.

Ac quod ad Aristotelem attinet idem eum sensisse probant nonnulli ex ijs, quæ 1.de cœlo cap.9. text.100. docet, vbi hæc scripsit; Demonstratum est extra cœlum nec esse corpus, nec etiam esse posse. Patet ergo neque locum extra cœlum esse, neque vacuum, neque tempus. Quo circa neque apta sunt ea, quæ illic sunt, esse in loco; neque tempus senescere ipsa facit, neque vllius eorum est vlla mutatio, quæ super extima sunt disposita latione, sed nullis alterationibus, nullis passionibus prorsus subiecta, optimam in vniuersi sempiternitate vitam, & sufficientissimam habent.) At enim verò hic locus bifariam in nostræ sententiæ patrocinium potest adduci. Vno modo, vt velit Aristoteles extra cœlum non modo Deum esse; sed alias etiam mentes à materiæ concretione liberas, quæ inibi cum Deo felici æuo perfruantur. Vel ita vt non aliam mentem præter Deum illic constituat. Priori explicationi obest quod Aristoteles 12.Metaphy.cap.8 text.47.non alias agnoscit intelligentias, quam quæ cœlestibus sphæris circumuoluendis assident, atque ita nullas extra mundum ponit. Posteriori quod cum Aristoteles numero multitudinis vsus sit (ita enim habet διόπερ ὅτ' ἐν τόπῳ τ' ἀκεῖ πέφυκεν, idest, quo circa neque apta sunt ea, quæ illic sunt, in loco esse) non Deum tantùm, sed alias præterea substantias intellectrices illic videtur collocasse. Respondet quidem Auerrores pro hac secunda interpretatione vsurpatum fuisse ab Aristotele numerum pluriũ pro numero vnius. Sed meliùs forsitan dicetur retenta priori explicatione Aristotelem non satis constitutum habuisse, quid de numero intelligentiarum decerni oporteret. Nam & Clemens in Stromatibus ait Aristotelem mentionem fecisse de dijslocalibus, qui vrbibus, & regnis præsiderent, quos non nisi incorporeas substantias fecisse verisimile est. Itaque dici potest Aristotelem in libris de cœlo, eo, quem indicauimus loco, censuisse dari multas intelligentias supra cœlum, quamuis in contrariam partem inclinarit 12. Metaph. Cæterùm D. Thomas prædictum locum in alium sensum ab hisce duobus longè diuersum accipit, nimirum vt doceat Aristoteles Deũ omnesque intelligentias esse supra cœlum, ac mundum, idest extra sortem, & conditionem omnis naturæ corporeæ; neque successionem temporariam pati, nec motibus subijci, nec posse de immortali & felici vita quicquam amittere. Quam explanationem, quia suo etiam modo probabilem arbitramur, non credimus irrefragabile argumen-

Aristoteles.

Perpenditur locus ex 1.de cœlo.

Auerr.

De numero intelligentiarum apud Aristotelem.

Lege Mirãd. lib. 3. contra Astrol. c. 4.

D. Thomæ interpretatio.

gumentum ex hoc loco duci ad probandum secundum placita Aristotelis Deum extra cœlum esse.

Quicquid tamen ille existimarit, non pauci ex Peripateticis eam sententiam amplexi sunt, vt Ioannes Maior in 1. d. 37. q. 2. Ferrariensis q. 4. huius libri Altisidorensis lib. 1. suæ summæ cap. 16. vbi docet hoc pronuntiatum, Deus non est extra mundum, falsum esse. Item Ficinus, & Eugubinus loc. cit. quibus non nihil fauet D. Thomas quodl. 11. art. 1. vbi concludit Deum non solum esse in rebus veris, sed etiam in imaginarijs. Peripatetici asserentes Deum esse extra cœlum.

ARTICVLVS III.

CONFIRMATVR EADEM PARS argumentis, & patrum, ac sacræ paginæ testimonijs.

HActenus philosophorum dumtaxat auctoritate Deum extra mundum esse ostendimus. Nunc id primò rationibus, deinde patrum, ac diuinarum literarum testimonijs confirmabimus. Argum.

Prima ratio hæc sit. Non minùs sese fundit immensitas Dei ad loca, quàm æternitas ad tempora; cùm omnia diuina attributa æquè perfecta sint, eandemque rationem habeat immensitas ad locorum differentiam, quam æternitas ad omnem temporum varietatem: atqui Deus extitit per infinitum tempus imaginarium, quod sua æternitate indiscretè, & vnitè comprehendit: ergo & nunc existit in infinito spatio imaginario, cui per suam immensitatem respondet. Ab immensitate diuina.

Secunda ratio. Deus est id, quò nihil maius potest concipi: at si extra cœlum non esset, posset aliquid eò maius concipi; nimirū ipse Deus consistens in infinitis spatijs, in quibus nunc non esset. Impossibile est ergo Deum non esse actu extra mundū. Corroboraturque argumentum, quia substantia immaterialis, quò nobilior est, eo ampliorem existentiæ sphæram habet. Quare si infinitè perfecta sit, sphæram obtinebit infinitam, idest, nullius sphæræ siue spatij limitibus concludetur. A perfectione diuini esse.

Tertia ratio. Constituat Deus extra cœlum duo corpora, quæ aliquā ab se intercapedine spatij distent. Negari non poterit Deum esse vbi ea corpora existent; cùm oporteat in qualibet creatura esse Deū: sed absurdum est affirmare Deum in ijs corporibus existere, neque tamen esse in spatio, quod inter illa iacet, ergo Deus actu iam est in toto spatio, quod extra mundum tenditur. Probatur minor, quia alioqui sequeretur Deum esse quodammodo á se abiunctum, & diuisum; itemque ab vna parte spatij ad aliam cōmeare, & migratoriū motum subire; si videlicet eiusmodi corpora, in quibus esset, ab ipso Deo, Ab immutabilitate diuina.

Deo, vel ab Angelo hinc illuc transferrentur. Quare cùm nulla mutatio in Deum cadat fatendum erit existere Deum in infinito spatio extra mundum.

Patrum testimonia

D. Gre. Naz.

Corroboratur deinde hæc sententia auctoritate patrum. In primis D. Gregorius Nazianzenus lib. 2. de Theologia quæstionem hac ex instituto pertractans refellit eos, qui dixerint Deum in mundo tantùm esse, concluditque nec in mundo tantùm, nec extra mundũ solummodò, sed vtrobique Deum esse præsentem. Quod repetit in

D. Basil.

Apolog. 1. Item D. Basilius homil. 16. Nec Pater, inquit, nec Filius sunt in loco aliquo circunscripto; totum quodcunque noueris, &

D. Diony.

quocunque spiritu tuo penetraueris, Deo plenum est. D. Dionysius in libro de diuinis nom. cap. 1. asserit Deum & in mundo, & supra

D. Athan.

mundum, & circa mundum esse. D. Athanasius in epist. synodi Nicænæ affirmat Deum in omnibus esse secundum suam bonitatem & potestatem, eundemque extra omnia esse secundum suam propriam

D. Hilar.

naturam. D. Hilarius in psal. 118. Deum non corporalibus locis contineri, nec finibus, aut spatijs diuinæ virtutis immensitatem coarctari. Postremò idem docet D. Augustinus. 11. de ciuit. Dei cap. 5. vbi

D. August.

indignum putat Philosophis negare Deum esse extra mundum. An forte inquit, substantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt: sed de ea, sicut de Deo sentire dignum est, fatentur incorporea præsentia vbique totam à tantis locorum extra mundum spatijs absentem esse dicturi sunt: & vno tantùm, atque in comparatione illius infinitatis, tam exiguo loco, in quo mundus est, occupatam? Non opinor eos in hæc vaniloquia progressuros; hæc D. Augustinus, idemque confirmat lib. 1. confess. cap. 3. & lib. 7. cap. 7. in quo postremo loco Deum concipit tanquam mare immensum, mundum verò instar paruæ spongiæ in medio illius.

Testimonia sacræ paginæ. Lib Reg.

Baruch.

Accedunt ad eiusdem rei confirmationem aliquot loca sacræ paginæ. 3. regum cap. 8. Cœli cœlorum te capere non possunt quanto magis domus hæc, quam ædificaui? Baruch. 3. Magnus est & non habet finem, excelsus & immensus. Ijsque congruit illud quod de excellentia Virginis Matris canit Ecclesia, Quem cœli capere non possunt, tuo gremio contulisti. Quibus verbis docemur Deum non cœlo, aut mundo concludi, proindeque in spatijs quoquouersum infinitè distentis actu esse.

ARTICVLVS IIII.

QVIDNAM SIT IMAGINARIVM spatium: quopacto Deus in eo existat. Solutio argumentorum primi articuli.

AD

AD vberiorem tum noſtræ ſententiæ, tum argumentorum explicationem, quædam circa ſpatium, de quo agimus, quod tam intra, quàm extra cœlum fundítur, aduertenda erunt. Primum ſit, hoc ſpatium non eſſe veram quantitatem trina dimenſione præditam; alioqui non poſſent recipi in eo corpora, cùm plures eiuſmodi dimenſiones in eodem ſitu, naturæ viribus, ſimul eſſe nequeant. Item nec eſſe vllum aliud reale, ac poſitiuum ens, cùm nihil tale præter Deum ab æterno fuerit; hoc verò ſpatium ſemper extiterit, ſemperque eſſe debeat. 1. pronuntiatum.

Secundum eſt. Spatium hoc non eſſe ens rationis, cùm ab eo re ipſa abſque opera intellectus intra mundum corpora recipiantur, & extra mundum recipi queant, ſi illic à Deo creentur. Quare eius dimenſiones non iccirco imaginariæ dici conſueuerunt, quòd fictitiæ ſint, aut à ſola mentis notione pendeant, nec extra intellectum dentur; ſed quia imaginamur illas in ſpatio proportione quadam reſpondentes realibus, ac poſitiuis corporum dimenſionibus. 2. pronuntiatum.

In hoc igitur imaginario ſpatio aſſerimus actu eſſe Deum, non vt in aliquo ente reali; ſed per ſuam immenſitatem, quam quia tota mundi vniuerſitas capere non poteſt, neceſſe eſt etiam extra cœlum in infinitis ſpatijs exiſtere. Vbi aduerte aliter Deum in ſe ipſo, aliter in rebus creatis, aliter extra mundum eſſe. Eſt enim in ſe, quia nullius eget adminiculo: eſt in rebus creatis per ſuam eſſentiam, præſentiam, & potentiam: eſt extra cœlum, quia à nullo ſeu vero, ſeu imaginario loco excludi poteſt; etſi in imaginario non ſit præſens ſecundum coexiſtentiam ad aliquam creaturam; ſed ſecundum realem, atque infinitam exiſtentiam ſui eſſe. Varij modi, quibus exiſtit Deus. In ſe ipſo. In rebus creatis. Extra cœlū.

Aduerſariorum autem argumenta, quæ initio propoſuimus, hunc in modum explicanda ſunt. Ad primum inficiamur non poſſe Deum eſſe in nihilo, ideſt in ſpatio, quod ens reale, & poſitiuum non eſt; alioqui nec lapis diuina virtute extra cœlum eſſe poſſet. Ad ſecundum, negandum eandem eſſe rationem in cæcitate, alijſque priuationibus, quæ in ſpatio. Sicut enim ſpatio conuenit aptitudo ad recipienda corpora, quæ non conuenit alijs negationibus, nec priuationibus, ita eidem competit vt in eo Deus eſſe dicatur, etſi in alijs negationibus, vel priuationibus non dicatur eſſe. Ad tertium, ita concipi á nobis illud ſpatium extra mundum, vt illic verè ſit; non tamen vt ens reale, & poſitiuum. Ad quartum, Deum non propriè dici in loco eſſe; cùm nullis ſpatijs concludatur: ſed neque ſubſtantias creatas materiæ expertes eſſe in loco per operationē; ſed per ſuā ſubſtātiā certo modo ſpectatā; quod enucleatiꝰ explicare nō eſt huius loci. Ad poſtremū licet D. Aug. nullā in eo libro imaginarij ſpatij fecerit mentionem, feciſſe tamen, & quidem apertis verbis, ac luculentis, lib. 11. de ciuitate Dei loco à nobis citato. Quæ cùm ita ſint patet nō rectè Aquariū. 1. Metaphy. dilucidatione. 14. hāc, quā Reſpōſio ad argumēta ad uerſariorum. Ad. 1. Ad. 2. Ad. 3. Ad. 4. Subſtātię materię expertes quo pacto ſit in loco. Ad vlt.

sequimur, opinionem de existentia Dei extra cœlum, erroris nomine incusare.

QVÆSTIO III.

VTRVM PRIMVS MOTOR SECVNDVM Aristotelis doctrinam infinita virtute polleat.

ARTICVLVS I.

QVIBVS ARGVMENTIS PARS negatiua quæstionis ostendi videatur.

Assertores partis negatiuę.

VLtimo loco disquirendum supereſt, num Aristoteles infinitã in primo motore, hoc est, in Deo virtutem agnouerit. Ochamus quodl. 3. q. 1. & quodl. 7. q. 22. & 23. Gregorius in 1. sent. d. 42. q. 3. art. 1. Marsilius. q. 24. art. 2. Aliacensis. q. 13. ar. 3. Nouocastrensis d. 44. q. 1. Canus. 10. de locis theologicis. Iandunus 12. Metaph. q. 15. alijque nonnulli putant Aristotelem attribuisse Deo virtutem infinitam duratione tantũ, non vigore & intẽsione. Idemque censuit Plethon in libello, quem inscripsit de ijs, quibus Aristoteles à Platone dissidet, vbi tum alijs rebus, tum hac, Aristoteli Platonem anteponit, quod hic Deum pro dignitate honorarit, rerumque omnium parentem, & creatorem fecerit: ille eundem supremæ sphæræ motorem constituerit, ac cæteris intelligentijs non infinita perfectione, sed proportione quadam antecellere existimarit.

Abulensis ad cap. 2. Iosue q. 49. Niphus in lib. de infinitate primi motoris.

Plethon Aristot. Platonẽ præfert.

Possunt autem pro hac sententia hæc argumenta afferri. Aristoteles extremo capite huius libri probauit non posse dari infinitam virtutem in magnitudine; quia si ea daretur, moueret in non tempore. Hinc ita licebit argumentari. Nulla potior est ratio cur virtus infinita in magnitudine, quàm extra magnitudinem, moueat in non tempore; ergo si Aristoteles censuit non posse virtutem infinitam in magnitudine esse, quia moueret in non tempore; consequens est vt putarit non posse item ob eandem causam virtutem infinitam extra magnitudinem existere. Quod si quis respondeat cum D. Thoma prima parte quæst. 105. arti. 2. ad 3. & primo contra gentes, capite vigesimo Aristotelem negasse infinitam virtutem

I. argum.

A probatione Aristotelis.

Refutatio responsionis.

in magnitudine,hoc est,in re naturali intellectus experte; quia hæc necessariò totam suam vim effunderet, atque ita vno puncto temporis motum faceret; non tamen eam negasse in re intellectus participe,qualis est primus motor, qui pro suo arbitratu motricem vim attemperare, & impulsui modum adhibere potest. Siquis, inquam,ita respondeat; facilè reuincetur; siquidem Deus ex Aristotelis sententia,etsi absurda,& impia,non operatur liberè, sed ex naturæ necessitate,proindeque necessariò totam suam virtutem ad motum applicat,& ex consequenti si apud Aristotelem haberet infinitam virtutem, efficeret motum in non tempore. Error Arist.

Secundò, Aristoteles nonnulla Deo attribuit, quæ cum infinita eius virtute cohærere nequeunt. Non igitur putauit Deum habere infinitam virtutem. Probatur assumptum; quia. 1. de cœlo cap. 8. à text.76.negat posse Deum plures mundos condere. Et 2.eiusdem operis lib.cap.6.à text.35.asserit primum motum esse definitæ velocitatis ob determinatam vim primi motoris; putat igitur diuinam virtutem esse ad certum effectum determinatam,atque adeò nõ esse infinitam. 2.argum.

Tertiò,Ratio,qua vtitur Aristoteles ad astruendam primi motoris infinitatem,tantum euincit conuenire Deo virtutem infinitam duratione: non igitur virtutem intensione, & vigore infinitam Deo attribuit.Probatur assumptum,sic enim ille ratiocinatur.Primus motor mouet tempore infinito; ergo habet infinitam virtutem. Hæc autem consecutio,si de virtute infinita quoad intensionē intelligatur;nullius momenti est; alioqui probaret etiam intelligentias inferiorum orbium motrices, cum secundum ipsius doctrinam ex æternitate moueant,habere virtutem infinitam; quod non ita est. 3.arg.

ARTICVLVS II.

QVÆSTIONIS EXPLICATIO.

Item Aegidi9 in 1.d 43. q.1. Sonc.12. Metaph.q.41.Zimara theor. 61.Mai. in 12. Metaph.q.vl. Cai. in opus. de infinitate primi motoris. Bargi9 in 1.d.2.q.2.

PRobabilior tamen videtur eorum opinio, qui arbitrantur Aristotelem cognouisse Deum habere virtutem perfectione infinitam.Ita sentit D.Thomas prima parte,quæst.25.arti.2.Henricus Gandauensis prima parte suæ summæ arti.35. quæst.6.Scotus in primo dist.2.quæst.2. &in quodlibetis quæst.7.Magnus Albertus hoc in libro tract.4.cap.1.&Simplicius ad text.79.vbi asserit idē omnibus antiquis Peripateticis visum fuisse. Probatur autem hæc sententia ex discursu Aristotelis ad calcem huius libri, & 12.Metaphys. capite septimo, text. 41. qui in hunc modum se habet. In magnitudine non potest esse infinita virtus;sed virtus primi motoris Conclusio. Cõfirmatur.

ris est infinita; cùm ex æternitate moueat. Non est igitur in magnitudine. Deinde maiorem propositionem confirmat, quia si infinita virtus esset in magnitudine, moueret in non tempore; quod neutiquam fieri potest. Quòd autem hæc Aristotelis ratiocinatio virtutem non solùm duratione, sed etiam perfectione infinitam primo motori ascribat, haud obscurum est; arguit siquidem futurum motum in non tempore, si primi motoris virtus in magnitudine esset; ineptè verò argueret, si de virtute quoad durationem tantum infinita loqueretur. Non enim ex eo, quòd virtus aliqua infinitis sæculorum ætatibus duret, sequitur infinita velocitate, atque adeò in non tempore mouere; vt luce clarius est.

Responsio ad arg. partis cõtrarię.

Dissoluamus igitur argumenta, quæ in aduersam partem adduximus. Ad primum recte respondebatur. Sed enim responsionis confutatio difficilem habet explicationem. Illud certe constat; necessitatem operandi, quam Deo imposuit Aristoteles, non posse cum infinita diuinæ naturæ perfectione congruere, vt alibi diximus. Dubium tamen, controuersumque est; num secum ipse pugnarit, dum asseruit Deum infinitam habere virtutem, eamque ad agendum necessariò applicare; & tamen non momento, sed tempore mouere; cùm ex appulsu infinitæ virtutis infinita velocitas oriatur. Soncinas 12. Metaph. q. 41. censet tametsi Aristoteles finxerit primum motorem naturæ necessitate agere; non tamen putasse eum totam suam vim ad motionem faciendam appellere; sed duntaxat pro exigentia, necessitateve finis, ac materiæ. Quo fit, vt esto apud Aristotelem primus orbis à Deo motum accipiat; adhuc tamen in tempore moueatur; quia nimirum Deus, licet infinita virtute polleat, non proinde infinitum impulsum imprimit; sed certum, ac determinatum, prout cœlestium corporũ natura, & vniuersitatis ordo, perfectioq; deposcit. Hæc Soncinatis explicatio probabilis est, atque ad Aristotelis doctrinam à contradictionis nota vindicandam admodum apposita: videturque necessariò admittenda ab ijs, quibus tueri placuit, ex eo quod Deus secundum Aristotelem necessariò operetur, non continuo adimi apud illum rerum contingentiam. Nãque si asserãt Deum ex illius sententia ad cuiusque effectus productionem totam suam infinitam virtutem infinitè applicare; fateãtur necesse est, nullum agendi locum causis secundis relinqui, proindeque concursum causæ primæ non modificari à concursu causæ secundæ contingenter operantis. Qua sola ratione tueri quibunt rerum contingentiam cum necessitate diuinæ actionis stare posse. Sed hac de re alibi plenius, & planius.

Ad 1.

Dubium.

Lib. 2. cap. 8. q. 1. art. 3. ad 4

Explicatio dub.

Deus secundum Aristotelem non applicat totam suam vim infinitã ad mouendum cœlum,

Lege Cii. q. 19. 1 p Sonc. 6. Metaph. q. 12. Idem in eodem lib. q. 10.

Ad. 2.

Quopacto negarit Aristoteles posse à Deo condi plures mundos.

Ad secundum dicendum est Aristotelem negare, posse esse plures mundos non ob defectum, aut imbecillitatem diuinæ potentiæ, quã infinitam credebat, sed ob determinationem diuinæ voluntatis; quã, etsi falsò, ex natura sua determinatam putabat ad certa effecta. Accedit quod arbitrabatur ex parte ipsius rei implicationem, & repugnantiam

nantiam esse, quominus plures mundi simul consisterent; quã repugnantiam ipse primo de cœlo cap. 8. & 9. astruere conatur: perperam tamen; nisi forte loqueretur de potentia Dei ordinaria, ac secundum consuetum rerum cursum: sic enim plures mundi esse non possunt. Verum extraordinariam Dei potentiam Aristoteli haud quaquam innotuisse verisimilius est. Ad id vero, quod de præscripta primi motus velocitate opponitur; dicito eã non ex diuinæ potentiæ finitudine oriri, sed ex limitata illius applicatione, quia scilicet primus motor vim motricem, qua valet, non totam effundit, sed modo superius explicato.

Extra ordinariã Dei potentiam nõ fuisse Aristoteli cognitã.

Ad tertium respondendum est cum D. Thoma, Scoto, Henrico Gandauensi, AEgidio, & alijs rationem illam Aristotelis non sic esse intelligendam quasi ex eo tantum, quòd primus motor ab æterno moueat, rite colligatur inesse illi infinitam virtutẽ: sed quia ita mouet, vt à nullo motricem vim hauriat, nec aliunde pẽdeat; quæ agẽdi ratio infinitam arguit potestatem, virtutemque non durationẽ tantùm, sed perfectione, & efficacitate infinitam. Namque, vt Scotus deducit, id quod virtutem mouentem non aliunde sed à se ipso possidet, habet quoque esse à se, cùm & esse, & ratio agendi ab eodem fonte sint. Quod verò esse ab se habet, necessario illud secundũ totam entis perfectionem obtinet; quia nihil limitatè possidetur, nisi quod ab alio ipsum præfiniente, & limitante ad certum gradum contribuitur. Cùm igitur primus motor secundum Aristotelẽ virtute propria motum edat (alioqui daretur progressus infinitus in mouentibus, quod fieri non posse demonstrauit) cùmque totã entis plenitudinem in se includat, atque adeò infinitè perfectus sit, sequitur eius quoque potentiam infinitam esse.

Ad.3.

Esse, & rationem agendi ab eodẽ fonte esse.

Obijciet tamen aliquis. Si hæc Aristotelis probatio hunc in modum intelligenda sit, æquè benè propositum concludere in quouis finito motu, atque in motu cœli infinito: siquidem nullum agens vel lapidem mouere potest virtute, quæ nullo pacto aliunde pendeat, quin infinitam potentiam obtineat. Quare sine causa Aristotelem ad probandam infinitam potentiam primi motoris, tantam vim in infinitate primi motus fecisse. Huic obiectioni occurrendum est cum Scoto in quodlibetis q. 7. etsi ex quouis motu, & omnino ex qualibet actione citra omnem dependentiam edita, infinita virtus colligatur; tamen appositè Aristotelem ad infinitatem primi motus recurrisse, propterea quod hic motus non solum infinitus sit, eius sẽtentia; sed etiam primò infinitus, atque ita primo motori maximè proprius. Sicque tota ratio hunc in modum cõcludẽda erit: Primus motor mouet motu infinito infinitate prima, quæ videlicet ab infinitate alterius motus non est, & per virtutem à nullo alio agente superiori communicatam; habet ergo virtutem incircunscriptam, atq; infinitam.

Obiectio.

Dilutio.

Cur Aristoteles ad infinitatẽ primi motus recurrerit.

Verùm siue Aristoteles hoc, siue alio modo respõderet; siue hæc, siue

si ue alia eius fuerit sententia, fides tamē Orthodoxa, quæ veræ Philosohiæ parens, & rectè sentiendi, atque honestè viuendi magistra est, quæ AEgyptiorum primogenitos, idest, errantium sectarū capita veritatis gladio amputauit; cuius lumine omnis falsitas, quasi nebula radio solis euanescit; Orthodoxa, inquam, fides infinitā potentiam, ac virtutem attribuit Deo Opt. Max. supra quem nihil; sine quo nihil: in quo cuncta, tanquam numeri in vnitate, lineæ in centro sunt; ibique verius, quàm in se ipsis, esse habent: cui omnia cōparata, adeò infra sunt, vt nō esse videātur: qui est principiū & finis; ex quo omnia; per quem singula, ad quem vniuersa: cuius est vera æternitas, æterna veritas, æterna & vera charitas: à quo est omnis bonitas naturæ, & felicitas vitæ: quē qui cognoscit, sapiens est; qui colit, pius; qui intuetur, beatus; cui sit laus & honor in omnē æternitatem.

Primo geniti AEgyptiorum capita errantiū sectarum.

(†)

FINIS LIBRI OCTAVI.

UNIVERSIDADE LIVRARIA DA

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM,
QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTUR. In quo numerus paginam indicat; P. principium; M. medium. F. finem.

ABSTRACTIO.



Abstractio quotuplex pag. 8.m.
Tres partes contemplatis Philosophię triplici abstractione distinguuntur, pag. 8.m.
Refelluntur qui contra sentiunt. 7.f.
Abstractio Mathematica duplex. 9.f.
Admittenda est abstractio secundum rem & rationem, quę per indifferentiam dicitur, & Metaphysicę conuenit. 11.p.
In abstractione non interuenit mendacium, pag. 9 m.
Cum abstractio à materia distinctionem scientiis præstare dicitur, quopacto materię nomen accipiatur. 14.f.
Abstractio speciei prior, & facilior, quàm generis. 73.p.

ACADEMIA, ET ACADEMICI.

Academię nouę præcipuus auctor, & ignorātię magister Arcesilas. 21.m.
Academici, & Peripatetici ad Socratem sua dogmata referebant. 44.m.
Duos Academici mundos posuere, alterum sensibilem, alterum intelligibilem. 16 p.
Academici ab omnibus rebus assensionē cohibendā esse aiebant. 20.m.
Confutatur hic error. 20.& 21.
Academici sensibus fidē denegarunt. 21.m.
Academici diuinę prouidentię calumniatores. 21.m.
Academici affinxere animæ tenue corpusculum, cuius interuentu vniretur huic nostro crasso, & concreto corpori. 169.f.
Ex Academicis nonnulli arbitrari sunt locū esse spatium, siue capidinem corporum, pag. 470.p.

ACCIDENS.

Accidens non producit substantiam vi propria. 321.f.
Contrarię partis argumenta soluūtur. 324.p.
Accidens virtute substantię attingit substantię productionem. 321.f.
Quidnam sit accidens virtute substantię producere substantiam. 322.m.
An accidens vi propria aliud accidens producat. 323.m.
Duo accidentia substantiam sensibilem primo consequuntur, videlicet quantitas, & qualitas. 110.p.
Accidens extra subiectum an possit agere, pag. 324.f.
Vtrum ex omnibus accidentibus solę qualitates agendi vim habeant. 327.p.
Posito diuinitus eodem corpore in duobus locis, quę accidentia vtrobique ei conuenire debeant, quę non. 491.m.
Num accidentia sint nobiliora, quàm materia prima. 163.p.

ACCRETIO.

Accretionis viuentium certi termini. 112.m.
Accretioni stata tempora. 113.f.
Accretio motus ad quantitatem vnus speciei, pag. 382 p.
Accretio vt est motus ad maiorem quantitatem non distinguitur specie à decretione, vt est motus ad minorem quantitatem, sed sunt composita accidentaria. 383.p.
Vtrum detur accretio violenta, & naturalis, pag. 396.f.
Accretionem corporum accelerat ciborum, & deliciarum affluentia. 396 m.
Achilles Zenonis motum tollentis. 643.p.

ACTIO.

Actio alia immanēs, alia transiēs: vtraq; pertinet ad prędicamentum actionis. 400.p.
Quopacto actio, & passio à motu differant, pag. 402.m.
Actio & passio sunt vnus, & idē actus. 401.m.
Actio transiens non est in agente. 401 p.
Omnis actio est à forma. 191.m.
Nulla actio est à materia. 166.m.& 191.m.
Nulla actio est à quantitate. 328.m.
Actio est causalitas causę efficientis. 279.f.
Multitudo, & varietas actionum vnde sit, pagina. 191.m.
Ex actione rerum naturalium argui formam substantialem. 191.m.

Semper

Semper actio est à vincente. 491.p.
An eadem actio sit qua Deus cum agente creato rem producit, & qua postea se solo eam conseruat. 292.m.
Causę secundę, & Dei simul eum ea operantis eadem actio. 301.p.
Creatio an sit externa actio Dei. 709.p.
Actiones extraneę Dei sunt toti Trinitati cōmunes. 330.f.
Vtrum omnis actio sit perfectio agentis. pag. 305.p.
Actio causę primę quopacto determinatur ab actione secundę, & contrà. 308.m.
Actio vniformiter difformis. 609.& 615.f.
Actio aquę calefacientis: itē actio ferri igniti quibus sit ascribenda. 324.p.
Cessante conseruatrice actione Dei, confestim res dilaberentur in nihilum. 290.p.
Sententia existimantium corporibus nullam conuenire actionem. 293.f.
Sententia Democriti, & aliorum actionem corporum fieri per emissionem atomorum. 296.f.
Actio spectata prout agens illius interuentu effectum attingit, habet sese ex parte causę. 280.m.
Actio caloris extra subiectum cui sit attribuenda. 325.m.

ACTVS.

Actus primus, & actus secundus. 750.f.
Actus informans, & actus per se existens. pagina. 165.m.
Actus entitatiuus an sit ponendus. 165.m.
Materia neque est actus physicus, neque actū physicum in sua essentia includit. 164.f.
Actus speciem capiunt ab obiectis. 578.p.
Actus pendent ab obiectis, vt à causis formalibus externis. 265.p.
Nihil vetat actum vnius esse in alio. 403.p.
Actus & endelechia interdum accipiūtur pro actu imperfecto cuiusmodi est motus. pag. 388.p.
Bonitas, & malitia moralis inest primò formaliter in ipsis actibus. 279.m.

Acus pixidis nauigatorię qua vi sese ad polum obuertat. 672.f.
Cur in quibusdam locis non rectà polum intueatur. 673.p.
AEqualitas altrix concordię. 351.m.

AETERNITAS, ET AETERNVM.

Quid sit ęternitas. 550.m.
Aeternitas potest vtcumque demonstrari à priori de Deo per eius immutabilitatem. pag. 548.f.
Quę res potuerint ex ęternitate esse. 732.f.
Non fuisse mundū ex æternitate communis veterum sapientum consensus. 714.m.
In horizonte æternitatis cur animus hominis esse dicatur. 211.m.
Quid sit ęternitas participata, & quibus rebus conueniat. 551.p.
In ęternis non differunt esse, & posse; quis sensus. 751.f.
Repugnat fuisse aliquid ab æterno, & durasse per tempus finitum. 738.p.
Aeternum cur Deus mundū non fecerit 726.f.
Quo sensu Patres negarunt potuisse aliquid pręter Deum esse ab ęterno. 736.f.

AEVVM.

Quid sit æuum. 550.f.
Quopacto æuum differat ab æternitate participata. 551.p.
Quę res quo mensurentur. 551.p.
In quo nec successio est, nec partium distinctio. 551.p.
Quid sit modus qui, & quibus rebus accommodetur. 551.m.

AGERE.

Omne agens creatum supponit subiectum, in quod agat. 230.m.
Nullū agēs potest primò agere i remotū. 669.f.
Potest assumi aliquid à Deo vt instrumētū ad agēdū in id, quod ab instrumēto distat. 683.p.
Phantasia quopacto agat immediatè in appetitum, à quo distat. 698.m.
Quid sit agere immediatè immediatione virtutis. 305.f.
Quid sit agere immediatè immediatione supposiți. 305.f.
Deus agit immediatè vtroque modo. 306.p.
Res vnitę, & collectę multò fortiùs agunt. pag. 660.m.
Vt aliquid propter finem agat, non necesse est finem pręcognoscere. 358.m.
Deo quopacto conueniat agere propter finē. pag. 341 p.
Agentia naturalia determinata esse ad vnum quis sensus. 229 m.
Nullum agens potest aliquid operari sine concursu Dei. 298.f.
Cur soli agenti conueniat causalitas realiter ab eo distincta. 280.p.

ALCHYMIA.

Alchymiam inuexit fames auri. 236.f.
Alchymia num verum aurum efficere possit latè disquiritur. 236.f.
Alchymię libri Diocletiani iussu flammis dediti. 239 p.
Alchymię professores non sat benè audiunt. pag. 238.f.

ALTERATIO.

Alterationis nomen varie accipitur. 689.m.
An alteratio verſetur in ſolis tertię ſpeciei qualitatibus. 689.p.
Rerum ſimulachra ſenſiterijs inuſta alterationem efficiunt, ſed impropriam, pagina. 689.m.
Ad ſcientias, ad virtutes, ad figuras cur non ſit alteratio. 685.m.
Tot ſunt alterationes ſpecie diſtinctę, quot ſpecies qualitatum, quę per ſe motu acquiruntur. 584.m.
An varietas qualitatis mediæ ſpecie diſtinctę arguat ſpecificam diſtinctionem alterationis. 584.m.
Alteratio alia naturalis, alia violenta, pagina. 596.m.
Alteratio non eſt ad relationem. 687.f.

ANAXAGORAS.

Anaxagoras mundo initium dedit. 715.f.
Anaxagoras quę fecerit rerum naturalium principia. 147.p.
Anaxagoras aſſeruit in qualibet re contineri infinitas particulas rerum, quę ex ea gigni poſſunt. 107.f.
Refellitur ab Ariſtotele. 18.m.

ANIMA.

Anima à principio eſt veluti tabula, in qua nihil ſit depictum. 70.p.
Animę humanę conſideratio ad quam ſcientiam ſpectet. 355. p. & 229.m.
Anima humana cur dicatur eſſe in horizonte æternitatis, & temporis. 211.m.
Anima in genere cauſę ſubiectiuę naturaliter ſuſtinet gratiam, non habet tamen naturalem potentiam ad eam recipiendam, pag. 210.m.
Anima rationalis non educitur de potentia materię. 207. p. & 210. f.
Anima rationalis etſi non pendet à materia quoad ſuum eſſe, pendet tamen quoad officium informandi. 282.m. & 286.p.
Anima ſeparata an vi propria ſeſe vnire valeat corpori diſpoſito. 297.m.
An in doctrina Ariſtotelis ponenda ſit infinitudo animarum rationalium. 431.p.
Ex anima & corpore fit vnum abſque medio vinculo. 397.p.
Status animę extra corpus inter naturalem & violentum medius. 200.p.
Etiam anima intellectiua eſt natura, pagina. 228.f.
Anima rationalis eſt verè, & eſſentialiter forma humani corporis. 228.f.
Animę rationalis vnio cum corpore in reſurrectione an ſit dicenda naturalis. 200.m.
Anima non mouetur per accidens ad motũ ſolius manus. 778.f.
Anima Platonicis mobilis multitudo. 776.p.

ANIMAL.

Animalia, quę artis induſtria gignuntur, pagina. 238.p.
In animali tres partes, quę imaginem quandam polițiæ exhibent, cor, caput, iecur, pag. 662.f.
Animalia genita ex putri materia. 669.m.
Minuta & noxia animalia nõ ſunt in mundo ſuperflua. 356.p.
Animalia agunt propter finem. 358 m.
Animal quaſi ciuitas externo principe non eget, ſed à ſe ipſo mouetur & regitur, pag. 756. m. & 663.f.
Animalia bruta non pręcognoſcunt res futuras. 364.m.
Brutorum animantium inſtinctus. 365.m.

APPETITVS.

Singulis rebus ineſt appetitus ad proprium finem, & perfectionem. 169.f.
Appetitus corporum ad impediendum vacuum. 506.f.
Appetitus materię. 269.p.
Appetitus veri inueniendi omnibus hominibus à natura ingenitus. 20.m.
Appetitus mutuę colligationis innatus corporibus. 507.m.

APTITVDO.

Quę nam aptitudo ſit potentia obedientialis, pag. 201.f.
Vtrum in qualibet materia detur aptitudo ſiue habilitas ad quamuis formã recipiendã, pag. 200.m.

AQVA.

Aquam qui omnium rerum principium fecere. 146.p.
Aquę calidę manum calefacientis actio cui attribuenda. 324.p.
Aquę ad natiuum frigus reuocatio cui agenti aſcribi debeat. 660.f.
Aquę ad ignem cur ima pars minùs caleat, pag. 677.p.
Aqua calida in vacuo reduceret ſe ad priſtinum frigus. 661.p.
Cur aqua ab igni remota non ſummè frigeſcat. 662.m.

Aquę gũttulę cur se in rõtundam figurã conglobare soleant. 507.m.

Archimedis sphęra. 234.p.
Archytę columba lignea. 234.p.
Argentum viuum à quo moueatur. 760.m.

ARISTOTELES.

Aristotelis laus. 44.p.
Aristotelem cur dęmonium appellarint, sicuti & Platonem diuinum. 45.p.
Aristoteles in Acroamaticis libris obscurior, pag. 49.p.
Aristoteles diligentissimus ordinis obseruator. 49.p.
Aristotelis in asserenda mundi ęternitate cõstantia. 717.p.
Aristotelès accusatus ob assertionẽ de ęternitate mũdi,& de vnitate primi principij.716.f.
Aristoteles cur interdum veteres philosophos incuset, non tam eorum mentem quàm dicta perpendens. 145.p.
Probabile est cognitam Aristoteli creationẽ, pag. 713.f.
Probabile est cognouisse Aristotelem Deum vbique esse. 814.p.
Et esse extra cœlum. 817.p.
Aristotelis sententia de immortalitate animę, pag. 413.p.
Aristoteles an cognouerit Deũ habere potentiam infinitam intensiuè. 822.f.
Aristoteles quid senserit de numerò intelligentiarum. 817.f.
Aristoteles quibus in rebus asseruit Deum naturę necessitate operari. 712.p.
Ponere generationes hominum ab ęterno & negare infinitum, nodus inextricabilis in doctrina Aristotelis. 431.p.
Aristoteles non percepit quopacto cum noua actione Dei creantis cohęreret immutabilitas diuinę naturę. 403.m. & 713.m.
Aristoteles rerum naturalium scientia omniũ calculis primas obtinuit. 45.p.
Aristoteli diuinarũ rerum intelligentia à plerisque Plato anteponitur. 45 p.
Aristoteles sensum cõmunẽ statuit in corde, pag. 678.f.
Quopacto negarit Aristoteles posse à Deo cõdi plures mũdos. 823.f.

ARS.

Ars vide scientia,
Artium varia genera. 241.m.
Ex artium inuentoribus mundi nouitas probatur. 721.p.
Artis & naturæ multiplex cõuenientia, & discrimen. 230. & 232.
Vtrum ars opera naturę per se moliri queat, pag. 233.f.
Artis quę summa laus. 231.p.
Quę fiunt arte, sunt ob aliquẽ finem. 347.f.
Ars naturam imitatur. 231.p. & 237.f.& 141.f. & 479.m.
Ars ex natura multa effinxit. 231.p.
Sicuti natura est mensura artis; ita ars mensura artefactorum. 231.p.
Quo sensu dixit Aristoteles artem non deliberare. 232.p.
Artium quarundam inuenta à brutis homines accepere. 361.f.
Ars non efficit motum, sed modificat, pag. 236.p.
Artis industria quędam animalia progigni, pag. 238.p.
Artium quarundam inuenta superioribus seculis ignota. 238.m.
Ars chymica an verum aurum efficiat, pag. 236.m.
Ars Apellis. 231.m.

ARTEFACTVM.

An materia pertineat ad essentiã artefactorum. 175.m.
An artefacta ex ęquo significent formam, & subiectum. 175.m.
Artefactorum formę nullam agendi vim habent. 233.m.
Conuenientia & discrimen inter arte facta,& naturalia. 213.& 232.p.
Artefactorum mensura ars, sicuti artis natura. 231.p.
Artefactorum formę non educuntur de potestate materiæ. 209.f.
Artefacta quopacto moueantur. 236.p.

ASTROLOGIA,
& astrologus.

Astrologia non est syncere Mathematica, pag. 244.p.
Magis tamen est Mathematica, quam Physica. Ibidem.
Astrologus quatenus cœlestem motum speculetur. 35 m.
Astronomicę imagines non habent vim edẽdi effecta, quę ipsis quidam attribuunt, pag. 236.p.

AVERROES.

Sententia Auerrois de ęternitate mundi.323.f.
De libertate Dei in agendo. 731.f.
De auro alchymico. 373.p.
De vacuo in eo spatio, in quo nunc mundus continetur. 509.m.

AVICENNA.

Auicenna multis in rebus Aristotelicę doctrinę aduersatur: vnde inter eum & Auerroem dissidia. 170.p.
Reprehendit Aristotelem quod dixerit materiam appetere formam. ibidem.

Quod

Quod docuerit esse per se notum dari naturam. 215.m.
Quod cap.1. libri.7. huius operis falsa hypothesi vsus fuerit. 655.p.
Finxit intelligentiam datricem formarum, pag. 204.p.
Existimauit mundum fuisse ex æternitate, pag. 723.f.
Posuit infinitudinem animarum rationis participum. 430.f.
Credidit imaginatricem vim animæ agere primo in remota. 690.f.

AVSCVLTATIO.

Cur octo libri Physicorum dicantur auscultationis physicę. 46.m.
De ordine & communi materia librorum Physicę auscultationis. 47.f.
Cur in opere physicę auscultationis à causis non ab effectis progrediendum sibi esse Aristoteles decreuit. 52.f.
Auscultationis physicę disciplina non inchoatur, vt quidam opinati sunt, à libris de cœlo, pag. 47.f.
Auscultationis Physicę libri continent communia principia, quibus tota Naturalis philosophia innititur. 47.m.
Quę sit materia, siue argumentum singulorũ librorũ Auscultationis Physicę. 48.f.

BONVM.

Nihil appetitur nisi sub aliqua specie boni, pag. 337.p.
Relatio boni, appetibilis, & finis, quem ordinem seruent inter sese. 335.m.
Bonum quanto cõmunius, tanto ad ipsum natura vehementiori conatu aspirat. 511.f.
Bonum & finis vt conueniant, & differant, pag. 335.f.& 337.p.

BRVTA.

Brutis quibusdam inest imitatio prudentię, & aliquarum virtutum vmbra. 364.p.
Brutis pugnacibus natura arma dedit, alijs pernicitate, & fuga, aut astu consuluit. 352.f.
Brutorum solertia, & ingenium diuinam prouidentiam arguit. 351.p.
Brutis nonnulli rationem dederunt. 361.p.
Bruta an solum instinctu in fines suos tendãt, pag. 363.p.
Brutorum instinctus qui nam sit. 366.m
Brutis non sunt consignatę ab ortu species, vt quidam putarunt. 366.f.
Bruta cœlestium corporũ impressiones magna ex parte sequuntur. 364.m.
Bruta quarundam futurarum rerum dant hominibus præsagia. 364.m.
Bruta varias artes hominibus indicarunt. pag. 361.f.
Num brutorum omnium phantasia in vnã speciem conueniat. 367.m.
Bruta non instigantur speciali actione ab auctore naturę ad opera sua mouenda, vt quidam putarunt. 365.f.
Bruta cur proportionem mediorum ad finẽ non cognoscunt. 368.f.

CASVS.

Quid sit casus & vt differat à fortuna. 252.f.
Casus & fortuna in quibus rebus interueniant. pag. 251.p.& 253.m.
Casus ad genus causę efficientis reducitur. pag. 254.p.
Casum cur nonnulli ex antiquis philosophis negarunt. 248.f.
Vide Fortuna.

CAVSA, ET CAVSALITAS.

Ex notitia effectorum, & ignoratione causarum orta est Philosophia. 259.f.
Causa & principium quo differunt. 258.m.
Causam nullibi Aristoteles expresse definit. pag. 260.m.
Causę varię definitiones, quarum vna cęteris anteponitur, & explicatur. 260.m.
Causarum consideratio ad quos artifices spectat. 212.f.
Causarum varię diuisiones ab Aristotele traditę. 247.p.
Causa vniuoca, & æquiuoca. 274.p.
Causarum genera quot sint. 263.p.
Causa exemplaris vere ac proprie causa est, ac præcipuę auctoritatis. 269.m.
Causa exemplaris directò, ac per se pertinet ad genus causę formalis. 270.f.
Quid sit causalitas, seu modus causandi. 276.p.
Causalitates singularum causarum quę sint. pag. 282.f.
Causalitas efficientis est actio. 278.m.
Causę essentialiter subordinatę qua lege agãt, pag. 299.f.
Vtrum omnis causa sit effectu suo nobilior. pag. 271.f.
Semper causa æquiuoca principalis est excellentior effectu. 274.m.
In causis essentialiter subordinatis non datur progressus infinitus. 769.p.
Quidquid habet causam efficientem habet finalem, & contra. 286.m.
Mutui officiorum nexus inter causas. 286.p.
Causę secundę Platonicis non tam sunt causę, quam primę causę instrumenta. 301.f.
Causa prima plus influit in effectum quam secunda. 299.f.
Causa prima vtrum actionem secundę determinet, an contrà. 308.m.
Causa prima quo sensu dicatur prius attingere effectum, quam secunda. 304.m.
Causas secundas agere negarunt quidã. 393.p.

Causę secundę, & Dei simul cum ea operantis eadem est actio. 301.p.
Causa prima, & secunda an sint dicendę integræ, vel partiales comparatione effectuum. 301.m.
Vtrum Deus pręuia motione causas secundas ad agendum excitet. 302.f.
Causę naturales totam suam vim agendo expromunt. 72.p.
Primum in vno quoque genere an sit nõ solum mensura, sed etiam causa cęterorum, pag. 362.m.
Causa finalis an sit absolute prima inter omnes causas. 332.f.
Primus Philosophus, Physicus, & Mathematicus per quas causas demonstrent. 50.f.
Causę ordine accuratę doctrinę notiores effectis. 68.f.
Quęre, finis, efficiens, materia, forma exemplar, idea.

COELVM.

Motus cœlo naturalis. 223.p.
Quies post diem iudicij erit naturalis cœlo, pag. 223.p.
Qui sit finis motus, quo cœlum mouetur, pag. 341.m. & 356.f.
Cœlum quopacto intellectuales substantias motu suo imitari conetur. 231 f.
Definitio naturę conuenit formæ, & materię cœli. 212.m.
Cœlum influxu suo fouet corpora sublunaria. 352.p.
Etiã extra cœlum patet infinitum spatiũ. 512.f.
Extra cœlum est Deus. [illegible]
Extra cœlum posset iaculum intorqueri, pag. 511.f.
Cœlum supremum an sit in loco. 473.f.
Cœlum Empyrium an suapte natura moueri queat. 509.f.
An ex motu cœli Empyrij sequeretur dari vacuum. 510.p.
Cœlum aliter in vnã partem sublunaris mũdi, aliter in aliam influit. 480 f.
An intelligentię dicendę sint moueri per accidens motu cœli. 779.m.
Ex materia cœli si distinguitur à sublunari, & ex forma sublunari non potest virtute diuina fieri vnum. 200.m.

COGNITIO ET COGNITVM.

Cognitio an impediatur à materia. 81.m.
Cognitio alia definitiua, alia demonstratiua. 53 p. Quid ad vtranque obtinendam requiratur. 54.p.
Cognitio alia comprehensiua, alia non comprehensiua. 53.m.
Quid exigat comprehensiua cognitio. 54.f.
Cognitio alia destincta, alia confusa, pagina. 61.p.
perfecta rei cognitio an omnium eius causarum intelligentiam deposcat. pagina. 13.p.
Discrimen inter cognitionem confusam, & distinctam. 61.m.
Vtrum cognitio confusa & distincta in eodem intellectu simul inueniantur. 61.f.
Vtrum cognitio distincta, & confusa necessariò exigant plures conceptus. pagina. 61.f.
Cognitione distincta actuali quę sint notiora. 64.f.
Quę distincta potentiali. 65.p.
Quę confusa actuali. 72.f.
Quę confusa potentiali. 77.m.
Perfectissima entis Naturalis cognitio non potest à Physico absque primi philosophi ope obtineri. 22.f.
Ad Dei cognitionem triplici via ascendimus, eminentię causalitatis negationis. pagina. 699.m.
Materię primæ cognitio adulterina. pagina. 142.p.
Discrimen inter cognitionem & volitionem Dei quoad necessitatem. 730.p.
Cognitio simplicis intelligentię, cognitio intuitiua. 730.m.
Vtrum substantia, an accidens sit primò cognitum. 83.f.

CONCVRSVS ET concurrere.

Nulli creaturę communicari potuit, vt sine Dei concursu ageret. 300.m.
Concursus Dei an sit prior concursu causę secundæ. 304.m.
Dei concursus cur non sit vbique vnus specie. 511.p.
An Deus concursu pręuio excitet causas ad agendum. 302.f.
Concursus Dei, & causę secundę ad eundem effectum non sunt duo concursus re ipsa distincti. 301.p.

CONNEXIO.

Connexiones sempiternę inter extrema simpliciter necessaria. 58.f.
Eiusmodi connexiones quidnam sint. ibidẽ.
An habeant causam. 315.m.

CONSERVARE ET conseruatio.

Conseruari à Deo omnia testantur patrum dicta, idemque ethnici philosophi cognouerunt. 290.p.
Conseruatio quo differat à creatione. 710.f.
Ab ęterno produci, & conseruari ab ęterno reciprocantur. 737.f.

Quę-

Quædam Deus se solo, alia interuentu causarum secundarum conseruat. 291.p.
Cessante actione Dei conseruantis abirent in nihilum creaturę. 289.p.
Pauciora requiruntur ad rei conseruationem, quàm ad eius productionem. 112.p.
Quopacto cœlum terrę conseruationē exhibeat. 711.f.
De actione, qua Deus calorem in aqua conseruat. 292.m.

CONTACTVS.

Inter agens & patiens requiri contactum. pag. 665.m.
Contactus globi & plani. 610.p.& 616.p.
Contemplat. vide speculat.

CONTINVVM.

Quid sit continuum. 608.f.
Continuum non componi ex solis indiuisibilibus. 617.f.
Continuum non pertinet ad essentiam motus, sed est eius proprietas. 390.p.
Quę specie distinguuntur an continua esse queant. 575.p.
Tempus est continuum continuitate specie distincta ab ea, qua motus. 547.m.
Continui partes quomodo cadant omnes in diuinam cognitionem. 445.m.
Continuitates omnes an sint eiusdem speciei. 392.p.

CONTRARIA.

Contraria tribus modis dicuntur. 565.f.
Quopacto omnis motus inter contraria versetur. 566.p.
Duo contraria in gradu remisso possunt in eodem subiecto coalescere. 561.f.
Prima contraria an sint rerum naturalium principia. 133.f.
Contraria ex se inuicem quomodo fiant. pag. 134.f.
E tribus principijs quę nam inter se contraria sint. 149.m.
In qualibet categoria dari vnam primā contrarietatem. 134.f.
Omnem contrarietatem ad priuatiuam oppositionem reuocari. 135.p.
Extrema motus contraria. 571.m.
Quicquid fit, ex contrario fit. 134.p.

COR.

Cor quasi separatum animal. 664.f.
Cor vitę fons. 664 m.
Sensum cōmunē statuit Aristoteles in corde, pag. 678.f.
In corde residet appetitus irę, vt thesaurū vitę seruet. 663.m.
Motus cordis est similis sphęrarum cœlestiū conuersioni. 663.m.
Cordis motus quę sit finalis causa. 663.f.
Quę efficiens. 664.p.
Motus cordis an sit à generante. 761.p.
Quem gradum animę sequatur motus cordis, pag. 664.f.
Cor focus irę. 663.p.
Cor cur nulla pēsite notitia moueatur. 665.p.

CORPVS.

Corpora grauia, & leuia à quo moueātur, cū in naturalia loca tēdunt. 754.p.
Corpus triplex, Mathematicum, Physicum, Metaphysicum. 300.f.
Qui putarint corpus nullā actionē edere. 293.f.
Corporum omnium appetitus ad mutuum nexum. 507.p.
Omniū corporum dispositio, & collocatio, pag. 478.m.
Corpora glorioſa qua vi alia corpora penetrabunt. 488.f.
Duo corpora possunt diuina virtute esse simul in eodem loco. 486.m.
Et vnum in duobus. 490.f.
Idē corpus in duobus locis, vtrū Deus vna an duabus actionibus cōseruare debeat. 493.m.
Posito eodē corpore in duobus locis quę accidētia vtrobiq; ei debeāt cōuenire. 491.m.
Corpus Christi in diuina Eucharistia an moueatur per accidens. 779.p.
Cuilibet corpori naturali suus est locus. 478.m.
Sentētia existimātiū posse duo corpora viribus naturę sese permeare, refellitur. 485.p.
Cur duo corpora non possint vi naturę simul esse. 485.f.
Corpora glorioſa non se loco mouebunt in instanti. 634.f.
Quopacto eadem corpora resurgētibus redhibenda. 176.m.
Corporū resurrectio aliquo modo naturalis erit, quanquā simpliciter supernaturalis sit, pag. 200.m.
In partiū humani corporis distributione imago quędam politię, & Ciuitatis. 662.f.
Cur corruptionis per se, generationis per accidens causa tempus dicitur. 531.m.

CREATIO, ET CREARE.

Creatio quid sit. 706.m.
Creatio est actio externa Dei. 709.p.
In quonā subiecto hęc actio recipiatur. 710.m
Creatio bifariam sumitur. 706.m.
Discrimē iter creationē, & cōseruationē. 710.f.
Creationem multi Ethnici philosophi agnouere. 713.f.
An Aristoteles cognouerit creationē. 713.f.
Potuit aliquid creari ab æterno. 732.f.

CREATVRA.

Creaturarum omnium dependentia à Deo in essendo. 289 p.
In agendo. 298.f.

Creaturę sunt relata transcendentia ad Deũ, pag. 317.m.
Creaturę vtrum secundum suas essentias pendeant à Deo, vt ab efficiente, exemplari, & fine. 317.f.
Qui creaturis omnẽ actionẽ denegarũt. 293.p.
Creaturę, & Dei simul cum ea operantis eadẽ actio. 301.p.
Creaturę omnes dicuntur ex se tendere in nõ esse, quia sibi nequaquam sufficiunt; sed egẽt auxilio Dei sustentantis. 292.p.
Creaturę omnes vt in primo agente consistũt, & ab eo conseruantur. 289.f.

DECRETIO.

Decretionem vt est abiectio quantitatis nullo pacto esse motum multo verisimilius. 582.p.
Nouus modus quem quantitas post abiectionem manens comparat, resultat in quantitate absque vllo motu. 583.p.
Decretionem quo pacto numerarit Aristoteles inter motus vtrinque clausos terminis positiuis. 583.m.

DEFINITIO.

Definitionis inuestigandę methodus. 113. p.& 66.f.
Definitiones descriptiuę magis adumbrationes rerum sunt; quam definitiones. 53.m.
Causę quędam externæ etsi non sint intimæ rei definitę: sunt tamen intimę definitioni. pag. 57.m.

DEMOCRITVS.

Demócritus veritatem in puteo demersam querebatur. 16.m.
Democritus quę statuerit rerum princip... pag. 147.p.
Democriti corpuscula. 147.p.& 671.f.

DEVS.

Deus finis omnium. 357.m.
Deus externis actionibus operatur propter finem. 336.p.
Deus omnis expers mutationis. 775.m.
Deus immobilis vnitas. 776.p.
Deus comparatur sphærę intelligibili, cuius centrum vbique sit, circunferentia nusquam, pag. 816.m.
Deus est vbique. 289.p.& 812.m.
Deus opinione Aristotelis per se immediate mouet primum mobile. 815.p.
Deus non solum est in mundo, sed extra mũdum in infinito spatio imaginario. 816.m.
Quopacto Deus sit in se ipso, in rebus creatis, & extra vniuersum. 820.m.
Noua relatio realis non potest in Deum cadere. 279.p.
Deus res omnes in suo esse conseruat immediatè eas attingendo. 289.p.
Deus concurrit actu cum causis secundis ad quãlibet earum operationem. 298.f.
Dei & causę secundę pariter operantis eadem numero actio. 301.p.
Deus immediatione virtutis, & immediatione suppositi cum quouis agente operatur. pag. 306.p.
Deus quo pacto nihil in mundo otiari sinat pag. 330.p.
Deus non operatur necessitate naturę. 729.p.
Deus, natura, & arsquopacto operẽtur. 230.m.
Ad Dei cognitionem triplici via progredimur. 160.m.& 669.m.
Scientia, quam Deus habet de creaturis qualis sit. 27.p.
Deus nullam rem annihilat. 803.m.
Si Deus non vbique esset, non posset vbique operari. 684.m.
Vtrum aliquid Dei potentiam effugiat. 312.p.
Quicquid posse potentia est, potest Deus efficere. 314.p.
Vnde proueniat vt aliquid Dei virtute possit, aut nõn possit fieri. 314.f.

DIALECTICA.

Dialecticam interdum apud Platonem pro prima Philosophia accipi. 19.p.
Dialectica pars philosophię. 3.m.
Dialectica necessaria ad verum inueniẽdum, pag. 2.f.

DVRATIO.

Duratio an differat ab existentia. 548.m.
Durationum varia genera. 550.p.
Videlicet tempus. 550.p.
Instans. 550.p.
Aeternitas. 550.m.
Aeuum. 550.f.
Tempus continuum. 540.
Tempus discretum. 552.f.
Instans temporis. 550.p.
Instans naturę. 553.p.
Instans temporis discreti. 552.f.
Aeternitas participata. 551.p.
Modus ęui. 551.m.
Modus ęternitatis participatę. 552.p.
Quænam res hisce durationibus mensurentur, quęre eisdem loc.
Quopacto hę durationes inter se distinguantur. ibidem.
Substantię corruptibiles qua duratione mensurentur. 551.m.

EDVCI DE POTENTIA.

Quę conditiones necessarię sunt vt aliqua forma dicatur educi de potentia materię subiectivè. 206.f.
Quę formę educantur de potentia subiecti, quę non latè differitur. 201.f.
An formę artificiales educantur de potentia subiecti. 209.f.

An motus localis. 209.p.
An dona supernaturalia. 207.p.& 210.p.
An formę corporum cœlestium 207.m.
An relationes. 210.p.
An aspect9 cęco diuina virtute collat9.209.p.
An formę notionales. 208 f.
An lux. 208.f.
Substantię separatę nequeunt vi sua educere aliquam formā de potentia materię.204.f.

EFFECTVS.

Idem effectus est totus à prima causa, & totus à secunda. 301.f.
Effectus plus dependet à causa prima, quàm à secundis. 289.f.
Effectus actu requirit causā in actu. 759.m.
Effectis cōuenire causalitates passiuas. 284.p.
Quęre, causa, Deus, efficiens.

EFFICIENS.

Efficientis causę definitio. 245.m.
Varietas causarum efficientium. 247.p.
Causalitas efficientis non est modus ipsi causę internus, sed actio. 278.m.
Ad efficientem causam, non materialē pertinent instrumenta. 265.p.
Efficiens, exemplar, & finis mutuò se se comitantur ad causalitates suas obeundas. pag. 118.p.
In causis efficientibus essentialiter subordinatis non potest dari progressus infinitus. pag. 769.p.
Potuit tamen dari secundum Aristotelem in causis accidentaliter subord natis. 60.p.
Quę ratio demonstret perueniendum ad vnū primum efficiens. 709.p.

ELEMENTVM.

Elementum, causa, & principium quopacto inter se distinguantur. 50.p.
Quęstio de locis naturalibus elemētorū late pertractatur. 477.f.
Quę primarū qualitatum coniugationes singulis elementis conueniant. 478.p.
Eleměta vt vires suas vicissim frangāt. 483.p.
Elementorum discors concordia. 478.m.
probat Dei prouidentiam. 371.p.
Elemētorum inter se mutui nexus. 479.p.
Non potuisse elementa nisi eo modo, quo nunc se habēt congruenter disponi 480.p.
Refelluntur qui supra tria elementa negant dari ignem ad lunę conca ua. 482.f.
Natura per alternos elementorum recursus perpetuitatē sublunaris mūdi tuetur.483.p.

EMANATIO.

Emanatio non est proprie actio. 659.p.
Emanatio frigoris in aqua remoto calefaciente attribuenda generanti vt agenti principali. 662.p.
Substantia potest esse immediatum principiū emanationis. 662.m.

ENS.

Ens in cōmune subiectum Metaphysicę. 34.p.
Ens per accidens an cadat sub scientiam. 23.p.
Omnia entia pendent à prima causa quatenus sunt adumbratę participationes diuini esse. 317.f.
Omnia entia dependent à prima causa tum vt sint. 289.p. tum vt operentur. 298.f.
Entis nomen quopacto sit Deo ppriū. 144.m.
Ens mobile in se spectatum Physicę considerationis. 13.m.
Ens naturale & ens secundum naturam quo differunt. 300.f.

ESSENTIA.

Essentia, quidditas, & natura quo differant, pag. 218.p.
Essentię an habeant causas efficientes. 310.f. & 317 f.
Essentia creaturarum non consistit in producibilitate. 314.f.
Res secundū suas naturas pręcisè spectatę nō habent essentialem ordinem ad Deum vt ad causam efficiētem. 317.f.
Num in rebus creatis quęcūque differunt re, differant quoque essentia. 99.p.

EXEMPLAR.

Quid sit exemplar siue idea. 266.p.
Exemplar non est ratio formalis sed obiectiua. 266.f.
Exemplar inter primę auctoritatis causas numeratur. 269.p.
Exemplar verè, ac propriè pertinet ad genus causę formalis. 270.f.
Exemplaris causalitas in quo consistat, pag. 269.f.
Exemplar, finis, & efficiens mutuò sese comitantur. 318.p.

EXISTENTIA.

Existentia non differt ab essentia nisi vt modus rei. 180.p.
Non omnis existentia est à forma. 180.p.
Existentiam propriā habet materia. 180.m.
Existentia est actus nobilissimus. 180.f.
Existentia quopacto differat à duratione, pag. 548.m.
Existentia vltima cuiusque rei actualitas, pag. 549.m.
Existentia est fundamentum omnium actuū secundorum. 684.f.
Quomodo tempus differat ab existentia cōtinuitatis motus. 548.p.
EXperientia philosophię dux. 80.f.

FASCINATIO.

Fascinatio bifariam sumitur. 663.f.
Fascinatio datur. 668 m.
Quopacto fiat. 663.f.

Cur

Cur vis fascinandi potissimum fœminis insit, & inter eas ijs, quę duplices habent pupillas. 674.p.
Cur fascinatio oculis maxime exerceatur, pag. 674.m.
Cur tenelli infantes fascinatione sæpius lędantur, quàm alij. 674 m.
Fascinatio quędam ex fœdere inito cum dęmone. 873.f.
Toti familię vis fascinandi aliquando insita, pag. 674.p.

FATVM.

Quidam fatum inane nomen, & fine re esse putarunt. 256.p.
Quidã legibus fati addixere omnia. ibidem.
Quid sit fatum apud eos, qui recte sentiunt, pag. 356.m.
Fatum ex sua formali ratione est respectus ordinis. 257.m.
Fatum pro causis ordinatis pertinet ad causam efficientem. ibidem.

FIGVRA.

Figura index formę substantialis. 665.f.
Figura an sit principium actiuum motus localis. 329.m.
Figurę & imagines Astronomicę an aliquam vim habeant ad effectus mirabiles .235.m. & 236.p.
Figura rotunda vnionis conciliatrix. 507.m.
Cur quędam corpora figũram rotundam affectent. 507.m.

FINIS.

Finis trifariam sumitur, communiter, propriè, & maximè propriè. 338.f.
Finis quid sit. 332.f.
Finis varię diuisiones. 332.p.
Finis est verè, & propriè causa. 332.p.
Finis est omnium causarum prima. 332.f.
Finis causalitas an consistat in metaphorica motione. 333.f.
Motio finis simpliciter est prior motione causę efficientis. 333 p.
An omnis operatio causę agentis sit effectus finis. 338.p.
Finis possessio quo pacto sit effectus causę finalis. 339.f.
Qua ratione conueniat Deo agere propter finem. 341.p.
Amor finis est verè, & propriè effectus finis. pag. 339.p.
Duplex esse finis, reale, & notionale. 341.f.
An finis causet secundum esse reale. 341.f.
Varij fines, in quos natura contendit. 336.m.
Naturam agere propter finem multis argumentis conuincitur. 350.p.

FORMA.

Formę substantialis definitio. 192.p.
Probatur inesse rebus Physicis formam substantialem. 190.p.
Forma substantialis vnum è principijs rerum naturalium. 194 p.
Quibus nominibus forma appelletur. 193.p.
Vtrum ex forma substantiali, & materia fiat vnum per se. 193.f.
Vtrum ex qualibet materia, & forma sublunaribus possit effici per se vnum. 200 f.
Vtrum omnes formę educantur de potestate materię latè disputatur. 201.f.
Substantię separatę nequeunt educere formas de potentia materię, nisi applicando naturalia actiua passiuis. 204.f.
Formę vt lateant in rationibus seminarijs, pag. 207.f.
Cur forma dicatur ratio quidditatis. pagina. 175.m.
Consensus mutui amoris inter formam, & materiam. 196.m.
Forma est ignobilior composito. 272.f.
Forma per artem inducta nullam agendi vim obtinet. 233.m.
Formę naturales sunt actuosę, & quasi viuæ, pag. 233.m.

FORTVITVM, ET FORTVNA.

Respectu Dei nihil fortuitum. 255.m.
In quibus rebus fortuna locum habeat. pagina. 255 m.
Fortuna quid sit. 253.m.
Discrimen inter casum & fortunam. pagina. 252.f.
Fortunę Ethnici nomen dederunt. 254 f.
Fortunę effigies. 255.p.
Cur fortuna cęca, & volubili saxo instans fingebatur. 255.p.

GALENVS reprehendit dicta quędam Aristotelis. 655.p.
Galenus cur naturam indoctam vocat. 358.f.

GENERATIO.

Generatio sumpta pro momentanea introductione formę est vera actio. 568.m.
Generatio à quo accidente eliciatur. pagina. 526.m.
Generationes perfectorum animantium non potuerunt ab ęterno esse vt eas posuit Arist. pag. 742.f.
Generationes an simpliciter ab ęterno esse potuerint in vtranque partem disputatur, pag. 742 f.
Generatio & corruptio quo pacto motus nomine comprehendantur. 387.m.
Progressum infinitum in generationibus quo pacto Aristoteles concedat, aut neget. 60 p.
Generationes quo sensu veloces, aut tardæ vocari possint. 696.p.

GEO-

GEOMETRIA.

Ignaros Geometrię arcebat Musęo suo Plato. 37.p.
Geometria non eandem vendicat abstractionem à materia, quam Arithmetica. pagina. 10.p.
Geometria est è synceris Mathematicis. pagina. 242.f.
Geometria minorem habet simplicitatē quā Arithmetica. 43.m.
Gigantes. vide monstrum.

GRAVIA ET LEVIA.

Grauia & leuia, mouentur à generante ad loca naturalia. 754.p.
Cur viuentia non dicantur moueri à generante vt grauia, & leuia. 756.p.
Germana ratio cur grauia & leuia dicantur moueri à generante. 755.f.
Forma substantialis grauium, & leuium, ipsorumque grauitas, & leuitas sunt principia actiua motus. 757.p.
Motus grauium, & leuium reuocatur ad pulsionem. 761.f.

HABITVS.

Ad habitus cur nō sit propriè alteratio. 686.p.
Ad categoriam habitus cur non sit per se motus. 566.f.

HERACLITVS. HESIODVS. Hippocrates.

Heraclitus σκοτεινὸς. 88.p.
Asseruit omnia perenni motu fluere. 746.p.
Negauit scientiam rerum naturalium. 15.m.
Laudatur ab Aristotele, quod dixerit necessariā exiguā domuncula abesse Deum. 814.m.
Omnia igni deflagratura prędicabat. pagina. 413.f.
Hesiodus scripsit in Theogonia terram esse omnium principium. 216.p.
Hesiodus posuit Chaos ante omnia. 143.f.
Hippocrates cur naturam aliâs doctam, aliâs indoctam appellet. 358.f.
Hippocratis quadratura. 88.f.

HOMO.

Hominis descriptio ex Aristotele. 353.p.
Alia ex Apuleio. 353.p.
Hominis excellentia. 353.f.
Homo finis naturę corporeę. 257.p.
Pro vestitu, & armis data homini ratio. 353.f.
An homines ex congressu hominis, & belluę nasci possint. 373.p.
Immeritò dici à quibusdam naturam exhibuisse se in hominem quasi nouercam. pag. 353.f.
Hominum corpora indies minora. 722.p.
Primus hominum parens, an fuerit gigas. pagina. 374.p.
Homo gerit in se totius mundi velut imaginem; vnde parus mundus dicitur. 764.f.

IDEA.

Idearum cognitio quanti sit momēti. 265.m.
Ideæ definitio. 266.p.
Idea non est ratio formalis, sed obiectiua. pag. 266.f.
Formę agentium naturalium non sunt ideę. pag. 266.m.
Ideę Platonicę. 21.f.
Quære, exemplar.
QVAE sunt eadem in vno tertio, sunt eadē inter se, quomodo intelligatur. 332.p.

IGNIS.

Ignis tribus saltem modis generatur; ab alio, igni, attritu lapidum, coitu radiorum. pagina. 138.f.
Locus ignis ad lunæ concauū. 478.m.
Ridiculum non correptum iri stupam à maximo igni. 117.f.
Ignis quo pacto è longinquo naphtam incendat. 678.p.
Ignis in sua sphęra cūr non videatur. 482.f.
Ignis omnium elementorum perfectissimus. pag. 478.m.
Ignis in pyramidis figuram acuminatus ascendit. 479.f.

IMPOSSIBILE.

Impossibile cognitum vt impossibile non potest obtinere rationem finis. 343.m.
Quo ex fonte proueniat vt aliquid sit impossibile. 314.f.
Nihil, quod posse potentia est, impossibile est Deo. 314.p.
Quid essugiat potētiā Dei extra ordinariā. 312.m.

INCEPTIONES RERVM.

Varij modi inceptionis, & desitionis rerum, pag. 795.p.
Quo pacto incipiant res permanentes. 798.p.
Quo pacto incipiant res successiuę. 796.p.
Quomodo incipiant quę cum motu incipiūt. pag. 796.f.
Cur forma rei generabilis incipiat esse in materia in instanti. 802.in.
Potest à Deo creari homo, & angelus per vltimum non esse. 803.m.
Incrementi & decrementi leges. 396.p.

INDIVISIBILE.

Varię opiniones de natura indiuisibilium in continuo. 606.p. & 608.p.
Qui meras negationes esse volunt refelluntur. 608.f.
Indiuisibilia distinguūtur realiter ab ijs quorum nexus, terminiue sunt. 611.m.
Indiuisibilia ad quem vsum sint necessaria. pag. 608.f. & 611.f.
Indiuisibilia pertinent ad essentialem definitionem continui. 619.f.

Num indiuisibile per se moueri possit. pagina. 648.p.
Num indiuisibile diuinitus possit moueri cõtinuo motu. 650.p.
Tempus discretum constat ex indiuisibilibus. 620.p.
Vtrum continuum ex solis indiuisibilibus coalescat. 616.m.

INFINITVM.

Physici negotij esse de infinito disputare. pag. 378.f.& 407.p.
Infiniti descriptio. 420.f.
Infinitum quot modis dicatur. 416.f.& 423.p.
Infinitum adiectione,& infinitum detractione. 424.m.
Infinitum & finitum non admittunt inter se mutuam comparationem. 438.m.
Infinita puncta dantur actu in cõtinuo.427.p.
Declaratur descriptio infiniti. 420.f.
Finitum vel infinitum quomodo sit passio quantitatis. 429.m.
Non datur infinitum actu proprie sumptum in rebus creatis. 425.f.
An repugnet infinitum claudi aliquo modo terminis. 612.m.
Cur nulla qualitas infinite intẽsa possit à Deo effici. 435.p.
Qui defendunt generationes ab ęterno esse potuisse, defendant potius dari posse actu infinitum. 745.p.
An infinitum actu possit à Deo effici in vtranque partem disquiritur. 431.& 432.
Etsi Deus produceret infinitum, non proinde suam potentiam exhauriret. 430.p.
In corpore infinito quodcunque punctum vicem centri obtinet. 428.m.
In quolibet rerum genere potest Deus producere infinitum syncategorematice. 441.f.
Expenditur ratio Aristotelis.1. de cœlo cap.5. probantis non dari corpus infinitum in natura. 439.m.
Infinitum,qua infinitum,est ignotum, quis sensus. 419.f.& 449.f.
Infinitum similitudinem habet cum materia. 417.f.
Infiniti cognitio, quęre cognitio.

INSTANS.

Instantia temporis & naturę. 550.p.&554.p.
Instantia temporis discreti. 552.f.
In instanti non est motus. 633.f.
In instanti non est quies. 621.f.
An dum rem moueri intuemur, ea visio in instanti fiat. 634.p.
In resurrectione corporum an cinerum attenuatio,& addensatio exhibenda sit in instanti. 635.f.
Corpora gloriosa non sese mouebunt loco in instanti. 634.f.
In motu vt non datur primum mutatũ esse, ita nec primum instans. 629.f.
Tempus non existit per sola instantia. pagina. 545.m.
In toto tempore an sit idem instans siue nunc. 527.f.
Quopacto intelligendum sit nihil nos habere è tempore pręter instans. 546.p.

INSTRVMENTVM.

Instrumentum sola causa efficiens propriè habet. 265.p.
Causæ secundę vtrum dicendę sit instrumenta primę tantum,an simpliciter causę. pagina. 301.f.
Potest Deus per instrumentum agere in rem ab instrumento disiunctam. 683.p.
Instrumentorum omnium instrumentũ manus. 355.p.
Humanitas Christi instrumentum diuinitatis pag. 684.p.

INTELLECTVS.

Intellectus noster ex sua primęua origine tabula non scripta. 15.p.
Intellectus non lædit excellentia rerum intelligibilium. 449.m.
Intellectus noster plura simul cognoscit.73.f.
Quod sit primo cognitum comparatione nostri intellectus late differitur. 60.m.
Quęre,cognitio,infinitum.

INTELLIGENTIAE.

Intelligentię nequeunt propria virtute inducere formas in materiam. 204.f.
An Aristoteles agnouerit plures intelligentias, quàm motrices orbium cœlestium. 817.f.
An intelligentię dicendę sint moueri per accidens motu sphęrarum. 779.m.
Opus naturę, opus intelligentię, quis sensus. pag. 358.f.

LATIO.

Latio inhęret in mobili,non in corpore circumfuso. 405.p.
Lationis terminus per se,non est locus, sed vbi,siue existentia in loco. 406.p.
Latio Angeli. 405.m.
Sit ne latio quiete præstantior,an contra. pagina. 36.p.
Quęre motus.

LIBER.

Libri, operaque omnia Aristotelis in tres classes distribuuntur, 44.f.
Plurimi è libris Aristotelis iniuria temporum intercidérunt. 44.f.
Liber de mundo ad Alexandrum non omnino constat an sit Aristotelis. pagina. 46.p.

Librorũ Physicę Auscultationis varia inscriptiõ. 46.m.
Octo libros Physicorum non esse Metaphysicos, vt quidam putarunt. 47.f.
Libro septimo physicorum non videtur ab Aristotele extrema manus adhibita. 694.f.
Librum septimum Physicorum nonnulli vt subditititum abdixere. 652.p.
Cur libri Aristotelis alij Exoterici, alij Acroamatici dicantur. 46.m.
Cur octo libri Physicorum inter Acroamaticos numerentur. 47.m.
Cur libri Physicorum inscribantur de Physico auditu. 47.m.
Libri Physicorum an sint doctrinę ordine primi in Physiologia. 48.p.
Libri de plantis ab Aristotele scripti non extant. 45.f.
Librum secundum Metaphysicę nõ esse proœmium libri secundi physicorum, vt quidam putarunt. 212.p.

LINEA.

Linea non est negatio vlterioris tendentię superficiei. 608.f.
In qualibet magnitudine vna tantum datur linea. 429.f.
In qualibet linea sũt actu infinita pũcta. 427.p.
Cur à recta linea sumi debeat maxima distantia. 571.m.
Maneret linea infinita negatiue si ab ea extremum punctum auferretur. 612.p.
Spatium interiectum inter duas lineas infinite porrectas non esset infinitum. 420.f.
Lineę visuales quę dicantur. 243.p.
In qualibet magnitudine sunt actu infinitę lineę partiales ęquales vni certę. Quę tamen non sunt plures lineę simpliciter. 429.f.
Linea gyratiua. 612.f.

LOCVS.

Loci natura cognitu, & inuenta difficilis. pagina. 455.f.
Locus quid nam sit. 470.p.
De natura loci varię opiniones. ibidem.
Loci duplex acceptio. 471.m.
Loci affectiones. 462.m.
Locus non est interuallum. 470.m.
Motus localis non est per se ad locum, sed ad vbi. 406 p.
Loca elementorum quàm apte distributa sint. pagina. 477.f.
Locus supremi cœli quisnam. 476.p.
Non est absurdum rem immotam mutare locum, dũmodo non mutet situm, & vbi. pag. 472.p.
Potest diuinitus idẽ corpus in duobus locis collocari. 486 m.
Et duo in vno. 490.f.
Locus quopacto dicatur immobilis. 470.f.
Locus an habeat vim conseruatricem rei locatę. 471.f. & 480.m. & 483.p.

LVMEN.

An luminosum singulis instantibus nouum lumen producat in corpore ad quod paulatim accedit. 430.m.
Luminis traiectio momentanea. 635 p.
Lumen educitur de potestate subiecti. 208.f.
Lumen glorię non educitur de potentia intellectus. 207.p.

MAGIA, ET MAGI.

Magia duplex. Altera dęmonũ commercijs inauspicata, quę est artis abusus: altera verè ars. 23.m.
Magię Naturalis artificio multa opera miranda effici possunt absque interuentu dęmonum. 23;m. & 235.f.
Magi pharaonis veros serpentes exhibuere. pag. 235.m.
Magi quomodo feras, & homines excantent. pag. 235.m.

MAGNES.

Vis magnetis in attrahendo, suspendendo, & concatenando ferro. 670.m.
Quopacto magnes ferrum alliciat varię opiniones. 671.p.
Cur acus magneti affricta sese ad polum obuertat. 671.f.
Cur cuspis acus nauigatorię non vbique polum rectà ostendat. 672.f.
Vis attractoria magnetis quibus rebus impediatur. 671.m.

MAGNITVDO.

Quęlibet magnitudo Mathematicè spectata est diuisibilis in partes infinitas. 90.p.
In quauis magnitudine sunt actu infinita puncta. 427.p.
In quauis magnitudine vna tantum est integra linea. 611.p. & 612.f.
De terminis magnitudinis & paruitatis. 110.p.

MATERIA.

Materię definitio enodatur. 161.p.
Varię appellationes materiæ. 163.p.
Quibus argumentis probetur dari in rebus physicis materiam. 157.f.
Materia est pura potentia. 164.f.
Materia habet existentiam propriam. pagina. 180.m.
Materia est expers generationis, & interitus. pag. 159.p.
Materia non potest absque ordine ad formã cognosci. 161.f.
Materię cognitio adulterina. 142.p.
Materię notio duplex. 160.m.
Materię vis vtrum possit ab intellectu

creato comprehendi. 59.m.
Potest forma vniri diuinitus materię sine quā titate, ita vt ex ijs resultet cōpositu n. 199.p.
Materiam quo pacto etiam primus philosophus cognoscat. 11.f.
Materia num ex se diuidua, & extensa sit. pag. 100.f.
Materia cur generationis, & interitus causa perhibetur. 170.f.
Errores quorundam de natura materię. 167.p.
Materia appetit formam. 169.p.
An vt materia formam, ita forma materiam appetat. 171.p.
Reijcitur opinio Durandi existimantis nullam materiam singularem, certam & definitam pertinere ad essentiam Socratis. pag. 164.p.
Vtrum materia pertineat ad quidditatem cōpositi naturalis. 171.p.
Materię duplex vnitas. 174.p.
Materia quo pacto eadem in eodem homine tota vita perseueret. 176.p.
Materia potest diuinitus absque omni forma substantiali conseruari. 181.m.
Non creauit Deus à principio mundi materiam absque omni forma substantiali, vt quidam putarunt. 181.f.
Quę formę educantur de potentia materię, quęre. forma, & educi.
Materia est substantia postremę notę. pagina. 442.m.
Non potest à Deo produci aliqua substantia despicacior, quàm materia prima. 442.m.

MATHEMATICA.

Mathematica, vna è partibus contemplatricis Philosophię. 8.m.
Mathematicarum artium prestantia, & certitudo. 42.f.
Mathematicas disciplinas constituit Plato in Naturalium, & diuinarum interstitio. pag. 38.m.
Mathematica abstractio à motu & à materia, pag. 8.m.
Mathematicę quod genus causę considerent, pag. 50.f.
Mathematicæ inter alias scientias quem locum sortiantur, acquisitionis. 36.m.
Et dignitatis. 41.m.
Quę sint purè Mathematicę, quę mediæ. pagina. 243.p.
Cur vna tantū sit Physica, & vna prima Philosophia, Mathematicę plures. 9.m

MAXIMVM ET MINIMVM.

Disceptatio de maximo & minimo, in qua agitur de terminis tam magnitudinis, quā paruitatis, rerum tam viuentium, quàm vitę expertium. 110.p.

MEDICINA.

Medicina vtrum sit contemplatiua, an practica. 27.f.
Vtrum sit pars Physiologię. 29.m.
Medicina & philosophia medentur; illa corpori, hęc animo. 29.f.
Vbi desinit Physiologia, inde Medicina incipit. 29.f.
Subiectum Medicinę. 29.m.
Conuenientia inter Medicinam, & Physiologiam. 29.f.
Cur quędam medicinę pars dicatur theoretica, alia practica. 28.f.
Melissus quo sēsu dixerit oīa vnū esse. 143.m.

METAPHYSICA.

Metaphysicæ prestantia. 42.m.
Metaphysica ordine doctrinę vltima, dignitatis prima. 37.f.
Vna tantum est Metaphysica, non plures vt quidam putarunt. 7.f.
Metaphysica non considerat particulatim omnium rerum essentias. 14.m.
Metaphysica quo iure interdum ea, quę in materiam demersa sunt contēpletur. 14.m.

MONSTRVM.

Quid sit monstrum. 369.p.
Monstrum quot modis accidat. 370.m.
Monstra in mari cur frequentiora. 371.m.
An monstrosum animal, quod simplicia membra geminata habet, vnum animal sit, an plura. 373.f.
Homo magnitudine perdicis. 371.m.
Vtrum gigantes absolutè monstra censeri debeant. 374.p.
Opinio Mirandulæ existimantis nullo pacto obuenire monstra è cœlestium corporum influxu refellitur. 374.m.
Monstrum an natura intendat. 375.p.
Monstra quas ob causas intendat Deus. pagina. 377.p.
Num ex humana & belluina specie homines nascantur. 373.p.

MORALIS SCIENTIA.

Moralis scientia, vna è tribus partibus philosophię vniuersim acceptę. 3.p.
Moralis scientię necessitas. 4.p.
Moralis scientia doctrinę ordine posterior naturali. 37.m.
Ad moralem scientiam transtulit Socrates omnem philosophiam. 11.f.
Cur iuuenes non sint idonei auditores moralis scientię. 37.m.
Multæ naturę fontibus ad moralem scientiam

ti necessariò petenda sunt. 37.m.
A philosophia ad iuris peritiam esse progrediendum docuit Plato. 37.f.

MOTVS.

Motus cõguitiõ quanti sit momẽti in Physiologia. 378.p.
Motus varię definitiones. 384.p.
Pręcipua motus definitio accurate explicatur. 385.f.
Motus analogum. 391.p.
Multiplex consideratio motus. 392.m.
Motus qua motus ens incompletum. 390.f.
Cur motus quasi vita quędam dicatur. 378.p.
Motus cur Pythagoricis non ens. 385.f.
Motus cur ἐντελέχεια appelletur ab Aristotele. 387.f.
Motus qua consideratione ad quam categoriam pertineat. 392.m.
Motus non est forma, sed eius fluxus. 385.p.
Motus nõ est essentialiter cõtinuus, est tamẽ essentialiter successiuus. 389.m.& 390.m.
Motus inter affectiones entis mobilis principem locum obtinet. 36.p.
Motus localis omnium motuum primus, pag. 780.f. & 781.f.
Species motus finitas esse. 764.p.
Secundum Aristotelem omnibus corporibus inest propensio ad motum, non tamẽ omnibus ad quietem. 223.p.
Motus omnes comparatione materię naturales sunt. 224.m.
Motus localis inhaeret in re [illegible] 405.p.
Motus corporum ad impediendum vacuum est à generante. 760.m.
De motu cordis multa. 662.m.
Motus in vacuo non esset in instanti. 319.m.
De motu proiectorum. 680.f.
De motu grauium, & leuium. 752.m.
De motu corporum ad impediendum vacuum, 508.f.
De motu cœli. 223.p. vide cœlum.
An in vacuo motus daretur. 317.f.
Num motus accipiant speciem à termino, pag. 577.p.
De vnitate specifica motus ad quantitatem, pag. 580.f.
De vnitate specifica alterationum. 584.p.
De vnitate specifica lationum. 586.m.
Quę requirantur ad vnitatem numeralẽ motus. 589.p.
Motus rectus, flexuosus, & circularis quopacto Deo per metaphoram attribuantur, pag. 776.p.
Omne mutatum esse antecedit motus. 628.p.
Ad continuitatem motus quę requiruntur, pag. 575.p.
Varia theoremata ad motũ spectantia. 653.p. & 775.p.
Motus quomodo incipiant, & desinãt. 796.p.
Quo sensu non detur prima pars motus, pagina. 628.m.
Regulę ad comparationem motuum. 692.f.
Regulę ad proportionem motuũ cognoscendam. 696.m.
An detur motus in instanti. 632.m.

MOVERE.

Quo sensu verum sit, nullum mouens corporeum mouere nisi moueatur. 760.p.
An primum mouens secundum Aristotelem omni mutatione, & magnitudine vacet, pag. 774.m.
Num omne, quod mouetur, moueatur ab alio. 656.p.
Vtrum secundum immateriales emanationes sit idem prorsus mouens & motum, pag. 658.f.
Num omne, quod primò mouet, debeat esse simul cum eo, quod mouetur. 668.p.
A quo moueatur cor varię opiniones. 661.f.
Non dari infinitum progressum in mouentibus. 654.f. & 762.f.
Quæ sint mouentia essentialiter subordinata. 769.p.
Sublato primo mouente tolli omnem motum. 765.f.
Mouentium quędam mouẽt motu proprio, alia metaphorico. 333.f.
Primũ mouens primò & efficacius mouet, pag. 762.f.

MVNDVS.

Antiqui mundum animal fecere. 146.m.
Mundi pulchritudo ordine maximè continetur. 477.f.
Omnia, quę mundus complectitur, numero, pondere, & mensura continentur. ibidẽ.
Zareta Chaldęus mundum ex natura & harmonia componebat. 479.p.
Mundus vt diuinum archetypum imitetur, pag. 26.p.
Academici duplicem mundum posuere; alterum Archetypum, & intelligibilem; alterum subsensus cadentem. 16.p.
Mundum cępisse communis antiquorũ vox, pag. 715.m.
Mundum cępisse demonstrari non potest, pag. 720.m.
Probabilia argumenta ad probandam nouã mundi creationem. 720.f.
Quo anni tempore mundus creatus fuisse videatur. 717.m.
Quo mense 719.f.
Quo die. Ibidem
Rationes Aristotelis ad probandam mundi ętatem. 722.m.

Disso-

Dissoluuntur. 724.f.
Argumenta Auicennę, & aliorum pro ęternitate mundi. 723.f.
Refelluntur. 726.p.
Quę ratio afferri possit cur Deus mundum non creauit ab ęterno. 726.f.
Cur si Deus mundum ab ęterno non creauit, saltem prius non creauit futilis quęstio, pag. 727.f.
Mundus ipse factum se esse à Deo proclamat, pag. 712.m.
An Deus mundum alium perfectiorem cõdere potuerit. 443.f.
An Deus eum mundum singularem, quem produxit, absolutioré efficere potuerit. ibid.

MVTATIO.

Quid sit mutatio. 710.m.
Mutatio quot modis sumatur. 578.f.
Quid sit discriminis inter motum, & mutationem. 579.p.
An in quolibet motu sit duplex mutatio, pagina. 580.m.
Mutata esse quo modo se habeant ad motũ, pag. 628.p.

NATVRA, ET NATVRALE.

Esse per se notum dari naturam quomodo intelligendum. 215.m.
Opiniones veterum philosophorum de natura. 218.f.
Multiplex naturę significatum. 217.m.
In naturę definitione comprehenditur natura corporum cœlestium contra Plutarchũ, Mag. Albertum, & alios. 222.m.
Naturę definitio particularis explicatur, pagina. 220.p.
Natura analogum. 219.m.
Naturę definitio an principio tantum passiuo conueniat. 225.p.
An natura sit etiam principium generationis, pag. 221.f.
Natura ars Dei. 230.p.
Naturę simia ars. 231.p.
Natura diuinę immortalitatis ęmula. 527.p.
Natura vniuersalis, & particularis. 217.f.
Naturę confœderatrix diligentia. 480.m.
Cur humanitati non conueniat definitio naturę. 222.p.
Forma magis natura, quàm materia. 216.p.
Natura non patitur aliquid otiati. 218.m.
Opus naturę, opus intelligentię. 218.m. item. 358.f.
Diuersi fines, quos natura spectat. 356.m.
Natura in minimis tota. 356.p.
Refelluntur qui naturam nullo fine agere putarunt. 350.p.
Repugnat dari naturam absque supposito, pag. 183.f.
Quo sensu dicatur natura esse ad vnum determinata. 229.m.
Naturę opera vtrum ars moliri queat. 233.f.
Cur natura communis extra singularia existere non possit. 183.f.
Naturalia quomodo ab artefactis differant, pag. 224.m.
Naturale & violentum in quibus motibus reperiantur. 196.f.
Naturale, & secundum naturam quo differant. 213.f.

NVMERVS.

Cur formę dicãtur esse sicuti numeri. 443.m.
Numeri Pythagoricis essentię. 696.m.
Quantum Pythagorici numeris tribuerint, pag. 147.m.
De numero denario 147.f.
Infinitos numeros cognoscit Deus; etsi nullum certum infinitum 439.f.
Numerus fit ex diuisione continui. 420.f.
Obiecta comparatione actuum ad quod causę genus pertineant. 265.p.
Scientię distinguuntur per obiecta. 7.m.
Obiectum, subiectum vè Physiologię. 30.p.

OPINIO.

Actus scientię, & opinionis cur non possint in eodem intellectu simul cohęrere. 62.m.

Opiniones philosophorum de principijs, pag. 143.p.
Opiniones Platonis, & Platonicorum, quęre Plato, & Platonici.
Opiniones quędam Aristotelis, quęre Aristoteles.
Opiniones Auicennę, quęre Auicenna.
Opiniones Academicorum, quęre Academici.

Opinionibus, non scientia, contineri omnia aiebat Pythagoras. 15.f.

Oppositа iuxta se constituta magis apparent, pag. 377.p.
Opus naturę cur intelligentię opus dicatur, pag. 358.m.
Orpheus nouam mundi creationem cecinit, pag. 715.m.

ORDO.

Ordo diuinum quid in natura. 49.p.
Ordo doctrinę, & dignitatis inter disciplinas, pag. 36.m. & 41.m.
De ordine doctrinę, & inuentionis proprię, pag. 52.f.
Quantum decoris afferat rebus ordo. 49.p.
Rerum ordo & conseruatio, finis naturę, pag. 350.m.
Ordo rerum naturalium testatur eas agere gratia finis alicuius. 230.p.

Ordinis obseruator Aristoteles. 49.p.
Ordo rerum, quę in contemplationem veniunt, triplex. 4.p.
Precipua cura sapientis circa ordinem. 4.p.

PARMENIDES.

Disputatio Aristotelis aduersus Parmenidem & Melissum. 103.m.
Parmenides an ita senserit de vno vt eius verba prese ferebant. 143.m.

PARTES.

Totum à partibus an distinguatur. 92.p.
Partes entitatiuas habet substantia sine quantitate. 102.f. vide totum.

PHANTASIA.

Phantasia num percipiat substantiam. 86.p.
Phantasia an sit eiusdem speciei in omnibus brutis. 367.m.
Phantasia quopacto agat immediate in appetitum à quo distat. 678.m.
Phantasię brutorum nullę cõgenitę species, pag. 366.m.
Phantasia brutorum vt causarum naturalium impressione moueatur. 364.m.

PHILOSOPHIA ET PHILOSOPHVS.

Philosophię & philosophi nomen à quo inuentum. 1.p.
Philosophię multiplex notio. 2.p.
Philosophię definitiones varię. 1.& 2.
Philosophię duplex distributio; altera qua diuiditur vniuersa. 3.m.
Hęc quopacto astruatur à D Augustino. 4.m.
Altera, qua diuiditur ea, quæ in contemplatione versatur. 5.p.
Philosophię obscurãdę rationes diuersę apud antiquos. 60.m.
Philosophia ex admiratione orta est. 3.p.
Philosophia mortis contemplatio. 2.p.
Philosophia cui cõparetur à Gregorio Nysseno. 24.p.
Philosophię Aristotelicæ distributio. 44.f.
Prima Philosophia cęteris artibus prędet, pag. 34.m.
Si nullę essent immateriales substantię non esset prima Philosophia. 34.p.
Philosophorum communem assensum quãti faciat Aristoteles. 721.p.
Philosophos cur interdum coarguat Aristoteles non tam quid significare vellent, quã quid verbis significare viderentur expendens. 145.p.
Philosophi multa è diuinis literis hausere, pag. 144.m.
Philosophicum ingenium rerum esse oportet, non verborum. 32.p.

PHYSICA, PHYSIOLOGIA, Physicus.

Physicę nomen interdum late sumitur, vt cõprehendit omnes scientias cõtemplatiuas, pag. 3.m.
Subiectum Physiologię. 30.p.
Partitio Physiologię apud Aristotelẽ. 45.p.
Physiologię comparandæ duplex via. 52.m.
Physiologiã non inchoari à libris de cœlo vt quidam putarunt. 47.f.
Physiologia inter cęteras disciplinas quem doctrinę ordinem sortiatur. 36.m.
Quem dignitatis. 41.m.
Physiologia est vere, proprieque scientia. 18.p.
Physiologia est scientia contemplatrix. 26.p.
Physiologia cur vna, Mathematicę verò plures. 10.m.
An ad Physicum pertineat disputare de causis. 212.m.
Discrimen inter Physicum, & Mathematicum. 239.f.
Consideratio animę rationalis quo modo ad Physicum pertineat. 35.p.
Physicus omnia causarum genera considerat. 50.f.
An per omnia demonstret. 54.m.
Physicus quatenus agat de substantijs materię expertibus 14.m. & 652.m.

PLATO, ET PLATONICI.

Platonis multa, reconditaque doctrina, pag. 44.m.
Plato diuinarum rerum cognitione Aristoteli anteponitur. 45.p.
Credidit Plato consignatas esse nostris animis à principio intelligibiles rerum formas. 19.p.
Platonis consuetudo in disputando. 44.m.
Platonis error de sempiternitate fluctuantis materię. 716.p.
Plato mundum initio temporis conditum agnouit. 716.p.
Tempus cum mundo genuit. 702.f.
Plato in sententia de principijs, sicuti in alijs rebus varius. 147.m.
Plato posuit duo infinita magnum, & paruum. 419.f.
Platonis ideę. 21.f.
Platonici putant etiam extra mundum esse Deum. 813.m.
Platonici caput, animę rationalis sedem vocarunt. 663.m.
Platonici aerea quędam animalia finxerunt, pag. 748.f.
Platonica reminiscentia. 688.f.

PORPHYRIVS.

Error Porphyrij de imaginibus Astronomicis, 23.m.
Opinio eiusdem circa definitionem naturę, pag. 222.f.
De ratione & oratione brutorum. 361.p.

POTENTIA.

Potentia Dei duplex, ordinaria, & extra ordinaria. 312.p.
An recte concedatur aliquid esse, quod diuina potentia fieri non possit, late disseritur. 312.p.
Potentiam extra ordinariam Dei an Aristoteles cognouerit. 824.p.
Vnde proueniat vt aliquid diuina potẽtia effici queat, nequeatvè. 314.f.
Potentia materię pertinet ad eius essentiã, pag. 164.f.
Quæ conditiones requirantur, vt forma dicatur educi de potentia materiæ. 206.f.
de potentia naturali, obedientiali, neutra, & violenta. 205.f.

PRACTICVM.

Quę sit scientia practica. 26.p.& 28.p.
Dialectica ars practica. 28.m.
Moralis scientia, practica. 28.m.
Medicina ars practica. 28.p.
Quędam Magia est ars practica, etsi aliquo modo dicatur pars Physiologię. 23.f.

PRINCIPIVM.

Principium, causa, & elementum an differant. 50.m.
Nũ principiũ, & causa reciprocentur. 128.m.
Aliter Gręci, aliter Latini causę notionẽ vsurpant. 129.p.
Principiorum definitio explicatur. 130.m.
Vtrum Aristoteles omnium rerum naturalium principia definierit. 132.f.
Principium nec formaliter, nec denominatiue sumptum est quid vniuocum. 129.f.
Vtrum prima contraria sint naturalium principia. 133.f.
Principia quomodo contraria sint. 135.m.
Principia non possint esse infinita. 139.p.
An rerum naturalium principia sint tria late disquiritur. 143.p.
Principia rerum naturalium tria. 149.p.
Qui vnum fecere. 245.f.
Qui multa partim finita, partĩ infinita. 147.p.
Quo ordine dicatur principium de tribus principijs rerum naturalium. 130.p.
Principiorum coniugationes ex Pythagorę-orum disciplina. 147.m.
Contra eos, qui principia negant, non esse disputandum quomodo intelligendum, pag. 91.p.
Principium dimidium totius. 436.p.
Principium plusquam dimidium videri, pagina. 456.p.
An illud principium, impossibile est idem simul esse & non esse sit primo cognitũ. 76.f.

PRIVATIO.

Priuatio an sit ens. 184.m.
An sit principium rerum naturalium. 187.f.
Priuationes quopacto dicantur in rebus esse, pag. 186.m.
Priuatio quo sensu dicatur principium per accidens. 188.f.
Priuatio formaliter sumpta est in rebus seclusa notione intellectus. 185.f.
Priuatio cur malefica dicatur. 186.f.
Priuationes quopacto ordinentur à Deo, pagina. 186.m.
Verisimilius esse dari proprios conceptus priuationum. 187.m.

PROIECTA.

Vera causa motus proiectorum. 621.m.
Cur proiecta paulo post initium motus, incitatius ferantur. 682.m.
An impulsus in solo aere, vel in corpore proiecto insideat. 681.f.
Proportio magna rerum conciliatrix. 197.p.
De motuum proportionibus. 696.f.

PVLCHRITVDO.

Pulchritudo vna è tribus corporis virtutibus, pag. 686.m.
Pulchritudo vniuersę naturę. 350.p. & 712.p.
Pulchritudo formę, quam materia appetit, pag. 169.m.
Vniuersi pulchritudo ordine maxime continetur. 704.p.

PVNCTVM.

Punctum an sit quid positiuum. 608.f.
An distinguatur re ipsa à linea. 611.p
An possit à fi[illegible]mę diuinitus separari, pagina. 612.p.
An sint actu puncta infinita in linea. 427.p. & 612.p.
An sint totidem puncta in maiori, & in minori circulo. 612.m.
Potest punctum diuina virtute respondere magnitudini. 650.p.
Punctum globi vtrum moueatur cõtinuo, an discreto motu. 649.m.
Punctum quomodo ab Angelo delatum possit moueri continue. 651.m.
In puncto reflexionis an detur quies. 790.p.

PYTHAGORAS, ET PYTHAGOREI.

Pythagoras non sapientiam, sed sapientię studium profitebatur. 1.p.
Pythagora auctore Sophię in Philosophię nomen mutatum. 1.p.
Pythagorica palingenesia. 431.p. & 745.p.
Pythagorei quam obscurandę philosophię rationem inierint. 60.m.
Pythagorei quantum numeris tribuerint, 147.f.& 696.m.

Sententia Pythagoreorum de prestantia numeri denarij. 147.f.
Pythagorei decem principiorum coniugationes effinxerunt. 147.f.
Pythagoreorum error de sempiternitate materię. 716.f.
Quadratura circuli. 89 p.

QVALITAS.

Cur qualitas dicatur sequi formā. 110.f.
Qualitates naturales cur non possint in infinitum intendi. 119.m.
An solę qualitates ex omnibus accidentibus agendi vim habeant. 327.p.
Qualitatum varietas quoad vim agendi, pagina. 329.p.
Remissio qualitatis motus negatiuus. 582.m.
Gradus qualitatum vnde dicti. 568.p.
Qualitates occultas non esse ignorantię asylum, vti quidam aiunt. 676.m.
Non omnia effecta, operationesvè naturalium rerum posse reduci ad vim quatuor primarum qualitatum. ibidem.
Cur quędam qualitates pendeant in fieri & conseruari ab agentibus, alię non. 193.p.

QVANTITAS.

Quantitas consideratur à Mathematico, à Physico, & à primo etiam philosopho suo modo. 14 p.
Quantitas cur dicatur sequi materiam. 110.f. & 119. p.
Quantitatem qui materię coęuam fecerint. pag. 562.m.
Essentia quantitatis in quo consistat. 487.m.
Quantitas ex se nullis terminis coercetur, pag. 119 f.
Quamobrem vna quantitas aliam permeare non potest. 488.m.
Affectiones consequentes naturam quantitatis. 487.m.
Ad quantitatem an sit per se motus. 566.m.
Abiectio quantitatis est motus negatiuus, pagina. 582 m.
Vnus tantum est specie realis motus ad quātitatem. 582.m.
Quantitas non est coęua materiæ. 567.p.
Materia sine quantitate habet partes substantiales, siue entitatiuas, non tamen extensas, & ordinatim dispositas. 102.f.

QVIES.

Quies bifariam accipitur, & quopacto sumpta motu prestantior sit. 36.p.
Quietis nomine in definitione naturę significatā ab Aristotele tam quietem in termino à quo; quam in termino ad quem. 224.m.
Quies non est in instanti. 796.m.
Quies cœli post diem iudicij an sit futura cœlo naturalis. 223.p.
An necessario detur quies in puncto reflexionis. 790.p.
De contrarietate quietum. 594.f.

RATIO.

Pro armis & vestitu data hominibus ratio, pag. 353.f.
Rationis vsum in pueris quid demonstret, pag. 82.m. & 688.m.
Rationes seminarię quę sint. 208.p.
Rationem quidam brutis dedere. 361.p.
Ratio causandi quid sit. 276.p.
Rationes causandi singularum causarum, pag. 281.p.

RELATIO.

Relatio quanquam sit actus caret omni actiuitate. 330.m.
Potest tamen relatio vendicare causalitatem finis. 330.m.& 334.p.
Relationes an educantur de potentia subiectorum. 209.m.
Cur ad relationem non fit per se motus, pagina. 566.f. & 569.p.
Relatio distātiæ quomodo aquiratur. 634.f.
Relatio noua realis nulla potest in Deum cadere. 279.m.
Cur de relatione non sit peculiaris scientia quemadmodum de quantitate. 13 p.
Relatio vnionis inter materiā & formā. 198.m.

REMORA.

Compertum est experientia detineri naues à pisce remora, siue echeneide. 675.p.
Qua vi remora id efficiat opinio Fracastorij, quę refellitur. 675.p.
Verisimilior sententia. 676.p.

RES.

Res omnes conseruantur à Deo in suo esse alioqui mox in nihilum reciderent. 289.p.
Quęlibet res aliam se perfectiorem imitari nititur. 231.m.
Per quos gradus, quibusvè modis res prodeant in lucem. 230.m.
Res permanentes & successiuę quo modo incipiant & definant. 795.p.
A rebus creatis prouehimur ad Dei cognitionem triplici via. 700.p.
Res omnes an potuerint ex æternitate produci. 758.p.
Quauis re creata potest effici à Deo alia nobilior. 441.f.
Resistentia totius naturę ad impediendū vacuū nō potest ab vlla vi finita superari. 516 p.

SANITAS.

Sanitas non est qualitas simplex, vt putauit Auicenna. 690.f.
Sanitas requirit quasi harmoniam primarum, quatuor qualitatum. 691.p.
Ad sanitatem an sit alteratio. 691.m.

Sanitas numeratur inter corporis virtutes, pag. 686.m.
Ad sanitatem quantum momenti habeat sol, cœlique natura. 686.f.

SCIENTIA.

An sint tres scientiæ contemplatiuæ. 5.p.
Scientiarum contemplatiuarum distinctio an ex triplici abstractione à materia & à motu rectè colligatur. 8.p.
Scientiarum varietas ab ipsa natura orta est, non à commoditate discentium. 7.f.
Scientia, quã Deus habet de rebus, vtrum speculatiua sit, an practica. 27.p.
Scientia Dei, quæ dicitur simplicis intelligentiæ, & quæ visionis. 730.m.
Cur ad vnam scientiam non pertineant omnia, quæ cognoscuntur naturali intellectus lumine. 13.f.
Scientiarum dignitas & præstantia non ex necessitate æstimanda. 42.p.
Actus scientiæ, & opinionis cur simul in eodem intellectu non cohæreant. 62.p.
Scientiarum regina Metaphysica. 42.m.
Quem ordinem tã doctrinæ, quã dignitatis, inter se habeant scientiæ. 36.&42.m.

SINGVLARE.

Singulare an sit primo cognitum. 78.p.
Singulare accidentis, an substantiæ prius cognoscatur. 83.f.
Singularia cõtenta sub eadẽ specie infima nõ sunt alia alijs nobiliora secundum gradum suæ particularis essentiæ. 275.p.
Vnde oriatur maior perfectio operãdi in singularibus eiusdem infimæ speciei. 275.p.
Progressum in infinitum in singularibus per se, non tamen essentialiter sub ordinatis posuit Aristoteles. 60.p.
Quopacto actiones, & effecta singularia à Deo quoad singularitatem præfiniuntur, pag. 308 m.

SOCRATES.

Socratis modestia commendata. 18.f.
Socrates vniuersam philosophiam ad mores inflexit. 12.f.
Ad Socratem complures Philosophantium sectæ dogmata sua referebant. 44.p.

SPATIVM.

Spatium imaginarium. 342.p.
Spatium non est locus. 463.f.
Spatium ad capienda corpora non est quid reale. 820 p. nec rationis ibidem,
Suo tamen modo realiter, idest absque beneficio intellectus datur. ibidem.
Spatium ad capienda corpora fuit ex æternitate. ibidem.
Spatium est immobile; & ob eius immobilitatẽ dicitur locus immobilis. 470.f.
Extra cœlũ patet infinitum spatium. 471.p.
Deus est actu in infinito spatio extra cœlũ, pag. 818.m.

SPECIES.

Vtrum natura plures species in infinitũ moliri queat. 449.p.& 59.m.
Specie differentia an inter se continuari valeant. 575.p.
Qualibet specie potest Deus aliam in infinitum perfectionem producere. 441 f.
Species sunt sicut numeri. 443.m.
Non potest vlli speciei nouus addi gradus essentialis perfectionis. 443.f.
Opinio negans inesse intellectui species intelligibiles rerum singularium magis Peripatetica. 80.m.
Singularia inflexa potius, quàm reflexa cognitione à nobis intelliguntur. 83.f.
Species non habent inter se ordinem essentialem. 66.m.

SPECVLATIVVM.

Scientiæ speculatiuæ tripartita diuisio. 5.p.
Speculatiuæ scientiæ contemplatricibus excellunt. 41.f.
Physiologia est scientia speculatiua. 26 p.
Speculatiuas scientias distingui per diuersas abstractiones à materia, & à motu, pag. 8.p.
Medicina non est speculatiua. 27.f.
Neque moralis scientia. 28.m.
Neque Dialectica. 28.m.

SVBIECTVM.

Nulla scientia probat suum subiectum. 35.p.
Subiectum Metaphysicæ. 32.m.
Subiectũ Physiologiæ quodnam sit. 30.p.
Commune subiectum octo librorum Physicæ Auscultationis. 48.m.
Subiectum singulorum librorum Physicæ Auscultationis. 48.f.
Scientiæ distinguuntur per subiecta. 7.m.

SVBSTANTIA.

Substantiæ productionem an accidentia attingant. 318.f.
Substantia an cadat sub notionem internorum sensuum. 86. p.
Substantia cognitione posterior accidentibus. 85. p.
Ad substantiam non est motus. 566. f.
Substantia non est alteri substantiæ proprie contraria. 566.f.
Nulla substantia est immediatum principium suæ operationis. 321. p. & 326. p.
Emanationes sunt immediatæ a substantijs. pag. 662. m.
Substantiæ corruptibiles qua duratione mensurentur. 511. m.

UNIVERSIDADE LIVRARIA DA

CONIMBRICEN
IN 8. LIBROS
PHYSICORVM

Sala 2
Gab. L
Est. B
Tab. 3
N.º 10